The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

SCOTUS ACADEMICUS

SEU

THEOLOGIA SCOTI

SCOTUS ACADEMICUS

SEU

UNIVERSA DOCTORIS SUBTILIS THEOLOGICA DOGMATA

QUÆ AD NITIDAM ET SOLIDAM
ACADEMIÆ PARISIENSIS DOCENDI METHODUM CONCINNAVIT

R. P. CLAUDIUS FRASSEN

ORDINIS FRATRUM MINORUM PROVINCIÆ FRANCIÆ
S. FACULTATIS PARISIENSIS DOCTOR.

Editio nova

Juxta correctiones annotationesque ipsius Auctoris in Nationali Bibliotheca Parisiensi asservatas

---

Tomus quintus

De formatione, et ordinatione Creaturarum corporalium, et de mirando hominis Opificio.

WITHDRAWN

208.885
F843a
v.5-6

The Catholic Theological Union LIBRARY Chicago, Ill.

ROMÆ
EX TYPOGRAPHIA SALLUSTIANA
(MATER AMABILIS)
Via S. Nicola da Tolentino, 4
1901.

EX LIBRIS PROVINCIÆ
PRO STUDIO THEOL.
S.S. CORDIS JESU.

WITHDRAWN

208.87
F8435
N5-6

12338

TRACTATUS SECUNDUS

DE CREATURARUM CORPORALIUM, SEU TOTIUS MUNDI FORMATIONE, ET ORDINATIONE.

INTER *cetera, quæ rerum omnium potentissimus Opifex Deus condidit, nullum sane invenietur Mundi natura, vel ad investigandum abstrusius, vel ad reperiendum difficilius, vel ad cognoscendum jucundius, vel denique ad docendum utilius. Nihil, inquam, ad investigandum abstrusius, quippe mundi natales dies, quibus a Deo procreatus est, non hominum diligentia, et industria, studioque reserati sunt; sed divino et singulari Dei beneficio Moysi patefacti sunt, ut divinam in eis rerum omnium molitionem, et ordinationem in exordio libri Geneseos nobis revelaret. Hinc merito S. Paulus fide tantum a nobis acceptam, et cognitam haberi primam hujus Universitatis structuram, omniumque partium ejus dispositionem, atque ornatum edocet* ad Hebræos cap. 11. *scribens:* Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent. — *Nihil pariter ad cognoscendum jucundius, quam ipsa hujus Mundi primordia, mirandaque ejus constitutio: Quid enim in rebus a Deo conditis mole majus, varietate admirabilius, specie magnificentius, ornatu elegantius, pulchritudine amabilius, robore valentius, ad incolumitatem, ac diuturnitatem firmius, decentissimo partium omnium ordine, miroque earum inter se quasi concentu quodam, consensuque venustius, bonorum omnium copia plenius, perfectione absolutius excogitari, dicique potest? Denique cum dixi mundum, omnia dixi: quid enim aut dici, aut fingi potest sive maximum sit, sive minimum, quod non ut Mundi amplexu, sic Mundi vocabulo comprehendatur? — Denique nihil est ad docendum utilius; cui namque persuasum fuerit Mundum ex nihilo ab aliquo temporis initio esse a Deo factum, haud dubium est, exinde ad Dei cognitionem, æstimationem, et amorem, maximam efflorescere, et redundare utilitatem; ubi namque mundum noverit, qui ex omni æternitate nullus fuerat, et nulla ex materia, novoque certi temporis ortu prodiisse; huic profecto constabit Deum, et unum esse, et omnium rerum efficientem, conservantem, regentem, atque providentem esse causam: eumque infinita potestate pollere, nec ulla naturæ necessitate, sed sua tantum voluntate, ac bonitate ad fabricandum mundum esse adductum, atque sibi ipsum ad omnia usquequaque sufficere, et ex se, ac se solo esse beatum, omnibusque excogitandis fulgere præcellentiis; nam, ut loquitur S. Paulus ad Romanos* 1, Invisibilia ipsius Dei a creatura mundi per

ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus, et Divinitas. — *Theologum igitur non dedecet Mundi genitales dies reserare; quippe cum hæc notitia ad divinas perfectiones detegendas, et affirmandas summopere conferat; ita ut diei cuique sua capitalis respondeat Disputatio, brevioribus quæstiunculis, ac responsis enucleanda.*

DISPUTATIO PRIMA.

DE OPERE PRIMÆ DIEI.

Quæ Deus primo rerum omnium die condidit et operatus est, luculenter exprimit Moyses his: *In principio creavit Deus Cœlum et Terram. Terra autem erat inanis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi, et Spiritus Domini ferebatur super aquas. Dixitque Deus: Fiat lux, et facta est lux. Et vidit Deus lucem, quod esset bona: et divisit lucem a tenebris: appellavitque lucem diem, et tenebras noctem, factumque est vespere, et mane dies unus.* Quibus verbis plura complectitur scitu digna, quæ ut nota fiant, sub sequentibus Quæstionibus sunt aperienda.

Quæres I. — *Quid significare voluerit Moyses per hæc vocabula, in principio creavit Deus?*

✳ "Respondeo quod sicut Moyses omnium prophetarum oculatissimus et coryphæus exstitit, nihilque nonnisi dictante divino Spiritu scripti exaravit, mirum videri non debet quod ejus eloquia mysteriis referta sint et sub litteræ cortice divina arcana complectantur, quod potissimum apparet in primo Genesis capite; quot enim protulit verba, tot videtur eructasse oracula. Ut autem singula pro modulo nostro detegamus et reseremus, primus ille Genesis versiculus sigillatim est expendendus sub proponendis distinctis titulis.

In principio. — Triplex horum verborum apud sacros interpretes, maxime vero S. Ambrosium lib. 7. *Hexaëmeron.* c. 41, et S. Augustinum lib. 1. *De Genes. ad litteram,* cap. 1. profertur expositio." ✳ Primo namque *in principio,* idem sonat, *ac in Filio,* qui seipsum pluries principium rerum appellavit. Sic *Joan.* 8. interrogatus respondit: *Principium, qui et loquor vobis:* et Apocal. 1. *Ego sum novissimus, et primus, principium, et finis.* Ipse namque est quasi idea et sapientia Patris, necnon et Verbum quo omnia creavit; etenim *per ipsum omnia facta sunt, et sine ipso factum est nihil:* seu, ut loquitur S. Paulus ad Colossenses 1. *In ipso condita sunt universa in Cœlis, et in Terra, visibilia, et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates: omnia per ipsum, et in ipso creata sunt: et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant.* Verum hæc expositio mystica est, et symbolica.

Secunda explicatio est quod in primordio, seu initio non ævi, sed temporis, et mundi, cuncta Deus creaverit; quando nimirum simul cum mundo cœpit mundi duratio. Licet enim in mundi primordio non fuerit tale tempus, quale nunc est; jam enim tempus nostrum est mensura motus primi Mobilis, Solis, et Cælorum: tunc autem nedum erat primum Mobile, nec Sol, nec Cæli; et consequenter, necdum

erat eorum motus, qui tempore mensurari posset: erat tamen tunc duratio rei corporeæ, eo videlicet instanti quo Cælum, et Terra creata sunt. Unde Deus dicitur creasse Cælum, et Terram, non quidem in tempore, sed in principio temporis, idest, in primo temporis momento. Possumus etiam, inquit S. Ambrosius, intelligere, *in principio,* idest ante tempus: sicut initium viæ nondum est via, et initium domus nondum est domus.

Tertia denique explicatio. Illud *in principio* significat idem, ac *ante omnia*, ita quod ante Cælum, et Terram Deus censeatur nihil creasse, ut nempe designetur ordo creationis rerum, significeturque Cælum et Terram inter creaturas omnes primarium formationis gradum et ordinem tenere: quod significat David Psalmo 101. *Initio tu Domine Terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt Cœli.* Quasi diceret, quod quemadmodum domum aliquis ædificaturus, ante cetera fundamentum supponit; ita Deus in fabricando mundo, ante alia condidit Cælum et Terram, veluti duas principes mundi partes, quæ ceteras ordine naturæ necessario antecedunt, ✳ " et aliarum veluti bases fulcrales jecit ac præstruxit quæ ceteras fulcirent et sustentarent, et suo veluti sinu clauderent. Itaque sic resolvi posset Moysis narratio de mundi opificio cum Deus principio cælum et terram creavit: terra erat inanis et vacua, et rudis indigestaque moles; quam tenebræ vestiebant et circumcingebant, e quibus Deus statim lucem eduxit. " ✳ — *Ex quibus* duo inferri posse observat S. Basilius, Homilia in Hexaëmeron: primum quidem, quod ex doctrina Moysis perspicue interatur mundum non esse æternum; sed aliquando ortus sui habuisse initium. Secundum, etiam cognosci posse mundi antiquitatem, necnon rationem iniri quantum a nostra ætate ejus distet exordium, illius veluti ævi annos omnes retroactos computando. In quibus aberraverunt a vero Ethnici: etenim quidam censuerunt mundum esse sempiternum: alii cœpisse quidem illum aliquando putaverunt, quamplurimas tamen myriades annorum, et prope innumera retro lapsa sæcula finxerunt: ✳ " Hoc equidem vulgare olim inter profanos et ethnicos scriptores commentum fuit, ad quos obscura tantum mundi Genesis et originis fama pervenerat, ut mos hominum est, Dei veritatem et sacram historiam alienis figmentis adulterare.

Hic autem silentio prætereunda non est miranda scriptorum utriusque Testamenti consensio. Cum enim duo sint rerum originem habentium genera; alia æterna et divina, ut sunt Filius et Spiritus Sanctus, quorum ille a solo divino Patre, hic a Patre et Filio procedit; alia vero temporanea, ut sunt res omnes in exordio mundi procreatæ. Scriptores sacri Moyses et Joannes Evangelista, qui utramque originem commemoraverunt, simili usi sunt exordio; nam uterque ortus est ab his vocibus: *In principio;* ita tamen ut duas illas origines, uti valde discrepantes, etiam diversimode expresserint. Enimvero Moyses adjicit: *In principio creavit etc.* Joannes vero: *In principio erat Verbum etc.* Uterque tamen ad institutum suum apposite scripsit, *Nam,* inquit Severianus Gabalitanus, *utiliter ille, hic proprie locutus est. Ubi namque creatio,* faciendi *verbo seu* creandi *usus est Moyses: Ubi vero Creator Auctorque Evangelista verbum* erat *usurpavit. Latum vero discrimen interfuit, seu creavit et erat; nam alterum factum est*

cum non esset: ille autem erat qui semper est. Adjicit utrumque scriptorem idcirco pari usum esse exordio, *ut una pietatis radix ostendatur, quæ et hunc Legislatorem docuit, et illum Theologum illuminavit. Sunt enim germana duo Testamenta, uno parente posita. Hincque adeo est, ut uno consensu sermonem edant: fere enim eadem imago ac simulacrum est. Et sicut duobus germanis, ex eodem ortis Parente insunt similes proprietates, cultusque ac oris paria quædam lineamenta: sic et duo Testamenta, quod eodem Parente prognata sint, summam quamdam habent similitudinem.*

Creavit. — Ut productionis Universi modum aperiret, Moyses non usurpavit verbum *iatsar* quod *fingere* aut *fornare* significat, qua voce usus est c. 2. v. 8. cum hominis formationem recensuit: sed scripsit *bara*, quæ vox denotat cujuslibet rei productionem ex nihilo, seu quæ ex non esse ad esse procedit, nimirum ut mundum ex nihilo conditum esse significaret refelleretque erroneam eorum sententiam qui res omnes ex præexistente quadam æterna informi materia prodiisse finxerunt, quasi Deus in earum formatione nihil aliud quam ornatum et formam adjecisset: quod putidum commentum dissipavit Moyses cum ait res omnes non per generationem nec per eductionem aut alio quovis ex præjacente subjecto productionis modo, sed ex omnipotenti virtute et divino Verbo ac imperio fuisse primitus conditas.

Itaque cum dicitur Deus cælum et terram creasse in principio, aperte significatur " ✳ non fuisse factum Cælum, et Terram ex materia aliqua præexistente, sed simpliciter ex nihilo, ut exposuit etiam piissima illa *Mater Machabæorum* lib. 2. cap. 2. ubi filium juniorem alloquens, ait: *Peto, nate, ut aspicias ad Cælum, et Terram, et ad omnia, quæ in eis sunt, et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus.* ✳ " Non me latet Aben Ezera in commentario ad ista Moysis verba contendere vocem *bara*, idest *creavit*, non significare productionem rei ex nihilo, quam sententiam firmare nititur ex primi capitis commate 21. *Creavitque Deus Cete grandia.* Et 27. *Creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum, masculum et fœminam creavit eos.* Quibus in locis vox *bara* adhibetur rei ex alia re, ut hominis ex humo, et mulieris ex homine procreationem significandam. — Verum reclamant alii quotquot sunt celebres apud Hebræos Doctores cum Moyse Bar-nachman qui in commentario diserte scribit: *Non extat apud nos in lingua sancta vocabulum quo productionem rei ex nihilo significamus, nisi* BARA. Cui concinit R. D. Kimchi: *Omnis*, ait, *significatio creationis est innovatio rei, et progressio ejus a non esse ad esse.* Ut autem huic assertioni in speciem repugnantes præfatos textus concilient, distinguunt duplicem usum verbi *creandi* in Scripturis. *Primo* enim significat productionem rei alicujus ex puro nihilo, quo sensu hoc in loco accipiendum esse affirmant. *Secundo* vox illa usurpatur ad denotandam rei alicujus præcellentis et eximiæ, quæ singulari Dei virtute et potentia in lucem profertur. Atque hinc est quod eo utitur, ubi cetorum et hominis conditionem proponit. Sunt enim *ceti* vastæ et portentosæ quodam modo magnitudinis: *homo* vero ob eximias dotes omnibus creaturis præstat, imo omnium creaturarum quasi caput est et princeps. — Observant insuper intercedere distinctionem inter

hæc verba *bara*, idest *creavit*, et *iatsar*, idest *formavit*, et *agascha*, idest *fecit*. Ut *creare* sit ex nihilo aliquid facere ; *formare* enti creato figuram inducere ; *facere* singula membra ordinare, perficere, absolvere, et ad certum suum usum adaptare. Extat locus Isaïæ XLIII, 7 : *Omnem qui invocat nomen meum in gloriam meam, creavi eum, formavi eum, et feci eum.* Quem locum Rabbi Kimchi sic explicat : *Primum creavi eum, i. e. produxi eum a non esse ad esse. Dein formavi eum, i. e. existere eum feci apta forma. Exinde feci eum, i. e. disposui seu ordinavi eum. Nam vox dispositionem rei, et perfectionem ejus significat, ideo dicit etiam : feci eum.*

CREAVIT DEUS. — Mundum a Deo conditum distincte pronuntiat Moyses, ut significaret illius fabricam et molitionem non Angelis, aut alteri creaturæ adscribendam esse quemadmodum plurimi Veteres hæretici delirarunt. Imprimis vero Simon Magus qui mundi fabricam Angelis assignabat, quem errorem egregie refellit S. Irenæus lib. 2. *Adversus hæreses* c. 1. et 2, hac efficaci ratione, quod scilicet Angeli Mundum creassent, vel præter Dei imperium vel ex ipsius jussu et mandato. Si primum, sequitur Deum impotentem esse aut improvidum et negligentem. Si secundum asseratur, consequens erit non ipsos Angelos, sed in Deum mundi creationem esse refundendam. « Si enim, « inquit, Angelos ipse fecit, aut etiam causa creationis eorum ipse « fuit ; et mundum ipsum videbitur fecisse, qui causas fabricationis « ejus præparavit : licet per longam successionem deorsum Angelos « dicant factos, vel mundi fabricationem a primo Patre ; nihilominus « id quod est causa eorum quæ facta sunt, in eum qui prolator fuit « talis successionis recurret. Quemadmodum in Regem correctio belli « refertur, qui præparavit ea quæ sunt causa victoriæ : et conditio « hujus civitatis, aut hujus operis, in eum qui præparavit causas ad « perfectionem eorum quæ deorsum facta sunt. Quapropter non jam « securim dicimus incidere ligna, vel serram secare ; vel hominem « concidere et secare rectissime quis dicat eum, qui ipsam securim « et serram ad hoc fecit, et multo prius armamenta omnia per quæ « fabricata sunt securis et serra. Si igitur juste, secundum illorum « rationem, Pater omnium dicitur fabricator hujus Mundi, et non An- « geli, neque alius quis mundi fabricator præter illum qui fuit pro- « lator, et prius causa factionis hujusmodi reparationis existens ». Ita S. Irenæus. — Ne quis vero existimaret Deum Angelorum ope mundum condidisse adjicit : « Omnia autem quæ facta sunt, infatigabili « verbo fecit. Proprium enim est hoc Dei supereminentia, non indi- « gere aliis organis ad conditionem eorum quæ fiunt ; et idoneum est, « et sufficiens ad formationem omnium proprium ejus Verbum, que- « madmodum et Joannes Domini discipulus ait de eo : omnia per ipsum « facta sunt, et sine ipso factum est nihil. In omnibus autem est et « hic qui secundum nos est mundus. Et hic ergo a Verbo ejus factus « est, sicut Scriptura Geneseos dicit, omnia quæ sunt secundum nos, « fecisse Deum per Verbum suum. Similiter autem et David exequi- « tur : quoniam ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt ». — Eumdem errorem exagitat S. Epiphanius *Hæres.* 22., eumque jugulat tum Moysis verbis : « In principio creavit Deus cælum et terram », tum Christi Domini oraculo Luc. 10. ubi divinum Patrem al-

loquens, ipsum appellat Dominum cæli et terræ, unde colligit : *quod si cœli et terræ conditor est Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, frustra omnia a sycophanta Simone jactantur, mundum scilicet ab Angelis cum defectu fabricatum.* Videndus etiam in his quæ adversus Saturninum ejusdem erroris assertorem urget. — Impugnat etiam eumdem errorem Theodoretus lib. 5. *Hæreticarum fabularum*, c. 4. eumque refellit ex productis oraculis tam veteris quam novi Testamenti. Ex veteri quidem producit præfata Moysis verba, necnon ea Davidis *Psalm.* 32 : *Verbo Domini cœli firmati sunt etc.* Deinde adjicit : « His « congruentia omnes etiam prophetæ nos docent. Et Isaïas quidem « clamat c. 42 : *Creans cœlos, et extendens eos : firmans terram, et « quæ germinant ex ea : dans flatum populo qui est super terram, et « spiritum calcantibus eam...* Quin etiam Deus ipse per illum dicit, « cap. 44 : *Extendi cœlum solus.* Verum propheticis mihi vocibus « non est opus. Ante legem enim et prophetas natura homines hoc « docuit. Et Melchisedech ille antiquus Abraham benedicens, sic dixit, « *Gen.* 14 : *Benedictus Abraham Deo excelso, qui creavit cœlum et ter- « ram...* Generosus quoque Job, qui ante legem latam virtute insignis « fuit, verum Deum Creatorem agnovit : *Qui extendit,* inquit, *cœlos « solus, qui graditur super mare, tamquam super solum.* Job. 9. » — Adjicit ex novo Testamento. « Audiamus ergo, inquit, divinum Jo- « annem *omnia per Verbum facta esse* dicentem ; *sine ipso*, inquit, *fa- « ctum est nihil.* Audiamus et divinum Paulum clamantem : *In ipso « condita sunt universa, visibilia et invisibilia...* In Areopago autem « concionatus dixit, Act. 17 : *Deus qui fecit mundum, et omnia quæ in « eo sunt, hic cœli et terræ cum sit Dominus, non in manufactis tem- « plis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cum ipse « det omnibus vitam, et inspirationem et omnia : fecitque ex uno san- « guine omne genus hominum inhabitare super universam faciem ter- « ræ* ». — Videndus hac de re S. Augustinus lib. 12. *De Civitate Dei* capitibus 24. et 25. ubi diserte probat quod etsi Angeli Deo interdum inserviant in producendis, conservandis et regendis creaturis, ea tamen non ipsis sed Deo esse adscribenda : *Si enim,* inquit, *in illa specie quam forinsecus corporalibus opifices rebus imponunt, urbem Romam et urbem Alexandriam non fabros et architectos, sed reges, quorum voluntate, consilio, imperio fabricatæ sunt, illam Romulum, illam Alexandrum habuisse dicimus conditores : quanto potius nonnisi Deum debemus conditorem dicere naturarum, qui neque ex materia facit aliquid quam ipse non fecerit, nec operarios habet nisi quos ipse creaverit ; et si potentiam suam, ut ita dicam, fabricatoriam rebus subtrahat, ita non erunt, sicut antequam fierent non fuerunt? Sed ante dico, æternitate, non tempore. Quis enim alius Creator est temporum, nisi qui fecit ea, quorum motibus currerent tempora?* Inquirit ibidem utrum Angeli in mundi creatione Deo inservirent : at quæstionem dubiam relinquit.

Porro Deus creaturas condidit, " * non quod illis indigeret, sed quia bonus est ; nam, ut ait Plato in Timæo, non alia Deo fuit ratio creandi mundum, quam suæ bonitatis manifestatio : *Quæramus igitur,* inquit, *causam quæ eum impulerit, qui hæc machinatus est, ut originem rerum, et molitionem novam quæreret : Bonitas videlicet præstabat.* Hinc

Tertullianus lib. 2. *Adversus Marcionem* cap. 26. ubi inquirens rationem ✳ " quæ Deum induxerit ad productionem " ✳ mundi, *Prima,* inquit, *est bonitas Creatoris, qua se Deus noluit in æternum latere;* idest, voluit esse aliquid, a quo cognosceretur: subdit: *Et ideo in suum summam commisit bonitatem apparituri boni negotiatricem; non utique repentinam, nec obeuntitiæ bonitatis, nec provocatitiæ animationis, quasi exinde censendam, quo cæperit operari.* ✳ " Observandum autem est Moysem hebraïce præfatas voces *creavit Deus* his expressisse: *Bara Elohim,* ubi nomen *Elohim* terminationis pluralis, verbo singulari *Bara* conjungitur constructione prorsus, ut videtur, insolita; ac si sensus esset, *creavit Dii* seu *Judices.* Unde *Magister Sententiarum* lib. 1. dist. 2. ait hac loquendi formula Moysem usum, ut Trinitatis mysterium adumbraret, significaretque unitatem essentiæ, virtutis et operationis in Deo, verbo singulari *Bara;* personarum autem Trinitatem nomine *Elohim,* quod plurale existimat deflexum ab *el.* Verum exilis et jejuna prorsus est illa expositio. Neque enim *Elohim* derivatur ab *el;* alioqui in terminatione plurali non diceretur *Elohim,* sed *Elim;* neque etiam revera est numeri pluralis, sed communis, tametsi illius terminatio sit pluralis, ut diserte docet S. Hieronymus epist. 136: *Scire debemus,* inquit, *quod Elohim communis sit numeri, quod et unus Deus sic vocetur et plures; ad quam similitudinem cælum quoque appellatur schamain, i. e. cæli. Unde et sæpe Interpretes variant; cujus rei exemplum nos in lingua nostra habere possumus Athenas, Thebas, Solonas etc.* quæ licet habeant terminationem pluralem, nihilominus rem singularem explicant; neque enim plures fuerunt Athenæ, Thebæ etc. — Hujus veritatis confirmatio peti potest ex eo quod vox illa interdum cum plurali, alias cum singulari verbo construitur: cum plurali quidem, sic 2. *Regum,* cap. 7. et 23. ubi in Vulgata legimus: *Quæ est autem, ut populus tuus Israël, gens in terra propter quam ivit Deus, ut redimeret eam sibi in populum;* hebraïce legimus: *halecu Elohim,* i. e. *iverunt Dii.* Sic etiam *Geneseos* cap. 20. v. 13. et cap. 35. v. 7. Cum singulari vero, ut toto primo capite Geneseos, et alibi sæpe. *Deinde,* si vox *Elohim* pluralitatem atque in Deo Trinitatem personarum connotaret, recte dicerentur in Deo esse tres *Elohim,* ac subinde tres dii, aut tres *judices,* ea est enim vocis *Elohim* significatio. At absurde omnino tres personæ divinæ dicuntur tres dii, tresve judices, sicut et tres Domini, quia ut fert Symbolum S. Athanasii, *Sicut sigillatim unamquamque personam Deum ac Dominum confiteri christiana veritate compellimur; ita tres Deos aut Dominos dicere catholica religione prohibemur.* Insuper eodem capite, vox *Elohim,* comperitur dici de singulis divinis personis, nam divinus Pater cui in Symbolo fidei appropriatur omnipotentia et creatio cæli et terræ, dicitur *Elohim.* Similiter Filius seu Verbum Patris eodem nomine illustratur cum dicitur: *Elohim dixit.* Etiam Spiritus Sanctus appellatur *Spiritus Elohim qui movebatur super aquas.* Igitur si Elohim vi numeri comprehendit tres personas, quælibet divina persona alias complectetur, adeoque Filius erit sui ipsius Filius, et Spiritus Sanctus sui ipsius Spiritus: quæ consequentiæ quam absurdæ et falsæ sint nemo non videt. Denique vox *Elohim* non magis pluralitatem importat quam vox *Adonim,* cum utriusque terminatio sit pluralis. At vox *Adonim* plerumque in Scri-

ptura de uno solo fertur, ut *Geneseos* cap. 24. v. 9. et cap. 42. v. 30. et *Isaïæ* cap. 19. v. 4.

Reponet fortasse aliquis, non eamdem esse utriusque vocis rationem, quippe vox *Adonim* cum careat singulari a quo deflectatur, necessum est quod sit generis communis; secus vero de voce *Elohim* quæ deflectitur ab *Eloah*. — **Verum** quisquis hæc objiciat non advertit vocem *Adonim* revera deflexam esse a singulari *Adon* quæ legitur *Josue* cap. 3. v. 2., et *Mich.* cap. 4. v. 2.

Nullo igitur solido fundamento nititur præfata vocis *Elohim* expositio. Quapropter verosimilius dicendum arbitror illam esse vel communis generis, vel pluraliter hic a Moyse usurpatam pro more linguæ hebraïcæ, imo et humana consuetudine qua principes et magnates, propter dignitatem et eminentiam quibus cæteris præstant, de seipsis pluraliter loquuntur; vel honoris et reverentiæ causa, ab inferioribus multitudinis numero compellantur, ut est etiam nunc apud Gallos in usu, sicut et apud Hispanos et Italos.

Quæstionem hic etiam movent Hebræi, cur Moyses potius vocem *Elohim* quam *Jehova* usurpaverit. Respondet R. Barnachman, idcirco factum, quod vox *Elohim* significet Dei robur, virtutem ac fortitudinem infinitam, qua opus fuit, ut cuncta ex nihilo mirabiliter produceret. *Jehova* autem significat ineffabilem Dei majestatem, qua cunctis creaturis infinite eminet. Addunt Cabbalistæ, sacrum nomen *Jehova* potissimum Dei misericordiam et bonitatem in divinis Litteris significare; vocem autem *Elohim* illius æquitatem et justitiam, quam præsertim in rerum exordio commendatum esse voluit. Tametsi enim mundi creatio opus sit exuberantis Dei bonitatis sese extra sinum divinitatis effundentis, ut diserte declarat S. Basilius Homilia in Hexaëmeron; illius tamen constitutio ac dispositio opus est divinæ æquitatis et justitiæ, ut præclare explicat " ✳ Tertullianus *lib.* 2. *Adversus Marcionem c.* 12. ubi eleganter ait: *A primordio Creator tam bonus, quam et justus pariter utrumque processit; bonitas ejus operata est mundum, justitia modulata est: quæ etiam tum mundum judicavit ex bonis faciendum, quia cum bonitatis consilio judicavit. Justitiæ opus est, quod inter lucem, et tenebras separatio pronuntiata est, inter diem, et noctem, inter Cœlum, et Terram, inter aquam superiorem, et inferiorem, inter maris cœtum, et aridæ molem, inter luminaria majora, et minora, diurna, atque nocturna, inter marem, et fœminam, inter arborem agnitionis mortis, et vitæ, inter orbem, et Paradisum; inter aquigena, et terrigena animalia. Omnia ut bonitas concepit, ita justitia distinxit.*

Quæres 2. — *Quid per Cœlum, et Terram Moyses intellexerit?*

✳" Respondeo, plures e Veteribus existimasse verba ista esse quoddam generale effatum quo Moyses omnia quæ sunt a Deo facta summatim et veluti compendio complexus est, ut in sui sermonis exordio Judæos statim edoceret totam illam aspectabilem rerum universitatem a Deo mundi totius Opifice profectam esse; quare ita pronuntiavit: *In principio fecit Deus cœlum et terram,* tamquam diceret, quidquid in rerum natura conspicitis, et quæcumque cæli ac terræ ambitus complectitur, una cum sole ipso terraque, id omne in temporum exordio fabricatus est Deus. Deinde vero ordinem quo res a Deo conditæ

sunt, per partes ac sigillatim describit. Quam utique expositionem probavit S. Gregorius Nyssenus in *Hexaëmeron*, asserens Moysen duo illa commemorasse, cælum et terram, *tamquam extrema rerum omnium quæ sensibus concipiuntur: ut cum ea, quibus comprehensa sunt cætera a Deo creata diceret, id omne complecteretur, quod intra extrema continetur.* — Distinctius vero hanc eamdem sententiam exponit S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. contra Julian. pag. 54: *Cum igitur,* inquit, *Moyses dixit: In Principio fecit Deus cælum et terram, intellige summatim, ac velut in compendium collatis omnibus, universarum rerum creationem eum exponere; tum artificiose progredi ad explicandum qua parte singula fuerint exornata, ut unaquæque res creata existentiam suam maxime fuerit adepta; nempe, Verbo potentissimo ipsum ait condidisse omnia.* Hujus etiam interpretationis meminit S. Basilius Homil. 3. *in Hexaëmer.* pag. 33., tametsi ab ea dissentiat: *Dictum est,* inquit, exponens hæc verba, *a prædecessoribus nostris, non esse hanc secundi cæli creationem, sed explanationem quamdam prioris; ibi enim Scriptura cæli ac terræ creationem in summa quidem retulit: hic vero curiosius rationem tradit nobis, qua unumquodque confectum sit elementum. Nos autem dicimus, cum nomen diversum, officiumque peculiare secundi cæli traditum sit aliud esse necessario illud primum quod initio factum est, habens naturam validiorem, quæ præstat rebus omnibus utilitatem præcipuam.* — Hujus etiam opinionis meminit S. Augustinus lib. 1. *De Genesi ad litteram* cap. 3. necnon lib. 1. contra adversarium legis, ubi eam probabilem fatetur. Eamdem pariter propugnant Recentiores aliqui cum Petavio lib. 1. *De Opificio* cap. 2. — At huic interpretationi repugnat ipsa rerum a Deo initio mundi factarum Moysis recensio: ei namque propositum est rerum capita atque præcipua genera ordine quo procreata sint referre. Porro si cæli terræque vocabulis, utriusque distinctam creationem primo die mundi factam non exponeret, earum præcipuarum mundi partium formationem prætermisisset: neque enim earum creationis postmodum meminit. — Jubet quidem Deus ut fiat secundo die firmamentum, quod statim exstitit, at illa firmamenti procreatio supponit jam cæli terræque et aquæ in terra consistentium formationem, siquidem cum in finem mandatur fieri firmamentum ut dividat aquas ab aquis, jam igitur exstabant aquæ, ac subinde terra earum fulcrum et centrum. *Insuper* primo die mundi terra erat inanis et vacua, et Spiritus Domini ferebatur super aquas; igitur eo die terra jam erat producta, et exstabant aquæ, eamdem cum terra abyssum tenebris circumfusam, cumdemque globum constituentes. *Deinde* si hic non recenseatur terræ procreatio, consequens erit illam a Moyse fuisse prætermissam, quippe cum ejus formatio alibi distincte non recenseatur. Præcepit quidem Deus die mundi tertio ut germinet terra herbam virentem, non vero ut illa existat. Quæro autem quo die sit condita, si non primo illo die quo creavit Deus cælum et terram? *Denique* quando mandavit Deus ut fieret lux, aut jam cælum et terra exstabant, aut simul cum luce procreata sunt, aut illa primigenia lux vacua et imaginaria spatia occupabat et irradiabat; hoc postremum nullus arbiter, nisi emotæ mentis sit, affirmabit. Necessum est ergo fateri cælum et terram primo die mundi cum illa primigenia luce fuisse condita.

Tres alias præfatorum verborum expositiones subministrat S. Augustinus: primam quidem " * *lib.* 12. *Confess. cap.* 7. ubi per *Cælum* interpretatur naturam angelicam: per *Terram* vero naturam corpoream, ita quod voluerit Deum ab initio res duas condidisse veluti duo totius entis extrema: alterum summum, et prope Deum, nempe naturam angelicam: alterum infimum, et prope nihil, quæ sunt res corporeæ, et materia prima. *Secundo* idem libro *De Genesi contra Manichæos* cap. 7. Cælum, et Terra, inquit, hic vocatur materia prima ex eo, quod ex illa Cælum die secundo, et Terra die tertio producenda esset. Materiam autem censet prius fuisse informem, deinde formatam. Verum libro *De Genesi ad litteram cap.* 15. ita suam mentem aperit, et tertiam eorum verborum explicationem subjicit ita scribens: *In principio fecit Deus Cælum, et Terram*, etc. *Non quia informis materia formatis rebus tempore prior est: cum sit utrumque simul concreatum, et unde factum est, et quod factum est. Sicut enim vox materia est verborum, verba vero formatam vocem indicant: non autem qui loquitur prius emittit informem vocem, quam possit postea colligere, atque in verba formare: ita Creator Deus non priorem tempore fecit informem materiam, et eam postea per ordinem quarumcumque naturarum, quasi secunda consideratione formavit: formatam quippe creavit materiam: sed quia illud unde fit aliquid, etsi non tempore, tamen quadam origine prius est, quam illud quod inde fit; potuit dividere Scriptura loquendi temporibus, quod Deus faciendi temporibus non divisit: si enim quæratur utrum vocem de verbis, an de voce verba faciamus, non facile quisquam ita tardo ingenio reperitur, qui non potius verba fieri de voce respondeat: ita quamvis utrumque simul qui loquitur faciat, quid unde faciat naturali attentione satis apparet. Quamobrem cum simul utrumque Deus fecerit, et materiam quam formavit, et res in quas eam formavit, et utrumque a Scriptura dici oportuerit, nec simul utrumque dici potuerit, prius illud unde aliquid factum est, quam illud quod inde factum est dici debuisse quis dubitet?* — Verum hæ tres interpretationes non videntur sensui litterali accommodari: cum enim etiam hæc Moysis doctrina, et narratio historica sit, proculdubio illius verba proprie, non figurate, sunt accipienda. Quid autem magis extra communem loquendi consuetudinem, quam *Cæli* nomine naturam angelicam, *Terræ* autem vocabulo materiam primam appellare? Præterea nimis durum videtur materiam primam appellari nomine Cæli, et Terræ, quod hæc corpora formanda essent ex illa: pari enim ratione appellari potuissent et aqua, et aër, et ignis, et quodlibet aliorum corporum. Nec fit credibile, Moysem sic scribentem Hebræis rudibus, et indoctis voluisse eos docere materiam primam, quam vix satis docti; et acuti Philosophi intelligentia comprehendere potuerunt. Remotum etiam a ratione videtur, divinam Scripturam, quæ toties Deum eo prædicat, et magnificat, quod creavit Cælum, et Terram, (id quod sine dubio ex hoc Moysis loco accepit) significare voluisse Deum fecisse materiam primam; cum enim ea sit infima, et vilissima rerum omnium a Deo conditarum, non ob ejus creationem toties, et tantopere Deum laudandum, et prædicandum esse existimasset. — * " Scio equidem expositionem illam placuisse Severiano Gabalorum episcopo lib. 1. *De Mundi Genese*, ubi cum dixisset: *sex diebus cuncta a Deo*

creata sunt: differt tamen prima dies a reliquis sequentibus. Nam prima dies fecit Deus, quæ fecit, ex non entibus: ab altera autem die, nihil fecit ex non entibus, sed ex quibus prima die creaverat, mutavit ut libuit; concludit: *Prima itaque die creavit Deus rerum materias: reliquis vero diebus earum formam atque ornatum seu distinctionem fecit.* Ab hac etiam sententia non multum alienus est S. Gregorius Nyssenus in *Hexaëmer.* pag. 8., qui initio non res ipsas corporaque, sed rerum atque corporum semina tantum extitisse tradit: *Vi,* inquit, *et potestate omnia exstiterunt in illo primo Dei ad procreandum appulsu; tamquam vi quadam seminali ad universitatem productionis jacta, ita tamen ut actu res singulæ nondum essent.* Eam vero expositionem tradit et propugnat S. Augustinus pluribi, præsertim lib. 1. *De Genesi contra Manichæos* cap. 5.: *Prima,* inquit, *materia facta est confusa et informis, unde omnia fierent quæ distincta atque formata sunt, quod credo a Græcis chaos appellari... Et ideo Deus rectissime creditur omnia de nihilo fecisse; quia etiam si omnia formata, de ista materia facta sunt, hæc ipsa materia tamen de omnino nihilo facta est.* Aperit deinde quare materia illa sit Cælum et Terra, *non quia,* inquit, *jam hoc erat, sed quia hoc esse poterat; nam et Cœlum scribitur postea factum: quemadmodum si semen arboris considerantes dicamus ibi esse radices, et robur et ramos, et fructus et folia, non quia jam sunt, sed quia inde futura sunt, etc.* Idem sentit lib. 12. *Confess.* c. 4., 8 et 12., et in opere imperfecto *De Genes. ad litt.* quam interpretationem amplectuntur Beda in *Comment.* et Isidorus lib. 1. *De Differ.* cap. 9. — Verum hæc interpretatio Philosophorum placitis omnino abhorret, eorum maxime qui materiam numquam a forma separatam extitisse, neque vel divina vi existere posse censent. Accedunt prius prolatæ rationes, quibus hæc non minus quam præcedens sententia profligatur, maxime vero quod si cælum et terræ elementum, non in ipso rerum initio creata sunt, necessum erit eorum formationem a Moyse fuisse prætermissam, neque enim tertia die terra condita est; nam eo die legimus quidem dixisse Deum, non ut terra fieret, sed ut *appareret arida,* et *germinaret,* hoc est, ut quæ erat aquis operta et obruta, exsiccata fieret et idoneus locus generationis tam stirpium quam animalium. Igitur, ait S. Basilius, homil. 2. pag. 19. fecit Deus cælum et terram, haud dimidia ex parte utrumque, sed totum cælum totamque terram; ipsam, inquam, essentiam, sive materiam fecit cum forma comprehensam; non enim figurarum inventor est Deus, sed ipsius naturæ rerum Creator.

At inquies, cælum et terram et omnia quæ in eis sunt, Deum fecisse ex nihilo plerumque Scriptura sacra testatur, Sap. 11. v. 18.; Isa. 41. v. 24.; et 11. Macch. 7. v. 24. non alia certe ratione quam quia Deus initio materiam primam ex nihilo, seu ex nullo præexistente subjecto creante; cætera vero deinde ex ea effinxit. Illius igitur productio materiæ vocabulis cæli et terræ fuit adumbrata. — **Respondeo** Deum ex nihilo cælum et terram sua materia suisque formis constantia, ex nihilo tam facile effingere potuisse quam ipsam materiam primam formis vacuam. Si enim ex hypothesi quod præextitisset materia, ex ea cæli terræque formas potuerit educere, quidni ea simul concreare? Porro id ita factum esse persuadet ipse Scripturæ textus, qui non ma-

teriam primam, ex qua cælum et terra prodierint; sed cælum et terram initio creata distincte refert.

Urgebit fortasse aliquis cum Hermogene apud Tertullianum lib. adv. Hermog. c. 21: si ideo ex nihilo facta esse dicimus omnia, quoniam nulla materiæ fit mentio, ex qua procreata fingantur; vicissim contendi posse ex materia facta omnia, quia Moyses non aperte significat ex nihilo res aliquas esse procreatas. — **Respondet** Tertullianus diversam utrobique esse causam: *Etsi enim*, inquit, *non aperte Scriptura pronuntiavit ex nihilo facta omnia, sicut nec ex materia, dico non tantam fuisse necessitatem aperte significandi de nihilo facta omnia, quanta esset si ex materia facta fuissent. Quoniam quod fit ex nihilo, ex ipso, dum non ostenditur ex aliquo factum, manifestatur ex nihilo factum: et non periclitatur ne ex aliquo factum existimetur, quando non demonstretur ex quo sit factum. Quod autem ex aliquo fit, nisi hoc ipsum aperte declaratur ex aliquo factum illud dum ex quo factum sit ostenditur, periclitabitur primo videri ex nihilo factum, quia non editur ex quo sit factum.* Hæc ille; quibus aperte satis indicat cælum et terram recte dici posse e nihilo procreata, cum nullius materiæ fiat mentio, ex qua facta sint.

Ex his itaque colligere licet *cæli* et *terræ* vocabulis sine ulla figura significatum esse a Moyse cælum et terram primo die mundi revera fuisse condita: ex eis autem, veluti materia et seminibus, cætera tum cælestia tum terrena fuisse producta; maxime si aquam cum terra eamdem massam instituere fateamur. Unde istæ duæ principes mundi partes solæ e nihilo procreatæ sunt; aliæ vero ex eis præjacentibus formatæ. Quare autem Moyses cælum terræ prætulerit præclare explicat Theophilus Antiochenus lib. 2. ad *Antolic.*, dicens ideo factum, ut Artificis Dei commendaret omnipotentiam; *Nam homo*, inquit, *qui in infima mundi regione situs est a terra ædificare incipit, nec nisi fundamento jacto, tectum construere potest. Dei vero in hoc potentia monstratur: ut ex ipsis primum quæ non exstant, creata omnia pro voluntate sua faciat. Quæ enim penes homines impossibilia sunt, penes Deum possibilia sunt. Idcirco propheta dixit, primo cæli fabricationem esse factam, quod tecti instar esset, loquens sic: in principio fecit Deus cælum, hoc est, per principium factum esse cælum: ut supra monstravi.* Ut autem plenior ac distinctior præfatorum Moysis verborum de productione cæli et terræ habeatur notitia, istæ duæ voces sigillatim sunt expendendæ.

Cælum. — Cum in Scriptura sacra hujus vocis multiplex sit acceptio, ut evidentiorem illius significationem ingererent Interpretes, triplex distinxerunt cælum, quorum primum dixerunt *aëreum*, nimirum aëris spatium terram et aquam ambiens et ad ignis sphæram (si quæ sit) aut ad orbem inferioris planetæ expansum. Secundum *æthereum* in plures planetarum orbes distinctum. Tertium denique est illud beatarum mentium domicilium, idcirco cælum *empyreum* dictum, quod ignis instar fulgeat ac resplendeat. Cui divisioni prælusisse videtur Sanctus Paulus cum II ad Cor. c. 12. ait se raptum fuisse usque ad tertium cælum, et audivisse arcana verba quæ homini mortali non licet eloqui. Ubi per *tertium cælum* significare videtur illud Angelorum et sanctarum Animarum domicilium, quod in empyreo cælo sacri Inter-

pretes collocant. Quæritur autem quodnam ex illis, cæli nomine, significare voluerit Moyses. — Sunt qui existimant ab eo designatum esse *cælum empyreum*, quod Angelorum et Beatorum est domicilium longe remotum ab hominum aspectu, et *cælum cæli* atque *Dei sedes* a Scriptura nominatum. Ita sensit Severianus Gabalitanus Orat. 1. *De Creat. mundi: Creavit cælum*, inquit, *cum non esset; non istud cælum, sed quod superius est: istud enim conditum est altera demum die. Creavit Deus cælum superius, de quo David ait: Cælum cæli Domino.* Idem censent S. Joannes Damascenus, lib. 2. c. 6; Beda ac plures alii. — Verum cum Moyses ad rudis hebetisque judaici populi captum verba sua sententiasque temperaret, non est verisimile, inquit Petavius lib. 1. cap. 2, illum statim initio libri, *cæli* nomine aliud intelligi voluisse, quam quod vulgo docti omnes et indocti voci illi subjiciunt, et quod in Scripturis sanctis sæpius exprimitur. At supremum illud cælum nullis sensibus discernitur, nec aliter quam auctoritate sola et Doctorum opinione statuitur. *Deinde* cælum istud quod *empyreum* vocant incorruptum esse putatur et immutabile, utpote perpetuo futurum beatarum mentium domicilium: cælum autem istud, de quo locutus est Moyses, non est corruptionis expers, ait enim ad Moysis mentem Vates regius: *Initio tu Domine terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cæli; ipsi peribunt, tu autem permanes etc. Denique* cælum empyreum, teste S. Bernardino, tom. 1. sermone 65. *tanti splendoris est, quod si omnes firmamenti stellæ haberent lucem, nihil esset in comparatione luciditatis illius, quia habet splendorem, et quasi dotes corporis gloriosi.* Itaque si empyreum illud cælum una cum terra creatum sit primo die mundi, cum inter ipsum et terram interjaceret abyssus magna, cur ipsam non irradiavit, nec fugavit tenebras quæ illam operiebant? — Hanc instantiam solvere se putat Doctor Angelicus parte 1. quæst. 66. art. 3. ad. 1. dicens idcirco istius cæli fulgorem nascentis orbis caliginem non dispulisse, quoniam densitate carens, radios non emittit. Adjicit Molina disput. 3. cælum istud qua parte aliis orbibus proximum est, cortina obductum et opacitate spissum; unde fit ut claritas illius videri nequeat, nec foras lumen et influxum ejaculetur; neque nascentium generationi et conservationi, sed beatarum dumtaxat mentium habitationi et delectationi deserviat. At quam gratis ista finguntur, tam facile ut inania commenta rejiciuntur. — Hinc etiam refellitur ludicrum et inane Abeuchi Eugubini initio suæ cosmopœiæ commentum, quo liberiori speculatione abreptus, asserere non dubitavit, cælum empyreum æternum esse, utpote cum sit sedes Dei ejusque divinæ Majestatis thronus. Si enim cælum empyreum aliquid sit (ut revera est) a Deo distinctum, hæreticum est illud statuere esse Deo coæternum, et non esse factum ab illo, *per quem omnia facta sunt;* quem etiam errorem damnat regius Vates cum ait: *Laudate Dominum cæli cælorum,* quibus verbis cælum empyreum designat; statim autem subjicit: *ipse dixit et facta sunt, etc.* Nec quidpiam urget Steuchi ratio, nam thronus Dei idcirco dicitur æternus, quia regnum ejus stabit in æternum, nec terrenorum regnorum instar ulli mutationi subjacebit. — Verisimilior itaque sententia mihi videtur eorum qui putant primo die mundi conditos fuisse orbes cælestes, quos postmodum stellarum astrorumque luce, necnon et soliditate atque fir-

mitate Deus decorare voluit, ut apta forent siderum receptacula et vehicula, atque inferiores mundi partes quas ambiunt, suo influxu ac fulgore vegetarent. Id namque connotat hebræa vox *schamaïm*, qua cæli plures, duo saltem indicantur. Nec obstat quod secundo die jubeat Deus fieri firmamentum quod cælum appellat, nam reponere liceret, eatenus cælestes primo die dici procreatos, quod revera existentiam acceperint, sed substantiæ fuerint fluxæ et velut aqueæ, id enim proprie significat vox schamaïm ; videtur enim conflata dictio ex littera *sch* et *maïm* i. e. *quia*, vel *quod sunt aquæ*, vel ex *scham* et *maïm* i. e. *ibi sunt aquæ*. Secundo autem die soliditatem et firmitatem instar chrystalli acceperint, ut apti fierent ad sustinendas aquas supercælestes.

Ex his omnibus colligere licet primo die mundi non solum lucem, sed etiam revera cælum et terram una cum aliis tribus elementis fuisse procreatam, ut diserte explicat S. Basilius hom. 1. pag. 10: quod cum « Moyses ait: *in principio fecit Deus cælum et terram*, ex duobus, « *inquit*, principiis Universi originem innuit: Cælo quidem, præro- « gativam generationis tribuens : terram autem secundam origine sta- « tuens. Quidquid autem istorum medium est in una cum ipsis om- « nino finibus exortum est. Itaque etiamsi nihil de cæteris dixerit ele- « mentis, igne inquam, aqua atque aëre suopte tamen sollerti in- « genio capere velis. Primum quidem quoniam in omnibus omnia « sunt permixta : atque adeo in terra aquam, aërem et ignem inve- « nies. Siquidem tam e silice quam e ferro, quæ suam originem e « terra trahunt, ignis exilit, ac frictionibus copiosis emergens elu- « cet. Ubi dignum id est etiam admiratione, quonam pacto cum in « ipsis corporibus innoxius latitet ignis, idem cum egressus fuerit, « ipsa quoque absumat, a quibus eatenus servatus est. Aquæ vero na- « turam ipsi insitam esse terræ ii demonstrant, qui puteos effodiunt, « et aëris item naturam eidem terræ inesse ipsi vapores, quos ab « humectata terra sole tepefacta resultare, sursumque ferri conspi- « cimus. » Hæc ille. — « Quapropter, inquit Franciscus Valesius, « lib. *De sacra philos.* cap. 1., primo die facta est tota generabilium « et corruptibilium sphæra, constans Elementorum corporibus ; terra, « inquam, aëre et igne : illis vero neque puris, et sincerissimas naturas « retinentibus, neque seorsum positis, et ordine coloratis, neque illu- « stratis ullo cælesti lumine, sed intra obscurum aërem, aqua et terra « permixtis, atque intra hæc omnia, igne invisibiliter incluso, qui inter « cætera fovebat aquas, reddebatque fluxiles, ne frigore concrescerent; « noxque, ac chaos hoc exstitit, fecit Deus lucem, per quam reddita « sunt corpora illa aspectabilia, factusque est dies primus. » *Ita Valesius:* quibus significat quod sicut Moyses nomine *cæli* complexus est omnes orbes cælestes, ita nomine *terræ* declaravit productionem omnium elementorum quorum terra fulcrum videtur et ex parte domicilium ; omnia namque elementa cum terra miscentur, ignem enim, aërem et aquam suo in sinu suisque antris ac specubus complectitur. Hinc apparet quid Moyses significare voluerit per hanc vocem :

Et Terram. — Terræ namque nomine impliciter saltem quatuor elementorum productionem enarravit, quæ cum terra initio mundi simul creata sunt, dicente regio Vate, ps. 101 : *Initio tu, Domine, terram fundasti.* Vel ut habet textus hebræus : *Prius et ante alia.* Unde im-

probanda venit eorum opinio qui nomine terræ a Moyse significatam volunt materiam primam, ex qua omnia sublunaria corpora constiterint. Enimvero, si terræ elementum, non in ipso rerum initio creatum est, necessum erit ejus formationem a Moyse fuisse prætermissam. Neque enim, ut putant aliqui, tertio die condita est; nam eo die legimus quidem dixisse Deum, non ut *terra fieret,* sed ut appareret *arida,* hoc est ut quæ aquis erat operta et obruta, exsiccata fieret et idoneus locus generationis tam stirpium quam animalium. Igitur. ait S. Basilius, homil. 2. pag. 19. *Fecit Deus cœlum et terram haud dimidia ex parte utrumque, sed totum cœlum totamque terram ipsam, inquam, essentiam, sive materiam fecit cum forma comprehensam. Non enim figurarum inventor est Deus, sed ipsius naturæ rerum Creator.*

Petes: *quid Moyses significare voluerit per hæc adjecta verba : Terra autem erat inanis et vacua?*

Respondeo illum ista complexum esse his duabus vocibus hebraïcis *Thohu va bohu*, quod septuaginta Interpretes reddunt ἀόρατος καὶ ἀκατασκεναστος, i. e., *invisa* seu *invisibilis* et *informis*, quod etiam confirmat Sapiens, cum ait c. 11., 18: *Omnipotens manus tua creavit orbem terrarum ex materia invisa,* græce ἐξ ἀμόρφου ου ὑλης, i.e., ex *hyle*, seu materia informi. Unde S. Augustinus lib. 11. *Confess.* c. 6 et 8: *Tu Domine fecisti mundum de materia informi, quam fecisti de nulla re, pene ullam rem unde faceres magna, etc.* Aquila autem vertit: *vanitas* et *nihil;* Symmachus: *otiosum* et *indigestum ;* Theodotio: *inane* et *nihilum ;* Paraphrasis Onkeli *desolata* et *vacua ;* Pagninus *desolata* et *nihil ;* Jonathas: vacua *hominibus* et *jumentis ;* quæ S. Basilius homil. 2. sic explicat: *Terra*, inquit, *dicitur invisibilis, aut quia nondum erat is qui spectaret eam et contemplaretur homo: aut quod cerni tum non posset, nimirum immersa aquæ, quæ supernatans ipsius superficiem quaquaversum adoperuerat. Adde his nondum lucem exortam fuisse ; absentia cujus haud mirum videtur sitam in media mundi parte tellurem, invisibilem ob idipsum etiam a Scriptura sacra fuisse dictam, qua aër undique super ipsam diffusus luce careret.* Itaque terra dicitur initio invisa vel informis, quoniam aquis tegebatur, et operiebatur tenebris, sicque ob circumfusam caliginem et profundissimas aquarum voragines conspici non poterat, maxime cum suo decore et ornatu, quem tantum die tertia obtinuit, adhuc esset viduata. Recte igitur Moyses expressit ista duabus vocibus *thohu va-bohu;* hebræi namque illis utuntur cum inane aliquid, et confusum, invisibile et informe designant. Sic in eum sensum voces illæ usurpantur 1. Reg. c. 12: *Nolite declinare post vana quæ non proderunt vobis ; neque eruent vos, quia vana sunt,* scilicet idola et inania numina, *Bohu.* — Ista sic expendit Severianus Gabalorum episcopus, Orat. 2 *De mundi creat:* « Terra, *inquit,* dicitur *invisibilis.* Interpretes clare exposue-
« runt. Ait enim Aquila : *Terra autem erat vacuitas et nihil.* Dicitur
« vero *invisibilis,* quasi inconspicua, non quod non appareret, sed velut
« quis dicat, quod ornatu careret. Nondum erat læta facie stirpibus
« consita, nondum erat fructibus coronata, nondum erat fluviis fon-
« tibusque uncta, nondum vario alio ornatu decorata ; eratque incon-
« spicua (αορατος) nondum scilicet præparata, ut progignendis ex se

« stirpibus atque frugibus esset idonea. Ait Scriptura de viro quodam « forti ac eleganti forma Exod. 2. 14 : Nonne hic est qui percussit « virum Ægyptium αορατον? num ergo vir est invisibilis? Sed di- « gnus, inquit, qui videatur et spectabilis. Sicut ergo Ægyptium voca- « vit virum *visibilem* tamquam dignum qui videretur, sic et terram « informem, *invisibilem*, nuncupavit ». Hæc ille. — *Thohu* vero idem est ac *vacuum, nihilum*. Unde Isaïas, c. 4. 23., vaticinans Babylonis excidium, quam ad nihilum redigendam prænuntiat, his utitur verbis: *Et extendetur super eam mensura ut reducatur ad nihilum, et perpendiculum ad desolationem*, scribit pro nihilo et desolatione seu inanitate et vacuitate *Thohu* et *Bohu*. Similiter Jeremias cap. 4, *aspexit terram, et ecce vacua* erat et *nihili*, ubi pro *vacua* et *nihili*, hebraïce est *Thohu* et *Bohu*. Hinc illæ duæ voces, licet prolatione paulo diversæ, sensu tamen pene eædem sunt. Quapropter in sacro Textu simul scribuntur propter significationis æquipollentiam. His itaque vocibus usus est apposite Moyses, ut qualis fuerit primævus terræ status aperiret. "✳ Erat enim sine luce, sine ullo ornatu, et decore, vacua hominibus, animantibus et plantis, non distincta in montes, valles, campos et colles ; non eminens, et exstans supra aquas, sed omni ex parte altissime aquis operta ; denique talis, ut vere posset appellari materia invisibilis et informis ; sic enim *in lib. Sapientiæ c.* 11. appellatur, cum dicitur, manum Dei fecisse orbem terrarum ex materia invisa, seu informi. —✳ " Itaque Moyses illis verbis : *In principio creavit Deus cælum et terram*, arma subministravit ad triplicem postmodum exortum errorem configendum et profligandum: *primum* quidem Philosophorum, qui mundum æternum fingebant ; *secundum* Manichæorum et Marcionistarum asserentium duo esse rerum creatarum principia, bonum unum, nempe Deum optimum maximum, a quo condita sunt spiritualia tantum et immaterialia, pessimum alterum, a quo materialia et corruptionis obnoxia fuerint procreata; *tertium tandem* eorum hæreticorum, qui rerum quarumdam spiritualium productionem Deo attribuunt, aliarum vero procreationem vel Angelis, vel aliis confictis principiis adscribunt. Primum errorem his verbis : *In principio Deus*, proscribit Moyses, nam inquit S. Basilius homil. 1 : *Quia complures eorum qui mundum ab æterno simul cum Deo fuisse sunt opinati, non ab ipso factum esse, sed quasi adumbratio quædam potentiæ ipsius esset, sponte velut arbiter emersisse ipsum asseruerunt : atque causam quidem ipsius Deum esse fatentur, causam tamen voluntate non concurrente : sed perinde atque corpus umbræ, lucidumque splendoris est causa : ideo talem errorem propheta percupiens hac verborum exactissima complexione usus est : In principio fecit Deus, etc.* — Hinc etiam proscribitur Platonicorum error existimantium Deum esse quidem opificem rerum cælestium et intelligentiarum, at inferiorum mundi partium auctores esse minores Deos, quos dæmones vocabant. Quibus præiverat Plato, nam in Timæo sermonem faciens de minoribus Diis, sic refert Deum supremum eos alloquentem : « Hæc vos qui Deorum satu orti estis attendite : quorum operum ego parens effectorque sum quæ per me facta, sunt indissolubilia, quantum quidem voluero. Quamquam omne colligatum solvi potest ; sed haudquaquam boni est, ratio ratione vinctum velle dissolvere. Idcirco quoniam orti estis,

immortales quidem esse et indissolubiles non potestis : neutiquam tamen dissolvemini : neque vos ulla mortis fata periment : nec fraus valentior quam consilium meum : quod majus est vinculum ad perpetuitatem vestram, quam illa quibus, cum gignebamini estis colligati. Quod sentiam igitur cognoscite. Tria nobis genera reliqua sunt, eaque genita atque mortalia : quibus prætermissis, cæli absolutio perfecta non erit : omnia enim genera animalium complexu non tenebit: teneat autem oportet, si est mundus omnino perfectus futurus. Hæc vero si a me fiant solo, vitaque donentur, Diis adæquentur. Ut igitur mortali generentur conditione et universum hoc omnibus suis partibus sit absolutum, agedum convertite vos ex naturæ legibus ad procreationem animalium, et vim meam, quam in vestro ortu adhibui, imitamini. Quatenus vero tales creantur, ut Deorum immortalium, quasi gentiles esse debeant divini generis appellentur, teneantque omnium animantium principatum : vobisque et juri vestro pareant : ego vobis semen et primordii statum dabo. Vos autem, quod vestri reliquum est muneris, immortali partem attexitote mortalem. Ita efficitote, generate animalia, et tributis alimentis nutritote, atque amplificate, donec rursum consumpta recipiatis. » *Hæc Plato.* Quæ tamen, ait ejus interpres Joannes Serranus, non sic accipienda sunt quasi voluerit Deum rerum materialium opificium Angelis committere voluisse, ut nugati sunt prænominati hæretici, sed tantum ut hac assumpta sermonis figura efficacius repræsentare Deum sibi soli auctoritatem creandorum animorum reservasse, ne quid potestatis in animos nostros vel Angelis vel astrorum influxibus de insanorum hominum sententia statuamus : rerum vero materialium generationem aliis creaturis commisisse, unde physicum illud axioma: sol et homo generant hominem : quæ Platonis doctrina tota deprompta videtur ex primo capite Geneseos, ubi Deus imperat terræ ut germinet herbam virentem, et aquis ut producant reptile animæ viventis et volatile; hominibus ut crescerent et multiplicarent humanum genus. " ✳

Petes iterum: *cur Deus Cœlum, et Terram creans primo die, illa simul non plane, et perfecte exornavit?*

Respondeo : *Prima causa* est ejus sancta voluntas : congruentia vero est, quod natura (cujus conditor est) ab imperfectis ad perfectiora procedat. *Secunda* est, ut inde discamus res omnes a Deo pendere tam quoad inchoationem, quam quoad exornationem, et perfectionem ; nihilque in rebus creatis esse tam imperfectum, excluso peccato, cujus non sit auctor Deus. *Tertia* est, ut nos ad imitationem divini operis eumdem in operando, et perficiendo ordinem servaremus. *Quarta*, ne si omnia a principio perfecta legerentur, increata putarentur. Quam utique rationem egregie expendit S. Amb. lib. 1. *Hexaëmeron* c. 7. *Cur,* inquit, *Deus, sicut dixit, et facta sunt, non simul ornatus congruos rebus assurgentibus, donavit elementis, quasi non potuerit Cœlum insignitum stellis subito, ut creatum est, refulgere, et floribus ac fructibus terram vestiri? Potuit utique ; sed ideo primo facta, postea composita declarantur, ne vere increata, et sine principio crederentur, si species rerum velut ingeneratæ ab initio, non postea additæ viderentur. Incomposita terra legitur, et iisdem a Philosophis æternitatis, quibus Deus, privi-*

legiis honoratur: quid dicerent si ab initio ejus pulchritudo vernasset? Demersa aquis describitur, velut cuidam principiorum suorum addicta naufragio, et adhuc a nonnullis facta non creditur: quid si decorem primogenitum vindicaret? Accedit illud, quod imitatores nos sui Deus esse voluit, ut primo faciamus aliqua, postea venustemus: nedum si simul utrumque adorimur, neutrum possimus implere. Fides autem nostra quodam gradu crescit: ideo primo fecit Deus, postea venustavit, ut eumdem credamus ornasse, qui fecit, et fecisse, qui ornavit: ne alterum putemus ornasse, alterum creavisse; sed eamdem utrumque esse operatum, ut primo faceret, postea componeret, ne alterum alteri deesse crederetur. — Idem docuerat S. Chrysostomus, Homilia 5. *Communis est*, inquit, *mensa, et patria, nutrix, et parens omnium terra, et civitas, et commune sepulchrum; nam et corpora nostra sunt ex ipsa: indidemque corporibus nostris alimenta suppeditantur: in eadem habitamus, et degimus: ac post mortem iterum receptus ad illam patet. Igitur ne forte commoditatis, quæ ex illa capitur, necessitas efficeret, ut illam præter meritum admireris: ac beneficiorum multitudo ad impietatem te dejiceret, eam tibi demonstrat, antequam esses, informem, et inconditam.*

Quæres III. — *Quid significetur per hæc vocabula: Tenebræ erant super faciem abyssi?*

Respondeo, illis verbis significari ingentem illam aquarum molem, quæ quasi abyssus terram operiebat, et ad Cælum usque Empyreum protendebatur, nulloque illustrabatur lumine, cum nondum lux creata fuisset, sed obscuritas, et caligo omnia occupabat. *Abyssus enim*, inquit S. Basilius hom. 2, *est copiosa aqua, ad cujus fundum non facile penetrari potest deorsum versus;* vel, ut loquitur S. Aug. *super Psal.* 41. *Abyssus est profunditas impenetrabilis, et incomprehensibilis:* et vere dici solet in aquis; ibi enim est altitudo ubi profunditas, quæ penetrari usque ad fundum non potest: atque hinc ducta similitudine, abyssum multam vocat Scriptura Dei judicia, quod sint humana ratione, et intelligentia incomprehensibilia. — Fuisse autem primo ipso rerum omnium die ingentem aquarum magnitudinem, ac profunditatem, non est dubitandum; quippe, inquit Beda, totum illud mundi spatium, quod inter Terram, et Cælum empyreum jacet, obtinebant aquæ, hoc est materia quædam humida, et aquea, et velut nebulosa; non æqualiter densa, vel rara, sed quæ densius coacta in elementarem aquam verti posset, et magis tenuata in aërem rarescerent, et ex qua mirabili ratione concreta etiam cælestes orbes conficerentur. Porro hujus liquidæ materiæ superficies, tam extima, quam intima, quam Hebræi faciem vocant, nihil omnino habebat lucis, unde etiam nihil coloris, sed tota quanta erat, tam interius, quam exterius, undique obscura erat, caliginosa, et decolor.

✳ " Quærit Severianus Gabalorum episcopus qua ratione tenebræ superfusæ fuerint initio mundi super faciem abyssi; Deus enim, inquit, eas non fecit, siquidem nec tenebrarum auctor est, nec caliginis: *Deus enim lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ* 1. Joan. 1. — **Respondet:** « Ego sic existimo quod aqua terræ superficiem obtegebat, densaque « quædam obscuritas et caligo circum aquas constiterat (quod nunc

« quoque in fluviis noscitur) obscuritas illa ac nebula caliginem exci-
« tans, nubes fecerat; nubesque obumbrantes, tenebras. Quod autem
« nubes tenebras excitet, docet Scriptura : *Obtenebratumque est cœlum*
« *in nubibus.* III. *Reg.* 18. » Hæc ille. " ✻

Petes: *cur illud spatium potius aqua quam aliquo alio corpore opletum fuerit?*

Respondeo, hujus varias proferri posse rationes congruentes. *Prima*, quod cum ex illo intermedio corpore cætera produci deberent, nihil aptius ibi constitui potuerit, quam aqua; cum ad novas generationes maxime humidum crassius concurrat; nam, inquit Bonfrerius, humor censetur generationis mater, quæ quasi passive se in rerum generationibus habeat, calore quasi patre humidum præparante, et magis active concurrente.

Secunda ratio, quia aqua quasi medium quid, facile, vel condensationem admittit, ut patet in glacie, vel rarefactionem, ut cum in vapores abit; debuit ergo hujusmodi corpus esse, ex quo et cælestia corpora compingi possent, et ignis, ac aër quasi rariora, ac fluida corpora possent exprimi.

Tertia denique ratio fuit, ne Deus aliquid materiæ semel creatæ cogeretur annihilare, vel novam denuo producere, quæ esset facilis materia ceterarum rerum producendarum : nam si rariore aliquo corpore id spatium replevisset, verbi gratia, aëre, non fuisset sufficiens ad corpora Cælorum solida efformanda; atque adeo nova rursum creari debuisset materia, quæ nec in aërem, nec in ignem rarefacta fuisset; adeoque ne quid esset in rerum natura redundans, oportuit electum fuisse a Deo corpus, quod ad solidos Cælos compingendos sufficeret, et majori parte materiæ in iis consumpta, altera in ignem, et aërem abiret.

Ex his constat, aquam simul cum terra et Cælo Empyreo a Deo fuisse primitus creatam; iisque duobus elementis alia duo simul fuisse concreata plurimi affirmant cum S. Basilio, Homil. 2. ubi ait: *Etiamnum videre est reliqua tria elementa multifariam intra terram contineri : namque ignem latere intra terram, perpetua eructatio flammarum, et ignium, velut ex monte Ætlina, aliisque locis, et complurium aquarum igneo calore ferventium eruptio ex terra, satis indicat. Quantum aëris intra sua viscera terra cohibeat, frequentes terræ motus propter spiritum intus agitatum, atque conflictatum, sunt indices : ut omittam interiores cavernas, et specus terræ multo aëre completas. Quanta vero aquarum vis interiori complexu terræ contineatur, perennes fontium scaturigines, et fluminum origines, necnon et effossio puteorum, aperte ostendunt.* Constat itaque alia duo elementa simul cum terra, et aqua concreata fuisse. Nec refert quod Moyses eorum non meminerit; cum enim rudi populo scriberet, duo tantummodo elementa exposuit, terram nempe, et aquam, quod hæc sola sub aspectum cadant, et ex ipsis cetera corpora, et manifeste magna ex parte composita sint, ac in ipsis tamquam in loco naturali commorentur. " ✻Aliam subjicit rationem præmemoratus Gabalorum episcopus eadem Oratione 1., nimirum quod sicut Moyses referendo hominis creationem, singula corporis membra a Deo facta sigillatim non recensuit, sed satis esse duxit asserere hominem a Deo fuisse formatum; ita describendo mundi Genesim, quatuor elemen-

torum creationem cum terræ formatione in cujus sinu illa continentur, complexus est; ejus verba sunt : *Quemadmodum autem in corpore non omnia membra dixit, sic nec in creatione, etsi pari cum mundo fabrica edita sunt, cuncta percensuit. Si autem non esset ignis in terra, non jam e silice aut ex ligno ignem exculperemus. Collisum enim attritu lignum ignem gignit; at unde gigneret, quod in natura non esset?*

QUÆRES IV. — *Quid indigitent hæc sequentia verba : Spiritus Domini ferebatur super aquas?*

RESPONDEO, vocem hebraïcam *ruach* quam Vulgatus Interpres exprimit nomine *Spiritus* variam ac multiplicem in Scriptura habere significationem. Primo namque sonat ac halitus: sic psalm. 135. v. 17 : *Non est spiritus in ore ejus.* Secundo idem ac animi vires: sic Josue 2 : *Elanguit cor nostrum, nec remansit in me spiritus.* Tertio accipitur pro scientia et animi prudentia; sic Job. 32., 8 : *Spiritus est in hominibus, et inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.* Quarto pro animi sententia et bona voluntate; sic Num. 14., 24 : *Servum meum Caleb qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in terram hanc quam circuivit.* Quinto pro appetitu; sic Prov. 16., 32 : *Qui dominatur animo* (hebraïce ruach) *expugnatore urbium, melior est, idest fortior.* Et Isaïas 33., 2 : *Spiritus vester, ut ignis, vorabit vos.* Sexto significat *animam* ipsam hominis et brutorum; sic Ecclesiastes 111., 21 : *Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus jumentorum descendat deorsum?* Septimo significat ventum, qui plerumque *spiritus Domini* in Scriptura sacra nominatur; sic Exod. 16 : *Flavit spiritus ejus et operuit eos mare.* Et psalm. 147 : *Flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.* Tandem ea voce designatur Spiritus Sanctus; sic plurimi Patres interpretantur hunc Psalmistæ versiculum psalm. 103 : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

His ita præmissis, triplex est capitalis præfatorum verborum expositio. *Prima* quidem Tertulliani adversus Hermogenem super Genesim, Severiani Gabalitani oratione 1., et plurium aliorum cum Hebræis existimantium voce *spiritus* significatum esse ventum qui initio mundi super aquas vehementissime perflabat, ut ea ratione " * ipsius creatio innotesceret; aërem quippe vulgus indoctum cum nonnisi ex motu deprehendat, ipsum in mundi primordio creatum fuisse non potuisset arbitrari ; nisi sua agitatione super aquas reflantem, ac volitantem audivisset. — *Altera interpretatio* est, per Spiritum intelligi *vim quamdam vitalem* aquis insitam ad fœcunditatem suam exerendam; frequens enim est in Scriptura per Spiritum significari subitam quamdam vim, et extraordinariam Dei motionem, ad aliquid magnum, et eximium præstandum. Sic *Judicum* 14. legimus spiritum Domini irruisse in Sampsonem, et discerpsisse Leonem : et 1. *Regum* 11. eumdem Spiritum irruisse in Saulem, et concidisse Bovem. Ideo autem putant Moysem significare voluisse vim illam, et efficaciam Dei affuisse aquis, ut innotesceret, omnia quæcumque postmodum ex aquis jussu Dei puncto temporis facta esse narrantur, non esse facta nativa facultate, et potestate aquarum, sed supernaturali virtute Dei, qui per infusam illam virtutem aquis inerat. — *Tertia* tamdem, et fere omnium SS. PP. calculo probata sententia est, per Spiritum Dei prin-

cipaliter significari *Spiritum sanctum* a Patre, et Filio procedentem, cujus virtus aquis incubaret, ad eas fœcundandas, et prolificam vim impertiendam : licet enim toti SS. Trinitati commune sit, et indivisim ad extra operari ; tamen quia virtus vivificandi appropriatur Spiritui S. qui idcirco dicitur *Spiritus vivificans*, ideo illa prolifica virtus aquæ impressa ipsi tribuitur. ✳ " Sic S. Basilius homil. 2 : a majoribus, inquit, probatum est Scripturam nihil aliud hic Spiritum Dei appellare, quam ipsum Spiritum Sanctum qui divinæ beatæque Trinitatis numerum complet. Idem sentiunt ipso recentiores alii Patres paulo infra laudandi." ✳ Accedit etiam Ecclesiæ auctoritas, quæ in benedictione fontium, ita de Spiritu S. canit: *Deus cujus Spiritus super aquas inter ipsa mundi primordia ferebatur, jam tum virtutem sanctificationis aquarum natura conciperet.* Quod egregie explicat Tertul. *lib. De Baptismo,* qui aquarum dignitatem sic commendat *cap.* 3. ubi expendens præfata verba Genesis, *Spiritus Domini super aquas ferebatur,* ait: *Habes homo imprimis ætatem venerari aquarum, quod antiqua substantia, dehinc dignationem, quod divini Spiritus sedes, gratior scilicet ceteris tunc elementis ; nam et tenebræ totæ adhuc sine cultu siderum informes, et tristis abyssus, et terra imparata, et Cœlum rude : solus liquor, semper materia perfecta, læta, simplex, de suo pura, dignum vectaculum Deo subjiciebat. Quid quod exinde dispositio mundi modulatricibus quodammodo aquis Deo constitit ? Nam ut firmamentum cœleste suspenderet in mediotate, distinctis aquis fecit ; et ut terram aridam suspenderet, segregatis aquis expediit. Ordinato dehinc per elementa mundo, cum incolæ darentur, primis aquis præceptum est animas proferre. Primus liquor, quod viveret edidit, ne mirum sit in baptismo, si aquæ animare noverunt.* — Dicitur autem, quod *Spiritus Domini ferebatur super aquas, ut significetur,* inquit S. Basilius ✳ " supra laudatus idem ac *confovebat, vitalemque fœcunditatem aquarum naturæ præbebat.* Eis subscribit S. Augustinus lib. 1. *De Genesi ad litteram,* cap. 18. ubi scribit : *Illud quod per græcam et latinam linguam dictum est de Spiritu Dei, quia ferebatur super aquas, secundum syræ linguæ intellectum, quæ vicina est hebrææ ; nam hoc a quodam docto christiano Syro fertur expositum, non superferebatur, sed fovebat potius, intelligi perhibetur. Nec sicut foventur tumores aut vulnera in corpore aquis vel frigidis vel calore congruo temperatis ; sed sicut ova foventur ab halitibus, ubi calor ille materni corporis etiam formandis pullis quodammodo adminiculatur, per quemdam in suo genere dilectionis effectum.* Eis concinit S. Hieronymus quæst. *In Genesi. Pro eo,* inquit, *quod in nostris codicibus scriptum est, ferebatur, in hebræo habet Merachephet, quod appellare possumus, incubabat, sive confovebat, in similitudinem volucris ova calore animantis, ex quo intelligimus, non de spiritu mundi dici, ut nonnulli arbitrantur, sed de Spiritu Sancto qui et ipse vivificator, consequenter et Conditor ; quod si Conditor et Deus. Emitte enim, ait, Spiritum tuum et creabuntur.* Quam expositionem sic eleganter expressit Claudius Victor lib. 2. *In Genes.* his versibus :

Et Sacer extensis impendens Spiritus undis,
Altrices animabat aquas, ac semina rerum
Nondum compositis fundenda ad germina terris
Insinuanda dabat.

His accedit Venerabilis Beda in Hexaëmeron, ubi sic ait: ✻"*Spiritus Domini ferebatur super aquas, non corporalibus locis, sed excellentia potestatis; quia subjacebat voluntati Creatoris quidquid deinde formandum, et perficiendum inchoaverat.* Tostatus sic interpretatur: *Voluntas, et mens Dei opificis* ferebatur super aquas: *quasi mente pertractans, et designans quæcumque statuerat ex aquis facere, ad similitudinem hominis opificis spectantis, et considerantis materiam sibi subjectam, quemadmodum ex ea fingere possit opus ad similitudinem ejus formæ, quam animo suo conceptam, et informatam habet.* — Addit Tertullianus supra laudatus *cap.* 4. idcirco Spiritum Dei super aquas fuisse subvectum, ut eis sanctitatem suam largiretur: *Sanctum,* inquit, *utique super sanctum ferebatur, et ab eo, quod superferebatur, id quod ferebat, sanctitatem mutuabatur. Quoniam subjecta quæque materia ejus quæ desuper imminet, qualitatem rapiat necesse est; maxime corporalis spiritalem, et penetrare, et insidere facilem per substantiæ suæ subtilitatem: ita de sancto sanctificatu natura aquarum, et ipsa sanctificare cœpit.* — ✻" Ei subscribit S. Hieronymus epist. 83 ad Oceanum. *Rudis mundus,* inquit, *necdum sole rutilante, nec pallente luna, nec astris micantibus, incompositam et invisibilem materiam abyssorum magnitudine et deformibus tenebris opprimebat. Solus Spiritus Dei in auriga modum super aquas ferebatur, et nascentem mundum in figura baptismi parturiebat.*"✻ — Advertendum autem hic Moysem signanter Spiritus sancti mentionem fecisse, ut nempe Trinitatis mysterium, tresque divinas Personas expresse designaret. *Quemadmodum enim* (inquit S. Aug. lib. 1. *De Gen. ad litteram* c. 6.) *in ipso exordio inchoatæ creaturæ, quæ Cœli, et Terræ nomine, propter id quod de illa perficiendum erat, commemorata est, Trinitas insinuatur Creatoris: nam dicente Scriptura:* in principio fecit Deus Cælum, et Terram, *intelligimus* Patrem *in* Dei *nomine: et* Filium *in* principii *nomine, qui non Patris, sed per seipsum creatæ primitus ac potissimum spiritalis creaturæ, et consequenter etiam universæ creaturæ principium est. Dicente autem Scriptura:* et Spiritus Dei ferebatur super aquas, *completam commemorationem Trinitatis agnoscimus: Ita et in conversione, atque perfectione creaturæ, ut rerum species digerantur, eadem Trinitas insinuatur: Verbum Dei scilicet, et Verbi generator, cum dicitur: Dixit Deus; et sancta bonitas, in qua Deo placet quidquid ei pro suo naturæ modulo perfectum placet, cum dicitur; Vidit Deus quia bonum est.*

QUÆRES V. — *Qualiter accipienda sint hæc verba,*
Dixit Deus: Fiat lux?

✻"*Prima Dei vox,* inquit S. Basilius, *lucis naturam creavit, tenebras dispulit, mundum illustravit et exhilaravit, universis continuo gratum attulit jucundumque conspectum. Conveniebat quippe,* addit Nazianzenus, *magno lumini opificium suum a lumine auspicari; cum tenebras vastamque illam congeriem et confusionem omnia occupantem solvit ac depulit.* Cui præiverat auctor lib. 4. *Esdræ,* cap. 6. v. 40: *Tunc dixisti,* inquit, *de thesauris tuis proferri lumen luminosum, quo appareret opus tuum.* — Quid vero fuerit illa lux primigenia, variæ sunt Interpretum opiniones. Eam ignem fuisse putat S. Gregorius Nyssenus

in *Hexaëmer.* pag. 9. et cum eo Hugo Victorinus in *Genes.* c. 6. dicens ignem lumen præbuisse mundo inferiori et habuisse motum circularem, ac instar nubis lucidæ circuisse terrarum orbem, sicut modo sol. Plures autem, quibus Angelicus Doctor adstipulatur 1. parte, quæst. 67. art. 4. contendunt lucem illam fuisse ipsum solis ab initio producti lumen, sed informe, quod videlicet nondum determinatam haberet vim ad speciales effectus in sublunaria. S. Basilius homil. 6. pag. 7. expendens hæc verba: *Fiant luminaria in firmamento cœli,* ait: *non adversantur hæc illis sane quæ de luce sunt dicta; tunc enim ipsa natura lucis producta est, nunc autem hoc solis corpus ea conditum est, ut illi primigeniæ luci dignum ac triumphale vehiculum esset. Deinde objiciens fieri non posse, ut lux a sole separetur: non ego lucis a solis corpore separationem mihi possibilem esse dico, sed asserendum esse censeo quæ mentis sola agitatione cogitationeque disparari a se possunt, ea re ipsa sejungi facultate Creatoris, utriusque naturæ posse.* Quod confirmat ex illo Exod. 3. ubi Moysi visus est rubus ardens, non tamen comburens: necnon testimonium Davidis psalm. 28. dicentis: vox Domini intercidentis flammam ignis. ¨ * — Alii vero intelligunt accidens lucis proprie dictæ productum in corpore capaci luminis, sive in nube tenui, sive alio corpore tempore viginti quatuor horarum circa abyssum aquarum motum per Deum, aut Angelos, quod distinguebat noctem, et diem instar Solis quarta die producti, cujus interim lux ista erat vicaria, ut optime exponit S. Bonaventura *distinct.* 13. *art.* 2. *quæst.* 2. ubi ait: « intelligitur, inquit, lux illa facta fuisse ubi nunc est Sol, « nam ex illa formatus creditur esse Sol. Producta autem fuit super « eam partem, supra quam nostrum est hemisphærium; et illud he- « misphærium illuminando, fecit diem: et progrediens pervenit ad oc- « casum, et fecit vespere; et post deinde regrediens ad ortum, fecit « mane. Unde respectu unius, et ejusdem hemisphærii noctem, et diem « faciebat successive; respectu vero hemisphærii nostri, et alterius, « simul faciebat diem ex una parte, et noctem ex objectu illius na- « turæ densæ, quæ erat in medio illius materiæ: quæ quamvis non « esset adhuc in forma completa, erat tamen in illa parte ita densata, « ut posset projicere umbram, sicut in parte superiori pro sua raritate, « et quadam subtilitate poterat suscipere lucis influentiam, et ideo « utrumque eorum insinuans Scriptura dicit: *Divisit Deus lucem a* « *tenebris*, quantum ad existentiam lucis in uno hemisphærio, et te- « nebræ in alio: *et factum est vespere, et mane,* quantum ad recessum « a nostro hemisphærio, et quantum ad regressum. » — Hanc autem lucem ab initio formatam, non corpoream fuisse, sed spiritualem, voluit S. Augustinus, nam *lib.* 11. *De Civitate Dei* cap. 9. probabilius censet nomine Cæli, quod in principio creatum est, significatam esse a Moyse naturam Angelicam; nomine autem lucis die primo creatæ, insinuari confirmationem, et consummationem Angelorum in gratia: per divisionem autem lucis, et tenebrarum, indicari segregationem malorum Angelorum a bonorum consortio. Hoc ut probet ad hunc modum argumentatur S. Augustinus: *Moyses inquit in principio creatum esse Cœlum, et terram: ergo ante hæc nihil erat creatum. Idem Moyses postea scripsit, Deum septimo die requievisse a cunctis operibus quæ fecerat. Porro Angelos esse Dei opera, nefas est dubitare; cum et*

in hymno trium puerorum, et *in Psal.* 148. scriptum sit: Laudate Deum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus: et postea subjicitur: quoniam ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt. *Ex his concluditur, Angelos esse factos intra unum aliquem illorum sex dierum: et quidem factos esse ante quartum diem, quo sidera omnia sunt condita, liquet ex illis Domini verbis, quæ sunt apud Job cap.* 28. *secundum translationem Septuaginta Interpretum:* quando facta sunt sidera, laudaverunt me voce magna Angeli mei. *Nec tertio aut secundo die factos esse existimandum est: in promptu est enim, quid factum sit illis diebus: nempe tertio die separata est aqua a terra, et terra produxit herbas, et stirpes: die autem secundo factum est firmamentum disterminans aquas, quæ supra firmamentum sunt, ab iis quæ sunt infra firmamentum. Relinquitur igitur, creationem Angelorum, si ad istorum opera dierum referenda est, pertinere ad opus primi diei quo lux facta est.* — Verum reclamant ceteri SS. PP. necnon et sacri Interpretes, qui unanimi calculo lucem illam fuisse corporalem, et sensibilem pronuntiant: quam utique sententiam his rationibus confirmat S. Bonaventura dist. 13. art. 1. qu. 1. *Primo quidem*, inquit, *quia ante formationem lucis præmittitur, quod tenebræ erant super faciem abyssi: ergo si per abyssum intelligitur materia corporalis. lux quæ facta est ad expulsionem illarum tenebrarum, erat corporalis. Secundo, occidente luce paulatim, et post spatium diurnæ lucis inferiores partes subeunte, factum est vespere; sicut nunc usitato cursu solis fieri solet: ergo si hoc non potest intelligi nisi de luce corporali, patet, etc. Tertio, Scriptura numerat senarium dierum: et constat, quod dies isti omnes sunt ejusdem naturæ; alioquin non essent ita simul connumerabiles: sed post formationem solis a quarto die antea fuerunt dies corporales: ergo in tribus antecedentibus diebus fuerunt dies corporales: sed tales dies non possunt esse nisi a luce corporali: ergo etc.* — ✳ " Credibilius itaque mihi videtur lucem illam vaporis seu nubeculæ veluti subjecto affixam, totum quod occupamus hemisphærium illustrasse cum hemisphærium inferius ac dimidium Orbis circulum tenebræ adhuc occuparent: tum assiduo suo motu aliud hemisphærium illuminasse adeo ut in utraque totius Orbis mundi circuli parte horarum quatuor et viginti spatio lux et tenebræ vicissim sibi succederent diemque ac noctem sua præsentia constituerint. — Ex his itaque constat, " ✳ lucem illam primigeniam non illustrasse simul totum terræ, et aquæ globum, sed successive. Unde subdit Moyses: *Et vidit Deus lucem, quod esset bona, et divisit lucem a tenebris:* divisit inquam *primo* loco: nam dum hic est lux, et dies, apud Antipodes est nox, et tenebræ. Secundo divisit *tempore:* nam in eodem hemisphærio vicissim, ac diverso tempore sibi succedunt lux, et tenebræ, nox et dies. Tertio *causa:* nam alia est causa lucis, scilicet corpus lucidum: alia tenebrarum, scilicet corpus opacum. Secundam autem rationem divisionis spectavit hic Moyses quasi dicens: fecit Deus, ut post creatam a se lucem, tenebræ, et nox succederent. Unde sequitur: *Appellavitque lucem diem, et tenebras noctem.* — Rem autem sic explicat Hugo Victorinus in annotationibus in *Genesim* cap. 6. *Creata*, inquit, *creditur lux illa in eo loco ubi sol oritur; et ita initium illius primæ diei non præcessit aurora sive mane*, idest, *lux prænuntia*

ortus solis; quod caute innuens Scriptura, distinguit naturalem diem per duos extremos articulos; ita: *Et factum est*, inquit, *vespere, quod est finis artificialis diei; et factum est mane, quod est finis noctis;* dies enim incipit ab ortu solis, et terminatur ad occasum: quod per æqualitatem æquinoctialis diei, et noctis probatur, et totum illud spatium est unus dies naturalis. — *Sunt* tamen, qui arbitrantur diem incæpisse a lumine, et lucem fuisse primigeniam Dei creaturam, cui sententiæ subscribit S. Ambrosius cap. 9. lib. 1. *Merito*, inquit, *mundi ornatus a luce sumpsit exordium, frustra enim esset si non videretur... qui enim ædificium aliquod dignum habitaculo Patris-familias struere desiderat, antequam fundamenta ponat, unde lucem ei infundat, cogitat: et ea prima est gratia: quæ si desit, tota domus deformi horret incultu.* Aliam, sed tropologicam rationem subministrat Hugo Victorinus *De Sacram. lib.* 1. *par.* 1 *cap.* 8. ubi ait: *Incipiens ergo Deus opera sua, ut perficeret, primum fecit lucem, ut cætera omnia faceret in luce. Significavit enim nobis se non amare opera, quæ in tenebris fiunt, quoniam mala sunt, quia omnis qui male agit odit lucem, inquit Christus, Joannis* 3, *ut non arguantur opera ejus, quia mala sunt. Qui autem facit veritatem venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo facta sunt. Ipse ergo, qui veritatem facturus fuit, in tenebris operari noluit, sed venit ad lucem, et fecit lucem, ut se manifestaret per lucem. Non enim ideo fecit lucem, ut ipse videret per lucem: sed ut opera sua manifestaret per lucem, quia in Deo facta sunt.* — ✳ " Sunt qui opinentur ex hoc Genesis textu apud Judæos aliasque vetustissimas gentes, quibuscum Judæis commercium fuit et consuetudo, usum invaluisse computandi diem ab ortu solis ad ejusdem exortum. Triplex enim apud Judæos fuit olim in usu dierum genus, dies scilicet legalis, seu festivus, a vespere in sequentem vesperem; dies naturalis, ab ortu solis ad illius sequentem exortum; usualis autem a media nocte ad mediam noctem. Quam etiam consuetudinem observat Ecclesia, nam in diebus festis et divinis officiis celebrandis diem censet more Judæorum a vespera ad vesperam, in agendis autem jejuniis a media nocte ad mediam noctem. — Quod vero spectat ad Ethnicos et varias nationes diversus fuit apud eas dierum usus, ut videre est apud Gellium, lib. 3. cap. 2; Censorinum, *De die natali*, cap. 24; Plinium, lib. 2. cap. 77. qui scribit: *Ipsum diem alii aliter observant. Babylonii inter duos solis exortus; Athenienses inter duos occasus; Umbri a meridie ad meridiem; vulgus a luce ad tenebras; Sacerdotes romani, et qui diem definiere civilem, item Ægyptii et Hipparchus, a media nocte in mediam noctem.* Addit Censorinus: *Alii diem quadripartite, sed et noctem similiter dividebant: idque similitudo testatur militaris, ubi dicitur vigilia prima, item secunda, et tertia, et quarta.* Neque certe ille *vigiliarum* usus recens est, sed antiquissimus, cum apud Romanos, ut testatur Vegetius, lib. 3. *De re militari*, cap. 8. tum apud Judæos, ut constat Jud. 7. v. 19., et 1. Reg. 11. v. 11. Solet etiam distribui dies artificialis in duas partes, matutinam videlicet et vespertinam, quæ invicem discriminantur temporis puncto appellari solito *meridies*, quasi *medius dies*, ut observat Varro, lib. 5. *De lingua latina*, eo quod, inquit Censorinus, *partes diei discernat.* Adjicit etiam Romæ ignoratum fuisse horarum vocabulum tercentum annis, et diem tribus

distinctum temporibus, antemeridiano, meridiano, et pomeridiano: ubi vero innotuit horarum usus, earum distinctio, non ut jam fit ex solis decursu, sed ex prætoris arbitrio primum pendebat, ut ex Cosconio recenset Varro: *Prætorem*, inquit, *accensum solitum esse jubere, ubi ei videbatur horam esse tertiam, inclamare horam esse tertiam, itemque meridiem, et horam nonam.* Indicat pariter jocus parasiti in Plautina comedia, cujus analecta quædam exhibet Gellius, lib. 3. Noct. Attic. cap. 3: sic autem ille querebatur:

Ut illum dii perdant primus qui horas reperit,
Quique adeo primus statuit hic solarium,
Qui mihi comminuit misero articulatim diem;
Nam me puero, venter hic erat solarium
Multum omnium istorum optimum, ac verissimum.

Velut innuens, antequam horæ adinventæ essent, dies generales et laxas fuisse periodos, et fame stimulante licuisse meridiem anticipare, cum nulla fixa lex posita esset, qualem postea horologia introduxere. Nihilominus tamen gnomica instrumenta et solaria, in quibus ad linearum certa intervalla horæ describebantur, atque horologii conficiendi notitiam majoribus pridem in usu fuisse, præsertim Ægyptiis, testatur Clemens Alexandrinus, lib. 6. Stromat. ubi recensens Ægyptiorum et sacerdotum munia, ait: *Post cantorem vero procedit horoscopus qui in manu habet horologium et palmam, symbolum astrologiæ.* Ubi vides astrologiæ tesseram horologium esse, subindeque conjectari licet, ut ab Adamo ad posteros derivata est astronomiæ scientia, sic et notitia conficiendi horologii; quam a majoribus acceptam haud dubie Moyses Ægyptios docuit, tametsi Marius Victorinus Rhetor, in primum Rethoric. Cicer. aliam proferat horarum apud Ægyptios originem: *Horarum*, inquit, *duodecim hæc esse origo memoratur; quodam tempore Hermes Trismegistus cum esset in Ægypto, sacrum quoddam animal Serapi dedicatum, quod in toto die duodecies urinam fecisset, pari semper interposito tempore, per duodecim horas diem divisum esse conjecit, et exinde horarum numerus custoditur.* Huic autem bruto animanti nomen est Cynocephalus, qui, ut observat Hora Apollo, lib. Hieroglyphic. num. 6, cum micturare duodecies per dies et totidem per noctes equinoctiorum consuevisset, inde diem et noctem in duodecim horas distribuerunt. " ✳

Petes primo. — *Cur in creatione Cœli, et Terræ non dixerit Deus, Fiat, sicut dixit in creatione lucis, et cæterarum rerum?*

Respondeo primo, Auctorem libri quarti *Esdræ cap.* 6. hanc ipsam Moysis de creatione mundi historiam commemorantem, asserere, quod Deus dixerit: *Fiat Cœlum, et Terra.* Verum hoc a narratione Moysis plane discrepat. Unde respondet secundo Rupertus ad hanc eamdem quæstionem a se propositam, tribus modis. *Primo*, inquit, *cum ipsum primum principium, in quo facta sunt omnia, sit Dei Verbum, superfluum et ineptum fuisset dici, in principio dixit Deus:* Deinde *verbum imperativum* fiat, *supponit aliquid, cui imperetur, vel præceptum potnatur; effectionem autem Cœli, et Terræ cum ipsa sint ex nihilo condita, nihil præcessit, ad quod Dei vox, et præceptum dirigeretur.* Po-

stremo, *sic dicere voluit Moyses ne quispiam suspicaretur Deum quidem species et formas rerum designasse, ac perfecisse; verum* Hylem, *idest, materiam primam, de qua cuncta sunt facta, non a Deo esse factam, sed Deo semper fuisse coæternam; igitur quomodo dici debuit, sic dictum est, quia in principio creavit Deus Cœlum, et Terram.* Sic Rupertus. Ejus tamen sententia, inquit Pererius, in eo quod ait, vocem, et imperium Dei non referri, et dirigi ad nihilum, sed solum ad id, quod est, non videtur congruere cum doctrina Pauli, qui in 4. *cap. Epistolæ ad Romanos* de Deo loquens, ait: *Vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt.* Et David Psal. 32. *Verbo Domini Cœli firmati sunt:* et Psal. 148. *Laudate Dominum omnes Angeli, laudate eum omnes virtutes ejus, quia ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt:* ergo tam Cæli quam Angeli, omnes verbo, et imperio Dei creati sunt, videlicet ex nihilo.

Petes secundo. — *Quis fuerit rerum status ante lucem conditam?*

Respondeo, terram cum aquarum abysso sibi superfusa, quasi chaos quoddam inane, rude, et indigestum fuisse, de quo Ovidius:

Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere Chaos, *rudis, indigestaque moles;*
Nec quidquam nisi pondus iners, congestaque eodem.
Non bene junctarum discordia semina rerum.
— Vel ut explicat Hilarius *in carmine ad Leonem:*
Omnia cum tegeret nigrum Chaos, altaque moles
Desuper urgeret informis corpora mundi,
Et caliganti remearet serotina nocte,
Nec species, nec forma, foret: Deus intus agebat
Corporibus tectis mixtus, secreta potestas.

Hinc apparet quam improbabiliter Gabriel *in 2. dist. 12. qu. 1.* dixerit Chaos hoc, sive, ut Sapiens loquitur, materiam informem, fuisse materiam primam, vel solam, vel certe informatam tantum forma quadam rudi, obscura, generali, et communi corporeitatis, ita ut tantum esset in potentia ad omnes particulares formas suscipiendas, uti censuit Abulensis: ex hoc enim Moysis loco constat, primitus fuisse creatam terram, et Cælum: ergo materia primitus creata non fuit formæ expers, sed particulari Cæli, et Terræ forma inducta, et imbuta.

✻ " Petes tertio. — *Cui hebdomadæ diei correspondeat primus dies mundi?*

Respondeo, diei dominico, ut patet ex sabbato, sive septimo quietis die. Hunc enim sequitur dominicus tamquam octavus et rursum primus. Id etiam patet ex hymno ad matutinum diei dominicæ... *Primo dierum omnium quo mundus exstat conditus* (seu ut habetur in novis): *Primo die quo Trinitas beata mundum condidit, vel quo resurgens Conditor, nos morte victa liberat.* Certum est autem Christum Dominum resurrexisse die dominica. " ✻

DISPUTATIO SECUNDA.

DE OPERE SECUNDÆ DIEI.

Opus hujus diei explicat Moyses eodem *cap. Genesis versu* 6. et sequentibus, his verbis: *Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum: et dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum. Et factum est ita. Vocavitque Deus firmamentum, Cœlum: et factum est vespere, et mane Dies secundus.* Quæ verba, ut declarentur,

Quæres I. — *Quid nomine* Firmamenti *hic significetur?*

* "Vulgatus Interpres, Septuaginta secutus ex apposita ab eis voce στερεωμα, *firmamentum* die mundi secunda formatum dixit: hebræus vero textus loco *firmamenti* habet vocem *Rakia*, i. e. expansum; deducitur enim a voce *Raka* quæ *extendere*, *diducere*, *expandere*, seu *ampliare*, et *attenuare* significat; quemadmodum cortinæ tentoriæ expanduntur, et argentum aliudque metallum malleo diducitur et attenuatur. Ad cujus vocis vim alludit Psalmista psalm. 103. cum ait: *Extendens cœlum sicut pellem*, et Isaias cap. 10: *Qui extendit velut nihilum cœlos, et expandit eos, sicut tabernaculum ad inhabitandum.* Cœlum igitur Hebræis ab extensione dicitur *Rakia*, sicut appellatur *Schamaim* ab aquea materia, unde formatum esse putatur, ut observat S. Hieronymus: *Inter cœlum*, inquit, *et terram medium extruitur firmamentum: et juxta hebraici sermonis ethymologiam, cœlum, idest schamaim, ex aquis sortitur vocabulum.* — Cum autem triplex cœlum esse supra dixerimus, nempe aëreum, sidereum et empyreum, controvertitur inter sacros Interpretes, quid voce *firmamenti* hic significaverit Moyses. Qua de re triplex potissimum est sententia, quarum *prima* nomine *firmamenti* putat significari" * verum corpus cæleste, nempe vel octavum orbem in quo sunt errantia sidera, vel conjunctum quiddam ex octo Cælis, octavo nimirum, et aliis septem inferioribus, quod idcirco *firmamentum* appellatum fuit, quia, inquiunt, solidum est, et firmæ concretæque materiæ. Sic Theodoretus quæstione 1. in *Genesim: Propterea*, inquit, *appellatum est* Firmamentum, *quod ex aqua quæ prius erat fluxa, et liquabilis, vehementissime spissata fortissimeque indurata concretum fuerit.* * " Consentit etiam Severianus Gabalorum episcopus, Orat. 2. *De mundi creat.* « Aquarum, inquit, hæc moles « terræ extabat, puta cubitis triginta. Tunc dixit Deus: *Fiat firma-* « *mentum in medio aquæ;* exindeque in medio aquarum glaciei in « morem fixa concretio est, levavitque dimidiam atque partem sursum, « ac dimidiam inferius reliquit, sicut scriptum est: *Fiat firmamentum* « *in medio aquæ, et dividatur inter aquam et aquam.* Quid vero causæ « est cur illud vocet firmamentum? Quod nimirum ex rariore et dis- « soluta aquarum substantia illud firmaverit. Idcirco etiam ait David: « *Laudate eum in firmamento virtutis ejus.* Et ut alio utar exemplo, « quemadmodum fumus ex lignis ignique diffusus rarior est atque « mollior: ubi autem sublimis ascenderit, in nubem immutatus cras- « escit: sic quoque Deus aquas rarefactas elevans, in excelsis fixit,

« et quasi congelavit. Verumque esse exemplum testis est Isaïas, cum « dicit : *Cœlum ut fumus firmatum est.* Cælum itaque in medio aqua- « rum congelatum, mediam aquarum partem in sublimibus levavit ». *Hæc ille.* Cui subscribit Venerabilis " ✻ Beda his verbis: *In medio aquarum*, inquit, *firmamentum esse constat sidereum Cœlum, neque aliquid prohibet, ut de aquis factum esse credatur : qui enim crystallini lapidis quanta firmitas, quasi perspicuitas ac puritas novimus: de aquarum concretione certum est procreatum ; quid obstat credi, quod idem dispositor naturarum in firmamentum Cœli substantiam solidarit aquarum?* — Verum hæc sententia non arrisit Basilio, sed eam ipsemet deridet *homilia tertia in Genesim*, dicens esse nimium puerile, nimiumque simplicis mentis, arbitrari Cælum fuisse ex aqua concretum. — ✻ " *Secunda sententia* eorum est qui voce *firmamenti* non solum octavam sphæram, sed omnes prorsus orbes cælestes, præter empyreum cælum primo die productum, intelligit. Ita censent illi omnes tum SS. Patres, tum sacri Interpretes et Doctores Scholastici qui revera aquas supra cælestes orbes consistentes affirmant. — *Tertia* denique sententia eorum est qui existimant nomine *firmamenti* significari cælum aëreum, seu " ✻ totum illud aëris spatium, quod ab astris ad terram usque protenditur, et expanditur, ita quod supremam partem teneant Cæli et Astra ; mediam elementum ignis ; infimam aër. Quam utique sententiam docuit S. Hieronymus Epistola 83. ad Oceanum: *Inter Cœlum*, inquit, *et terram medium extruitur firmamentum : et juxta hebraici sermonis ethymologiam, Cœlum, idest, schamaim, ex aquis sortitur vocabulum.* Eamdem quoque interpretationem insinuat, et probat S. Augustinus lib. 22. *De Genesi ad litteram* cap. 4, ✻ " ubi agens de aquis supercælestibus scribit Moysem nomine *cœli* aërem designasse. *Ostendit*, inquit, *et hunc aërem cœlum appellari, non solum sermone communi, secundum quem dicimus serenum vel nubilum cœlum, sed etiam nostrarum ipsarum consuetudine Scripturarum, cum dicuntur volatilia cœli, cum aves in hoc aëre manifestum sit volare. Et Dominus cum de nubibus loqueretur : faciem, inquit, cœli potestis probare. Nubes autem etiam per proximum terris aërem conglobari sæpe cernimus, cum per declivia jugorum ita recumbunt, ut plerumque excedantur etiam cacuminibus montium. Cum ergo probasset et hunc aërem cœlum dici, nulla alia causa etiam firmamentum appellatum voluit existimari, nisi quia intervallum ejus dividit inter quosdam vapores aquarum, et istas aquas quæ corpulentius in terris fluitant.* Similia habet in eamdem Genesim " ✻ *Commentario imperfecto* c. 12. ubi hunc eumdem Moysis locum tractans ait: *Cum dicitur* firmamentum Cælum, *intelligendum est omnem istam ætheream machinam dici, quæ omnia substantia continet, sub qua puri, et tranquilli aëris serenitas viget, sub qua idem iste aër turbulentus, et procellosus agitatur.* Subscribit etiam Rupertus lib. *De Trinit.* cap. 22. *Firmamentum*, inquit, *non solidum quid aut durum, ut vulgo putatur, sed aër est extensus, et adeo subtilizatus, ut licet videri queat, verius tamen spiritus dici queat quam corpus, testante Ecclesiaste* 1. *cum dicit de luminaribus, quæ visibiliter in eo feruntur:* lustrans in circuitu pergit spiritus, et in circulos suos se vertitur. — *Hæc ipsa expositio* firmari potest ex Scriptura sacra, quæ interdum firmamentum nominat illam superiorem Cæli partem, in qua

jacent, et fulgent sidera, interdum etiam firmamentum appellat inferiorem aëris portionem, ut cum ait aves volare in firmamento, seu super firmamentum, nam ubi Latina versio habet: *Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile super terram sub firmamento Cœli;* hebraice ad verbum legimus: *et volatile volet in superficie,* vel *super faciem firmamenti Cœli,* seu *extensionis Cœli.* Cui etiam explicationi favet ipsemet Beda, Commentario in Genesim, ubi exponens opus quintæ diei, ait: *Sic intelligendum est quod dictum sit,* volare aves secundum firmamentum Cæli, *quia hoc nomine etiam æthera indicetur, hoc est superius illud aëris spatium, quod a turbulento hoc, et caliginoso loco, in quo aves volant, usque ad astra pertingit, et esse tranquillum prorsus, ac luce plenum non immerito creditur: nam ut errantia sidera septem, quæ in hoc ætheris spatio vaga ferri perhibentur, Scriptura in firmamento Cœli esse postea dixit: ideoque aves recte dicuntur secundum firmamentum Cœli volare, quia vicina sunt, ut dixi, ætheri turbulenta hæc aëris spatia, quæ volatus avium substinent: non mirandum, si æther firmamentum Cœli nominetur, cum aër appelletur Cœlum, ut supra docuimus.*

Dices: Hæc expositio pugnare videtur in ipsam Moysis narrationem: *Primo* quidem, quia dicit, quod die quarto Deus fecerit Solem, et Lunam, et Stellas, et posuerit ea in firmamento: hæc autem non sunt in aëre, sed in Cælo: ergo non aër, sed Cælum est firmamentum. *Deinde*, nomen *firmamenti* solidum quid, et stabile significat; aër autem corpus est admodum tenue, et instabile, perpetuaque jactatum agitatione: ergo firmamenti appellatio aëri non quadrat. *Denique*, docet Moyses firmamentum dividere aquas, quæ sub eo sunt, ab illis quæ super illud existunt: non sunt autem aquæ stantes immotæ super aërem: ergo aër non est firmamentum dividens aquas ab aquis. — **Respondeo**, has rationes nostræ sententiæ non officere, facile namque solvuntur. *Prima* quidem, quia ubi Moyses dicit Deum posuisse Solem, Lunam, et Stellas in firmamento, nomine *firmamenti* non significavit Cælum stellatum, quod vulgo octava sphæra dicitur. Fatentur namque omnes, Solem, et Lunam non in octavo, sed in inferioribus Cælis esse reposita, adeoque necessum est quod nomine firmamenti significaverit omnem illam spatii amplitudinem, quæ ab empyreo Cælo ad Terram usque protenditur. *Ad secundam*, dico firmamentum non ideo appellari quia sit corpus firmissimum, sed quia est interstitium, et veluti terminus interjectus inter aquas superiores, et inferiores: terminus, inquam, firmissimus et immutabilis, semper enim rerum natura fert, ut superiores aquæ in sublimiori aëre generentur: inferiores autem aquæ sub aëre, et super terram decurrant. Quam utique expositionem tradidit sanctus Augustinus lib. 2. *De Genesi ad litteram* cap. 10. ita scribens: *Nec nomen firmamenti cogit ut Cælum stare putemus: Firmamentum enim non propter stationem, sed propter firmitatem, aut propter intransgressibilem terminum superiorum, et inferiorum aquarum intelligere licet.* Ut autem *tertiæ* objectioni fiat satis, ✻ " concludam verbis ac egregiis versibus Claudii Marii Victoris, qui lib 1. in *Genesim* sic canit:

Fluctibus e mediis concreto corpore cedens
Extulit, ac late duro solidata rigore,

Divisas suspendit aquas, gelidumque profundum
Axibus objecit calidis, seque æquore septo
Nixa superfudit rebus, quas circite vasto
Contegit æthereum, deducto hinc nomine, cælum.
Forsitan hic aliquis sic secum errore perito
Disserat, æthereis ne desint pabula flammis,
Et nimius calor ima petens, alimenta sequendo
Exurat mortale genus, cælumque coruscum
Non possint terrena pati, subjecta deorsum est
Machina firma poli: quæ dum nos protegit umbra,
Interea super impositis frigescit abundis.
Numinis at vero divini quærere causas
Mens fuge nostra procul: plus sit tibi credere semper
Posse Deum, quidquid fieri non posse putatur,
Et magnum pelagus super astra et sidera ferri,
Ipsorum ratione proba qui credere nolunt,
Et mundum pendere volunt, quem Conditor ipse
Gestet et immenso constantem pondere volvat. " ✻

Quæres. — *Quid significetur per aquas quæ sunt supra Firmamentum?*

Respondeo, quod cum *firmamentum* hic expressum significet quidquid supra nos est usque ad Cælum empyreum, adeoque complectatur sphæras cælestes, et simul tres aëris regiones, verisimilius dicendum arbitror, aquas quæ sunt super firmamentum non alias esse, quam quæ in media regione aëris generantur: illuc enim vapores ex terra, et aquis, virtute Solis, et Astrorum attractu sursum elati densantur, et coagulantur in nubes, ex quibus imbres effluentes terram irrigant, et fœcundant; idque tanta copia, tantoque interdum impetu, ut ex ingentibus fluminibus, et fontibus videantur erumpere. De his enim aquis supercælestibus, seu quæ ex medio aëre tamquam e Cælo effluunt, plerumque sermonem sacra Scriptura instituit, veluti cum dicitur Deus prohibere pluvias de Cælo, dare pluvias de Cælo, claudere Cælum ne pluat, et rursus aperire Cælum, ut solvatur in imbres, ut legimus 3. *Regum* cap. 18; sic pariter *Psal.* 103. postquam dixisset Psalmista, *Extendens Cælum sicut pellem, qui tegis aquis superiora ejus:* ut quæ sint hæ aquæ clarius explicet, mox subdit: *Qui ponis nubem ascensum tuum.* Et infra: *Rigans montes de superioribus suis.* De his scilicet quæ antea dixerat aquis tecta, subindeque de media aëris regione, unde procedit irrigans pluvia. Quem utique loquendi modum etiam usurpat *Ps.* 146. dicens: *Qui operit Cælum nubibus, et parat terræ pluviam:* Cælum autem nubibus opertum nullum aliud sane quam ipsamet aëris regio, ubi per vaporum condensationem, et resolutionem præparatur pluvia quæ terram irriget. Hinc *Proverbiorum* 8. divina Sapientia ait: *Quando præparabat Cælos aderam, quando æthera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum.* Ubi pro illo vocabulo, *æthera* Septuaginta Interpretes vertunt, *supernas nebulas seu nubes:* quocirca quod sequitur, et *librabat fontes aquarum,* accipiendum videtur, non de fontibus qui e terra scaturiunt, sed de iis qui e Cælo, nimirum ex nubibus, in terram effluunt. Dicitur autem Deus illos librasse

aquarum fontes, eo quod in excelso aëre nubes divina sua virtute suspendit, e quibus quasi e fontibus profunduntur; idque justa mensura, ne aut nimium parca, aut nimium larga hujusmodi aquarum profusio terris noceat. Quo spectat illud Job cap. 26. *Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum.* Et cap. 12. *Si continuerit aquas, omnia siccabuntur, et si emiserit, subvertent terram.* Hac ipsa ratione cum diluvium fieret, Deus dicitur aperuisse cataractas Cæli, *Genesis* 8; sic pariter ait apud Malachiam cap. 3. *Si non aperuero cataractas Cœli, et effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam:* et apud Hieremiam cap. 10. legimus, quod *ad vocem suam dat Deus multitudinem aquarum in Cœlo, et elevat nebulas ab extremitatibus terræ.* — Hæc omnia sanctus Ambrosius lib. 2. *Hexaëmeron* cap. 4. egregie confirmat, ubi expendens illud Levitici 26. *Erit tibi Cœlum super caput tuum æreum, et terra tua ferrea,* ait: *Quando pretium perfidiæ luens populus Judæorum, intemperie Cœli, et terræ infœcunditate muletabatur: de Cœlo enim causa fertilitatis. Denique, Moyses benedictiones tribuit Joseph a finibus Cœli, et rore, et abyssis fontium deorsum venientibus, et secundum horam a solis cursu, et a convenientibus mensibus, et a vertice montium, et collium æternorum dedit, eo quod moderatione cœlesti terræ fœcunditas nutriatur. Ferreum ergo Cœlum, quod nullum exundat humorem, quando nullus nubibus imber erumpit. Est etiam ferreum Cœlum subobscurus aër, pressus atque nebulosus colore ferrugineo, quando rigore frigoris stringitur terra, tunc veluti super caput nostrum humor suspensus videtur, et per momenta imminere. Plerumque etiam glacialibus ventorum statibus rigentes aquæ consolidantur in nivem, et rupto aëre nix funditur, neque enim firmamentum hoc potest sine aliquo rumpi fragore aut penetrari, etc.* Quibus sanctus Ambrosius eleganter nostram responsionem, et expositionem confirmat: etenim aërem in Scriptura Cælum, et firmamentum appellari edocet, et quæ per pluviam, aut nivem ex aëris parte media aquæ in terras effluunt, illas e Cælo, et firmamento cadere dicit. Constat igitur nubes in media aëris regione pluvioso imbre fœcundas appellari posse aquam super Cælum, et firmamentum. — *Confirmatur* hæc expositio *primo* quidem, quia Deus, et natura nihil frustra moliuntur: sed frustraneæ prorsus viderentur aquæ constitutæ supra Cælum sidereum: quippe omnes quas oppositæ sententiæ Assertores ex illis aquis supra Cælum siderum jacentibus, utilitates inferunt, prorsus futiles apparent, aut leviori fundamento nituntur, ut constat ex eorummet dictis. Procopius namque, et Theodoretus dicunt aquas idcirco ibi fuisse collocatas, ut Solis, Lunæ, et astrorum ardorem temperarent, ne Cælos dissolvat: vel, ut inquit Beda, *ad remittendum calorem ex vi, et motu siderum excitatum.* Addit sanctus Justinus quæst. 99. eas supra firmamentum fuisse positas ut illud suo pondere deprimant, ne sursum feratur, sed veluti suspensum, et libratum maneat. Sunt qui putent eas aquas ibi jacere, ut Solis, et Lunæ radios reverberent, eosque deorsum ad terram repellant. *Oleaster* autem ait, *aquas ibi primitus a Deo fuisse constitutas, ut per Cæli cataractarum reserationem terram in diluvio Noe obruerent.* Existimant alii eas aquas ibi fuisse constitutas ad ornatum Universi; forte etiam ad voluptatem Sanctorum in empyreo Cælo commorantium, ut nempe

aquis hisce christallinis, et variegatis jucunde eorum oculi recreentur; aquæ enim omnis formæ, decoris, coloris, et ornatus sunt capacissimæ, ut patet in Iride. Ad quod alludere videtur sanctus Joannes *Apoc.* 7. ubi ait: *Deducet eos ad vitæ fontes aquarum.* Et cap. 22. *Ostendit mihi fluvium aquæ vivæ splendidum tamquam christallum.* Hæ sunt potissimæ utilitates, quas ex aquis supra Cælum sidereum positis varii Auctores proferunt. Verum quis non videat has omnes rationes esse levioris momenti, quam quod sufficiant ad asserendum Deum aquas natura sua graves, ac ponderosas, adeoque terram semper appetentes in qua velut in centro quiescant, super Cælum, quasi in violento loco, ac statu detinere? — *Secundo,* opposita etiam expositio non videtur Moysis narrationi quadrare; siquidem Moyses historiam agens, rudioremque populum de mundi primordiis informans, ea solum opera divina commemorare visus est, quæ hominibus essent notissima; tacuit autem ea quæ a sensibus non modo, sed etiam ab intelligentia remotissima apparebant, qua ratione etiam de Angelis multa quæ docere potuisset, ob eamdem causam silentio suppressit, suscepta tantum descriptione et explicatione hujus mundi corporati et aspectabilis, et earum rerum quæ in sensus hominum incurrunt, vel ex his quæ percepta sunt sensibus promptissime facillimeque possunt cognosci.

Dices: Non solum aquæ cælestes dicuntur esse supra firmamentum, sed etiam supra cælum cælorum. Sic Psal. 148. *Laudate Deum cæli cælorum, et aquæ omnes quæ super cælos sunt laudent nomen Domini:* sed per cælos cælorum juxta phrasim hebraicam, intelliguntur Cæli siderei: ergo aquæ cælestes sunt supra cælum sidereum. *Deinde,* tres Pueri fornacis Babylonicæ in suo Cantico, ubi commemorantur omnia Dei opera, ea invitant ad Dei laudem ipso ordine, ut a superioribus ad inferiora procedant. Primo autem loco ponuntur Angeli, secundo cæli, tertio aquæ, quæ super cælos sunt, quarto sol, luna, et stellæ: ergo signum est aquas cælestes esse sole, luna, et stellis superiores. *Denique* Ecclesia in Hymno, quem ad vesperas feriæ secundæ publice decantat, ait:

Immense cæli Conditor,
Qui mixta ne confunderent
Aquæ fluenta dividens,
Cælum dedisti limitem.
Firmans locum cælestibus
Simulque terræ rivulis,
Ut unda flammas temperet
Terræ solum ne dissipent.

Quibus verbis non obscure significat Ecclesia esse aquas positas supra Cælum ad temperandum siderum ardorem. ✳ " Ejusdem sententiæ est Severianus episcopus, orat. 2. *De creatione mundi,* ubi cum inquisivisset *cur vero in excelsis aquæ? In quem usum positæ? Ut quis bibat? Ut quis naviget?* respondet: « Sane esse quidem aquas in su-
« perioribus testis est David cum ait: *Et aquæ quæ super cælos sunt.*
« Attende jam Creatoris sapientiam: erat cælum glaciei in morem ex
« aquis concretum. Quia enim solis flammam et lunæ, siderumque
« immensam multitudinem excepturum erat, ac totum igne plenum
« erat futurum, ne nimio calore solveretur, et exureretur, substravit
« cæli connexo aquarum illa æquora, quibus quasi impinguaret aqua

« liniret, ut in eum modum incendio illi resisteret, nec illo crema-
« retur. Nec vero exemplum deest: velut enim si hodie lebetem ign
« imponas, eique aquam injeceris, igni resistit: sin autem illa desit,
« dissolvitur. Sic et Deus igni adversarium aquam commisit, ut cælo,
« ex aquis ejus convexa linientibus abunde suppeteret quo duraret ac
« incolume foret. » *Addit in confirmationem dictorum:* « Adeo abun-
« dat cælesti corpori humor, etsi tanta ignis vi illi infensa ut et terræ
« commodet. Nam rogo, unde vos? Nusquam nubes est, aër aquam
« non habet. Nonne liquet inde esse quod cælum, quibus abundat,
« illi distillet. Unde et Isaac Patriarcha benedicens Jacob, aiebat:
« det tibi Deus de rore cæli, et de pinguedine terræ. Aiunt vero fra-
« tres, in die judicii fore, ut superior aqua recedat, cælumque sol-
« vatur, quod ipsum aquarum illa coagmentatio deficiat; et stellæ
« cadant, quæ nec inter fixam sedem habeant. Hæc porro non temere
« dicimus, sed Scriptura docet: *Cælum enim*, inquit, *complicabitur*,
« (pro eo ac dicat, torrebitur: quod enim torretur, convolvitur ac con-
« torquetur) *et stellæ cadent sicut folia de vite.* » Alteram hujus di-
vinæ dispositionis in aquis supercælestibus constituendis utilitatem subjicit in hunc modum: « Attende vero etiam, quæso, usum alium:
« aquæ quæ super cælos sunt nedum cælum conservant, verum etiam
« solis flammam ac lunæ demittunt. Nam si cælum pellucidum esset,
« ejus omnis splendor sursum effugeret. Ignis enim cum natura sur-
« sum feratur, terram desertam relinqueret. Ideirco igitur immensa
« aquarum vi cælum superius densavit, ut splendor in arctum coactus,
« in terram descenderet. Vide Artificis sapientiam ac sollertiam. » Hæc ille. Ex his itaque constat quod " * aquæ supercælestes aliæ sunt a nubibus in medio aëre libratis. — **Nego consequentiam**, et ad *primam* rationem dico, quod licet per Cælos Cælorum significentur Cæli siderei, aut potius Cælum Empyreum, quod est Dei sedes, ac Beatorum domicilium, tamen non sequitur, quod aquæ, quæ super Cælo dicuntur, sint supra Cælos sidereos. Duo namque ibi David commemorat quasi distincta, nempe Cælum Cælorum, et Cælos, idest, aëris regiones: unde non dicit aquæ quæ super Cælos Cælorum sunt, sed præcise quæ super Cælos sunt. Nec refert quod Cælos scribat in plurali, quasi id aëri non quadraret; utitur enim consuetudine linguæ Hebraicæ, in qua Cælum caret singulari numero, ut notat Estius *dist.* 11. licet Interpretes modo singulare, modo plurale reddiderint: quemadmodum etiam apud Latinos Athenæ, Venetiæ, Trecæ, etc. singulari carent, et nonnisi in plurali possunt usurpari. — *Ad secundum* dico. Canticum illud res præcise non refert eo ordine quo a divina providentia dispositæ sunt in Universo; siquidem prius recensentur rores, pruina, nix, glacies, et gelu, postmodum autem dies, et nox, lux, et tenebræ, quæ certe prius extiterunt. — *Ad tertium* autem dico, merito Ecclesiam docere unda Cælorum flammas temperari; siquidem terra prorsus siderum ardore torreretur, nisi frequenter imbribus, rore, nive, nubibusque rigaretur ac fœcundaretur.

Quæres III. — *Cur Moyses non dixerit hac die, id quod dixit in cæteris;* et vidit Deus quod esset bonum?

* " Respondent hebræi Doctores, ideo *bonitatis* elogium operibus

secundæ diei non esse adjectum, quod ipso die creata sit *gehenna* seu damnatorum supplicio destinatus locus, in quem illico protrusi sunt dæmones. **Verum** insulsa prorsus et ab omni ratione aliena videtur hæc responsio 1. quia nullo momento probari potest gehennam ipso die fuisse conditam, quippe cum altum de ea sit in Scriptura sacra silentium; 2. Gehenna, cum optimi Dei sit artificium et opus, revera censenda est bona, *quia*, ait Apostolus 1. ad Timotheum, 4. *omnis creatura Dei bona est*. Nec obstat quod ordinetur ad reorum supplicium, hoc enim cedit in gloriam Dei, et commendationem ipsius divinæ justitiæ; 3. Licet gehenna hac ratione dicenda non esset bona, num propterea omnia istius diei alia opera pro vere bonis non habenda sunt, atque adeo solemni hoc divinæ approbationis encomio defraudanda sunt?

Respondent aliqui comprobationem hanc fuisse omissam, quod firmamentum seu cælum ipso die productum, necdum perfectum fuerit, utpote sideribus adhuc vacuum. — **At** non magis imperfectum erat cælum sine sideribus et astris, quam terra sine plantis, et aqua sine piscibus, et lux sine corpore solis et lunæ, quibus tamen hæc divina benedictio et approbatio negata non est. — S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum cap. 9., et ex eo Petrus Lombardus lib. 2. dist. 14. existimant hujus secundæ diei opera non fuisse divina benedictione et approbatione coronata, quia dies hic alter erat a primo, ac proinde principium erat alternitatis et signum divisionis; unde numerus binarius apud veteres infausti erat nominis, ut testatur Ovidius lib. 1. *De arte amandi*:

> *Ergo ego vos rebus duplices pro nomine sensi,*
> *Auspicii numerus non erat ille boni.*

Verum si hæc ita sint, cur ergo Deus cap. 2. *Genesis*, v. 18. dixit: *non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adjutorium simile sibi?* Cur *Ecclesiastes* cap. 4. pronuntiavit: *melius est duos esse simul quam unum* etc.? — Censent alii nodum hunc ita solutu difficilem, ut religiosius sit silentio venerari consilium Dei, qui in ipso Scripturæ sacræ frontispicio et initio ostendere voluit abstrusa in ea et recondita esse mysteria, quam curiosa inquisitione rem quam nobis mortalibus Deus ignotam esse voluit, perscrutari. — Ast certum est divinum bonitatis elogium non minus huic secundo creationis diei fuisse concessum quam cæteris; primo, quia eodem capite, v. 31. indefinite de singulis sex dierum creationis mundi operibus scriptum legimus: *vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona*. Secundo, quia non generali tantum illa, sed etiam speciali Dei approbatione donantur opera secundæ diei, ac ea quæ sunt reliquorum dierum, quod utique compertum fiet, si observaverimus narrationem operum secundæ diei non finiri v. 8. sicut hactenus existimatur, sed tantum v. 10. In secunda enim die non solum produxit Deus firmamentum quod divideret aquas superiores ab inferioribus, seu cælestes a terrenis; sed insuper separavit aquas a superficie terræ ut hæc appareret arida: unde eodem die facta est duplex aquarum secretio, una superiorum ab inferioribus, altera inferiorum a tellure, quia inquit Estius tom. 2. in lib. *Sententiarum*, pag. 104. « congregatio aquarum in unum locum quædam fuit con-

« tinuatio et consummatio ejus operis, cujus descriptio præcedebat, « nempe divisionis aquarum ab aquis. Nam credibile est uno continuo « motu locali, consequente aquarum condensationem inferiorum, totum « hoc factum fuisse, ut et separarentur a superioribus, et loca decli- « viora petendo superficiem terræ relinquerent, et maria constituerent. « Quare non erat hujusmodi separatio dividenda in duos dies. » Hæc ille. — Quæ cum ita sint, dubium non est hanc diem secundam creationis pariter divina approbatione fuisse decoratam, nam statim post illam separationem aquarum a superficie terræ, et earum collectionem in locum unum, additur: *et vidit Deus quod esset bonum;* quemadmodum dixerat post lucis productionem in primo die, et ejus separationem a tenebris. " ✻

DISPUTATIO TERTIA.

DE OPERE TERTIÆ DIEI.

Tertiam diem duplici Dei opere commendatam, et insignem fuisse testatur Moyses *a versu* 9. *ad.* 13. nam et aquas refert in unum coactas locum, terræ partem maximam nudasse, ac futurorum animalium habitationi domicilium parasse, et subinde terram herbarum viriditate, ac stirpium ubertate, et copia esse vestitam. Quod utique explicat his verbis: *Dixit vero Deus: Congregentur aquæ, quæ sub Cælo sunt in locum unum: et appareat arida. Et factum est ita. Et vocavit Deus aridam terram, congregationesque aquarum appellavit maria. Et vidit Deus quod esset bonum, et ait: Germinet terra herbam virentem, et facientem fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram, et factum est ita. Et protulit terra herbam virentem, et facientem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, et habens unumquodque sementem secundum speciem suam. Et vidit Deus quod esset bonum, et factum est respere, et mane dies tertius.* Quæ verba etiamsi evidentem, et facilem sensum præ se ferant, majorem tamen involvunt difficultatem, quam in cortice appareat. Enimvero

Quæres 1. — *Cum aqua ante diem tertium omnem undique terram operiret, qua ratione potuit tertia die tota in unum locum terræ congregari?*

Hanc *quæstionem* ita arduam putaverunt aliqui, ut terram tertio tantum die creatam fuisse existimaverint, saltem quoad ultimum suum complementum. Ita docuit Magister sententiarum *dist.* 14. Hugo Victorinus *lib.* 1. *De Sacramentis;* et nonnulli sacri Interpretes ac Doctores Scholastici. *Verum* ex dictis satis superque constat, terram primo die mundi una cum Cælo fuisse conditam; siquidem in principio creavit Deus Cælum, et Terram. *Adde quod* hoc die non dixit Deus: fiat terra, sed tantum, quod appareat arida. *Sunt* qui existiment cum sancto Basilio, et Ambrosio exundantes aquas, et terræ superficiem prius operientes, ita confluxisse in unum locum, quod ingens illa aquarum moles in tumorem montis instar, divina virtute collecta fuerit: unde inferunt, mare longe altius terra esse subvectum, et naturali sua proclivie terram posse exundare, et obruere, nisi Deus illud intra sibi fixos limites divino mandato veluti fræno quodam coër-

ceret ac contineret. Quod utique sic eleganter exponit S. Ambr. lib. 3. *Hexaemeron* cap. 2. *Circumscripta igitur*, inquit, *imposito fine maria clauduntur, ne superfusa terris inundent omnia, et destituto arborum cultu, munus terrenæ fœcunditatis impediant. Cognoscant igitur divini esse præcepti. Ait enim Dominus per nubem ad Job inter alia etiam de maris claustro: Posui ei fines, apponens claustra, et portas; dixi autem ei: Usque huc venies, nec transgredieris; sed in te ipso conterentur fluctus tui. Nonne ipsi videmus mare frequenter undosum, ita ut in altum fluctus ejus tamquam mons aquæ præruptus insurgat, ubi impetum suum ad littus illiserit, in spumas resolvi, repagulis quibusdam arenæ humilis præcursum? Secundum, quod scriptum est Jeremiæ* 5. an non timebitis me, dicit Dominus, qui posui arenam fines mari? *Firmissimo itaque omnium vili sabuli pulvere vis maris in tempestate cohibetur, et velut habenis quibusdam cœlestis imperii a præscripto sibi fine revocatur, violentique æquoris motus in sese frangitur, atque in reductos sinus suos scinditur.* Verum hæc responsio aliam difficultatem ingeminat longe præcedenti graviorem: nempe, quod terra sit mari depressior, et aquarum illa congregatio multo quam terra sublimiorem statum subeat: hoc enim imprimis Scriptura sacra videtur impugnare, dum eos qui mare petunt, dicit non ascendere, sed descendere. Sic Psalmo 106. *qui descendunt mare in navibus.* Suffragatur pariter ratio; cum enim aqua suapte natura gravior sit aëre, sitque fluxa, et labilis, certe non sine magno miraculo posset ita consistere, ut in terram non efflueret. Miraculum autem perpetuum hac ratione asserere, et aquarum pondus, et impetum ultra nativam suam proclivitatem violenter a Deo coërceri, non videtur divinæ providentiæ cuncta suaviter disponentis ordinationi congruere. *Adde quod,* ubique aqua æquabilem planitiem exhibet: quocirca, inquit sanctus Amb. mare dicitur *æquor* propter suam æquabilitatem. Hoc etiam ipsum quotidiana demonstrat experientia; si enim mare altius quam terra assurgeret, pari ventorum ac remigum vi, et impulsu eadem navis velociori motu portum appelleret quam ab eo recederet; discedens enim ex littore, in arduum, et acclive obnitens, difficiliorem haberet progressum: contra vero accedens ad littus, tamquam per lubricam declivitatem descendens, magna velocitate, magnoque impetu deferretur. *Insuper,* quo magis navis in mare procederet, eo magis esset conspicienda, cum in altiorem locum evaderet. *Similiter,* solventes e portu quo longius progrederentur, cum semper altiorem locum subirent, terram infra positam facilius conspicerent, cujus tamen contrarium ipsamet experientia suadet. *Deinde,* cernimus motum aquæ semper in decliviora ferri; cum igitur omnia flumina per longos terrarum tractus in mare provolvantur, dubio procul necesse est mare in locis declivioribus consistere: si enim altius quam terra intumesceret, contrario cursu flumina laberentur, non a terris ad mare, sed a mari ad terras exundantia. *Denique,* si mare in tantum intumesceret, ut longe altius esset quam terra, idem non esset maris, et terræ centrum, aut oporteret dicere, terram, et aquam non unicum globum efficere, nec esse figuræ sphæricæ: utrumque autem experientia constat esse falsum, nam alias numquam Sol esset in Æquatore, nec usquam essent æquales dies ac noctes, pars enim tumescens, et pars inferior, breviores aut

longiores dies efficerent. Quæ omnia experientiæ adversantur, idcirco minus probanda videtur prætata responsio. — Adeoque *respondent* alii hac ratione terram apparuisse aridam, et aquas in unum collectas, quod aquæ eum antea rariores, et subtiliores essent, hoc tertio die conspissatæ ac condensatæ fuerunt; atque ideo terreas magis ac salsas effectas; tum ne putrescerent, tum ut haberent nutrimentum pro piscibus; tum ut facilius navium subvectioni deservirent. Sic ergo Dei operatione facta aqua densior se contraxit, et minorem terræ locum quam ante occupavit; sicque maximam terræ partem reliquit aridam. Quæ utique responsio probatur sancto Augustino *lib.* 1. *De Genesi ad litt. cap.* 12. dum illud inquirit, cum totam omnino terram undosa materia cooperiret, quo cederet, ut nudaret aliquas partes? *An forte*, inquit, *rarior aqua, velut nebula terras tenebat, quæ congregatione spissata est, ut ex multis eas partibus, in quibus arida posset apparere, nudaret?* — *Verum*, quamvis hæc sententia probabilis appareat, nihilominus verius dicendum arbitror, idcirco terram fuisse partim aquis nudatam, quia cum terra prius omnino rotunda fuisset, et aquas æqualiter ex omni parte admitteret; hoc tertio die imperante Deo cœpit in montes assurgere, in colles deprimi, imo et ingentes haberi speeus, et cavitates internas, in quas aquarum copia sese recepit, ut ibidem indicat sanctus Augustinus subjungens: *Quamquam*, inquit, *et terra longe lateque subsidens potuit alias partes præbere concavas, quibus confluentes, et corruentes aquæ reciperentur, et apparerel arida ex his partibus, unde humor abscederet.* — Itaque hoc ipso tertio die, ordinante Deo, intra terræ viscera ingentes facti sunt alveoli, ubi maxima aquarum pars sese effudit. Hinc non mirum si terra undique aqua perfundatur; cum enim habeat ingentem illam intra sua viscera aquarum copiam, quæ solito dicitur *Barathrum*, vel *abyssus*: quæve per varios meatus in Oceanum, aut intra terram per flumina exundat; hinc etiam undique aqua alluitur: cujus indicium est, quod ubicumque quis terram effodiat, ibi semper aquam reperit, ut constat ex effossis puteis: terra enim est quasi mater viventium, et mixtorum. Unde sicut in animalis, omnisque hominis corpore magna sanguinis copia in hepate, et corde residet, indeque per plurimas venas dispergitur per totum corpus, tam sursum, quam deorsum; ita, inquit Seneca lib. 3. *Quæstionum Naturalium* cap. 15. *Ingentes illæ voragines sub terra per canaculos, quasi per venas aquam effundunt; et certis locis terræ in fontes, rivos, et flumina eructant.* Quod ergo est hepar in homine, hoc ipsum esse ingens illa aquarum abyssus intra terræ viscera recondita.

Ex his apparet non esse probandam eorum opinionem qui existimant, terram ante diluvium omnino fuisse rotundam, nulla celsiorum humiliorumque locorum inæqualitate; hanc autem, quam in terra cernimus, montium, et vallium distinctionem, solum post diluvium extitisse. Hæc namque sententia per ipsammet Scripturam sacram aperte confutatur; enimvero si nulli ante diluvium extabant montes, qualiter verificari poterit id quod legimus, cap. 7. *Genesis: Aquæ præcaluerant nimis super terram, operteque sunt omnes montes excelsi sub universo Cælo: quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat?* Cur Scriptura Psalm. 65. *Montes* appellat *æternos?* Cur denique apud Salomonem Proverb. 8. divina Sapientia

quo suam demonstraret antiquitatem, dixit se extitisse *priusquam montes gravi mole consisterent.* — ✳ " Cur, inquit, S. Basilius, homil. 4. pag. 45. et seq., quod secundum naturam competit aquæ, nempe terri per declivia loca, et ima petere, id ad Opificis imperium Scriptura reducit? *Deinde,* qua ratione dicat aquas in unam congregationem jussas esse concurrere, cum tam multa esse maria conspiciantur, plurimoque inter se intervallo ac statu disparata? *Denique,* quomodo in unicum locum coïre potuit tam ingens ac prope immensa illa aquarum moles, quæ vastissimum illud spatium inter empyreum cælum et terram opplebant? — *Respondet ad primum:* « Jussa est currere natura « aquarum, nec unquam delassatur, eam ad cursum perpellente jugiter « illo præcepto. Hoc sane dixerim, ad fluxibilem respiciens partem « aquarum. Sunt enim, quæ suapte natura fluunt, cujusmodi fontanæ sunt et fluviales. Sunt contra et aliæ collectitiæ, nec quoquam « permeabiles. Atqui sermo de his mihi nunc est quæ impetu quodam « naturæ cientur ac fluunt. *Congregentur aquæ in congregationem unam.* « Tibine unquam propter fontem copiosam aquam eructantem consistenti incessit ejusmodi cogitatio? Quis aquam hanc cogit exilire e « mediis terræ visceribus? Quis festive, ut in interiora progrediatur, « urget vehementer? Quænam, promptuaria unde depromuntur, tantum « continent proventum aquarum? Quis ille tandem locus, ad quem de« fluvio præcipiti contendunt? Quinam fit, ut hæ non deficiant, nec « illa interim expleantur? Scito hæc a prima illa Dei voce dependere. « Illinc enim primaria ad cursum motio indita aquis est et prærogativa ». — Basilium Cæsariensem excipit Basilius Seleuciensis, orat. 1. scribens in eadem verba: « Nudat aquis terræ dorsa, quibusdam velut « in cellis maria concludens, dum imperio in abyssum utitur pro claustro et arena quasi habena formidabili mare continet, terram liberam « servans a pelagi eluvione: esto ventorum impetu ad terram mare « propellatur. Fertur quidem fluctibus ante elatum; ubi vero terminos « attingens revertit refugitque et Domini vocem littoribus inscriptam « cum intuitum fuerit, et curvatis fluctibus termini positorem adorat; « cumque terram violente feriat, referitur, ac divini imperii memor « refertur in fugam. Quare facile purpurascens adulatur vicinæ con« tinenti, quasi mollibus ulnis terram complecti occupet, semper Do« mini præcepto cohibitum: et tantum singulis momentis audire ra« tum *Gen.* 1: *Congregentur aquæ in locum unum, et appareat arida.* « Et manet præcepti memor arena vinctum, nec præ vinctoris reve« rentia vincula violat, vocemque prophetæ ratam facit, Psalm. 103: « *Terminum posuisti, quem non transgredietur* ». — *Ad secundum* respondet S. Ambrosius, lib. 2. cap. 3. unam esse congregationem aquarum; *Eo quod,* inquit, *jugis unda atque continua pontico mari usque ad Gaditani oram littoris, et inde in mare rubrum, extremo circumfuso orbem terrarum includit Oceano; interius quoque Tyrrheno Adria, Adriæ cætera maria miscentur nominibus distincta: non fluctibus . . . . Ita et una est generalis collectio quæ dicitur mare, et multæ collectiones quæ maria pro regionibus nuncupantur.* Porro addit S. Basilius, pag. 52: *Fons origove totius humoris quaquaversum terram alluentis, aqua maris est. Hæc enim per occultos passim meatus sese dispertiens, velut declarant continentes littoralesve terræ hiulcis rimis latiores instar spon-

giarum et antris subterraneis differtæ, subter quas mare fluitans ac permeans per cuniculos fistulares et angustos, mox ubi obliquis, aut certe recta in sublime surrectio excursibus se occupatum deprehenderit, ab agitante compulsum spiritu, superficie terræ vi disrupta erumpit atque foras emicat, fitque potulentum, deposita per transcolationem sive distillationem amaritudine. — Ad tertium respondet pag. 48: *Tum receptacula earum aquarum capacia ab Opifice eam ad rem exceptandam adornata fuisse, quum in unam cœtionem cogendæ venirent et secernendæ. Neque enim erat jam mare illud quod trans Gades est exterum: non item vastum illud et nautis inaccessum et formidabile pelagus, quod Britannicam insulam, et occidentales Heros amplectitur: sed amplo tunc capacique conceptaculo præcepto Dei creato, ad illud aquarum copiæ concesserunt.* Ejus itaque sententia est hoc tertio die, Deum cavitates subterraneas, imo et in ipsa terræ superficie omnipotenti suo jussu fecisse, in quas ingens illa aquarum moles defluens; experientia quoque ipsa deprehensum est ingentem esse sub terra aquarum copiam, quæ proinde a multis dicitur Barathrum, vel abyssus, et per varios meatus cum Oceano conjungitur, videturque omnium fontium et fluminum matrix et origo. *Et quidem,* ait Seneca, lib. 3. *Quæst. Natural., ad nostrorum corporum exemplar in quibus et venæ sunt et arteria; illæ sanguinis, hæc spiritus receptacula. In terra quoque sunt alia itinera, per quæ aqua, et alia per quæ spiritus currit: adeoque illam ad similitudinem humanorum corporum natura formavit, ut Majores quoque nostri aquam appellaverint venas . . . . Ergo ut in corporibus nostris, sanguis, cum percussa vena est, tamdiu manat, donec omnis effluxit, aut donec venæ scissura subsedit, atque interclusit, vel aliqua alia causa, retro dedit sanguinem: ita in terra, solutis ac patefactis venis, rivus aut flumen effunditur.* — Præclare quoque rem istam explicat Eustatius Patriarcha Antiochenus et martyr, in *Hexaëmeron* circa init. Leone Allatio interprete: *Totius,* inquit, *humiditatis quæ in terra latet fons est et origo maris aqua, quæ cum universa terra cuniculosa sit, per meatus minime oculis obvios effunditur, ut ex locis quibusdam terræ cavernosis manifestum apparet. Fluidum namque mare per angusta loca excurrens, ubi obliquis et rectis exitibus cursum infexerit, vi flamineque ventorum terræ superficiem disrumpit, egressumque usu est efficaci ad potum, percolatum enim cribratumque dulcescit. Rursus si locis fervidis relinquatur, eadem ratione a vento in exitum ductum fervescit. Fons item est aquarum, quæ aërem occupant; illius enim aquæ per nubes attractæ, necnon a solis radiis calefactæ; mox nubis umbra frigefactæ, tandem ipsa altitudine cœlo expositæ dulcescunt, terramque guttis aspergunt.* — Hinc putant nonnulli voces latinas *concavo* et *concavitas,* elicitas esse ex hebræo vocabulo *Ikavu,* i. e. *congregentur,* quo hic utitur Moyses, oritur enim a radice *carah,* quæ tamen vox non ex cavare, sed expectare et sperare atque præstolari significat; unde moneamur aquas Dei jussum velut expectasse et audisse, ut eo imperante in destinatum sibi locum effluerent; tametsi verius arbitrer, vocem illam *Ikavu* derivatam esse a nomine *Ko* quod regulam, amuosim et perpendiculum significat, quasi dixerit Deus: congregentur aquæ ad unum certum locum, tamquam ad amuosim et perpendiculum, ultra quod non effluant. Hinc Vates regius

psalm. 104: *Terminum posuisti eis, quem non transgredientur, neque convertentur operire terram.* — « Idcirco, ait S. Basilius, homil. 4. « pag. 47., furens ventis sæpe numero mare, atque ad immensam al- « titudinem sese attollens vi fluctuum, ubi littora solum attigerit, eo « impetu mox in seipsam dissoluto retrolabitur. An me non timebitis, « dicit Dominus, qui posui arenam terminum maris? En mare, res « plane sua vi intoleranda, re tamen omnium invalidissima, nempe « arena frenatur ac coërcetur. Alioqui quid prohiberet mare rubrum « sua exundanti alluvie irrumpere in universam Ægyptum, quæ ipso « mari tanto est concavitate depressior, seque mari quod Ægypto adja- « cet, conjungere, nisi Creatoris præcepto tamquam compedibus astri- « ctum coërceretur? Etenim Ægyptus quod sit mari rubro humilior, « vel illi nobis reipsa persuasere, qui connixi sunt maria hæc; Ægy- « ptum, inquam, et Indicum cui permiscetur rubrum mare inter sese « committere et alterum alteri conjungere. Quamobrem desistere a « tanto conatu, Ægyptius ille Sesostris qui primus id est aggressus, « Darius item Medus qui secundum hæc voluit prosequi rem tantam, « et supremam operi admoliri manum ». — Idem habes apud Eusta- thium patriarcham Antiochenum in *Hexaëmeron*. " ✻

Petes: *Qualiter accipienda sint verba, quæ subdit Moyses*, Appa- reat arida, et vocavit Deus aridam terram, congregationesque aqua- rum appellavit maria? — **Respondeo**, terram, quæ mundi initio pro- ducta fuerat, et aquis operiebatur, fuisse pariter limosa quadam ma- teria superductam; unde opus fuit, ut recedentibus aquis, siccaretur, et aresceret; ut posset nempe habitari, seri, fructus ferre. Arida enim non idem est ac arenosa; sic enim ab arenarum congerie prorsus infœcunda foret: sed ita dicitur a siccitate superinducta post aquarum ab ejus superficie recessum. Mansit ergo terra aliquatenus exsiccata, non tamen omnimode; siquidem superfusa fuit illo humore dulci, qui eam aliquatenus humentem afficeret; tum ut fieret frugifera; tum ut quasi glutino partes ejus invicem necterentur; nec in pulverem, et arenam fatiscerent, et solverentur. Materiam autem illam exsicca- tam, et arentem Deus appellavit Terram; vel a verbo *terendo*, quod scilicet illa esset terenda hominum, et animalium pedibus; vel, ut inquit S. Bonaventura, *distinct.* 14. *par.* 2. *dubio* 1. dicitur terra quasi trita. *Prius enim*, inquit, *vocat eam aridam, et postea terram; quia primum nomen dicit proprietatem elementi, videlicet siccitatem; secun- dum vero nomen dicit ejus usum sive utilitatem, quam habet per com- mixtionem aquæ, ut posset coli, et fructificari. Similiter*, inquit, *di- cendum de aquis; appellantur enim maria, non quia amaritudo sit prima qualitas aquæ, sed quia consequitur aquam in sua congregatione propter grossitiem partium, quæ remanent, subtilioribus sursum ele- vatis, vel penetrantibus in terræ profundo, ex qua subtiliratione dul- cescunt.* An autem revera Deus hoc nomen terræ, et mari ipsemet indiderit, anve Adamo sexto die condito, ut utrumque sic appellaret inspiraverit, nihil certi resolvi potest.

Petes: *Quorsum Deus aquas sic in unum Oceanum, et mare col- lectas esse voluerit?* — **Respondeo**, id factum propter varias exinde

hominibus et Universo utilitates suboriendas, quas eleganter explicat S. Amb. *lib.* 2. *cap.* 5. his verbis: « Et si pulchra sit species ejus ele-« menti, inquit, vel cum surgentibus albescit cumulis ac vorticibus « undarum, et cautes nivea rotant aspergine, vel cum æquore cri-« spanti clementioribus auris, et blando serenæ tranquillitatis purpu-« rascentem præfert colorem, qui e minus spectantibus frequenter effun-« ditur, quando non violentis fluctibus vicina tundit littora; sed velut « pacificis ambit, et salutat amplexibus : quam dulcis sonus, quam « jucundus fragor, quam grata, et consona resultatio! Ego tamen non « oculis æstimatum creaturæ decorem arbitror; sed secundum ratio-« nem operationis judicio Operatoris convenire, et congruere defini-« tum. Bonum igitur mare; primum, quia terras necessario suffulcit « humore, quibus per venas quasdam occulte succum quemdam haud « inutilem subministrat. Bonum mare tanquam hospitium fluviorum, « fons imbrium, derivatio alluvionum, invectio commeatuum : quo sibi « distantes populi copulantur, quo præliorum removentur pericula, « quo barbaricus furor clauditur, subsidium in necessitatibus, refu-« gium in periculis, gratia in voluptatibus, salubritas valetudinis, se-« paratorum conjunctio, itineris compendium, transfugium laboran-« tium, subsidium vectigalium, sterilitatis alimentum, ex hoc pluvia « in terras transfunditur.... » Deinde aperiens qualiter mare quasdam subvehat insulas in quibus ii, qui se abdicant intemperantiæ sæcularis illecebris, eligunt latere, et vitæ hujus declinare dubios anfractus, concludit: « Mare est ergo secretum temperantiæ, exercitium conti-« nentiæ, gravitatis secessus, portus securitatis, tranquillitas sæculi, « mundi hujus sobrietas, tum fidelibus viris atque devotis incentivum « devotionis, ut cum undarum leniter alluentium sono certent cantus « psallentium, plaudunt insulæ tranquillo motu fluctuum, Sanctorum « chori hymnis personent ».

Quæres denique. — *Qualiter terra hoc ipso tertio die herbam virentem dicatur germinasse?*

Respondeo, verisimilius esse, terram non active, et efficienter producendo, sed tantum passive, et materiam subministrando ad herbarum, et arborum formationem hoc ipso die concurrisse; neque enim potuit terra sua nativa virtute ad tot, tamque diversas plantarum, et arborum species hoc modico tempore active concurrere. *Adde* quod terra nullam plantarum edere possit, nisi vel suscepto semine, vel germine fœcundante. Nam, ut observat S. Ambrosius lib. 3. cap. 8, *In omnibus quæ dicuntur nascentia terræ, primum germen est: ubi se paululum sustulerit, fit herba, postea fœnum, inde fit fructus.... Aliis ergo a semine, aliis a radice, aliis diverso munere series successionis acquiritur. Inest enim nascentibus singulis aut semen, aut virtus aliqua seminaria; et ea secundum genus; aut quod nascitur ex ea, simile eorum quæ sata sunt, vel quorum de radice sit germinet.... Continuo igitur parturiens terra novos se fudit in partus, et induit se amictum viriditatis, gratiam fœcunditatis assumpsit, diversisque compta germinibus proprios suscepit ornatus.* — Quod autem hanc properam fœcunditatem non nativa sua virtute, sed divino solum agente auxilio fuerit adepta, ex eo probat, quod terra in nullius plantæ propaginem valeat

erumpere, nisi diuturno succedente tempore, quo semen suscipitur, atteritur, veluti quadam sui morte resolvitur, ut in uberiores fructus resurgat, quod utique sic eleganter aperit: *Suscipit igitur granum tritici putris gleba, et sparsum cohibet occisio, ac velut materno terra gremio fovet, et comprimit. Inde cum se granum illud resolverit, herbam germinat, grata ipsa jam species herbescentis viriditatis, quæ statim genus satum similitudine sui prodit: ut in ipso suæ stirpis exordio, cujus generis herba sit recognoscas; atque in herbis fructus appareat: paulatimque adolescit ut fœnum, culmoque pubescens erigitur, et assurgit. Ast ubi se geniculata jam spica sustulerit, raginæ quædam futuræ frugi parantur, in quibus granum formatur interius, ne tenera ejus primordia aut frigus lædat, aut Solis æstus exurat, aut ventorum inclementia, vel imbrium vis sæva decutiat. Succedunt quidam ordines spicæ mirabili arte formati, vel ad speciem grati, vel ad tutamen nexu quodam inter se naturalis colligationis adstricti, quam providentia divina formavit; et ne frugis numerosioris pondere velut quædam cedat fultura culmorum, vaginis quibusdam ipse culmus, ut geminatis viribus frugem possit multiplicem sustinere, ne impar oneri curvetur in terram. Tum supra ipsam spicam vallum struitur aristarum, ut quasi quadam in arce prætendat, ne avium minorum morsibus, suis exuatur fructibus, aut vestigiis proteratur. Quid dicam quemadmodum clementia Dei humanæ prospexerit utilitati? Fœneratum terra restituit, quod accepit, et usurarum cumulo multiplicatum homines sæpe decipiunt, et ipsa fœneratorem suum sorte defraudant: Terra fidelis manet, etsi quando non solverit, forte adversata fuerit frigoris inclementia, aut nimia siccitas, aut immensa vis imbrium, alio annorum superioris anni damna compensat: Ita ut quando proventus spem destituit agricolæ, nihil terra delinquat: et quando arridet ubertas fœcundæ matris se in partus effundat, ut numquam ullum dispendium suo inferat creditori. Quæ vero species pleni agri? qui odor? quæ suavitas? quæ voluptas agricolarum? qui digne explicare possumus, si nostro utamur alloquio? sed habemus Scripturæ testimonia, quibus agri suavitatem benedictioni, et gratiæ Sanctorum advertimus comparatam, dicente sancto Isaac:* Odor filii mei sicut odor agri pleni. *Quid describam purpura, scentes violas, candida lilia, rutilantes rosas, depicta rura nunc aureis, nunc variis, nunc luteis floribus, in quibus nescias utrum species amplius florum, an vis odoris delectet? Pascuntur oculi grato spectaculo, longe lateque odor spargitur, cujus suavitate complemur.*

DISPUTATIO QUARTA.

DE OPERE QUARTÆ DIEI.

Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento Cœli, et dividant diem ac noctem, et sint in signa, et tempora, et dies, et annos; ut luceant in firmamento Cœli, et illuminent terram. Et factum est ita. Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut præesset diei, et luminare minus, ut præesset nocti, et stellas, etc. Quas omnes velut lucidissimas gemmas, cælestibus annulis, sive orbibus, miro ordine, et venustate inseruit. Circa quæ verba exponenda, hic pauca dicenda nobis supersunt, quoniam de Astrorum natura, motu, et influxu copiose disputavimus in Physica nostra. Quocirca hic paucula sunt animadvertenda.

Quæres I. — *Cur tantum quarto mundi orientis die, Deus, Solem, Lunam, et Astra formaverit?*

Respondeo, id sapienti quidem consilio divinaque prorsus ordinatione actum fuisse, ne videlicet ansa daretur suspicandi Solem, et Astra aliquid ad primævam plantarum germinationem contulisse, indeque foret hominibus occasio ea veluti numina colendi. Hinc tantum die mundi quarto Solem imprimis ac Lunam molitus est Deus, ut dierum ac noctium intervalla sciremus sine Sole posse constare ; et herbas atque stirpes solo jussu Creatoris, nullo adhibito illius officio, oriri ab humo potuisse ; atque ita mirari nimium illa desinerent homines ; aut numen aliquod eis affingerent, quod aliquando futurum Deus certo prævidebat. Etenim, non Gentiles modo, sed Judæos etiam prolapsos esse in hujusmodi errorem, satis indicant crebræ quæ apud Prophetas leguntur increpationes adversus Judæos, Solem orientem adorantes, et Lunæ tamquam Reginæ Cæli sacrificantes, omnemque militiam Cæli venerantes : a quo impietatis scelere Job se purum, ac liberum fuisse gaudens, et lætabundus *cap.* 31. ajebat: *Si vidi Solem cum fulgeret, et Lunam incedentem clare, et lætatum est in abscondito cor meum, et osculatus sum manum meam ore meo : quæ est iniquitas maxima, et negatio contra Deum altissimum.* Unde Moyses *Deuteronomii cap.* 4. adversus hunc errorem Hebræos prædocebat dicens : *Nec forte elevatis oculis ad Cœlum videas Solem, et Lunam ; et omnia astra Cœli, et errore deceptus adores ea, et colas, quæ creavit Dominus Deus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub Cœlo sunt.* — Nec solum apud Judæos, et Ethnicos ille nefarius Solis, et Astrorum cultus viguit ; imo etiam et apud Christianos, ut testatur sanctus Leo *homilia* 7. *De Nativitate Christi*, ubi plures sui temporis apud Christianos errores referens, et refellens, inter cetera ait : *Adduntur et illi qui totam humanæ vitæ conditionem de Stellarum pendere effectibus mentiuntur, et quod est, aut divinæ voluntatis, aut nostræ, indeclinabilium dicunt esse Deorum, quæ tamen ut cumulatius noceant, spondent posse mutari, si illis, quæ adversantur sideribus supplicetur. Unde commentum ipsum sua ratione destruitur, quia si prædicta non permanent, non sunt astra veneranda. De talibus institutis etiam illa generatur impietas, ut Sol inchoatione diurnæ lucis exurgens, a quibusdam insipientioribus, de locis eminentioribus adoretur ! quod nonnulli etiam adeo se religiose facere putant, ut priusquam ad beati Petri Apostoli Basilicam (quæ uni vero Deo, et vivo est dedicata) perveniant, superatis gradibus, quibus ad suggestum areæ superioris ascenditur, converso corpore ad nascentem se Solem reflectant, et curvatis cervicibus, in honorem se splendidi orbis inclinent, quod fieri partim ignorantiæ vitio, partim paganitatis spiritu multum tabescimus, et dolemus.* — ✻ " Itaque quod lucis et stirpium elementorumque productio solis et lunæ, aliorumque siderum formationem antecesserit, non temere nec fortuito accidit, sed prudenti divinæ Sapientiæ consilio. Cum enim nobis nihil sit magis proclive quam Dei potentiam alligare et tribuere creaturis quarum ministerio utitur in suis operibus constituendis ; inde est quod sicut lucem sol et luna nobis administrant, vim istam sic in illis includimus nostra opinione, ut si tollantur e mundo, lux

12338

nulla restare posse videatur. Ergo Dominus ipso creationis ordine, lucem se in manu habere testatur, quam nobis largiri possit absque sole et luna. Quocirca in " ✳ molitione mundi, Solem, Lunam, et Astra prima omnium creare Deus noluit, ut cum homines memoria repeterent, et animo revolverent mundi primordia, scirentque lucem, et stirpes, et elementa ante sidera fuisse edita, non Astris, sed Deo beneficia, quæ ex Astrorum influxu percipiunt, tribuenda esse, et gratias agendas intelligerent.

QUÆRES II. — *Unde facta sint sidera?*

RESPONDEO, hanc fuisse quorumdam Hebræorum sententiam, quod sidera primo die mundi creata fuerint, et quarto demum affixa Cælo, atque suspensa. Quod inter alios docet in commentario suo Rabbi Salomon, quibus adstipulantur nonnulli Christiani, maxime Cajetanus, et Catharinus. Proindeque censent Astra simul cum Terra et Cælo a Deo fuisse creata; nec proinde ex aliqua præsupposita materia edita. *Verum* hæc sententia cum Moysis narratione minime quadrat: scribit enim primo die lucem esse productam una cum Cælo et Terra, nihil addit operis amplius; quarto deinde die luminaria magna, et minora Deo imperante facta fuisse pronuntiat; non igitur ante diem hunc exstiterant. — Sunt qui putent sidera extra Cælum edita fuisse, et in eum postmodum veluti radiantes gemmas ipsi divina manu rerum omnium artifice fuisse affixa; ut indicare videtur Moyses his verbis: *Et fecit luminaria duo, et posuit ea in Firmamento:* ✳ " quæ exponens Basilius Seleuciensis orat. 1. dicit astra cælo veluti flores splendidos divina manu fuisse constituta, *ad hæc*, inquit, *astrorum in cælo infigit lumina, et firmamentum luminosis floribus conserit, eorum in gratiam et usum conducentibus qui in terris agunt.* Ei concinit Claudius Marius Victor. lib. 1. *In Genes.*

Astraque distinctis cœlum pingentia zonis
Floribus ætherei varios vibrare colores.

Adstipulatur etiam Severianus Gabalorum episcopus, orat. 3. *De mundi creatione*, ubi sermonem faciens de formatione siderum et inquirens *ubinam Deus luminaria condiderit?* Respondet: *Videtur extra cœlum condidisse, ac tum superius ea fixisse ac collocasse. Velut artifex, posteaquam tabellam absolvit, eam parieti affigit: ita Deus primo luminaria extra cœlum condidit, ac tum in superioribus velut artifex affixit, ut testatur Scriptura: Et fecit duo luminaria, et posuit ea in cœlo.* " ✳ — Nonnulli censent cum Theodoreto, Astra ex illa luce primigenia, quæ nempe tres mundi priores natales dies illustraverat, formata fuisse. Hinc S. Maximus *in scholiis ad cap. 4. S. Dionysii De divinis nominibus*, ait, Solem nihil aliud esse quam lucem... et primogeniam illam lucem, quæ primo die creata est, quarto demum in Solem esse transformatam. Ejusdem sententiæ videtur fuisse S. Basilius; nam *homilia* 6. ait, prima die naturam lucis ipsam esse conditam, quarta vero solare corpus, illud quod primigeniæ lucis illius vehiculum foret, esse constitutum. — *Verum* probabilius dicendum arbitror sidera ex aliqua Cælorum parte [illegible] Deus hoc die quarto partem unam Cælorum purificaret, et condensaret aliam,

EX LIBRIS PROVINCIALIBUS PRO STUDIO THEOL. S.S. CORDIS [illegible]

in eamque ita condensatam, expulsa Cælorum forma, novam formam Solis, Lunæ, ac Stellarum induxit.

Petes: *cur Moyses hic tantum Solis, et Lunæ, non itidem aliorum quinque Planetarum hoc loco meminerit?* — **Respondeo,** id forte factum, quoniam in commemoratione Solis et Lunæ tamquam nobis notiorum, ceteros planetas intelligi voluit, vel ex eo quod eos stellarum generali vocabulo comprehenderit, quia nonnisi stellarum instar apparent, et fulgere videntur; vel denique quia nonnisi doctis hominibus eorum Planetarum proprius motus, effectus, usus, et differentia a ceteris astris nota est; cum autem mundi Genesim rudiori populo scriberet, ea solum indicavit quæ sensibus, et oculis deprehendi poterant.

✻ "Quæres III. — *Qua ratione Moyses scripserit solem et lunam esse luminaria magna, cum astrologicis rationibus constet, Saturni sidus, quod omnium minimum propter nimiam distantiam apparet, lunari esse majus?*

Respondeo, id non ex imperitia scripsisse Moysem, sed juxta captum et sensum popularem Israëlitarum, in quorum gratiam litteris consignabat mundi Genesim et fabricam. Cum enim non minus indoctis et rudibus quam doctis ordinatus esset magister, non aliter potuit suas partes implere, quam si se demitteret ad vulgarem istam rationem. Si de rebus vulgo ignotis locutus foret, causari poterant idiotæ altiora hæc esse captu suo. Denique cum hic Spiritus Dei promiscuam omnibus scholam aperiat, non mirum est si ea maxime deligat, quæ possint ab omnibus intelligi. Si astrologus veras siderum dimensiones quærat, revera lunam reperiet Saturno minorem. Verum id est reconditum: oculis enim aliud apparet. Ergo Moyses ad usum potius se convertit. Nam cum Dominus manum quodammodo ad nos usque porrigat, dum facit ut solis et lunæ splendore fruamur: quantæ ingratitudinis foret ad ipsam experientiam ultro connivere? Non est igitur quod Moysis imperitiam videant arguti homines, quia lunam facit secundum luminare: neque enim nos in cælum evocat, sed tantum proponit quæ ante oculos patent. Habeant sibi astrologi altiorem notitiam; interea quia lunæ percipiunt nocturnum splendorem, coarguuntur ipso usu perversæ ingratitudinis, nisi Dei beneficentiam agnoscant." ✻

Quæres IV. — *Quid significetur his verbis:* Fiant luminaria in firmamento Cæli, et dividant diem, ac noctem, et sint in signa, et tempora?

Respondeo 1. Non hunc esse sensum, quod ista luminaria sua luce noctem, ac diem efficiant; non enim Luna suo lumine noctem instituit; sicut Sol diem; nihil siquidem magis nocti repugnans, quam lux; sed quod Sol utrumque efficiat, diem sua præsentia, noctem absentia. Sensus ergo est *dividant,* hoc est *divisim luceant;* Sol quidem diu, Luna vero, et Stellæ noctu. — Additur autem, *ut sint signa:* non quidem prognostica Astrologiæ judiciariæ, non enim de signis eventuum humanorum, et a libertate pendentium hic est sermo, ut arbitrantur Astrologi judiciarii, quos fuse, et ut reor, efficaciter impugnavi in Physica, *disp. De astris* § 15. *et sequentibus;* sed ut recte docet

Philo *lib. De mundi opificio,* signa sunt ex quibus conjecturam facere licet: *Primo* quidem pluviæ, serenitatis, gelu, ventorum, etc. *Secundo* sint in signa serendi, plantandi, metendi, navigandi, vindemiandi, medendi, etc. *Tertio* et proprie, sint in signa temporum, nempe dierum, mensium, et annorum: annus enim describitur uno solis cursu, unaque gyratione per zodiacum: duodecim vero lunationibus, dum videlicet Luna duodecies zodiacum percurrit. Sunt pariter signa ad quatuor mundi tempestates determinandas; nempe ver, æstatem, autumnum, hiemen efficiendas. Item ad tempora sicca, calida, humida, procellosa, serena, salubria, morbida præsignanda. *Similiter* sunt in signa Festorum, Neomeniorum, Sabbatorum, et eorum omnium, quæ vel ad religionem, vel ad statum politicum spectant: quorum omnium vicissitudines ex Solis et Lunæ motu ordinantur ac definiuntur. *Vel denique,* ut inquit S. Augustinus *libro imperfecto De Genesi ad litteram c.* 13, illa duo Astra sunt in signa, et tempora, idest, discriminant tempora; *Quæ,* inquit, *intervallorum distinctione æternitatem incommutabilem supra se manere significant, ut signum, idest, quasi vestigium æternitatis appareat.* — Addit denique S. Bonaventura, quod cum futura sint in triplici differentia; quædam a causa naturali procedentia, quædam a libero hominis arbitrio provenientia, et quædam a voluntate divina proficiscentia, tripliciter dici possunt illa duo luminaria esse in signa: nempe vel effectuum naturalium, vel actuum liberi arbitrii, vel denique operum Dei futurorum. « Licet autem priorum non pos-« sint esse signa certa, utpote naturalia, tamen operum secundi or-« dinis omnino sunt incerta signa; tertii vero ordinis possunt esse « signa partim certa, partim incerta: certa quidem ex prædictione « et institutione divina, quia, inquit Christus Dominus circa ultimos « et finales mundi dies, *Erunt signa in Sole, et Luna, et Stellis,* quæ « nempe brevi futurum mundi exitium, ac generale judicium præsi-« gnabunt: partim vero incerta, » nempe quantum ad cognitionem hominis, dicente ipsomet Christo Domino, quia *non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.*

Quæres denique. — *Quo sensu Sol, et Luna dicantur duo luminaria magna?*

Respondeo, varias hac de re fuisse veterum Philosophorum sententias, quas refert Plutarchus *lib.* 2. *De placitis Philosophorum cap.* 21. Anaximander enim axem Solis æqualem facit terræ; Hierarchus latitudinis pedalis. Epicurus tantam esse dicit, quanta apparet, etc. *Verum* aniles nugæ sunt: nam certis Mathematicorum demonstrationibus constat, astrum Solis, totum terrarum orbem aqua circumdatum centies, et sexagesies sexies excedere, illudque a terra distare quatuor millionibus milliarium; unde sequitur esse tantam peripheriam, et vastitatem orbis solaris, ut sol viginti quatuor horis suum circulum peragens, una hora, unum millionem, et centum quadraginta millia milliarium percurrat, quod tantumdem est, ac si terræ ambitum, et gyrum circumcurreret quinquagies: ambitus enim convexi Cæli solaris continet viginti septem milliones, et trecenta sexaginta milliarium, quæ si in viginti quatuor horas dividas, præfatum numerum, imo et paulo ampliorem invenies. — Quantum autem ad Lunam docuit S. Basilius

Homilia 6. *et Ambr. lib.* 1. *c.* 6. *et* 7. ipsam cæteris astris pariter esse longe ampliorem, quibus subscribere videtur S. Augustinus *lib.* 2. *De Genesi ad litteram cap.* 16. ubi dicit: *Certe vel hoc concedant oculis nostris, ut eam manifestum sit amplius cæteris lucere super terram, nec diem clarescere nisi luce solis, nec noctem tot stellis apparentibus ita lucere, si luna desit, quemadmodum præsentia ejus illustratur.* Verum S. Augustinus potius de lumine Lunæ, quam de magnitudine loquitur. Unde merito Mathematici docent omnes prorsus stellas, et planetas esse Luna majores, uno excepto Mercurio, quippe qui trecies novies minor est terra; nulla autem est stella in firmamento, quæ non decies octies major sit toto globo terræ; stellarum autem errantium diversæ quidem sunt magnitudines, omnes tamen terram excedunt; tribus exceptis; Venere, Luna, Mercurio; nam terra major est astro Veneris trigesies septies, astro vero Lunæ trigesies novies; astro autem Mercurii multo amplius. Itaque Luna dicitur magnum luminare, non quidem amplitudine sui axis: sed ratione majoris illuminationis, et mirabilis efficaciæ, qua pollet in hæc interiora. Nam, inquit, S. Ambrosius lib. 4. cap. 7. *Luna id in se induit ministerium, in quod et ejus frater (Sol) ut illuminet tenebras, foveat semina, augeat fructus. Habet etiam pleraque a fratre distincta, ut quem toto die calor humorem terræ exsiccat, eumdem exiguo noctis tempore ros reponat: nam et ipsa Luna larga roris asseritur. Tum deinde minuitur, et augetur, ut minor sit, cum resurget et nova, et cum sit imminuta cumuletur. In quo grande mysterium, nam et defectui ejus compatiuntur elementa, et processu ejus, quæ fuerint exinanita, cumulantur. Ut animantium cerebra, et maritimorum humida: siquidem pleniores ostreæ reperiri feruntur, multaque alia cùm globus Lunaris adolescit.*

DISPUTATIO QUINTA.

DE OPERE QUINTÆ DIEI.

Quinta dies geminatum divinæ artis opificium protulit piscium, ac volucrum genera: quod utique Moyses *versu* 20. 21. 22. et 23. expressit his verbis: *Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile super terram sub firmamento Cœli. Creavitque Deus cete grandia, et omnem animam viventem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, et omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum, benedixitque eis dicens: Crescite et multiplicamini, et replete aquas maris, avesque multiplicentur super terram, et factum est vespere, et mane dies quintus.* Circa quæ verba nonnulla occurrunt discutienda.

Quæres 1. — *An Aves ex aqua, sicut et Pisces, formatæ fuerint.*

Affirmo: id enim indicat Moysis narratio, consentiuntque melioris notæ e sanctis Patribus: e quibus Basilius *homil.* 8. ubi eamdem proponens quæstionem: *Quare*, inquit, *ex aquis etiam volucribus originem dedit?* Respondet, quoniam velut cognatio quædam est avium cum piscibus: etenim quemadmodum pisces aquam secant pinnarum agitatione progredientes, caudæ vero mutatione flexuosos, et rectos motus, et impetus sibi gubernantes: sic idem et in volucribus licet cernere,

quæ per aërem pennis similiter natant. Idipsum docet Ecclesia, quæ in Hymno vesperarum feriæ quintæ ita canit:

Magnæ Deus potentiæ,
Qui fertili natos aqua,
Partim relinquis gurgiti,
Partim levas in aëra;
Demersa lymphis imprimens
Subvecta Cœlis erigens
Ut stirpe ab una prodita
Diversa repleant loca.

Quam utique sententiam confirmat, et probat idem S. Ambrosius *lib.* 5. *in Hexaëmeron cap.* 14. ex varia cognatione, quam aves cum piscibus habent; *Prima enim,* inquit, *cognatio videtur avibus esse cum piscibus, quoniam natandi communia quædam videntur utrique generi esse consortia. Secunda quoque cognatio omnibus avibus, et piscibus est, eo quod volandi usus species sit natandi: sicut enim aquam natando piscis incidit, ita avis aërem volatu celeri secat. Tertio, utrique generi similiter cauda suppetit, alarumque remigium, ut pisces ad priora se alis subrigant, atque ad ulteriora procedant: caudæ quoque gubernaculo, vel quo velint se facile convertant, vel impetu quodam e regione iter suum dirigant? Quarto, aves quoque aëri volatilibus suis velut aquis innatant, et quasi quædam extendunt brachia, cauda quoque se, vel ad superiora subrigunt, vel ad inferiora demergunt. Unde quoniam in nonnullis idem usus, et species, ideo de aquis utriusque generis nativitas divina præceptione processit.* Hæc Ambrosius. ✻ " Ei concinit Severianus Gabalitanus orat. 4. *De mundi creatione: Reptilia,* inquit, *pisces vocat quod repant potius quam incedant. Unde et beatus David Legislatoris vestigia premens, ait: hoc mare magnum et spatiosum manibus illic reptilia quorum non est numerus.* Deinde eadem verba moraliter expendens, hæc subjicit: « Quod igitur primam vitam aquarum « regeneratione mundo præbiturus erat, primis aquis jubet ut vitalis se« minis naturam edant, ut noveris unde radix vitæ existat. Ego sane « cum eos qui illuminantur ex sanctis aquis exeuntes video, ingressos « quidem in baptisma cum multis malis, quasi reptilia, sed qui ex« tant æterna fulti vita, Legislatorem video dicentem: *Educant aquæ* « pridem quidem reptilia, nunc vero *animam viventem.* Unde id ma« nifestum fiat? Quod nimirum ad lavacrum accedunt ob priora de« licta reptilium nomen habeant. Exierunt longe plurimi ad baptisma « Joannis. Ait illis qui exierant: *Serpentes, genimina viperarum, quis* « *vobis ostendit fugere ab ira ventura?* Cum intraverit anima bapti« smate intingenda, multis jam annis vitio assueta, exieritque ea po« sita sarcina, vide num rebus ipsis Dominica vox splendeat, quæ « ait: *Educant aquæ reptilia animarum viventium, et volatilia volantia?* « Duplicem enim recipit gratiam, qui salute donatur: nempe tum animo « vivificatur, tum in volatilium censum admittitur, qui cælorum jam « aspides tenens cum Angelis, parique illis municipio versetur, et cum « cælesti ordine illi socius collætetur. » Hæc ille. — Ipsi præiverat Tertullianus, lib. *De Bap.* cap. 3: *Primis aquis,* ait, *præceptum est animas proferre: primus liquor quod viveret edidit, ne mirum sit in Baptismo*

si aquæ animare norerunt. Hinc de Quintilla conquestus quod homines a Baptismo revocaret dixerat antea, *optime norat pisciculos necare de aqua auferens.* " * — Addit Pererius, magnam inter pisces et aves esse similitudinem et cognationem, sive spectes utrorumque locum naturalem, hoc est, aquam et aërem; ambo enim sunt corpora diaphana, humida, agitabilia, quæ facile cedunt: aër item plenus est humore aqueo, et in aquam promptissime mutabilis. Sive consideres utriusque generis animantium conformationem corporis, utrique enim inest levitas et agilitas, magna est similitudo inter pinnas piscium et alas avium, inter horum plumas et squamas illorum: utraque carent auribus, et per meatus quosdam aurium officio funguntur. Hinc aves non habent vessicam, ne volatum impediret, nec mammas, nec lac, sicut tradit Aristoteles *lib.* 3. *De Historia animalium c.* 20; denique multa genera avium sunt aquatilia ut Cyeni, Anseres, Fulicæ, Mergi, Grues, Anates, Alciones; quæ in aquis potius, quam in aëre versari videntur. — *Censet tamen* S. Augustinus *lib.* 3. *De Genesi ad litteram c.* 3. ea ratione aves ex aqua dici formatas, quod nempe prodierint ex vapore aqueo simul, et terreno per aërem in sublime evecto; ita quod hic aquæ vocabulum, etiam aërem, vel nebulam significet de aqua maxime compactam, unde cum dixisset: *Utrumque hoc animantium genus ex aquis productum esse narratur:* concludit: *Quidquid ergo aquarum, sive labiliter undosum et fluidum est, sive vaporabiliter tenuatum atque suspensum, ut illud reptilibus animarum rivarum, hoc volatilibus appareat distributum; utrumque tamen humidæ naturæ deputatur.* Docet igitur propterea factas esse aves ex aqua, propter earum cognationem maximam, propterque summam similitudinem aëris cum aqua superius expressam. Censerem ergo cum S. Augustino, aves non esse formatas ex ea aqua densa, quæ per terram labitur, in eaque continetur, ex qua prodierunt pisces; sed ex aqua in vapores tenuata, et in nubes conformata, quæ in inferiorem aëris regionem, in qua aves volitant, ascendit, et obsidet.

Dices: Moyses *secundo cap. Genesis versu* 19. sufficienter indicat aves formatas ex terra, ait enim: *Formatis igitur de humo cunctis animantibus terræ, et universis volatilibus Cœli, etc.* Deinde hoc ipsum indicat hic Hebraicus textus, nam ubi legimus in Vulgata: *Producant aquæ reptile viventis, et volatile:* Cajetanus more suo Hebræis addictus, vulgatum Interpretem castigans ex Hebraico textu ait, solum colligi aves hic volare esse jussas; fert enim ad verbum: *producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile volet super terram:* quibus apparet Moysem hoc loco non tradere aves ex aquis esse productas: quinimo eas ex terra esse factas indicat *supra c.* 2, hic autem eas per aëra volare divino præcepto jussas: ergo ex aqua non prodierunt. — **Nego consequentiam**, et ad objectionem dico eis verbis Moysem non indicare, aves ex terra productas, sed tantum quod fuerint a Deo formatæ. Unde illa conjunctio, *et*, non nectitur cum illis vocabulis *de humo*, quasi esset sensus; formatis ex humo tam animantibus terrestribus, quam volatilibus; sed tantum refertur ad participium passivum *formatis;* quasi diceret Moyses: formatis ex humo animantibus terrestribus, et formatis etiam volucribus, idest, postquam hæc duo genera animantium Deus creaverat, adduxit ea ad Adam, ut videret quid

vocaret ea. *Ad secundam vero rationem dico*, ex ea pariter nihil evinci; in textu namque Hebraico est elipsis relativi pronominis, quasi diceret: Et volatile quod volet, quod utique pronomen, clarioris significationis gratia Græci, et Latini suppleverunt, quo etiam Thargum Onkelos habet, ita scribens: *Et volatile quod volet super terram.* Nec dicas avium corpora esse mixta ex quatuor elementis, adeoque non ex aqua sola prodiisse: nam si quid hæc ratio evinceret, etiam suaderet hominem non esse de terra procreatum, neque terram, aut aquam ex nihilo.

Quæres II. — *Cur pisces proprio nomine non expresserit Moyses, sed ea reptilia dixerit his verbis:* Producant aquæ reptile?

Respondet *Seraphicus Doctor dist.* 15. *dubio primo,* ubi distinguit motum reptandi a motu gradiendi; *Animal omne,* inquit, *quod movetur, aut movetur impellendo se in anteriora, idque facit, vel pedibus, et est gressile: vel alis, et est volatile: Aut movetur seipsum trahendo antrorsum, idque fieri potest quatuor modis; vel ut trahat se ri oris sicut vermis: vel ri costarum et ventris sicut serpentes: vel ri pinnularum ut pisces: vel denique dicuntur repere, non proprie, sicut lacertæ, et stelliones, quæ quamvis partes habeant exiguas tamen habent, et parum se attollunt humo, magnamque partem corporis dum moventur applicant terræ; quocirca etiam ista repere dicuntur: et sic secundum diversas acceptiones, reptile potest pertinere ad ornandum universa elementa.* — Addo ex Hugone a sancto Victore, annotatione in Genesim cap. 7, quod reptilium tria sunt genera, nempe trahentia, serpentia, et repentia. Trahentia sunt vermes, qui primo terram sugentes ore sese postea trahunt. Serpentia, sunt serpentes, qui extra cutem pedes non habent, sed intra habent costas, quibus innitentes toti simul feruntur. Repentia, qui extra cutem pedes habent, ut botracæ, lacertæ, stelliones. Itaque nomine reptilis, hic Moyses maxime pisces significavit, ut nempe denotaret, quod quemadmodum serpentes pedibus carentes supra pectus in terra rependo moventur, ita pisces in mari quasi abrependo natant; unde vocantur reptilia, quia nempe ventre aquis incubant, quasi repentes et remigantes. Quamvis autem nonnulla sint animantia in aquis degentia, quæ pedes habent, puta lutres, fibri, hippopotami; his tamen quamdiu sunt in aquis non gradiuntur, sed ad natandum eis utuntur pro remigio. — Addit Moyses: *reptile animæ viventis:* quia, inquit Seraphicus Doctor, *vita maxime in piscibus, et volatilibus hoc die apparuit; nempe per sensum, et motum: ideo anima vivens appellatur quæ vivit vita manifesta, qualis est quæ dat corpori motum, et sensum: talis autem non est in plantis, sed in animalibus: et ideo ad differentiam plantarum dicit:* producant aquæ reptile animæ viventis, *quasi in plantis sit anima vivens, et in animalibus sit anima vivens, quia hæc moventur, et sentiunt, illa vero minime.*

Quæres III. — *Quid significare voluerit Moyses per* Cete grandia?

Respondent sacri Interpretes vocem illam *Cete* significare dracones, et omnia ingentia animalia, tam terrestria quam aquatica; uti sunt balenæ, quæ quasi dracones aquatici videntur. Hinc *Psalm.* 143. in-

gentes pisces *dracones* appellantur his verbis: *Dracones et omnes abyssi.* Et Ezech. 32. *De Pharaone Rege Ægypti loquens* ait: *Draconi qui est in mari assimilatus es.* Et c. 29. *Ecce ego ad te, Pharao Rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum.* Non igitur per *Cete* una aliqua species piscium intelligitur, sed omnes grandioris formæ, et vastioris corporis pisces. Meminit autem potissimum Draconum, seu Cetorum Moyses, ut nempe præcaveret errorem Philosophorum existimantium ejusmodi animalia non esse facta ex consilio, et proposito Dei, sed per accidens, tamquam ex necessitate materiæ: vel ut designaret, quod cum Deus ingentium maris bestiarum sit conditor, multo facilius credendus est artifex minimarum bestiarum. Licet autem quidam existiment idcirco Moysem vocasse Cete grandia, nec eamdem appellationem animalibus terrenis indidisse, quod longe grandiora sint aquatica quam terrena; Balenæ namque ut Basil. et Theodoret. ajunt, prodigiosam, et vix credibilem corporis molem habent; et cum super aquas dorsum efferunt, ingentis insulæ speciem exhibent. Plinius *lib.* 9. *c.* 30. scribit balenas maris Indici quaternum jugerum esse: Pristes autem ducenum cubitorum: Anguillas vero in Gange trecenum pedum: et *lib.* 32. *cap. citat.* Jubam Regem Mauritaniæ, qui in voluminibus ad Cajum Cæsarem Augusti filium scriptis tradit, Cetos sexcentorum pedum longitudinis, et trecentorum sexaginta latitudinis in Arabicum flumen intrare. — Verum, ut observat Pererius, non minoris magnitudinis videntur animalia terrena quam aquatica: nam *lib.* 9. *cap.* 12. 13. *et* 14. scribit Plinius dracones indicos tantæ magnitudinis esse, ut maximos Elephantes circumplexu facile ambiant, nexuque nodi perstringant: Æthiopicos autem vicenum esse cubitorum, serpentes autem indicos in tantam magnitudinem adolescere solitos, ut hauriant cervos: narrat etiam Ælianus *lib.* 15. *Historiæ animalium c.* 21. quod cum Alexander bellum adversus Indos gereret, accidit, ut intra antrum grande ab incolis audierit esse serpentem ingentissimum, qui septuaginta cubitis longus existimabatur, et veluti divinum quid colebatur; qui cum caput ex antro emisisset, ejus oculi ad magni clypei Macedonici magnitudinem accessisse visi sunt; quod ita Alexandri exercitum exterruit, et perturbavit, ut nisi continuisset Imperator, omnes in fugam abiissent. — Nihilominus dicendum arbitror, longe grandiora in aquis quam in terris esse animalia; id siquidem et veterum historia, et hodierna etiam confirmat experientia. *Adde* quod maxime ad eam proceritatem efformandam conferat aqueus humor, nam, ut testatur Aristoteles *lib.* 3. *De generatione animalium*, *c.* 11. humor naturam habet ad effingendum efformandumque habiliorem quam terra. Quibus consentaneum scribit Plinius *lib.* 9. *cap.* 2. ubi cum dixisset, quæ sunt in aquis, et plura, et majora esse terrestribus, subdit; *Causa*, inquit, *evidens est, humoris luxuria; pleraque etiam monstrifica reperiuntur, perplexis, et in semet aliter atque aliter, nunc flatu, nunc fluctu convolutis seminibus atque principiis: ut vera fiat vulgi opinio, quidquid nascatur in parte naturæ ulla et in mari esse, præterquam multa quæ nusquam alibi.* Quibus consona sunt quæ David cecinit in Psalmo 103. *Hoc mare magnum, et spatiosum manibus: illic reptilia quorum non est numerus.* — ✻ " Subjicit Moyses quod cum Deus probasset animantium productionem, eis benedixit dicens:

crescite et multiplicamini. Quæ verba expendens Severianus Gabalitanus, *Orat. 4. De creatione mundi* : « Quid causæ est, *inquit*, cur « quando fecit stellas non benedixit? Cur cum solem et lunam fecit, « non benedixit? Cur cum herbas et stirpes atque arbores fecit, non « benedixit? Alia benedicit, alia non benedicit. Quæ causa sit hujus « discriminis, adverte. Stellæ quotquot a principio factæ sunt, tot et « perseverant, nullique earum vel numero, vel magnitudine fieri po- « test accessio. Puta cum in identitate naturæ essent mansuræ, nihil « opus habebant benedictione, quæ ipsas multiplicaret; quæ autem « aliorum ex aliis successione erant multiplicanda, nec aliter aug- « mentum erant acceptura, benedictione quoque necessario impar- « tiuntur. «

Egregie explicat ista omnia Alcimus Avitus supra laudatus:

Protinus in varias animalia multa figuras
Surgunt, et vacuum discurrunt bruta per orbem.
Elatæ in altum volucres, motuque citato
Pendentes secuere vias, et in aëre sudo
Præpetibus librant membrorum pondera pennis.
Post etiam clausi vasto sub gurgite pisces
Respirant lymphis, flatusque sub æquore ducunt,
Quæque negant nobis, illis dant humida vitam.
Nec minus in pelago viviscunt grandia cete,
Accipiuntque cavis habitacula digna latebris:
Et quæ monstra solet rarus nunc pondere pontus,
Aptat ad informes condens solertia formas.

DISPUTATIO SEXTA.

DE OPERE SEXTÆ DIEI.

Sicut quinta dies aquæ et aëri, sic et sexta incolas terræ contulit; nam, ut advertit Pererius, tribus primis genitalibus mundi diebus ipsum Universum distinxit, et ordinavit, tria præcipua illud integrantia corpora, nempe Cælum, aquam, et terram, a ceteris sejungendo seorsimque constituendo. Primo namque die facta luce distinxit diem a nocte, lumen a tenebris : in secundo die per firmamentum separavit aquas cælestes ab aquis terrestribus : in tertio die aquam segregavit a terra ; nam stirpes tunc productæ quasi partes terræ censentur; quippe cum terræ radicibus suis infixæ ex ea oriantur, alantur, et augescant. Reliquis autem tribus diebus eadem tria corpora eorum conditor Deus et ornavit, et variis rerum generibus replevit, eumdem prorsus ordinem servans : quarto enim die Cælum sideribus, quinto aquam piscibus, sexto die terram animantibus terrestribus condecoravit, atque complevit. Quod utique expressit Moyses his verbis : *Dixit quoque Deus : Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, et reptilia, et bestias terræ secundum species suas : factumque est ita. Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas, et jumenta, et omne reptile terræ in genere suo.* ✳ " Quibus verbis Moyses brutas omnes animantes a Deo rerum Conditore sexta die formatas apposite expressit his verbis: *animam viventem*. Enimvero illæ omnes universim conveniunt in hac appellatione

animæ viventis, unde communi voce dicuntur *animalia* a latinis, quod vitam sive animam habeant : qua in appellatione conveniunt non solum Hebræi qui animalis nomen derivant a voce, *chaia*, idest vita ac anima, quæ vox retinetur in linguis ab hebræa originem ducentibus, ut sunt chaldaïca, syriaca, arabica, ac similes; Græci etiam, ut videtur, Hebræorum, seu Phœnicum potius, qui tamen eamdem fere cum illis habuere linguam, imitatione ζῶον dixerunt. *Sed*, inquit Seneca, epist. 58, *sunt quædam quæ animam habent, nec sunt animalia, placet enim satis et arbustis animam inesse : itaque et vivere illa, et mori diximus : arboremque*, addit Cicero. lib. 5. *De finib., et nucellam et vetulam, et vigere et senescere*, quæ tamen non eodem nomine animalis solent appellari. Verum animalium vitam, eorumque animam tot gradibus plantas transcendit, ut earum comparatione hæc dumtaxat vitæ umbram ac delineamenta quædam habere videantur. Bestiis enim, ut notat Cicero. lib. 2. *De natura Deorum*, et sensum et motum dedit natura, et cum quodam appetitu accessum ad res salutares, a pestiferis recessum : iis autem quæ e terra gignuntur nihil tribuit amplius, quam ut ea alendo atque augendo tueretur, per insitum vitalem calorem, cui procreandi vis et causa gignendi inest. Etsi igitur omne quod vivit, sive animal, sive terra editum, propter inclusum calorem vivit, ut Zeno recte concludebat; ejus tamen aliquem principatum in se habet animal, ut propterea et moveatur et sentiat : quorum neutrum arboribus stirpibusque tribui potest. Ex quo intelligi debet, præstantiorem longe illis, animantia vitam atque animam habere ; tametsi anima rationalis qua pollet homo, longe inferiorem ; brutorum enim anima multis gradibus ac titulis ab humana discrepat : hæc enim spiritalis est, illa prorsus corporea ; mortalis una, altera immortalis ; humana ratione pollet, bestialis vero rationis omnis est expers, quidquid reclamet Lactantius qui lib. 3. *De falsa sapientia*, cap. 10. ut evinceret *summum hominis bonum in summa religione esse*, contendit cætera quæ putantur esse homini propria, in cæteris quoque animalibus reperiri, « cum enim, *inquit*, suas voces propriis notis discer-« nunt, atque dignoscunt, colloqui videntur ridendique ratio apparet « in his aliqua ; cum demulsis auribus, contractoque rictu, et oculis « in lasciviam resolutis, aut homini alludunt, aut suis quisque conju-« gibus, ac fœtibus propriis. Nonne aliquid amori mutuo, et indul-« gentiæ simile impartiunt ? Jam illa, quæ sibi prospiciunt in futu-« rum, et cibos reponunt, habent utique providentiam. Rationis quoque « signa in multis deprehenduntur, nam quando utilia sibi appetunt, « mala cavent, pericula vitant, latibula sibi parant, in plures exitus « disparentia, profecto aliquid intelligunt. Potest aliquis negare illis « inesse rationem, cum hominem ipsum sæpe deludant ? Nam quibus « generandi mellis officium est, cum assignatas incolunt sedes, castra « muniunt, domicilia inenarrabili arte componunt, regi suo serviunt; « nescio an his perfecta sit prudentia. Incertum est igitur, utrumne « illa quæ homini tribuuntur, communia sint cum aliis viventibus. « Religionis certe sunt expertia. Equidem arbitror, universis anima-« libus esse datam rationem, sed brutis tantummodo ad vitam tuen-« dam, homini autem ad propagandam. » *Ita Lactantius.* Verum ea omnia absque ratione, mente et intellectu perfici posse a brutis docent

cum Thoma Willis part. I. cap. 6. lib. *De anima brutorum* plurimi subtilissimi naturæ speculatores affirmantes bestias ea omnia exequi per insitas naturales, impressasque a Deo notiones quibus ad suæ speciei, suique individui conservationem ducuntur, ut plenius docuimus in Philosophicis. Ut autem prætatorum Moysis verborum planior habeatur intelligentia, " ✳

Quæres I. — *An omnes omnino animaliam terrestrium species a Deo conditas sufficienter prætatis verbis Moyses expresserit?*

Affirmat Seraphicus Doctor dist. 15. dubio 2; idque probat duplici argumento petito ex parte motus, et ex parte finis animalium. *Ex parte quidem motus* sic: omne enim animal quod movetur, aut movetur tractu, et sic est reptile; aut impulsu, et sic est gressibile; et hoc est dupliciter: aut est animal natum sævire, aut mansuescere. Primo modo dicitur bestia; secundo modo dicitur jumentum, et sub jumentis comprehenduntur pecora. — *Ex parte finis:* animalia enim facta sunt propter hominem: aut igitur sunt ordinata ad hominis juvamentum, sicut sunt jumenta quasi juvantia: aut sunt ordinata ad hominis exercitium: et hoc potest esse dupliciter, quia aut exercent nocendo manifeste, et sic sunt bestiæ, quasi vastiæ: aut occulte nocent, et sic sunt reptilia, quæ occulte nocent, et insidiantur calcaneo. Hos autem fines etsi non haberent, si homo non peccasset, in actu; haberent tamen in aptitudine, et ex ipsa aptitudine melius erudiretur tunc homo in statu innocentiæ quam erudiatur nunc ex actu in statu culpæ: et sic patet horum trium differentia, et sufficientia.

Quæres II. — *An minutissima animantia, et quæ ex putri materia formari solent, etiam ipso sexto die Deus condiderit?*

Respondet S. Augustinus lib. 3. *De Genes. ad litter.* c. 14. ea quidem dici posse tunc a Deo formata. *Potest quidem*, inquit, *dici ea minutissima, quæ vel ex aquis, vel ex terris oriuntur tunc creata: in quibus etiam illa non absurde intelliguntur, quæ nascuntur ex iis quæ terra germinante orta sunt. Et quia præcesserant conditionem non solum animalium, sed etiam luminarium, et quia terræ continuantur per radicum connexionem, unde illo die quo apparuit arida, exorta sunt, ut potius ad supplementum habitationis quam ad numerum habitatorum pertinere intelligerentur. Cetera vero quæ de animalium gignuntur corporibus, maxime mortuorum, absurdissimum est dicere tunc creata, quum animalia ipsa creata sunt; nisi quia inerat jam in omnibus animatis corporibus vis quædam naturalis, et quasi præseminata materia, et quodammodo initiata primordia futurorum animalium, quæ de corruptionibus talium corporum pro suo quæque genere ac differentiis erant exoritura per administrationem ineffabilem omnia movente incommutabili Creatore.* — *Respondet* S. Basilius, animalia imperfecta, quæque originem habent ex putrescente materia, in exordio mundi esse a Deo edita his fere verbis: *Non enim tantum in mari, vel fluviis, pisces perfectiores Dei jussu generabantur, sed etiam in limosis, et palustribus locis: etenim ranæ, muliones, culices ipsi ex ipso nimirum lacustri emergebant cœno.* — *Respondeo* cum communi Interpretum sententia, hanc difficultatem cum distinctione esse

solvendam : sunt enim quædam hujusmodi animalia quæ facillime, et nullo negotio nascuntur ex excrementitia materia, quæ animalibus adnascitur, vel levi quapiam corruptione, ut sunt pediculi, pulices, erucæ, et similes ; et hæc non videri a Deo procreata : alias enim dicendum esset, jam tum in statu innocentiæ hominem pediculis fuisse arrosum, cum hi nonnisi in hominis carne nascantur, et ab eadem alimentum trahant. Alia vero quæ vel industriam aliquam requirunt, ut ex putri materia eliciantur, ut apes, vel rarius, neque tam facile ex corruptione nascuntur, ut forte mures, glires, multa serpentium, multa insectorum copia ; et hæc a Deo fuisse producta.

Quæres III. — *An etiam productæ sint a Deo hoc die* Hybrides *seu animalia, quæ ex diversarum specierum commixtione generantur, ut mulus ex equa, et asino, leopardus ex leone, et pardo, lynx ex lupo, et cerva?*

Respondeo, probabilius videri tunc omnia animalia de facto fuisse creata ; tum quia licet in Africa in dies novæ oriantur monstrorum species, et plures deinceps orientur, atque oriri possunt ex nova aliarum, et aliarum specierum, sive animalium commixtione ; tamen hæc animalium diversæ speciei commixtio est præter naturam, et omnino adulterina. Unde vetita fuit Judæis Levitici 19. versu 19. quia hæc animalia sufficienter censentur creata, quando aliæ species creatæ sunt, ex quarum commixtione postea erant nascitura.

Quæres IV. — *An quemadmodum producta sunt animalia quæ in ceteris elementis vivunt, aliqua etiam sint in igne producta?*

Respondeo, quod non : igni enim nulli incolæ sunt dati : nam nec Salamandram, nec aliud animal in igne vivere aut durare posse, docet Galenus lib. 3. *De temperamentis*, et Dioscorid. lib. 2. cap. 56. ubi Matthiolus ait se idipsum expertum esse, ac multas Salamandras in ignem conjecisse, quæ brevi consumptæ sunt. Sic Pyraustæ, lamprides, quæ paulo majores sunt muscis, tantum ad breve tempus vivunt in igne. Nam in fornacibus ærariis nascuntur in Cypro, in hisque per ignem saliunt, et ambulant, et mox a flamma avolantes emoriuntur, uti testatur Aristoteles lib. 5. *Histor. animalium* cap. 19.

Petes: cur animantibus terrenis, sicut piscibus ac volatilibus, suam Deus benedictionem non fuerit largitus? — **Respondent Hebræi** propterea non fuisse datam terrestribus benedictionem, quod inter ea esset serpens, paulo post seducturus hominem, ob idque a Deo maledicendus. Verum probabilius existimat Pererius, Moysem voluisse quod de benedictione piscium dixerat, intelligere etiam in terrestribus, nec solum in hoc, sed in aliis quoque, ex iis quæ in uno aliquo genere prodita sunt a Moyse : similia etiam in aliis, quæ brevitatis causa non sunt tradita, intelligi debent. Homini vero proprie ac separatim tribuenda erat benedictio, quod in homine propria quædam, et singularis ratio sit generationis et multiplicationis : nempe non ad conservandam modo speciem, sed potissime ad complendum numerum Electorum ; et ne quisquam putaret in officio gignendi nullum hominis posse esse peccatum. Licet enim munus generandi sit omnino naturale in ceteris animantibus, in homine tamen partim est naturale, et partim volun-

tarium ; et quod in aliis nec vitii, nec virtutis capax est, in homine, vel laudi, vel crimini verti potest. Plantis autem non congruebat benedictio, quia nullum habent sensum, nullumque propagandæ prolis affectum.

Quæres V. — *An res meliores Deus potuerit facere, vel creare, quam fecerit, vel creaverit?*

Respondet Guillelmus Parisiensis 1. partis *De Universo* parte prima cap. 23, « Quod quasdam res, quantum erat de amplitudine ac « copiositate potentiæ suæ, majores, et meliores quam creavit, creare « potuit: sed illæ non erant receptibiles majoris bonitatis, aut me- « liores creabiles, sicut forte Lunam non potuit creare ex se lumi- « nosam, quemadmodum neque terram: non enim terra esset, si lu- « minosa esset; neque luna luna esset, si ex se luminosa creata esset; « neque asinus esset, nisi Deus ipsum animal irrationale effecisset: « neque pulex pulex esset, si magnitudinem Ceti, vel Elephantis « Creator eidem dedisset. *Amplius* ipsæ res invicem tales immuta- « tiones, et augmentationes sustinere non possunt: si enim fecisset « hominem ad magnitudinem Solis, tota terra illi non suffecisset ad « habitationem, neque omnes fruges, et fructus ipsius ad alimenta; « neque omnes lanæ, et lina ad vestimenta ejusdem, et ita hoc facile « est tibi videre in aliis animalibus, quia nullo modo se invicem pati « possent. Si enim fecisset serpentes ad instar Elephantorum, et Cete, « alia eos animantia non sustinerent. Similiter si muscas in magni- « tudine aquilarum, tota habitatio aëris, quæ volucribus deputata est, « muscis solis occupata esset, et repleta. Manifestum igitur est tibi ex « his, quia Creator sapientissimus, et optimus sic temperavit omne, « idest, mundum, seu universum, et sic moderatus est singulis gene- « ribus, et speciebus, ut quantitates, et parvitates earum se invicem « non solum paterentur, sed adjuvarent, et salvæ esse possent, atque « salvari insimul, idest, in ipso omni sive mundo. Quod si dixerit « quis, quia non decuit infinitam potentiam Creatoris, infinitamque « bonitatem ipsius, immensasque divitias bonitatis ejusdem tam mo- « dica creasse omnia, quæ creavit, neque Cælos, neque mundum « ipsum: quin potius decens fuit incomparabiliter majorem mundum, « Cælosque similiter creasse; et pro magnitudine illa homines, et ce- « tera animalia in mundo magnos creasse; hic ergo reminisci debes, « quia corpora, et animalia, nec creari poterant infinita, neque esse: « alibi enim didicisti omne corpus, et corporeum ex necessitate esse « finitum. Quia igitur ex necessitate finita creari, et esse ea oportuit, « ista quæstio eadem esset si longe majora quam sint creasset omnia « Creator; quantumcumque enim majora ea creasset, finita tamen « essent; et propter hoc semper quæri possent cur non majora ea « creasset. Non fuit igitur ista mensura magnitudinis, et aliorum « in rebus creatis ex defectu vel potentiæ, vel bonitatis, quæ esset « apud Creatorem; sed res ipsæ sicut paucis exemplis ostendi tibi, « hanc mensuram potius requirebant, quamquam verissime dici posset, « quia per electionem, et providentiam sapientissimi Datoris, in his « mensuris, et dispositionibus creatæ sunt res. »

Quæres VI. — *An revera Deus post Universi productionem cessaverit ab omni opere, ut significare videtur Moyses cap. 2. his verbis:* Complevitque Deus opus suum quod fecerat; et requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat.

Respondet Seraphicus Doctor dist. 15. qu. 3. « *Primo* quidem « præsupponendo, quod omnis artifex perfectus opus inchoat, ut ad « perfectionem perducat: et sicut intendit, ita facit, si per omnia suf- « ficientia virtutis agentis sibi suppetit; cum autem ad perfectionem « deduxerit, habet, quod intendit; omne autem operans propter quid, « obtento eo propter quod agit, quiescit: omnis igitur Artifex perfe- « ctus sic operatur, ut aliquando quiescat. Cum igitur Deus sit agens « perfectissimum in producendo ipsum Universum, necesse est ergo « ipsum aliquando quiescere. Sed cum duplex sit agens, quoddam « quod movetur, et laborat in sua operatione; quoddam vero, quod « nec mutatur, nec variatur: illud, quod primo modo agit, quiescet « per quietationem, quæ quidem est privatio motus, et laboris, sicut « est agens creatum: illud vero quod secundo modo agit, quiescit « quietatione, non quæ sit laboris, vel fatigationis privatio, sed quæ « est cessatio ab opere propter ipsius perfectionem: et sic dicitur Deus « ab omni opere quievisse, cum Universum produxerit ad esse per- « fectum, et sic quievit cum ad perfectum esse deduxit. His præmissis. « *Respondet secundo,* quod cum duplex sit Universi perfectio: una « secundum esse permanens, alia secundum esse decurrens. *Prima,* « inquit, attenditur in completa existentia principiorum, et completo « numero specierum, quæ quidem species naturam generis participant « secundum rectam, et ordinatam intentionem naturæ. *Secunda* vero « perfectio consistit in productione eorum, quæ per tempora decurrunt, « et sibi ipsis consequenter succedunt, ex cujus successionis ordina- « tione resultat quædam unitatis pulchritudo, et perfectio. Quoniam « igitur secundum primam perfectionem Deus Universum in sex die- « bus ad esse produxit, scilicet quantum ad completam existentiam « principiorum, et quantum ad completum numerum specierum: ideo « dicitur requievisse ab omni opere, quod patrarat. Quia vero con- « tinue operatur ad rerum successionem per propagationem, et indi- « viduorum multiplicationem: ideo dicitur *operari usque modo.* Ex « his patet responsio ad quæstionem propositam: concedendum est « enim, quod ad productionem animalium, maxime hominis, secuta « est quies in die septimo; non quia facta sit laboris terminatio, sed « quia facta est operis inchoati completio. » — Eamdem paulo aliter quæstionem explicat S. Augustinus lib. 4. *De Genes. ad litt.* c. 12. *Potest,* inquit, *intelligi Deum requievisse a condendis generibus creaturæ, quia ultra jam non condidit aliqua genera nova: deinceps autem usque nunc, et ultra operatur eorumdem generum administrationem, quæ nunc instituta sunt; non ut ipso saltem die septimo potentia ejus a Cœli, et Terræ, omniumque rerum quas condiderat, gubernatione cessaret: alioquin continuo dilaberentur. Creatoris namque potentia, et Omnipotentis atque Omnitenentis virtus, causa subsistendi est omni creaturæ: quæ virtus ab eis quæ creata sunt regendis si aliquando cessaret, simul et illorum cessaret species, omnisque natura concideret. Neque*

enim sicut structuram ædium cum fabricaverit quis abscedit, atque illo cessante atque abscedente stat opus ejus; ita mundus vel ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen sui substraxerit. Proinde, et quod Dominus ait, Pater meus usque nunc operatur, *continuationem quamdam operis ejus, quæ universam creaturam continet atque administrat, ostendit.* — Addit c. 15. Deum quidem dici requievisse *ab opere,* non vero *in opere. Nimirum,* inquit, *quia vitium est, et infirmitas animæ ita suis operibus delectari, ut potius in ipsis, quam in se requiescat ab eis: cum proculdubio melius aliquid in illa sit quo ea facta sunt, quam ipsa quæ facta sunt: insinuatur nobis Deus per hanc Scripturam, qua dicitur requievisse ab omnibus operibus suis quæ fecit, nullo opere suo sic delectatus, quasi faciendi ejus eguerit, vel minor futurus nisi fecisset, vel beatior cum fecisset. Quia enim ex illo ita est quidquid ex illo est, ut ei debeat quod est, ipse autem nulli quod ex ipso est, debeat quod beatus est, se rebus quas fecit diligendo præposuit: non sanctificans diem quo ea facienda inchoavit, nec illum quo ea perfecit, ne illis, vel faciendis, vel factis auctum ejus gaudium videretur; sed eum quo ab ipsis in seipso requierit. Et ipse quidem numquam ista requie caruit, sed nobis eam per diem septimum ostendit: hinc etiam significans non percipi requiem suam nisi a perfectis, cum ad eam intimandam non deputavit diem, nisi qui perfectionem rerum omnium sequebatur. Nam qui semper est quietus, tunc nobis requievit, cum se quievisse monstravit.* — ✳ " Existimant Cabbalistæ quod sicut Deus hexaëmeron dierum impendit in creatione mundi, ita hexaëmeron dierum millenariorum debeat impendere in conservatione mundi, adeo ut mundus sex millenariorum spatium durare debeat et consummari, sequente vero millenario Deus quiescet. Hæc fuit sententia omnium fere Patrum, ad quam Platonici et Pythagoræi proxime videbantur accedere. Suam vero istam doctrinam ab ipsis Hebræis hausisse, nullus est paulo humanior, et litteratura judaïca et cabbalistica imbutus, qui hoc facile non sibi persuadeat. Quod potest confirmari testimonio Manassis Ben Isrăël: *Divini theologi Cabbalistæ, quos Plato in Timæo secutus est, putant mundum inferiorem, quibusque septem mille annis, cœlum, quinquaginta annorum millibus, Jocum novo factura sint mundo et cœlo. Hoc aiunt Adamum tradidisse Setho, hunc Hanocho, Hanochum Noacho, illum Semo, hunc Hebero et Hebræorum Patriarchis, postea id confirmatum a Moyse, et significari per divinos illos sex creationis dies qui repræsentant sex millia annorum, quia et ait Psalmographus: Dies Domini est mille anni, mille anni in oculis tuis sicut dies unus.* Sic ille conciliatoris p. 39. quo vero erat acumine Manasses, in sex diebus creationis mysteria quærit, et eventus qui respondeant sex diebus millenariis, quibus durare debet mundus hic inferior. *Primo die,* inquit ille, problemat. p. 46. *facta est lux, et extiterunt tenebræ, hoc respondet Adamo qui fuit lux mundi, et Caïno tenebrarum symbolo, vel Adamo innocenti, et Adamo peccatori; vel Setho et Enoso cujus tempore cœperunt tenebræ idololatriæ. Secundo die expansum fuit dividens aquas ab aquis, quod respondet Noacho in secundo millenario, qui aquis diluvii divisit inter bonos et malos. Tertio die emersit terra ex aquis, et creatæ plantæ, quod respondet populo Judaïco, tertio millenario, ex captivitate Ægyptiaca emergenti, et florenti arboris legis.*

Quarta die creata duo magna luminaria; hæc designant duo templa condita quarto millenario. Quinto die aves et pisces creati sunt, repræsentant Israëlitas qui post destructionem templi, ineunte quinto millenario maxima copia instar piscium terram Israëliticam occupaverunt, et Romanas Aquilas, aves quæ etiam terram Israëliticam invaserunt. Sexto die creata quadrupedia, et homo, quo designantur principes et reges qui sexto millenario debent liberari a jugo imperii Romani, et Messias homo cujus Adam fuit typus. Quippe qui non aliter quam Adamus olim dominabitur in omnes pisces, aves et quadrupedia, per quæ figurantur omnes mundi principes. Denique septimo die quies fuit, quia septimo millenario erit quies et chaos continuo sex millenariorum germinatione feraæ desinet germinare. " ✳

TRACTATUS TERTIUS.

DE MIRANDO HOMINIS OPIFICIO, EJUSQUE VARIA SORTE.

Norunt *omnes Theologi quintuplicem distingui naturæ humanæ statum; nimirum naturæ puræ, innocentis, lapsæ, reparatæ, et beatificæ.* Status naturæ puræ *dicitur, in quo homo nec per gratiam ad altiorem ordinem promovetur, nec per peccatum originale deprimitur, et inquinatur; sed sibi, ac viribus, et dotibus suis naturalibus plane relinquitur, nullisque aliis defectibus subjacet, quam iis qui ex corporis, et animæ constitutione naturaliter oriuntur; quales sunt infirmitas, mortalitas, ignorantia, etc. Hunc statum confundunt aliqui cum statu naturæ integræ; longe tamen invicem discrepant: hic enim ultra naturales omnes perfectiones, includit specialem pacem internam, superiorem inter hominis partem, et inferiorem; videlicet perfectam subjectionem appetitus sensitivi sub rationali; ita ut appetitus sensitivus nec præveniat imperium voluntatis, nec ei repugnet; sed ad ejus nutum suos motus, suasque passiones comprimat aut exerat, ita ut caro non concupiscat adversus spiritum, nec spiritus adversus carnem; quod utique cum sit, homo patitur moralem quamdam ægritudinem, et diminutionem in viribus suis, hoc modo distractis atque in contraria tendentibus: idcirco dum utraque pars concordat, dicitur habere moralem quamdam integritatem per illam potentiarum suarum concordiam, viribus nempe unitis, et in idem conspirantibus: quo fit, ut pars rationalis vegetior sit ad bene operandum, conformiterque rectæ rationi vivendum.* — Secundus status est *naturæ innocentis, seu* justitiæ originalis, *qui præter naturalem hominis perfectionem, et integritatem plura complectitur beneficia gratuita corpus et animam spectantia, nempe mortis et morbi carentiam, gratiæ sanctificantis et supernaturalium virtutum infusionem; necnon et collationem eorum omnium cœlestium charismatum, quibus Protoparentes in ipsa sua formatione donati fuerunt.* — Tertius est *naturæ lapsæ, ab illa scilicet integritate, et justitia originali, quam acceperat in Adamo ad omnes ipsius posteros, si ille non peccasset, continua propagatione transmittendam. Quamquam autem teterrimus hic status omnino lugendus sit, et execrandus, utpote cum omnium malorum, quæ in universum genus humanum derivantur, sit profluvium, et lerna; nihilominus præcellentem hominis dotem demonstrat, libertatem nempe, qua suæ ipsius fortunæ arbitrarius, honorariusque plastes, et fictor, in quam maluerit partem, et sortem manus dederit.* — Quartus est *naturæ reparatæ, per Christi Domini gratiam,*

qua venit quærere et salvum facere quod perierat; hæc enim non solum omnes peccati nævos emaculat, sed et pristinæ pulchritudinis splendorem animæ restituit, et omnia ei ad beatitudinem æternam assequendam media necessaria, et sufficientia subministrat. — Quintus denique est *naturæ beatificatæ, et æterna felicitate perfruentis, a qua omnes miseriæ longe exulant, in quam animi deliciæ ubertim confluunt, et per quam omnia hominis desideria plenissime satiantur.* — *Hujus autem quintuplicis hominum sortis, tres tantum priores suscipimus hoc in Tractatu explicandas totidem Disputationibus, quarum* Prima *hominis naticas, et ingenitas dotes aperiet:* Secunda *eximia justitiæ originalis privilegia reserabit:* Tertia *naturæ lapsæ miserias, et peccatorum omnium fœditatem exhibebit.*

DISPUTATIO PRIMA.

DE STATU PURE NATURALI HOMINIS: SEU DE NATIVIS ET INGENITIS HOMINUM DOTIBUS.

Eximias hominis dotes omni qua potuit mentis acie percunctatus Aristoteles, merito dixit: *Omnium quæ mirari possunt homines, maxime præ ceteris mirandus est ipse* homo: quippe, inquit Plato 1. *De Legibus. Homo, ut miraculum quoddam divinum in animantium genere habetur, quia creaturarum omnium est internuntius: superis, et inferis familiaris; naturæ interpres: mundi interstitium sive copula: magnum profecto est naturæ* monstrum, *quoniam unum cum sit, multa tamen in se habet diversa, dolorem et voluptatem, spem et timorem, etc.* ✻ " Hinc Quintilianus, *Declamatione* 260 et Isidorus Pelusiota lib. 1. *Epist.* 259., cum Platone libro *De legibus,* dixerunt ζῷον θεον *animal divinum*, sive Deo proximum. — Quare hinc error forsan derivatus est quod mundum *animal rationale* dixerit Plato in Tymæo. Cui concinit Cicero scribens: *non est reluctandum profiteri, si modo investigari aliquid conjectura potest, hunc mundum esse animal, idque intelligens et Divina Providentia constitutum.* Quibus consentit quisquis est auctor libri *Pymandri*, sub nomine Trismegisti, dialog. 10. ubi " ✻ hominem appellat *magnum* miraculum, *animal adorandum, et honorandum: quod in naturam Dei transit, quasi ipse sit Deus, etc.* Magnum, inquam, miraculum est homo, quippe totius naturæ epitomen ac finis; nam, ait Chrysostomus homil. 8. in *Genesim: Homo inter visibilia omnia dignitate præcellit, propter quem condita sunt hæc omnia.* Animal item adorandum, siquidem *in terra est mortalis Deus*, ait idem Trismegistus, *Deus vero in cœlo immortalis homo:* venerandum vero, ut mundi Rector, et Dominus: *Tremor* enim, inquit Deus Protoparentes alloquens, *et metus vestri erit super bestias terræ:* unde fit ut suapte natura quodlibet animal hominem vereatur, et veneretur. Angeli etiam eum suum concivem, et cohæredem ac ejusdem spiritus participem prædicantes continuis prosequuntur obsequiis. Denique in Deitatis naturam effigiatur; Deus namque gratiæ sanctificantis intusione illum propriæ suæ Divinitatis consortem, et participem efficit, *Transformamur enim in eamdem imaginem a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu*, inquit Apostolus 2. ad Corinth. 3. ✻ " Inde apparet hominem recte appellari posse mundi miraculum, orbis de-

licias, immortalitatis germen, universi dominum, creaturarum, ut dictum est, epitomen, divinorum operum finem, Angelorum socium, horizontem, nexum, perfectionem omnium, Majestatis divinæ imaginem, Dei Omnipotentis filium, æternæ lucis candorem, Divinitatis immaculatæ speculum, admirabile omnium admirabilium, rerum inferiorum magistrum, superiorum familiarem et amicum, omnem tandem, juxta nonnullos, creaturam, quod existat cum lapidibus, vivat cum plantis, sentiat cum bestiis, intelligat cum Angelis." * — Hæc autem omnia ut auctoritate divina, et ratione theologica verissima esse comprobemus, naturales hominis præcellentias investigare lubet tribus in sequentibus Articulis, quorum *Primus* naturalem hominis statum, ac dignitatem generatim explicabit: *Secundus* corpoream ipsius delineabit præstantiam: *Tertius* vero præcellentes ejus animæ dotes aperiet.

ARTICULUS PRIMUS.

DE NATURALI HOMINIS STATU, ET INGENITA EJUS PRÆCELLENTIA.

Ingenitas hic perfectiones appello, quas homo a Deo, ut magnifico naturæ Opifice cum ceteris entibus creatis mutuatur, quæque ipsum intra naturæ ordinem ita perficiunt, et constituunt, ut exinde ad solum finem naturæ viribus obtinendum ordinetur, de quo statu tria maxime quæri possunt: *Primum* quidem, an revera homo formari, et constitui possit in statu naturæ puræ, ita quod nec gratiæ beneficio egeat, ut finem sibi debitum assequatur, nec ab eo per ullum peccatum removeri possit. *Secundum*, qualis ille status fuisset, an videlicet eisdem corporis et animi defectibus subditus, quibus nunc gravamur. *Tertium*, an per nativas et ingenitas suas præcellentias homo creatis entibus corporeis antecellat.

QUÆSTIO PRIMA.

AN POSSIBILIS SIT NATURÆ PURÆ STATUS.

Notandum 1. Ad statum naturæ puræ duo requiri, in quibus naturæ puritas censetur maxime consistere; alterum quidem *positivum*, nimirum ut in eo statu natura humana habeat omnimodam perfectionem suam naturalem; nempe substantiam undequaque completam, facultates ad operationem expeditas, et paratam sibi divinam providentiam in omnibus auxiliantem: alterum *negativum*, videlicet ut nihil habeat sibi naturaliter indebitum, seu quod ei non sit aptum inesse intra ipsum naturæ ordinem, sive malum sit, sive bonum: hoc est, ut neque gratiæ donis, vel aliis beneficiis ad finem supernaturalem conducentibus, illustretur, neque etiam ullo peccato, maxime originali, inficiatur; nec pœnis ex eo derivantibus sit obnoxia. Ab hac autem negatione peccati originalis, et gratiæ cujuslibet, status *naturæ puræ* dicitur; puritas enim naturæ in præsenti solam denotat negationem eorum omnium, quæ naturalem hominis constitutionem, et ordinem non spectant. Itaque statum *naturæ puræ* vocamus medium inter

statum originalis justitiæ, in qua primus homo conditus fuit, et statum peccati, in quem lapsus est. *Medium* inquam, per negationem extremorum, quod nec sanctitatem includat, quæ dat habenti jus ad vitam æternam, nec peccatum, quo ab ea excludatur ob reatum damnationis.

Notandum 2. Statum illum naturæ puræ extitisse nusquam, nec videri futurum; primi namque hominum parentes immediate a Deo conditi, gratia simul, et aliis cælestibus donis dotati, ditatique fuerunt in ordine ad finem supernaturalem, ad quem cum universa sua propagine fuerant destinati. Eorum vero posteri quotquot concipiuntur, si post Christum Dominum unicam Virginem Deiparam excipias, lethali originali labe inficiuntur, priusque damnati sunt, quam nati: adeoque nullus est hominum qui revera in statu naturæ puræ fuerit conditus, nullusque ita condendus videtur; siquidem omnes vitiata propagine in iniquitatibus concipiuntur; et per medicinalem Christi Domini gratiam sanati, et emundati, ordinantur ad beatitudinem æternam assequendam. — An autem status ille sit possibilis non solum secundum absolutam Dei potentiam, sed etiam prout operatur juxta naturalem rerum inclinationem, plurimi Recentiores negant, docentes statum illum esse impossibilem, et contrariam sententiam Manichæismum redolere; unumque esse ex capitalibus Pelagii erroribus a S. Augustino impugnatis. Quam utique assertionem pridem evulgavit *Calvinus* lib. 1. *Institutionum*, cap. 15. n. 1. necnon et *Lutherus* in caput 3. Genesis, ubi inter cetera scribit: *Statuamus justitiam non fuisse quoddam donum, quod ab extra accederet, separatum a natura hominis, sed fuisse vere naturalem: ita ut natura Adæ esset diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum. Hæc tam naturalia fuere in Adamo, quam naturale est, quod oculi lumen recipiant.* Et inferius, *Porro*, inquit, *hæc probant originalem justitiam fuisse de natura hominis: ea tamen per peccatum amissa, manifestum est naturalia non mansisse integra, ut Scholastici delirant.*

Notandum 3. Dona, et auxilia divina hominibus gratuito concessa, esse duplicis generis: alia namque perficiunt hominem in ordine ad finem, et operationem ordinis naturalis: alia vero illum illustrant, et adjuvant in ordine ad finem supernaturalem, et ad operationes ipsius finis dignitati proportionatas. *Prioris generis* sunt specialia quædam auxilia extraordinaria, et communem causarum naturalium activitatem, ac cursum excedentia, quæ Deus interdum agentibus naturalibus impendit, quibus suam operationem exequi, et obviantia sibi impedimenta extrinseca, quæ ex aliarum causarum concursu acciderent, vincere possint, et finem naturalem intentum assequi. *Posterioris vero generis* sunt ea omnia divinæ gratiæ auxilia, quibus homo ultra naturæ captum, et ordinem promovetur ad finem supernaturalem, nempe vitam æternam, quam nonnisi gratiæ divinitus infusæ beneficio possumus obtinere, juxta illud Ephesiorum 2. *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est, ut ne quis glorietur.* — De utroque auxilio præsens movetur Quæstio, sed maxime de posteriori: inquirimus enim an revera Deus possit hominem aliquem eo in statu condere, ut ab originali peccato, ex eoque derivantibus pœnis immunis, ad solum naturalem finem ordinetur, nec ullo divinæ gratiæ beneficio egeat, et illustrari, ac juvari debeat.

Conclusio unica. — Homo revera creari potuit in statu naturæ puræ. Hæc Conclusio jam communis est inter Doctores Catholicos; eamque ratam habet, ac docet Subtilis Doctor in 2. *dist.* 22. *qu. unic. n.* 7. ubi demonstrans non esse immediatam oppositionem inter culpam, et gratiam; quoniam potuit inter utrumque fieri status medius, ait: *Potuit enim aliquis esse in puris naturalibus tam sine gratia, quam culpa: ergo hæc nullo modo sunt immediate opposita.* — Idem affirmat Angelicus Doctor *q.* 4. *De malo* art. 1. *ad* 14. ubi ait: *Carentia divinæ visionis dupliciter competit alicui: uno modo sic, quod non habeat in se unde possit ad divinam visionem pervenire, et sic carentia divinæ visionis competeret ei, qui in solis naturalibus esset absque peccato: sic enim carentia divinæ visionis non esset pœna, sed defectus consequens omnem naturam creatam:* et in 2. *dist.* 30. *qu.* 1. dicit humanæ naturæ defectus, qui nunc sunt, posse dupliciter ad illam comparari; nimirum vel ad eam, prout in principiis suis naturalibus consideratur, et sic, inquit, non sunt pœnæ ejus, sed naturales defectus: vel ad eam, prout spoliatam contrariis perfectionibus, quas in primo Parente acceperat, et ita sunt pœnæ peccati ab eo commissi, et transfusi in posteros.

Probatur 1. Ex definitione summorum Pontificum Pii V. anno 1570. et Gregorii XIII. anno 1579. et Urbani VIII. damnantium varias propositiones a Michaële Bajo scriptis aut verbis evulgatas et propugnatas. Inter has autem propositiones damnatas, vigesima secunda erat: *Humanæ naturæ sublimatio, et exaltatio in consortium divinæ, debita fuit integritati primæ conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis.* Per consortium autem divinæ naturæ non aliud intelligit, quam quod habetur per gratiam sanctificantem, ut colligitur ex *propositione* 42. Idem continent *propositiones* 24. 25. 27. at evidentius mentem ejus explicat *propositio* 79. qua dicit: *Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari, et institui sine justitia naturali:* dixerat autem antea *naturalem justitiam* illam esse, in qua creatus est primus homo: is vero conditus est peccati expers, et gratia sanctificante illustratus: vult ergo hominem non potuisse creari sine justitia, et rectitudine, quam primus homo ab infuso sibi divinæ gratiæ beneficio obtinebat: ac proinde negat esse potuisse medium statum, in quo homo nec illam haberet justitiam, in qua creatus est, nec peccatum cum quo jam nascitur; adeoque censet statum naturæ puræ esse impossibilem. — Cum autem hæ propositiones damnatæ fuerint in Bajo, non apparet qualiter citra temeritatem possint a Recentioribus quibusdam iterum propugnari.

Reponunt Adversarii censuram illam esse contrariam novem illis summis Pontificibus, a quibus S. Augustini doctrina contra Pelagianos laudata, commendata, et approbata jam olim fuit: in qua nihil frequentius est, quam Deum fore injustum, aut impotentem, si creaturam peccato non fœdatam conderet subjectam miseriis, quibus nunc subjacet propter originale peccatum: itaque ne sibi ipsi sancta Pontificia Romana sedes contraria videatur, omnino satagendum est, ne posteriores Pontifices a priorum sententia recedere judicentur. Atque adeo non ea fuit, quam nos prætendimus, trium laudatorum Pontificum doctrinæ Baji censura. *Deinde* subdunt, illos Pontifices præfatam pro-

positionem damnasse, non *ut falsam*, sed ut *pacis perturbativam*, quoniam contraria erat opinioni communi Scholasticorum consensu pridem in scholis receptæ, cum enim Bulla proscribat respective simul multas Baji propositiones *ut hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, et piarum aurium offensivas;* nec determinet quænam in particulari illarum propositionum essent hæreticæ, quænam erroneæ, etc. sufficit unam censuræ hujus partem in hanc propositionem cadere, illam scilicet qua dicitur scandalum peperisse, vel pias aures offendisse. *Denique* affirmant se, et omnem alium sentientem debere secum hærere dubios inter censuram trium Pontificum, et S. Augustini sententiam, quam toties probavit, et sequitur, sequendamque monuit Apostolica Sedes. — **Contra**, primo falsum est præfatam propositionem de impossibilitate status naturæ puræ approbatam fuisse ab antiquis summis Pontificibus Augustini laudatoribus, cum nulla fiat illius mentio in illis capitibus ex S. Augustini doctrina depromptis, et a Cælestino Papa in *Epistola ad Episcopos Galliæ* approbatis; neque in Canonibus Concilii *Arausicani*, et *Mileritani*, aut aliis contra Pelagianos, aut Semipelagianos specialiter celebratis, in quibus S. Augustini sententia, et doctrina laudatur, ac probatur. *Insuper* dico non esse hominis Catholici committere inter se summorum Pontificum sententias, dicereque ita in illis acceptandis et explicandis tuendam esse auctoritatem recentiorum Pontificum, ut ne veterum lædatur sententia; quasi non sit æqualis auctoritas in singulis supremæ sedis Rectoribus, et Petri Successoribus, liceatque a Recentioribus provocare ad Antiquiores quasi contrariam doctrinam statuerint. — *Ad secundum dico*, non vacare temeritate, quod illi privato suo sensu, et pro arbitrio applicent partem censuræ leniorem præfatæ propositioni damnatæ: sic enim aperiunt viam eludendi notam cujuscumque alterius propositionis per illas Bullas proscriptæ, de qualibet enim alia similiter dici posset eam fuisse reprobatam, et prohibitam, non ut falsam, sed ut offensivam, et pacis perturbativam. *Deinde*, falsum est præfatam propositionem non fuisse damnatam ut erroneam, vel hæreticam, temerariam, aut suspectam; cum enim illa sit fundamentum aliarum fere omnium ibi damnatarum, certum est, quod si quæ inter illas propositiones sunt hæreticæ, et erroneæ, ut multas esse affirmat censura, certe ista præcipue, quæ ceterarum basis est, et fulcrum. — *Denique* dico plane indignum esse viris Catholicis dubios hærere inter definitionem summorum Pontificum, et auctoritatem particularis Ecclesiæ Doctoris: sic enim hæreticus quisque posset eludere omnes definitiones, tum summorum Pontificum, tum Conciliorum, veluti posthabendas doctrinæ S. Augustini, vel etiam Scripturæ sacræ cui se mordicus adhærere prætendit. Unde si licuit S. Augustino contra *Epistolam Fundamenti* c. 5. dicere: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ moveret auctoritas*, potiori jure dicere quisque potest: *Augustino non crederem, nisi me Ecclesiæ, et summi illius Rectoris auctoritas moveret.*

Secunda conclusionis probatio; nam S. Augustinus *lib. 3. contra Maximinum c.* 15. affirmat hominem ad similitudinem Dei formatum, *ideo fieri gratia filium Dei, quia non est natura:* si autem gratia fit Dei Filius, non natura: ergo non est hoc illi connaturale, seu connaturaliter debitum: nam implicat in terminis aliquid esse gratuitum,

et esse naturæ debitum: subindeque potuit natura humana pura omni peccato sine tali dono creari. Et *lib.* 6. *De Genesi ad litteram c.* 27. dicit posse non mori, præstandum fuisse Adamo *de ligno vitæ, non de constitutione naturæ:* ergo falsum est quod immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio. Denique *lib.* 4. *contra Julianum c.* 16. ait, *Gratiam Dei magnam ibi fuisse, ubi terrenum, et animale corpus bestialem libidinem non habebat:* ergo integritas primæ creationis, sive carentia effrænis concupiscentiæ, ut explicant Adversarii, non fuit naturalis ejus conditio, sed gratuitum Dei beneficium.

Probatur 3. et præcedens ratio confirmatur: Angeli numquam fuerunt infecti peccato originali, et tamen ex S. Augustino potuerunt creari sine gratia: ergo etiam homines a peccati originalis labe immunes, sine illa produci possunt. *Consequentia* patet a paritate rationis: *antecedens* probatur ex S. Augustino *lib.* 22. *De Civit.* cap. 9. ubi affirmat Deum in Angelis condidisse *naturam*, et largitum esse *gratiam:* etenim de bona sanctorum Angelorum voluntate sermonem faciens, ait: *Istam quis fecerat, nisi ille qui eos cum bona voluntate, idest, cum amore casto quo illi adhærent, creavit simul eis et condens naturam, et largitus gratiam?* Quibus sancti amoris donationem contra naturæ creationem distinguit, quod illa sit gratiæ largitio, hæc vero naturæ formatio. *Confirmatur* ex eo quod subjungit, dum inquirendo causas tam inæqualis exitus Angelorum beatorum, et damnatorum, dici posse putat malos Angelos accepisse *minorem divini amoris gratiam:* quomodo enim minorem accepissent, si utrique naturæ suæ debitam acceperunt? — *Confirmatur* iterum ex eo quod subdit, ad Angelos tunc pertinuisse quod jam de hominibus dicitur: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis:* quomodo enim ad Angelos pertinuerit illa sententia, nisi quemadmodum jam intelligitur gratuito *diffundi charitas* per beneficium naturæ superadditum, ita et tunc factum fuisse credatur? Quomodo *per Spiritum sanctum,* si natura secum traxit invitam accipiendæ illius necessitatem? Quomodo tandem per Spiritum, *qui datus est,* si nihil proprie, ac per se datum est, nullaque intervenit peculiaris ratio beneficii, ac doni gratuiti, præter illam quæ includitur in creatione naturæ? — *Confirmatur* denique, ex *lib.* 13. *Confessionum* cap. 2. 3. 4. ubi S. Augustinus de Angelorum creatione sermonem faciens, duplicem erga eos Dei actionem distinguit: unam quam vocat creationem naturæ, vel ut loquitur, *inchoationem creaturæ spiritualis*, per quam habebat, *ut saltem tenebrosa fluitaret similis abysso, Deo dissimilis:* hoc est, per quam habebat ut existeret, sed sine spiritualibus ornamentis. Alteram quam appellat *largitionem gratiæ*, seu illuminationem per quam intellectualis illa creatura hæc accepit supernaturalia ornamenta, et gratiæ splendore illustrata fuit, de qua dicit intelligenda esse hæc verba Dei loquentis: *Fiat lux, et facta est lux. Hoc,* inquit, *intelligo de creatura spirituali, quia erat jam qualiscumque vita quam illuminares: sed sicut non te promeruerat ut esset talis vita, quæ illuminari posset, ita nec cum jam esset, promeruit te ut illuminaretur, ut et quod* utcumque vivit, *et quod* beate vivit, *non deberet nisi tuæ gratiæ;* quibus aperte designat utrumque Deo perinde facile, perin-

deque arbitrarium fuisse, et Angelos in ipsorum nihilo improductos sinere, et productos, denegato lumine gratiæ, in naturalibus tenebris informes relinquere. — Unde oportet illos duplicatum agnoscere Dei beneficium omnino gratuitum: primum, quod *utcumque vivant*, secundum, quod *beate vivant*: etenim inquit, Deum alloquens: *quid ergo tibi deesset ad bonum quod tu tibi es, etiamsi ista, vel omnino nulla essent, vel informia remanerent, quæ non ex indigentia fecisti, sed ex plenitudine bonitatis tuæ?* Constat ergo quod gratia sanctis Angelis non fuerit connaturalis; adeoque hæc multo minus homini connaturalis est dicenda. Quod utique aperte ex eodem S. Augustino deducitur. — Nam quod hic de Angelis dixit, eadem pene de primo homine dixerat in libris *De Genesi ad litteram*, ubi pariter duplicem distinguit Dei operationem: unam qua operatus est hominem, ut homo esset, alteram ut qui jam homo erat, pius, sapiensque esset: *Sicut*, inquit, *operatur homo terram, non ut eam faciat esse terram, sed ut cultam, atque fructuosam: sic Deus hominem multo magis, quam ipse creavit ut homo sit, eum ipse operatur ut justus sit, si homo ab illo per superbiam non abscedat.* Et iterum: *Quapropter, qua locutione dicitur homo operari terram, quæ jam terra erat ut ornata, atque fœcunda sit, ea locutione dicitur Deus operari hominem, qui jam homo erat, ut pius, sapiensque sit.* Quibus patet S. Augustinum distinguere actionem Dei productivam hominis, quatenus homo est, ab alia actione qua fit sapiens, justus, et sanctus.

Probatur 4. Conclusio ratione theologica: id Deus pro nutu facile potest exequi, quod nec contradictionem implicat, nec ejus majestatem, et operandi virtutem dedecet: sed talis est naturæ puræ status; quod sic evinco: hic status tria maxime complectitur: *Primo* quidem supponit naturam humanam sua pertectione essentiali, omnibusque facultatibus ad operandum expeditis, et accidentibus connaturalibus una cum concursu divinæ Providentiæ sibi parato, et naturaliter debito poitentem; *Secundo*, nullis supernaturalibus donis, quibus ad ordinem superiorem, et finem ingenitas suas vires excedentem, illustratam: *Tertio*, immunem a peccato originali, omnibusque pœnis ex eo promanantibus: sed horum neutrum contradictionem implicat, nec Deum operantem dedecet. Non quidem primum, quia de facto naturas omnes suis omnibus numeris absolutas condidit; *Vidit* enim *cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona*. Non etiam secundum, constat enim hominem posse a Deo creari expertem omnis peccati originalis, sicut de facto primi Parentes peccati expertes a Deo conditi sunt. Non denique tertium, cum enim dona supernaturalia sint naturæ indebita, sitque divinæ voluntatis, et gratuitæ liberalitatis naturam humanam æque, ac Angelicam illis ornare, manifestum est posse Deum ab eorum collatione abstinere: ergo ex neutro capite naturæ puræ status implicat. — *Deinde*, si gratia, et cetera dona supernaturalia connaturaliter deberentur Angelo, vel homini originali peccato non infecto, ita quod non posset absque illis, juxta regulatum operandi ordinem, a Deo creari, sequeretur illa dona, et gratiam sanctificantem Angelis, et primis Parentibus infusam simul fuisse, et non fuisse gratiam. Fuisset equidem, ut supponitur, et ut ipsum nomen significat: non fuisset vero gratia, quia gratiæ proprie dictæ repugnat, quod sit naturæ debita, seu connatu-

ralis. Dona namque supernaturalia gratiæ, et gloriæ, quibus creatura rationalis ordinatur ad finem supernaturalem, non respiciunt potentiam ejus naturalem, sed dumtaxat obedientialem, ut communiter docent Theologi; qui idcirco triplicem potentiam receptivam in creaturis distinguunt: unam quidem *Naturalem*, in qua recipiuntur accidentia subjecto connaturalia, ut lumen in oculo, scientia in intellectu, etc. Alteram *Violentam*, in qua subjectantur accidentia repugnantia naturæ subjecti, ut calor in aqua. Aliam denique *Obedientialem*, qua creatura rationalis subditur Deo ad recipiendas formas ordinis supernaturalis. Certum est autem, quod Deus ordinario operandi modo non teneatur tribuere creaturæ etiam a peccato originali immuni ea, quæ per solam capacitatem obedientialem potest excipere, cum id modum agendi præternaturalem spectet, neque etiam creatura ad has formas per capacitatem obedientialem excipiendas naturaliter ordinatur; alioquin illa capacitas non esset obedientialis, sed naturalis: ergo illa dona non sunt creaturæ rationali connaturaliter debita. — *Denique*, homines, et Angeli quantumvis innocentes, sunt tantum filii Dei adoptivi, unicus enim Filius naturalis est, nempe Christus Dominus; omnis autem creatura naturaliter, et vi suæ originis Dei serva est, cum talis servitus in ejus natura fundetur: sed filius adoptivus non habet jus ratione nativitatis, sed tantum ratione gratuitæ liberalitatis, tum ad hæreditatem, tum ad ea quæ hæreditatem spectant; ergo nec Angeli, nec homines, quantumvis peccati expertes, ex natura sua habent jus ad intuitivam Dei visionem, quæ est ipsorum hæreditas, nec consequenter ad gratiam necessariam ad illius hæreditatis consecutionem. Unde merito S. Cyrillus Alexand. lib. 1. in *Joann.* cap. 13. affirmat quod *creatura cum serva sit, nutu solum, et voluntate Patris ad supernaturalia vocatur.*

Reponunt Adversarii, gratiam equidem propriissime dictam non esse debitam creaturæ rationali ex exigentia ipsius naturæ, vel jure operum naturalium; debitam tamen esse, et connaturalem propter quasdam decentias, congruentias, et æquitates quæ ex aliis capitibus oriuntur, nihil enim, inquiunt, connaturalius est innocenti Dei imagini naturaliter conditæ cum capacitate fruendi Deo ipso, quam gratia: unde quamvis Deus non ageret contra justitiam, si gratiam ipsam creaturæ denegaret, ageret tamen contra sapientiam, et regulatum operandi modum, si ipsi creaturæ non præstaret media ad eum finem obtinendum, ad quem ex natura sua ordinatur. — *Confirmant* ex eo, quod Theologi Scholastici affirmant *gratiam sufficientem*, gratiam absolute, et nihilominus esse ita debitam creaturæ rationali, etiam in statu naturæ lapsæ, ut ipsi a Deo de via ordinaria non possit denegari; alioquin impossibilia juberet Deus, et ideo homo peccaret in eo quod vitare non posset: ergo, inquiunt, a simili, gratia sanctificans, sine qua natura peccati originalis expers creari non potest, non minus esset propriissime gratia, licet ex congruitate creaturæ rationali connaturaliter esset debita. — **Contra**, primo, hæc responsio supponit falsum, nempe hominem ex natura sua ordinari ad Dei visionem, et fruitionem velut ad finem connaturalem, ut infra patebit. *Secundo*, implicantia loquitur; nam si homo ad eum finem ex natura sua ordinetur, consequens est, quod homini innocenti, seu peccati originalis experti, gratia, et

visio, ac fruitio Dei debeatur, non solum debito oriundo ex Dei sapientia, vel aliqua congruitate, sed etiam ex ipso jure naturæ exigentis ab intrinseco hunc finem, ad quem naturaliter ordinatur; et consequenter requirentis media ad ejusdem finis assecutionem necessaria. *Tertio* denique, perperam etiam ait, gratiæ propriissime dictæ repugnare tantum rationem debiti, quod supponeret opera creaturæ, non vero quod oriretur ex exigentia naturali ipsius creaturæ, ita quod non desineret esse, ac vere dici propriissime gratia, etsi naturæ debeatur, dummodo non præcesserit opus propter quod censeatur debita. Nam, ut probabimus in 1. *Tractatu libri sequentis*, nomine *gratiæ proprie sumptæ* sancti Patres et Concilia intelligunt donum gratuitum, naturæ superadditum, illius debitum, et exigentiam superans; non vero solum id quod non debetur operibus nostris per modum mercedis; alias liberum arbitrium, et quæcumque perfectiones naturales dici possent gratiæ propriissime dictæ; siquidem nullum opus fecimus antequam Deus hæc dona nobis concederet. Hoc autem absurdissimum, et erroneum esse, censuerunt Concilia, et Patres quotquot Pelagii hæresim proscripserunt. *Ad confirmationem dico*, exemplum de gratia sufficienti non esse ad propositum; quamquam enim gratia sufficiens dicatur a Theologis aliquando creaturæ rationali debita, non minus gratia est proprie dicta, quia non ipsi debetur absolute quasi ipsam homini absque injustitia Deus denegare non posset; sed tantum ex congruitate, et ex hypothesi, quod ordinetur, et elevetur ad finem supernaturalem, quæ ordinatio, et elevatio est ipsi indebita, et fit a Deo omnino libere. At vero ex Adversariorum sententia, ipsa elevatio ad ordinem supernaturalem ita est debita naturæ experti peccati originalis, ut Deus ab ea abstinere non possit, nisi in pœnam peccati, nec consequenter illa natura creari potest absque gratia, aliisque auxiliis ad ipsius finis supernaturalis assecutionem necessariis.

1. Objectio petita ex modo loquendi SS. Patrum. — Objiciunt itaque 1. Dona integritatis, et gratiæ sanctificantis dicuntur a SS. Patribus fuisse naturalia primis Parentibus; Cælestinus enim *Epistola ad Episcopos Galliæ cap.* 4. ait: *Homines in prævaricatione Adæ naturalem possibilitatem, et innocentiam perdidisse.* Et S. Augustinus pluribi, maxime *lib.* 11. *De Genesi ad litteram*, affirmat homines dona supernaturalia amittendo, etiam amisisse *posse naturæ*, et *possibilitatem naturalem:* ergo de potentia Dei ordinaria, et providente singulis rebus juxta earum exigentiam naturalem, homines ante peccatum creari non potuerunt sine hujusmodi donis, adeoque nec in statu naturæ puræ. — **Nego consequentiam**, et ad *antecedens* dico, *naturale* a sanctis Patribus appellari non solum id quod homo connaturaliter exigit, sed etiam id quod natura humana in sua origine, et creatione accepit, quamvis ipsi sit indebitum, et præternaturale. Sic Apostolus ad Ephesios 2. ait, quod *sumus natura filii iræ*, quocirca S. Augustinus 1. *Retract.* cap. 15. *Proprie natura dicitur*, inquit, *in qua sine vitio creati sumus.* Et serm. 14. *De Verbis Apostoli*, peccatum originale appellat *peccatum naturæ*, seu *naturale;* non quod naturæ humanæ connaturale sit, sed quia nobis ab ipso vitæ, et naturæ exordio inest, et cum ipsa ad omnes Adami posteros transfunditur, et propagatur. Itaque licet dona integritatis, et gratiæ sanctifi-

cantis fuerint Adamo indebita, et ultra naturalem ejus sortem; nihilominus dici potuerunt naturalia a SS. Patribus, quia ipsi concessa fuerunt ab initio suæ formationis. Hinc est quod Auctor librorum Hypognosticon pro eodem sumit *hominem posse naturaliter quod velit*, et eumdem habere *possibilitatis donum*, quod primi Parentis *vitio perditum est*.

2. Objectio illata ex ordinatione hominis ad beatitudinem. — Objiciunt 2. Non potuit Deus creaturam rationalem nullius peccati ream formare incapacem assequendæ veræ beatitudinis, in qua quiesceret: sed homo creatus in statu naturæ puræ, et donis supernaturalibus gratiæ, et charitatis destitutus, esset incapax veræ beatitudinis assequendæ: ergo eo in statu creari non potuit. *Major* constat ex eo quod omnes homines naturaliter beatitudinem appetant: nam inquit S. Aug. lib. 13. *De Trinit.* c. 8. *Omnes beatos esse velle veritas clamat, natura compellit, cui summe bonus, et immutabiliter beatus Creator hoc indidit.* Inde fit quod omnis creatura rationalis miseriam fugiat, et ut ait idem S. Doctor in Enchiridio cap. 101. *Ita beati esse volumus, ut esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam velle possimus.* — *Minorem* vero probant: homo non potest esse vere beatus, nisi fruatur clara Dei visione, ejusque summo amore, quibus Deum ipsum veluti comprehendat; anima enim rationalis hoc ipso quo naturaliter rationalis est, et imago Dei, tam immensæ est capacitatis, ut nulla re alia satietur, nec consequenter beari possit, nisi solius immensæ illius divinæ essentiæ possessione, ut pluribi docet S. Augustinus, maxime lib. 14. *De Trinit.* cap. 8. et lib. 12. *De Civit.* cap. 1. Unde S. Bernardus, *sermone de dedicatione*, ait: *Arida mens hominis creatis rebus occupari potest, satiari non potest; et Dei capacem, quidquid Deo minus est, non implebit.* Sed hæc Dei fruitio naturæ viribus obtineri nequit: ergo nec in statu naturæ puræ formari; quippe cum non possit eo in statu ad beatitudinem ordinari. — **Respondeo ad majorem**, revera quidem hominem peccati expertem non posse a Deo creari sine ordine ad beatitudinem aliquam, et finem ultimum; sed ille finis duplex esse potest: nimirum *naturalis*, consistens præcipue in adhæsione ad Deum per cognitionem, et amorem viribus naturæ acquisitu possibilem; et *supernaturalis* consistens in clara Dei visione, seu amore, et gaudio beatifico. Ex hypothesi autem, quod homo creatus fuisset in puris naturalibus, ad priorem tantum finem, et beatitudinem fuisset destinatus, et ordinatus. Quod enim ad supernaturalem beatitudinem, et finem ultimum nunc ordinetur, eximiæ fuit gratiæ, et liberalitatis divinæ, juxta illud ad Titum 3. *Ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* Priorem beatitudinem appetit homo naturali et innato appetitu; ad posteriorem vero cum habeat solum capacitatem obedientialem, ideo non illam naturaliter appetit innato appetitu, quatenus supernaturalis est, sed tantum elicito. Prior coincidit cum fine ultimo naturali hominis; posterior vero idem est, quod finis ejus ultimus supernaturalis. Cum autem Deus gratuita liberalitate supra naturæ captum, et exigentiam homines ordinaverit ad illam beatitudinem supernaturalem, haud dubie potuit ab illa ordinatione sibi libera abstinere, et ad beatitudinem naturalem duntaxat homines ordinare, eos creando in statu naturæ

puræ. Si autem quæras, in quo ea naturalis beatitudo consisteret? *Respondebo*, Theologos eam constituere in perfecta, et suavi contemplatione Dei, ut Auctoris naturæ, quæ non pertingeret quidem ad intuitivam, et claram ejus visionem; sed esset dumtaxat cognitio ejus abstractiva emendicata ex creaturis, maxime ex substantiis separatis, et spiritualibus. Illa autem contemplatio radix esset, et incentivum amoris naturalis Dei, et reliquarum virtutum naturalium, quarum naturaliter homo capax est, et quibus ea bona posset assequi, quæ naturalem animæ et corporis satietatem ingenitumque beatitudinis desiderium explerent.

Instant: Suavis illa, quæcumque esset Dei contemplatio, hominis animam non satiaret, exinde enim claram Dei visionem optaret; siquidem ex cognitione effectuum, excitatur naturale desiderium videndi causam: ergo illa contemplatio non esset hominis satiativa, nec consequenter beatificativa; subindeque dari non potest naturalis beatitudo. — **Distinguo antecedens**: ex tali contemplatione oriretur desiderium videndi causam, quod esset absolutum, et inquietudinem pariens, nego: quod esset conditionatum, et animi quietem non interturbans, concedo: appetitus enim videndi causam, visis effectibus, in eo tantum est absolutus, cui talis visio apparet possibilis: unde cum homini in puris naturalibus existenti non esset naturaliter nota possibilitas divinæ visionis, quæ supernaturalis est; inde sequitur, quod appetitus claræ visionis Dei conditionatus tantum esset, et inefficax. Inefficax autem volitio, seu velleitas, cum non moveat hominem ad assecutionem rei desideratæ, etiam nec inquietudinem, aut anxietatem parit.

Urgent iterum: Visio beatifica est naturaliter debita creaturæ rationali, utpote cum sit ejus finis ultimus: ergo naturaliter ipsam homo appetit, nec eam homini denegare potest Deus, absque ipsius hominis culpa, et præsupposito peccato. Antecedens probant ex S. Augustino, qui frequenter reprehendit Pelagianos, maxime *lib.* 1. *ad Bonifacium cap.* 22. et *lib.* 1. *contra Julianum cap.* 3. quod dicerent infantes nasci sine peccato originali, et tamen excludi a regno Cælorum, si morerentur absque baptismate: unde serm. 14. *De Verbis Apostoli* in Pelagium sic invehitur: *Quare patrimonium regni Cælorum abripis innocenti? quæ est ista justitia Dei? Dic quæso quid offendit parvulus non baptizatus nullam habens culpam? etc.* Hic autem discursus non valeret, si non existimaret Augustinus beatitudinem æternam esse ita homini connaturaliter debitam, ut ei nonnisi propter culpam denegari possit: ergo, etc. — **Respondeo** 1. *Antecedens* adversari tum Scripturæ, tum sanctis Patribus, affirmantibus beatitudinem æternam non esse homini connaturalem, sed supernaturalem, et maximum divinæ gratiæ beneficium. Ideo Vates Regius non naturæ, sed gratiæ illam tribuit Psal. 83. *Gratiam*, inquit, *et gloriam dabit Dominus:* et S. Paulus absolute pronuntiat: *Stipendium peccati mors; gratia autem Dei vita æterna in Christo Jesu Domino nostro:* idest gratia per Christum collata. Unde S. Augustinus lib. 1. *De Trinit.* c. 6. alludens ad locum Pauli 1. ad Timot. 6. *Quem nullus hominum vidit, nec videre potest*, ait: *Videri Divinitas humano visu nullo modo potest: sed eo visu videtur, quo jam, qui vident, non homines, sed ul-*

ira homines sunt. — **Respondeo** 2. Merito S. Augustinum carpere Pelagianos; arguit enim ex ordine jam statuto, secundum quem creatura intellectualis est ordinata ad finem supernaturalem, qui est possessio regni Cælorum, quod equidem nunc alicui denegari non potest, nisi ob ipsius culpam; quia non potest alicui pœna infligi, nisi propter culpam: exclusio autem a gloria, supposita tali ordinatione, non potest non esse pœna. Non loquitur autem Augustinus de statu naturæ puræ, in quo homo ad gloriam æternam non ordinaretur.

INSTANT DENIQUE: Beatitudo naturalis nulla omnino esse potest: ergo omnis illa inclinatio, quam habet homo ad beatitudinem, oportet sit ad eam, quam supernaturalem appellamus. Probant *antecedens* ex eo, quod omnis beatitudo quatuor maxime conditiones debet complecti: scilicet, quod beatus nec possit offendi, nec falli, nec mori, nec anxius esse, sed securus de perseverantia sui status beatifici: at hæc haberi nequeunt in statu naturæ puræ: ergo, etc. *Majorem* probant ex S. Augustino pluribi, maxime ex *lib.* 14. *De Civit. c.* 25. ubi ait: *Justus non vivit ut vult, nisi eo pervenerit, ubi mori, falli, offendi omnino non possit; eique sit certum, ita semper futurum. Hoc enim natura expetit; neque plane, atque perfecte beata erit, nisi adepta quod expetit. Minor* constabit ex Quæstione sequenti, in qua probabitur statum naturæ puræ non fore expertem mortis, miseriarum, et anxietatis de jactura, et amissione boni cujuscumque possessi. — *Confirmat* S. Augustinus Epist. 52. ubi cum dixisset: *Quanta est vanitas, quanta insania, quantumque mendacium, hominem mortalem ærumnosam vitam mutabili spiritu, et carne ducentem, tot peccatis oneratum, tot tentationibus subditum, tot corruptionibus obnoxium in se ipso fidere, ut beatus sit; quando nec illud, quod habet in naturæ suæ dignitate præcipuum, idest mentem atque rationem, potest vindicare ab erroribus nisi Deus adsit lux mentium?* Concludit: *Abjiciamus itaque, obsecro te, falsorum Philosophorum vanitates, et insanias mendaces: quia nec virtus nobis erit, nisi adsit ipse quo juvemur, nec beatitudo nisi adsit ipse, quo fruamur: et totum mutabile atque corruptibile nostrum, quod per seipsum imbecille, et quædam materies miseriarum est, dono immortalitatis, atque incorruptionis absorbeat:* ergo nulla in terris est speranda felicitas. — **Nego antecedens**: et ad *majorem* illius probationis dico, quatuor præfatas conditiones ad beatitudinem desideratas, spectare beatitudinem non temporalem, sed æternam; non hujus vitæ, sed alterius; neque naturalem, sed supernaturalem, a qua in perpetuum exulant anxietates mortis, et morbi formido: fatentur enim ipsimet Adversarii, duplicem distingui posse beatitudinem: unam *imperfectam*, quam *decoloratiorem* visione beatifica appellat S. Aug. Aliam vero *perfectam*, quæ in ipsamet clara Dei visione, et fruitione consistit. Priorem, inquiunt ex Augustino, habebat Adamus in statu innocentiæ, in quo videbat Deum non intuitive, sed tantum abstractive; posteriorem inde assecuturus, si in priori firmus, et immobilis stetisset. Cur ergo similiter nobis non licebit duplicem distinguere beatitudinem, perfectam unam et supernaturalem, aliam imperfectam et naturalem, ad quam tendere ac pervenire posset pura natura, et per quam promoveri posset ad illam supernaturalem et præstantiorem?

Reponent forsan, imperfectam illam beatitudinem, et decoratiorem a se designatam, esse dispositionem ad præstantiorem, qualis non esset illa beatitudo naturalis a nobis excogitata. — **Verum**, quid impedit quominus pariter dicamus hominem in puris naturalibus, aliquamdiu relinqui posse in statu illius beatitudinis naturalis, donec sine ullo suo merito, et ex pura Dei liberalitate, et gratia ad supernaturalem promoveatur, et transferatur: quemadmodum ipsi Adversarii contendunt Adamum potuisse relinqui aliquamdiu in statu imperfectæ et decoratioris suæ beatitudinis supernaturalis, ut deinde accedente merito suo, transferretur ad perfectam, nempe Dei visionem intuitivam? Neque enim contendimus hominem in statu naturæ puræ constitutum necessario debere perpetuo in eo consistere; ita quod accedente Dei beneficio non posset ad præstantiorem et perfectiorem statum evehi: sed nobis sufficit, quod in eo aliquamdiu consistat, ut ille status non judicetur impossibilis. — *Ad confirmationem*, et utramque S. Augustini sententiam dico, eum non loqui de naturali beatitudine, et statu hominis qui foret in natura pura, sed de præsenti statu naturæ lapsæ, deque perfecta beatitudine, ad quam per Dei gratiam ordinati sumus, et sine qua vere beati esse non possumus; quippe cum nunc maneamus obstricti peccato, gravibusque ærumnis, et pœnis illis adjunctis urgeamur. Quod si S. Augustinus negare videatur aliam esse beatitudinem præter æternam, et supernaturalem, in cujus comparatione quæcumque alia beatitudo excogitanda, videtur esse sola miseria, dico eum loqui eo sensu, quod id quod summum et præstantissimum est, dicitur solum esse in tali genere, et cætera quæ longe inferiora sunt, præ illo nihil esse, et qualiter Deus in Scriptura sacra affirmatur solus esse: *Nonne tu qui solus es?* Ps. 14. reliqua autem entia præ ipso esse nihil; sic Isaiæ 40. *Omnes Gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum, et inane reputatæ sunt ei.* Unde sicut entia creata, etsi respective ad Deum dicantur nihil, attamen in seipsis pro suo modulo veram, et realem entis rationem sibi vindicant; sic illa beatitudo naturalis, quam homines possunt assequi in statu naturæ puræ, participaret pro suo modulo rationem beatitudinis, proportionatam scilicet homini in tali statu existenti, ex qua tandem ad præstantiorem ex Dei benevolentia promoveretur.

3. Objectio petita ex amore Dei. — Objiciunt tertio: creatura rationalis institui non potest a Deo nisi cum voluntate ordinata ad Creatorem amandum, et diligendum *amore casto*, hoc est immediate, et tantum propter se: sed amor ille non potest haberi absque beneficio gratiæ, ut innumeris locis indicat S. Augustinus: ergo, etc. — **Distinguo majorem**: non potest sic creari, quin ordinetur ad amandum Deum amore naturali, vel supernaturali, concedo: amore tantum supernaturali, et qui sit perfecta charitas, nego. Itaque duplex distingui potest amor hominis erga Deum; unus quidem minus perfectus, et pure naturalis, quem naturæ viribus, et cum providentiæ connaturalis auxilio homo posset exercere: alter perfectior, et sublimior, quem nonnisi auxilio Spiritus sancti elicere potest, quique dicitur perfecta charitas in cordibus nostris diffusa per Spiritum sanctum nobis donatum, quo non solum Deum diligimus, ut Auctorem naturæ, et beneficio-

rum naturalium largitorem munificum, sed etiam ut Auctorem gratiæ, et nostræ salutis æternæ Opificem.

Instant, hanc distinctionem duplicis amoris Dei, naturalis, et supernaturalis, neque in sacris Litteris, neque in Conciliis, neque in sancto Augustino, aliisque sanctis Patribus ullum habere fundamentum, et vestigium ; sed humanum prorsus esse figmentum, Aristotelicæ Philosophiæ beneficio excogitatum : ergo in Christianorum Scholis hæc distinctio non est admittenda. — **Nego antecedens**, cujus falsitas apparet quantum ad omnes partes: *Primo* namque illius amoris naturalis Dei Scriptura sacra vestigium præbet, et argumentum ; nam *primo cap. ad Romanos,* Apostolus affirmat non solum Philosophos naturali lumine rationis Deum cognovisse , sed et *cap.* 2. docet Gentes quæ legem non habebant naturaliter fecisse quæ legis sunt : atqui prima et summa lex naturali lumine significata, et hominum cordibus inscripta, est Deum omnium Creatorem esse diligendum : unde S. Bernardus lib. *De diligendo Deo : Clamat,* inquit, *intus innata, et non ignota ratione justitia, diligendum esse illum cujus nos totos esse, et cui totum debere non ignoramus.* Si enim possunt homines naturaliter cognoscere Deum rerum omnium Creatorem, Auctorem sui esse, Parentemque optimum, et benefactorem liberalissimum, valde connaturale est, quod etiam illum possint amore naturali prosequi ; adeo enim natura inclinat ad parentum et benefactorum dilectionem, ut humanum sensum, et rationem exuisse videantur apud omnes, etiam Barbaros, qui secus faciunt. Unde merito S. Paulus c. 1. ad Rom. pronuntiat, Gentiles illos qui Deum naturaliter agnoverunt, fuisse eo ipso inexcusabiles, quod ipsum *non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, et servierint potius creaturæ quam Creatori.* Cultus autem Dei præcipue in ejus amore consistit, juxta illud sancti August. Epist. 120. *Pietas cultus Dei est, nec colitur ille nisi amando :* ergo censet Apostolus, Gentiles debuisse Deum amore naturali prosequi. — Quod vero ad *Concilia* spectat, etiam evidens illius distinctionis præbent argumentum : imprimis quidem Arausicanum secundum can. 25. et Trident. *Sess.* 6. *Can.* 3. dum videlicet definiunt auxilium Spiritus sancti necessarium esse ad diligendum Deum , non quomodocumque, sed *sicut oportet ad salutem* , vel sicut oportet, ut justificationis gratia conferatur : limitatio enim illa, *sicut oportet ad salutem,* frustra poneretur, si nullus alius amor Dei esset possibilis nisi perfectus et supernaturalis, qui ad salutem et justificationem perducit. Ergo, etc. Hoc ipsum sancti Patres sufficienter indicant, ut constat tum ex laudato S. Bernardo, tum pariter ex S. Augustino *lib.* 6. *Contra Julianum cap.* 10. ubi de parvulis sine baptismo morientibus sic loquitur : *Si hoc eis non erit malum, excludi scilicet a regno cœlorum, non ergo amabunt regnum Dei ut innocentes imagines Dei. Si autem amabunt, et tantum amabunt quantum innocentes amare debent regnum ejus a quo ad ipsius imaginem creantur : nihilne mali de hac ipsa separatione patiuntur?* Quibus verbis affirmat parvulos illos a gloria licet exclusos solisque naturæ viribus relictos, amaturos esse Dei visionem, et habituros dolorem quod in perpetuum illa privari debeant ; non enim de Dei amissione, et jactura dolerent, nisi eum amore prosequerentur ; quis autem dixerit infantes illos pœnæ damni addictos, omnibusque

proinde cælestibus donis spoliatos, amore supernaturali ferri in Dei pulchritudinem videndam? Restat ergo ut ipsorum amor erga Deum sit pure naturalis. Adde quod in damnatis Baii propositionibus hæc erat num. 32. *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet quo Deus amatur ut Auctor naturæ, et gratuiti quo Deus amatur ut Beatificator, vana est, et commentitia ad illudendum sacris Litteris, et plurimis veterum testimoniis excogitata:* ergo duplicem illum Dei amorem denegare, Catholicum non sapit.

Urgebis: Amor Dei, sine quo creatura rationalis formari nequit, vel saltem quin eum habeat in sua potestate, non potest esse alius quam quo Deus amatur propter Deum: si enim propter aliud quippiam Deus diligatur, non erit ille verus et castus amor Dei quem per Deum assequi cupit: nam, ut inquit S. Augustinus in Psal. 77. *Qui propter beneficia terrena Deum quærunt; non utique Deum, sed illa quærunt, quia eodem modo timore servili, non liberali dilectione Deus colitur: sic ergo Deus non colitur: hoc enim colitur quod diligitur:* atqui talis amor castus et rectus non potest haberi sine vera et proprie dicta gratia Dei, ut docet idem Doctor *serm.* 15. *De verbis Apostoli, cap.* 11. et *lib.* 5. *contra Julianum cap.* 3: ergo, etc. — **Nego minorem**; neque enim impossibilis foret aliqualis Dei amor propter se in statu naturæ puræ, qualis nunc in statu naturæ corruptæ possibilem esse viribus liberi arbitrii demonstrabimus *in tertium Sent.* Neque etiam sequitur omnem amorem Dei qui non est pure propter ipsum esse vitiosum et inordinatum, ut ibidem probabimus, tum ex Scriptura, quæ sæpius hortatur homines ad Deum amandum et colendum propter eximia ipsius erga nos beneficia; non autem hortatur ad amorem vitiosum et impurum: tum ex Conciliis, et Patribus, qui talem etiam Dei amorem commendant; tum demum, quia si non posset recte amari Deus, nisi propter se, nihilque aliud benefieri, nisi quod ex tali amore procederet, sequeretur nullam esse aliam virtutem præter charitatem; quod manifeste pugnat in ipsam Scripturam sacram, et sanctorum Patrum doctrinam. — *Ad auctoritatem S. Augustini* respondeo ipsum præfatis verbis intelligendum esse de eo, qui sic affectus esset, ut Deum non amaret, si illa beneficia non concederet; quasi Deus foret indignus amore, nisi esset beneficus; quæ sane voluntatis affectio, et æstimatio, vitiosa omnino est et inordinata. *Vel* intelligendus est de illo, qui Deum sic amat propter ejus beneficia, ut potiorem habeat rationem beneficiorum, quam ipsius Dei, quem illis quodammodo postponit, juxta id quod ipsemet Augustinus in eumdem Psalmum 77. loquitur; *Rectum cor,* inquit, *cum Deo est, quando propter Deum quærit Deum.... In corde autem non recto cum Deo est ubi ea potius diligit, propter quæ Dei adjutorium requirit.*

Instabis rursus: Præcipuus Pelagii error fuit, quod assereret aliquem purum, et castum Dei amorem haberi posse naturæ viribus. Unde gravis inter ipsum et Catholicos fuit concertatio, ut testatur S. Augustinus *lib. De gratia et libero arbitrio,* cap. 18. dicens: *Unde et in hominibus charitas Dei, et proximi, nisi ex ipso Deo? Nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani; si autem ex Deo, vicimus Pelagianos.* Unde et *lib. De natura, et gratia,* cap. 2. dicit eos, qui de Christo nihil audiverunt, quique solum credere possunt in Deum

sui auctorem, et recte vivendo ejus implere voluntatem, neque hoc facere posse absque gratiæ Christi beneficio : *Si enim*, inquit, *hoc fieri potuit, aut potest, hoc et ego dico, quod de lege dicit Apostolus :* ergo gratis Christus mortuus est. — Respondeo, S. Augustinum ibidem loqui de dilectione, et bonis operibus conducentibus ad beatitudinem supernaturalem ; nam initio capitis libri mox citati dixerat : *Natura humani generis, ex illius unius prævaricatoris carne procreata, si potest sibi sufficere ad implendam legem perficiendamque justitiam, de præmio debet esse secura, hoc est, de vita æterna ; etiamsi in aliqua gente, aut aliquo superiore tempore fides eam latuit sanguinis Christi.* Adde quod Pelagius maxime negabat gratiam necessariam, non ad opera tantum moralia, et honesta, sed ad supernaturalia, quibus ad felicitatem æternam promovemur : adeoque S. Augustinus ibi non loquitur de prioribus operibus solis naturæ viribus eliciendis, sed de posterioribus, quæ fieri non possunt absque gratiæ auxilio.

Urgebis insuper: Gentiles Philosophi etiam agnoverunt amorem quo, naturali lumine Deus cognitus, ut omnium Auctor, diligendus est, non posse hominibus inesse absque beneficio, et gratia ipsius Dei, ut pluribi testatur S. Augustinus, maxime *lib.* 8. *De civit. cap.* 5. *et* 10. et *lib.* 4. *Contra Julianum*, cap. 3: ergo in statu naturæ puræ nullus Dei amor posset hominibus inesse. — Respondeo, Philosophorum sensum eum fuisse, ut voluerint amorem illum et Philosophiam, ac sapientiam, aliasque egregias hominis dotes non posse quidem haberi sine Dei beneficio ; non quidem ordinis supernaturalis, nam ipsimet Adversarii aperte fatentur Philosophos Ethnicos nihil omnino de elevatione naturæ ad statum supernaturalem disseruisse, aut cognovisse ; sed ordinis naturalis, emendicati scilicet ab illa speciali Dei providentia, quæ non excedit ejusdem ordinis limites, quæque non transcendit Philosophorum captum. Hoc igitur sensu apud Augustinum *lib.* 8. *De civit., cap.* 5. dixerunt: *Verbum, Deum, et rerum auctorem, et veritatis illustratorem, et beatitudinis largitorem ; et ab illo nobis esse et principium naturæ, et veritatem doctrinæ, et felicitatem vitæ*, quæ in ejus cognitione, et amore præcipue consistit : et *lib.* 4. *Contra Julianum, cap.* 3. etiam dixerunt: *Veras virtutes non esse nisi, quæ menti quodammodo imprimuntur a forma illius æternæ immutabilisque substantiæ, quæ est Deus.* Nec refert, quod *ibidem* S. Augustinus, et alibi sæpius dixerit gratiam ejusque suavitatem nobis a Deo donari debere, *ut eum diligamus ;* intelligit enim, *ut diligamus perfectius* quam Philosophia doceat, et solæ vires naturales præstare possint ; qua ratione etiam gratiam requirit, ut patientiam aliasque virtutes perfectius exerceamus, juxta id quod ait lib. 22. *De Civit.*, cap. 22. *Ad hoc meliores quosque in his malis adjuvat gratia, ut quanto fideliori, tanto fortiori corde toleremur : ad quam rem etiam Philosophiam prodesse dicunt docti hujus sæculi, quam Dii quibusdam paucis, ut ait Tullius, veram dederunt, nec hominibus ab eis, ut datum est donum majus, quod potuit dari.*

Instabis denique S. Augustinum pluribi docere omnem amorem creaturæ rationalis esse charitatem, vel cupiditatem ; quia nimirum necessarium est creaturam rationalem in omni actione voluntaria ferri in Deum, vel in creaturam, ut in alterutro ultimo quiescat : si in Deo,

charitas est; si in creatura, cupiditas. In hac autem divisione nullam aliam *charitatem* agnoscit S. Augustinus nisi quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, neque aliam *cupiditatem*, nisi qua creatura rationalis vitiatur, et ab ultimo suo fine exorbitat: sed hæc doctrina falsa esset si daretur aliquis amor Dei naturalis, qui sub illa charitate divinitus infusa non comprehenderetur, non esset enim revera cupiditas. — **Respondeo**, S. Augustinum ibi sumere *charitatem* non stricte et proprie, pro amore Dei, quo solum propter se, et super omnia diligitur, et quatenus charitas opponitur cupiditati; sed late, pro amore boni et honesti, qua honestum est, quo sensu lib. 2. *ad Bonifacium*, *cap.* 9. ait: *Quid est boni cupiditas, nisi charitas?* His adde quod non obstantibus testimoniis S. Augustini a Michele Bajo circa hanc propositionem confirmandam productis, damnata fuit a summis Pontificibus laudatis hæc Baii propositio num. 37. *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum sanctum in corde diffusa Deus amatur.* Quocirca non est, quod illius Sequaces hanc eamdem propositionem denuo nobis obtrudant.

4. Objectio petita ex virtutibus, et operibus moraliter bonis. — Objiciunt 1. Implicat naturæ rationalis status ille, qui et peccatum excludat, et adjunctam habeat impotentiam acquirendæ rectitudinis, et justitiæ, ac virtutis exercendæ: sed status pure naturalis peccatum excludit, ut supponitur, et adjunctam habet impotentiam illam: ergo status ille implicat. Probant *minorem* ex S. Augustino docente pluribi regulas cujuscumque rectitudinis, et virtutis comparandæ in Deo existere; in quo cernendum est quidquid verum de virtutibus cernitur, ut affirmat *lib.* 2. *De libero arbitrio*, *cap.* 12. 13. 14; unde fit ut animus non possit esse sapiens, justus, bonus, sed tantummodo distortus, ac pravus, nisi incommutabiles illas regulas sapientiæ, justitiæque diligat, ut ait ibidem *cap.* 19. Hinc *lib.* 1. *Retract.*, *cap.* 9. ubi refert et approbat quæ scripserat *lib.* 2. *De libero arbitrio*, ait: *Non solum magna, sed etiam minima bona esse non posse nisi ab illo a quo sunt omnia bona:* hoc est a Deo, et per donum gratiæ, ut significat verbis immediate præcedentibus. Hinc subdit: *Virtutes quibus recte vivitur, magna bona sunt: potentiæ vero animi, sine quibus recte vivi non potest, media bona sunt.... Quare abundantia, et magnitudo bonitatis Dei non solum magna, sed etiam media, et minima bona esse præstitit: magis laudanda est bonitas ejus in magnis* (idest virtutibus) *quam in mediis*, qualis est voluntas, et animi facultates: quibus indicat Deum gratiam majorem nobis conferre donando virtutes, quam contulerit conferendo facultates animi; adeoque virtutes non conferri nisi per gratiam supernaturalem. — **Respondeo** 1. Negando *minorem*, et ad ejus probationem *dico primo*, S. Augustinum in nullo ex locis ab Adversariis citatis affirmare regulas virtutum non posse nisi in Deo cognosci, licet in illo perfectissime eluceant, meliusque, et evidentius eorum cognitio ex eo habeatur, quam ex creaturis. — *Dico* 2, nullibi etiam asserere Dei gratiam ita esse necessariam ut sine illa virtutum regulæ, nec cognosci, nec inquiri possint: neque id colligitur ex laudatis verbis *lib.* 1. *Retractationum;* ibi namque S. Augustinus loquitur, ut etiam pluribi assolet, de virtutibus ad vitam æter-

nam promerendam conducentibus, quas idcirco solas veras esse virtutes docet, ad quas eliciendas maxime gratia requiritur, ut indicat lib. 4. *Contra Julianum*, cap. 3. *Si ad consequendam veram beatitudinem*, inquit, *quam nobis immortalem fides, quæ in Christo est vera, promittit, nihil prosunt hominis virtutes; nullo modo veræ possunt esse virtutes.* — *Dico* 3, quod illis aut similibus verbis non intendat S. Augustinus gratiam esse ita necessariam ad virtutes comparandas, et exercendas, ut ea deficiente non possit homo ullam virtutem moralem elicere : ipse namque constantissime affirmat, ut alias fusius probabimus, plures homines etiam in statu naturæ lapsæ extra statum gratiæ sanctificantis, imo et fidei, opera justitiæ, et virtutis exercere : sic enim disertissime de operibus infidelium a gratia Christi alienorum loquitur lib. *De Spiritu et littera*, cap. 27. et 28. *Quædam facta infidelium, et a gratia Christi alienorum sunt, quæ secundum justitiæ regulam non solum vituperare non possumus, sed etiam merito, recteque laudamus.* Et quamvis dicat opera illa si bene discutiantur vix habitura debitam justitiæ laudem, subdit: *Non esse tamen ita detritam in animo imaginem Dei terrenorum affectuum labe, ut nulla in ea velut extrema lineamenta remanserint; unde merito dici possit etiam in impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere.* Additque tertio : sicut non impediunt a vita æterna justum quædam opera naturæ viribus elicita, dummodo fateatur Julianus *esse illa sterilia ad vitam æternam; et ea omnia, quæ ad eam perducunt, nonnisi a Deo Patre per Jesum Christum cum sancto Spiritu inspirari.* Sed certum est, quod non esset infirmior homo in natura pura, quam in natura lapsa : ergo similiter posset in statu naturæ puræ sine gratia sanctificante et fide, aliqua justitiæ et virtutis opera exercere.

Instabis: Sanctus Augustinus *ibidem* contra Julianum probat virtutes extra fidem et gratiam comparatas non esse veras virtutes : ergo falsæ sunt, et ementitæ, adeoque nullum bonum morale, nullaque virtus in statu naturæ puræ gratiæ experte posset exerceri. — **Respondeo** S. Augustinum loqui comparative, non absolute, ita quod velit virtutes extra gratiam comparatas non eamdem habere perfectionem tantamque vim ad instaurandam hominis integritatem, et felicitatem quam habent christianæ virtutes, quibus vetus homo noster de die in diem exuitur, ut novus induatur, quibusque ad æternam felicitatem, et salutem promovemur. *Quod cum facimus*, inquit ibidem, *ideo* veras virtutes *habemus quia* verum *est propter quod facimus, idest* naturæ nostræ consentaneum ad salutem et felicitatem ; *non enim absurde virtus definita est ab iis qui dixerunt: Virtus est animi habitus naturæ modo atque rationi consentaneus. Verum dixerunt : sed quid sit consentaneum liberandæ ac beatificandæ naturæ mortalium nescierunt.* — En in quo ponat S. Augustinus virtutis veritatem, *Quod naturæ sit ad salutem, et veram felicitatem consentanea,* seu, *quod consentanea sit liberandæ ac beatificandæ naturæ.*

Alias rationes ex humani corporis miseria, concupiscentia, etc. petitas, objiciunt, et urgent Adversarii, sed ne fusior sit præsens Quæstio, eas referet et refellet.

QUÆSTIO SECUNDA.

QUALIS ESSET NATURÆ PURÆ STATUS; *SEU* AN EISDEM CORPORIS, ET ANIMÆ DEFECTIBUS, QUIBUS NUNC PRÆMIMUR, SUBJACERET.

Præsens Quæstio præcedentis nedum necessaria est consecutio, sed etiam explanatio et confirmatio: qui enim possibilitati statui puræ naturæ adversantur, omnem movent lapidem, ut eam oppugnent. Impugnant autem validissime tribus capitalibus argumentis, petitis *Tum* a naturalibus malis, ut sunt morbi, dolores, aliique corporum defectus; *Tum* a concupiscentia, quæ perpetuum rationi bellum movet, eique repugnat; *Tum* ab ignorantia, quæ substracta boni, malique cognitione, voluntatis facultatem ligat ne in hujusmodi objectis exerceatur. Cum autem hæc nec abesse posse putent a natura rationali sine gratia, nec adesse sine peccato, ut innumeris sancti Augustini testimoniis suaderi videtur, ideo impossibilem esse putant statum illum, quo tum gratia, tum peccatum ab ea natura excludantur: adeoque statum naturæ puræ censent esse fictitium ac chimericum. Ut autem omnes has ab eis propositas ambages, et difficultates facilius solvamus, ac naturæ puræ status possibilitatem evincamus et confirmemus,

Notandum 1. Corporis et animæ calamitates et miserias, duplicem sortiri posse rationem: *Vel* enim puri sunt, ac simplices ipsius naturæ deficientis et corruptibilis defectus et appendices: *Vel* sunt pœnæ a Deo criminum vindice ob primi Parentis peccatum singulis ejus posteris irrogatæ, ut censent communiter omnes Theologi; quibus repugnant Adversarii, docentes nullam pœnam quantumvis exiguam inferri posse naturæ innocenti; contenduntque S. Aug. non minus levissimas, quam gravissimas pœnas innocentibus infligendas, a divina potestate et æquitate submovere; neque loqui Augustinum de pœna ut pœna est, sed ut malum: et eum velle malum infligi non posse, nisi sub ratione pœnæ, seu non posse non esse pœnam: denique eum contendere hujusmodi miserias non posse nisi peccatoribus infligi. En caput et synopsis primæ difficultatis: unde concludunt, Divinam legem æterna veritate sancitam nullo pacto sinere, ut Deus creaturam sine ulla culpa miseram faciat; hoc enim, inquiunt, non esse Domini, sed Tyranni: ex quo fit ut hoc tam impossibile sit quam Deum non esse Deum.

Notandum 2. Concupiscentiam usurpari posse dupliciter: nimirum vel pro potentia concupiscendi, vel pro motu sive actu illius potentiæ. *Rursus* utrumque tripliciter potest accipi: *Primo* quidem late pro potentia, vel actu appetendi quodcumque bonum, sive spirituale sit, sive materiale et sensibile; quo sensu idem est ac voluntas, vel actus volendi. *Secundo* strictius, pro potentia, vel actu appetendi tantum sensibilia; et sic est idem ac appetitus sensitivus, vel actus ejusdem facultatis appetentis ea quæ naturæ conveniunt, aut necessaria sunt, nec honesto repugnant. *Tertio* denique strictissime, pro motibus illis inordinatis appetitus sensitivi, non solum rectæ rationis dictamini, sed etiam voluntati recta et justa cupienti repugnantis, et eam ad

prava allicientis, ac pertrahentis. *Primo*, et *secundo modo* sumpta concupiscentia est naturalis quædam perfectio nobis a Deo indita; est enim ipsamet voluntas, vel ejus actus quibus bonum anima appetit, et prosequitur ea, quæ naturalem perfectionem, ipsius naturæ conservationem spectant. — Nec refert, quod possit erumpere in actus malos et turpes: exinde enim non minus secundum se est perfectio naturalis: sicut enim absurdum esset existimare vitam, et sensum, et intellectum non esse naturales perfectiones nobis a Deo concreatas, propterea quod intellectus possit ad falsum declinare, et sensus possint deludi circa objecta sensibilia, et vita per mortem possit desinere: ita pariter absurdum esset negare potentiam appetendi esse naturalem perfectionem a Deo concessam, eo quod possit in motus vitiosos, et rationi rebelles prorumpere. *Tertio* vero *modo* sumpta concupiscentia, non est perfectio naturalis, sed defectus naturæ per peccatum vitiatæ.

Notandum 3. Ignorantiam (quæ est carentia illius cognitionis quam homo natus aptus est habere) maxime distingui triplicem: nimirum *Invincibilem*, *Crassam*, et *Affectatam*. 1. est qua rem aliquam ignoramus, quam scire vel non tenemur, vel non possumus. 2. est qua parum aut nihil diligentiæ ad rem sciendam adhibemus, quam tamen scire tenemur. 3. est qua aliquis spontanee ea vult ignorare quæ scire tenetur, ut liberius peccet: puta si quis scire nolit quo die sit jejunandum, ut liberius vacet epulis. Prima excusat a toto, secunda a tanto, tertia accusat, nullatenus excusat. *Prima* totam tollit malitiam; *secunda* partem malitiæ; *tertia* ipsam auget, non quidem secundum gradum, quia cum ignorantia voluntarium minuat, actio ex tali ignorantia facta minores habebit gradus malitiæ, quam si ex perfecta scientia fieret: sed dicitur malitiam augere, quia operationi prohibitæ addit affectionem talis ignorantiæ. Hic autem sermo est de ignorantia invincibili juris naturalis, ex qua (ut docere videtur S. Augustinus) infinita ab hominibus, etiam subinde sanctis, peccata proficiscuntur; et cum qua damnata hominis natura nascitur; quæ idcirco tam contraria est naturæ rationali, ut quidquid ex ea oritur, hominem culpæ reum faciat. Non potest ergo fieri, inquiunt Adversarii, ut homo creetur in statu naturæ puræ, in quo esset talis ignorantia, cujus horrendæ tenebræ fugari nequeunt, nisi per illustrationem gratiæ. Tria itaque in præsenti quæstione sunt discutienda: nimirum quod miseriæ corporis non ita sint pœnæ peccati, ut etiam esse non possint simplices naturæ effectus, adeoque possint esse in statu naturæ puræ. *Secundo* quod etiam in eo statu vigere posset concupiscentia. *Tertio* quod etiam in illo statu possent homines ignorantia laborare.

Conclusio prima. — Homo in statu naturæ puræ constitutus morti, et morbis, cæterisque corporeis miseriis subjacere posset. Hæc est Doctoris in 2. *dist.* 10. *q. unica n.* 3. ubi concedit, quod licet primus Parens stante innocentia divino beneficio esset immortalis, tamen ex naturæ suæ constitutione potuisset mori: non quidem ab extrinseco, sed ab intrinseco; quia nempe homo in statu innocentiæ erat ejusdem naturæ sicut est modo, quantum ad substantiam, et qualitates connaturales. Ergo sicut modo habet partes con-

trarias, ex quarum mutua actione et pugna deficere potest, ita etiam in statu innocentiæ potuisset mori, nisi per esum ligni vitæ ipsius natura ex integro fuisset restituta; et consequenter censet Doctor multo magis hominem fore mortalem in statu naturæ puræ. — Ipsi concinit S. Thomas in 2. *dist.* 13. *q.* 1. *art.* 2. his verbis: *Poterat Deus a principio, quando hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terræ formare, quem in conditione suæ naturæ relinqueret, ut scilicet mortalis, et passibilis esset, et pugnam concupiscentiæ ad rationem sentiens; in quo nihil naturæ humanæ derogaretur, quia hoc ex principiis naturæ consequitur. Non tamen iste defectus in eo rationem culpæ, aut pœnæ habuisset, quia non per voluntatem iste defectus causatus esset.* Quibus verbis nostram assertionem aperte edocet.

Probatur conclusio: primo quidem auctoritate S. Augustini lib. 6. *De Genesi ad litteram* cap. 25. ubi cum dixisset: *Corpus Adami ante peccatum, et* mortale erat quia poterat mori, *et immortale quia poterat non mori: aliud est enim non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus; aliud est autem posse non mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis, quod ei præstabatur* de ligno vitæ, non de constitutione naturæ; subdit: *Mortalis ergo erat* conditione corporis animalis, *immortalis autem* beneficio Conditoris, *etc.* Quibus aperte indicat hominem ex natura sua revera fuisse mortalem, etiam in statu innocentiæ. Ergo multo magis mortalis esset in statu naturæ puræ.

Probatur 2. ratione: Si homo ex natura sua immortalitatem corporis exigeret, maxime vel ab intrinseco, vel ab extrinseco; nimirum, vel ex principiis suis constitutivis, vel propter singularem curam, et providentiam Dei ab omni corruptione hominem servantis: sed ex neutro capite repeti potest naturalis hominis immortalitas. *Non quidem ab intrinseco,* si enim corpus hominis intrinsecus esset immortale, non esset compositum ex elementis, nec capax animæ vegetativæ, et sensitivæ, quoniam hæc assiduam pugnam, consumptionem, et defectum important, quamobrem nec idoneum esset animæ rationalis domicilium; hæc enim vitæ sensitivæ et vegetativæ operationes supponit. *Non etiam ab extrinseco;* hujusmodi enim immortalitas non naturali modo, sed præternaturali ordine, et speciali quadam atque extraordinaria ratione contigisset homini; adeoque non fuisset ei connaturalis, sed supernaturali tantum via ei accidisset. — *Deinde,* si immortalitas corporis naturæ humanæ fuisset connaturalis, haud congrue Deus eam homini promisisset tamquam ipsius obedientiæ præmium, mortemque frustra fuisset comminatus velut justam inobedientiæ pœnam; etenim propter peccatum quæ naturalia sunt homini nec ablata sunt, nec diminuta; siquidem etiam in dæmonibus naturalia integra perseveraverunt: sed Deus Protoparentibus immortalitatem spoponderat in eorum observantiæ et obedientiæ præmium, mortemque fuerat interminatus, si perduelles existerent: ergo signum est immortalitatem non fuisse homini connaturalem; adeoque hominem de natura sua esse mortalem. — *Denique,* id non est debitum naturæ hominis, quod est præter naturalem ejus constitutionem: sed immortalitas corporis non est secundum naturam hominis: est enim homo, secundum naturam, corpus mixtum, vivens, et sentiens: quod autem tale est, etiam se-

cundum naturam habet ut sit corruptibile, adeoque posset aliquando corrumpi; igitur numquam mori, et corrumpi, non est secundum naturam hominis: nec illa potentia non moriendi naturaliter est debita homini: et consequenter homo ex natura sua mortalis erat, et corruptibilis, etiam in statu innocentiæ, adeoque multo magis mortalis fuisset in statu naturæ puræ.

Idipsum etiam probatur de miseriis corporis: idque ex S. Augustino, qui primum videtur hæsisse in determinando an ex hypothesi, quod Adamus non peccasset, ipsius filii, et posteri nati fuissent cum ignorantia, concupiscentia, infirmitate virium, doloribus, atque aliis id genus incommodis: ergo falsum est, quod ajunt Adversarii, esse tamquam dogma per universa latifundia sanctissimæ Augustini doctrinæ sparsum, quod a primordiis susceptæ Catholicæ Religionis usque ad ultimum halitum sine fluctuatione docuit, nempe quod sub Deo justo, omnipotente, ac bono creaturam rationalem nullo modo posse tot tantisque miseriis, ex quibus puræ naturæ status quasi confectus est, cruciari, nisi ejus culpa mereatur. Falsum pariter hanc doctrinam esse basim capitalem, cui præcipua pars illius, quam August. adversus Manichæos Pelagianosque struxit moles incumbit, quæ si substrahatur, impossibile fit tueri doctrinam contra illas pestes traditam. — Probatur *antecedens* ex lib. 1. *De peccatorum meritis, et remissione* cap. 37. ubi non audet definire, an eadem futura fuisset corporis infirmitas, et mediocritas in infantibus, si Adam non peccaret: unde conjiciendo tantum ratiocinatur et infert, vel supplendam esse divinitus staturam, ut factum est in Eva: vel augendam virtutem motricem, ejusque organa roboranda, ut hoc possent infantes nati, quod recentes faciunt ab ovo pulli excussi: quo dato tantum adhuc restaret in infante miseriæ, quantum deesset perfectionis debitæ, et cum tempore acquirendæ. *Movet,* inquit, *si primi homines non peccassent, utrum essent tales filios habituri, qui nec lingua, nec manibus, nec pedibus uterentur. Nam propter uteri capacitatem fortasse necesse fuerit parvulos nasci, quamvis cum exigua sit pars corporis, non tamen parvulam Deus viro conjugem fecit, quam ædificavit in mulierem. Unde, et ejus filios poterat omnipotentia Creatoris mox editos grandes protinus facere. Sed ut hoc omittam, poterat certe, quod multis etiam pecoribus præstitit, quorum pulli quamvis sint parvuli, neque accedentibus corporis incrementis, etiam mente proficiant, quoniam rationalem animam non habent; tamen etiam minutissimi, et currunt, et matres agnoscunt: nec sugendis uberibus cura admoventur aliena, sed ea ipsi in maternis corporibus loco abdito posita mirabili facilitate noverunt.* Hoc ipsum autem quam incertum judicet quamque trepido, et fluctuanti animo definiat, satis ostendit non solum ipsa orationis species, sed etiam verba, quæ præmiserat dicens: *quamquam etiam ipsa tanta carnis infirmitas nescio quid pœnale demonstrat:* quibus constat S. Augustinum pro certo non habere miserias corporis esse tantum peccati effectus, et appendices. — Quod autem hæc fuerit ipsius mens, non solum ex dictis liquet, sed etiam aperte constat ex commentario Ludovici Vives ad cap. 13. lib. 3. *De Civitate Dei*, ubi ait: *Hic quærunt quales hominibus, si nihil commisissent, nati fuissent liberi. Augustinus autem dubium ingessit de Baptismo parvulorum* (hoc est de peccato-

rum meritis) *Alii putant nascituros fuisse parvos, sed statim ad perfectam staturam perventuros : Alii parvulos editum iri in lucem ; verum non hac totius corporis imbecillitate, sed robustos statim futuros, et sicut agnos, et pullos gallinaceos videmus confestim ingressuros secuturosque matrem. Priores illi sensu, et mente præditos gignunt infantes accessura : hæc dicunt cum corpore ut nunc videmus. Augustinus dubium ut invenit, illic reliquit.* Nihil ergo certo hac de re determinavit : adeoque ipsi non adversantur, qui alterutram partem eligunt, et tuentur. — Quod autem dubius hic protulit Augustinus, alibi constanter asseruit, non omnem videlicet rationem infligendi malum creaturæ rationali esse peccatum ; nam libro 2. *De peccatorum meritis* cap. 33. et 34. decretum illud *in sudore vultus tui, et cum dolore paries*, ante remissionem ait *esse supplicia peccatorum :* post remissionem autem *esse certamina exercitationesque justorum :* et ipsam quoque mortem relictam nobis esse post remissionem, *ut magnus timor ejus a proficientibus superetur.* Censet igitur Augustinus in ejusmodi malis separari posse rationem pœnæ a ratione mali ; posseque incommoda illa in homine reperiri, nec tamen esse peccati pœnas.

Reponit Novator *lib.* 2. *cap.* 19. Tam magna bona esse, quæ procedunt ex tolerantia malorum, ut merito contemni debeant, si etiam justus aliquid hujusmodi pœnalium molestiarum sine culpa patiatur. — **Contra**; falsum est ergo, quod alibi asseruit, malum infligi non posse creaturæ rationali, nisi sub ratione pœnæ seu non posse non esse pœnam ; si enim adulti jam justificati, salva Dei justitia, hujusmodi pœnales molestias patiantur, quando fructuosus esse potest cum illis conflictus, unde nascatur seges virtutis, et gloriæ majoris ; quidni pariter in statu naturæ puræ idem contingere posset, nimirum, ut juxta seriem naturalis providentiæ, et per auxilia naturalis ordinis, homines corporis, et animi molestiis subditi, exinde magnam virtutis moralis segetem possent comparare ? *Confirmatur* ex eo, quod ibidem affirmat, bonum aliquod naturæ innocenti debitum posse ad tempus differri ; quando videlicet contingit dilatione majus fieri : et hujus assertionis auctorem S. Augustinum allegat, dum ea ratione defendit æquitatem consilii, quod iniit Josephus in Ægypto, quando fratres suos initio in eas redegit angustias, quas Scriptura narrat. *Non enim*, inquit, *fuisse condignam passionem eorum in toto illo tempore, quo turbabantur, ad futuram gloriam exaltationis, quæ in eis fuerat revelanda fratre cognito.* Quid igitur mali esset, si creatura rationalis in statu naturæ puræ existens, aliquo tempore miseriis premeretur, et sibi debito bono vacaret, ut melius inde beneficium æstimaret, quando intelligeret ex quanta miseria Deus ipsam liberasset, quantumque ei bonum conferret ? Nam, ut dicatur possibilis status pure naturalis non est necesse, ut sit perpetuus ; sed nobis sufficit, ut saltem pro aliquo tempore concedatur possibilis ; erit autem, si aliqua possit esse boni etiam debiti dilatio : nam hoc quoque modo mortalem fuisse Christum absolute dicimus, etiamsi debita illi esset, et statuto tempore concedenda immortalitas.

Probatur 2. Quod S. Augustinus constanter asserat Deum posse citra hominis culpam ipsi temporales pœnas infligere, idque sine ullo divinæ suæ justitiæ, et æquitatis præjudicio. Quod evinco maxime ex

commentario in *Psalmum* 70. ubi Augustinus sic loquitur: *Multum movet Dei amor, et timor; timor Dei quia justus est; amor quia misericors est: quis enim ei diceret, quid fecisti, si damnaret justum? Quanta ergo misericordia ut justificet injustum?* Loquitur autem S. Augustinus de damnatione non proprie sumpta, juridica, et punitiva: illa enim implicat, ex hypothesi quod sit innocens is qui damnari supponitur; sed intelligitur de inflictione malorum, quæ damnatis in pœnam imponuntur: ita quod Deus illa justis possit infligere; esto non in pœnam: ergo hæc malorum inflictio necessario peccatum non supponit.

Reponit novæ assertionis faber *lib.* 3. *cap.* 16. Primo quidem S. Augustinum loqui de justis prout sunt in præsenti vitæ statu, in quo propter originalis culpæ meritum, Deus potest illos damnare, hoc est non impedire ne in peccatum, et damnationem labantur; cum enim Deus justificatis hominibus perseverantiam gratuito conferat, dici potest illos damnare quando negat illud perseverantiæ donum, ex cujus negatione sequitur peccatum finale, et inde æterna damnatio; hoc autem donum, inquit, Deus denegat interdum ratione contracti originalis peccati. — **Contra** *primo:* hæc interpretatio omnino ridicula est, et a mente S. Augustini aliena: ad quid enim necessum est supponere originalem culpam, ut Deus dicatur gratuito perseverantiam dare; et idcirco justum damnare, quod negato ipsi tali perseverantiæ dono, necessum sit eum in peccatum ruere? Numquid enim non potuit hoc donum denegare etiam ante peccatum originale? Numquid non permisit labi Angelos amissa perseverantia; in quibus tamen nullum præcesserat originale peccatum? *Secundo*, hæc interpretatio directe militat in Concilium Tridentinum, affirmans *sessione* 5. *Canone* 5. *et sexta cap.* 14. *etc.* in baptizatis *nihil prorsus esse, quod eos ab ingressu cœli remoretur: et pœnam temporalem totam semper in baptismo remitti: et nihil esse damnationis iis qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem.* An non enim multum manet damnationis summaque pœna removens ab ingressu cœli, si post baptismum remaneat adhuc illud originalis peccati meritum, quo tollitur auxilium ad perseverandum, hoc est, quo salus sit impossibilis? *Tertio* denique hæc explicatio etiam aperte pugnat in S. Augustinum, qui pluribi affirmat, maxime vero *lib.* 1. *De peccatorum meritis cap.* 37. in baptizatis remanere quidem concupiscentiam, sed hoc operari baptismum, *ut non obsit mortuo quæ inerat nato.* Et lib. 2. cap. 4. ait eam remanere ad agonem. *Deletis*, inquit, *peccatis omnibus, soluto etiam reatu, quo vinctos originaliter detinebat, ad agonem interim manet, non sibi ad illicita consentientibus* nihil omnino nocitura. Et cap. 28. *Hæc autem lex peccati*, inquit, *quod etiam peccatum appellat Apostolus* ad Roman. 6. *non sic manet in membris eorum, qui ex aqua, et Spiritu renati sunt, tamquam non sit ejus facta remissio, ubi* omnino plena et perfecta fit remissio peccatorum, omnibus inimicitiis interfectis *quibus separabantur a Deo: sed manet in vetustate carnis tamquam* superatum, ac peremptum, *si non illicitis contentionibus quodammodo reviviscat.* Quomodo autem fieret *plena remissio* si remaneret in Deo voluntas in æternum damnandi? Quomodo *interfectæ essent omnes inimicitiæ* inter baptizatum et Deum, si baptizatus defectu doni perseverantiæ teneatur

necessitate relabendi in peccatum, et in mortem æternam? Denique quomodo *superatum, et peremptum* est malum, quod adhuc operatur, non dico infirmitatem aliquam aut languorem, sed absolutam standi impotentiam?

Respondet 2. Locum illum Augustini esse corruptum : nam, inquit, ubi dicitur *si damnaret justum*, legendum esset, *si damnaret injustum ;* tum quia ibi S. Augustinus de injustis sermonem facit : tum quia mens ipsius erat ad contritionem excitare commendatione divinæ justitiæ ; hæc autem locum habet in damnatione injusti, non autem justi: ergo, etc. — **Contra** *primo:* nulla sunt exemplaria quæ hanc sententiam aliter quam exposuimus referant : unde merito reponere possum id quod contra Faustum S. Augustinus lib. 11. cap. 7. scripsit : *Ubi,* inquit, *sic manifesta veritate isti præfocantur, ut obsessi dilucidis verbis exitum in eis fallaciæ suæ reperire non possint ; id testimonium, quod prolatum est, falsum esse respondent. O vocem a veritate fugacem in amentia pertinacem : usque adeo invicta sunt, quæ adversus vos de codicibus proferuntur, ut non sit aliud, quod dicatis, nisi eos esse falsatos? — Secundo,* si priori loco scriptum fuisset τὸ *injustum*, quid necessum fuit iterum repetere? *Tertio*, hoc conducebat ad intentum Augustini, nempe ut peccatoribus terrorem incuteret : si enim Deus absoluto suo in creaturas imperio possit etiam innocenti duras quasque pœnas infligere; quantum sibi timere et cavere debet peccator? Etenim *si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* ait Christus Dominus Lucæ 32.

Objicies 1. Scriptura sacra specialiter affirmat mortem non esse a Deo, sed a peccato : *Deus mortem non fecit*, inquit Sapiens primo capite, sed, ait cap. 2. *invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum ;* unde S. Paulus ad Rom. c. 6. *Stipendia*, inquit, *peccati*, *mors ;* sed si mors homini esset naturalis, Deus, qui est naturæ Auctor, esset etiam mortis Opifex, vereque dici posset mortem fecisse : ergo revera homo ex natura sua non est mortalis. — **Respondeo**, equidem Deum mortem non fecisse; primum enim hominem immortalitatis beneficio donaverat ad omnes ejus posteros transferendo, si a peccato, ut facillime poterat, abstinuisset, ipsiusque intentio erat, ut non peccaret, et semper viveret : unde mors recte dicitur contra ipsius intentionem, ex hominis peccato, et invidia diaboli inducta. Hinc omnes illi præfati contextus intelliguntur de natura, prout revera est lapsa, et fuit innocens : non vero de natura, quæ potuit esse sub statu pure naturali, dono scilicet innocentiæ, et peccato vacans, adeoque ex iis contra nostram assertionem nihil evincitur.

Objicies 2. Injustum est hominem affligi morbis, doloribus, et molestiis, nisi per peccatum hæc promeruerit: sed homo in pura natura careret peccato etiam originali : ergo eo in statu non esset justum illas miserias eum experiri. *Majorem* multis S. Augustini textibus probat Novator, maxime ex lib. 8. *De Genesi ad litteram*, cap. 11. et lib. 3. *De libero arbitrio*, cap. 9. ubi ait: *Si peccatis detractis miseria perseverat, aut etiam peccata præcedit, recte deformari dicitur ordo, atque administratio Universitatis :* ergo, etc. — **Respondeo**, miserias, et afflictiones corporeas duplicis esse generis : quædam enim sunt defectus naturales consequentes ex ipsa hominum natura, ut sunt morbi,

mors corporea, etc. Aliæ vero sunt præternaturales, ut pœna damnationis, et combustionis æternæ. Priores consequuntur ipsam hominis naturam : posteriores vero a Deo criminum vindice peccatoribus inferuntur. De posterioribus loquitur S. Augustinus, non vero de prioribus, quæ contingere possent in statu pure naturali, eo quod Deus ex ordinata sua providentia non teneatur actionem causarum naturalium impedire, ut corporeæ, ex natura sua defectibiles non deficiant.

Objicies 3. S. Augustinus in libris contra Julianum, et alibi, probat adversus Pelagianos peccatum originale, ex eo quod pueri peccati actualis expertes subjiciantur morti, morbis, doloribus, et aliis corporeis miseriis : sed hic discursus nihil evinceret, si homo in statu puræ naturæ, in quo non vigeret originale peccatum, iisdem miseriis foret obnoxius : ergo illo in statu pure naturali his calamitatibus non subjaceret. — **Respondeo**, S. Augustinum, et cæteros Patres Pelagianorum expugnatores, recte quidem concludere peccatum orginale ex illis afflictionibus corporeis, quibus infantes ab ipso suæ conceptionis exordio subjacent. Loquuntur enim de facto, et juxta traditionem fidei, et Scripturæ sacræ, quibus constat primum hominem integritatis, immortalitatis, et indolentiæ beneficio a Deo fuisse donatum, promissione facta transferendi in ejus posteros hæc dona, et privilegia, si ipse non peccaret. Unde cum Deus non sit injustus, nec infidelis, neque suis promissis deficiat, recte ex illis miseriis toti humano generi inflictis, colligunt sancti Patres *a posteriori* aliquod Adæ peccatum in occasionem Deo fuisse cur his beneficiis homines spoliaverit, illisque molestiis addixerit; *Patet enim culpa,* inquit S. Prosper lib. *Contra Collatorem* cap. 2, *ubi non latet pœna, et societas peccati convincitur de communione supplicii.*

Conclusio secunda. — Homo in statu naturæ puræ constitutus laborare potuisset Ignorantia.

Probatur ex S. Augustino pluribus in locis, maxime vero de *Genesi ad litteram lib.* 10. *cap.* 14, ubi cum fluctuasset inter differentes opiniones de creatione animæ rationalis; illamque fuisset amplexatus, quæ docet singulis hominibus singulas creari : quia tamen inde videbatur sequi injuriam fieri divinæ æquitati, quod innocentem animam nulla sua culpa carni peccatrici permixtam in illa cogeret ignorantia versari, qua merguntur omnes filii hominum initio vitæ suæ ; respondet S. Augustinus, exinde nullum sequi incommodum, si diceretur quod innoxia anima in illis primordiorum tenebris ad tempus jacere permitteretur : *Cum vero,* inquit, *paulatim ab hujus oblivione, et torpore anima resipiscens possit converti ad Deum suum, et ejus misericordiam, et veritatem primo ipsa pietate conversionis, deinde servandi præcepti ejus perseverantia promereri ; quid ei obest illo velut somno paululum submergi, unde paulatim evigilans in lucem intelligentiæ, propter quam rationalis anima facta est, potest per voluntatem bonam eligere vitam bonam?* Concedit ergo animam aliquando ignorantia laborare posse, quæ non oriatur ex peccato, seu quæ non *sit indigestibilis,* ut ibidem loquitur; *nam si esset quodammodo indigestibilis, Creatori tribueretur.* Censet ergo differri posse dona illa, quibus non est indigna creatura rationalis, nempe scientiam, absque ullo suo pec-

cato : ergo admitti potest ignorantia, quæ non oriatur ex peccato : quia si ortum inde haberet, non foret indigestibilis, nec tribueretur Creatori.

Probatur 2. evidentius ex eodem in 3. *lib. De libero arbitrio*, ubi diserte affirmat creari posse naturam humanam cum concupiscentia, et ignorantia, nullo præsupposito peccato ; distinguit enim ibi *naturalem ignorantiam* ac difficultatem, contra *pœnalem :* et addit, quod si naturalis esset ignorantia, et difficultas, quæ jam pœnalis est homini, nihilominus tamen Creatorem ejus fore laudandum: *Creator vero ejus*, inquit, *ubique laudatur : vel quod eam ab ipsis exordiis ad summi boni capacitatem inchoaverit, vel quod ejus profectum adjuvet.... Non enim propterea malam creavit, quia nondum tanta est, quanta ut proficiendo esse posset accepit.*

Reponunt Adversarii, S. Augustinum hæc juniorem scripsisse, dum contra Manichæos disputaret, et antequam suborta fuisset hæresis Pelagii : quocirca sententiam illam emendavit *Epist.* 28. ad Hieronymum. — **Contra**, hæc replica insulsa omnino est, et falsa; *Primo* namque in illa *Epistola* ad Hieronymum ne verbulum quidem est, quo significet S. Augustinus illam conditionalem propositionem ex *lib.* 3. *De libero arbitrio* desumptam ; *Si ignorantia, et difficultas esset naturalis, Deus tamen laudandus esset*, sibi non probari, aut esse falsam, ut constabit legenti. *Secundo*, hanc ipsam sententiam confirmat *lib.* 1. *Retractationum*, *cap.* 9. ubi locum illum libri tertii *De libero arbitrio* recognoscit his verbis: *Ad quam miseriam justæ damnationis pertinet ignorantia, et difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio nativitatis suæ : nec ab isto malo, nisi Dei gratia, quisquam liberatur. Quam miseriam Pelagiani nolunt ex justa damnatione descendere, negantes originale peccatum ; quamvis ignorantia, et difficultas etiam* si essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus Deus, sed laudandus esset ; *sicut in eodem tertio libro De libero arbitrio disputavimus.* Constat autem librum primum *Retractationum* scriptum fuisse post *Epistolam* ad Hieronymum : siquidem Augustinus in primo *Retractationum* citat librum novissimum *De Civitate Dei*, et in Epistola 102. ait se, et Epistolam de origine animæ ad Hieronymum dedisse, et habere præ manibus libros *De Civitate*, quorum quinque tantum jam scripserat: scripta igitur erat ad Hieronymum Epistola nondum scripto libro primo *Retractationum ;* adeoque falsum est, Augustinum in illa Epistola emendasse, quod in libris *De libero arbitrio scripserat.* Adde quod non junior, sed jam senex eamdem tractaverit, et iterum probaverit sententiam in *lib. De bono perseverantiæ cap.* 12. ubi relatis inter cætera superioribus verbis, *quamvis ignorantia, et difficultas, etc.* ait ; *Hæc dixi in* 1. *lib. Retract. cum retractarem libros De libero arbitrio ;* Et tandem subinfert : *Quod etsi verum esset quod dicunt Pelagiani, ignorantiam, et difficultatem sine quibus nullus homo nascitur, primordia non supplicia esse naturæ, vincerentur tamen Manichæi, qui volunt duas Boni scilicet, et Mali coæternas esse naturas.* En ut S. Augustinus etiam hoc loco asserit quod non minus certa ratione vincendi sunt Manichæi, nec minus esset laudandus Deus, si ignorantia, et difficultas primordia essent hominis. Censet ergo difficultatem, et ignorantiam homini inesse posse tamquam primordia ipsius naturalia,

etiamsi non adessent, tamquam pœnæ peccati. Non abs re ergo notavit Nuperus quidam, quod novæ opinionis faber S. Augustinum (cui se addictissimum gloriatur) *primo* faciat errantem in libris *De libero arbitrio: secundo*, aliquatenus emendatum in *Epistola* ad Hieronymum: *tertio*, gravius relapsum in libris *Retractationum:* et *Quarto* in errore finaliter perseverantem in libris *De bono perseverantiæ.*

Objicies 1. Non videri divinæ æquitati, et justitiæ congruum, ut creatura innocens habeat rationem ita ligatam, et tam profunda mersam ignorantia, qualis est in pueris, nisi in alicujus criminis vindictam: sed in statu innocentiæ nullum esset peccatum: ergo neque talis ignorantia, et rationis ligatio. — **Nego majorem**; tum quia hæc rationis ligatio consequitur ipsum naturæ defectum, et statum, ut ex Augustino sufficienter constat; *Tum quia* etiam in statu innocentiæ fuisset somnus, ut concedit S. Augustinus *lib.* 5. *Contra Julianum*, *cap.* 10. Remanet enim in adultis justificatis, in quibus tertia, vel quarta vitæ parte ligata est, supultaque ratio, atque omnis scientiæ usus interdictus, tempore scilicet obdormitionis, quod tamen justitiæ, et æquitati divinæ repugnare nullus affirmat: ergo nec etiam repugnabit, quod Deus infantium animas aliquamdiu somno veluti torpescere patiatur, unde paulatim evigilantes in lucem intelligentiæ, propter quam anima rationalis facta est, possint per voluntatem bonam eligere vitam bonam, ut supra diximus ex sancto Augustino: *Si enim*, addit ipse lib. 3. *De libero arbitrio* cap. 2, *arboris novellum, et rude virgultum nullo modo sterile recte dicimus, quamvis aliquot æstates sine fructibus trajiciat, donec opportuno tempore expromat feracitatem suam: cur non et auctor animæ debite pietate laudetur, si ei tale tribuit exordium, et studendo, ac proficiendo ad frugem sapientiæ, justitiæque perveniat?*

Objicies 2. Error, et insipientia, qui sunt fructus ignorantiæ, et mala quædam naturæ disconvenientia, non possunt esse nisi pœnæ peccati; nam, ut ait S. Augustinus in *Enchiridio* cap. 19. *Ipse per seipsum error, aut magnum in re magna, aut parvum in re parva, semper est malum: Quis enim, nisi erraus, malum neget approbare falsa pro veris, aut habere incerta pro certis, vel certa pro incertis?* Et lib. 5. *Contra Julianum*, c. 1. *Quis*, inquit, *non quotidie probet, testibus rebus humanis, parvulum prius nihil sapere, et postea si ad sapientiæ sortem pertinet, recta sapere, atque ita ab infantia ad sapientiam mediam pervenire.... Et radicis ejus vitium videre non vultis, aut videtis, et quod pejus est, negatis.* Ergo censet S. Augustinus peccatum originale esse causam ignorantiæ parvulorum: adeoque illa non posset reperiri in statu naturæ puræ. — **Respondeo**, equidem hæc esse naturæ disconvenientia, atque etiam reipsa illa esse pœnam peccati originalis, amisso per illud innocentiæ statu, in quo non solum maxima fuisset facilitas scientiam, et sapientiam comparandi, verum etiam, ut docet Doctor in 2. *dist.* 20. *quæst.* 1. posteri Adæ, si ipse non peccasset, confirmati fuissent in gratia, et omni sapientia et scientia illustrati, atque adeo ab ignorantia et peccato præservati. Hoc autem non officit quin homo constitutus in statu naturæ puræ ignorantia laborare potuisset: cum enim omnis nostra cognitio pendeat a sensibus, qui spiritualia non percipiunt, nec rerum essentias, inde fit quod in multis caliget et deficiat naturalis ratio, multaque ignorantia ac variis erroribus laboret.

Conclusio tertia. — Homo in statu naturæ puræ constitutus agitari posset, et stimulari motibus Concupiscentiæ. Hujus Conclusionis veritas sequitur, et constat ex præcedentibus. Enimvero si homo tali in statu constitutus urgeri possit internis et externis corporis et animi molestiis, haud dubie poterit etiam concupiscentiæ motibus agitari : maxime cum duabus partibus diversa appetentibus constet ; *Caro enim concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem :* illa namque voluptates corporeas; hic animi delicias, virtutem nempe, et sapientiam, suspirat et exquirit : illa terrenis et corporeis, hic cælestibus et spiritualibus bonis et donis deliciatur ; adeoque nativas habent inclinationes repugnantes.

Probatur insuper: si quid obesset quominus homo formari possit concupiscentiæ motibus subjacens, maxime quia Deus illius concupiscentiæ sicut et naturæ auctor esset censendus : sed exinde nihil sequitur incommodi, nec quidquam supremæ Dei majestati ac sapientiæ injuriæ irrogatur : ergo nihil officit. *Major* patet ex ipsomet Novatore *lib.* 3. *cap.* 22. ubi ait S. Augustinum nihil majori auctoritate frequentius repetere, nihil acrius inculcare, quam Deum auctorem pudendæ concupiscentiæ quemadmodum et pudoris, nonnisi erronea, et blasphema opinione dici posse. Et *lib.* 2. *cap.* 18. postquam diu declamavit contra fœdam, et pudendam concupiscentiam, ut ostenderet statum illum puræ naturæ, in quo eadem esset carnis cum spiritu lucta, eadem libidinis cum virtute repugnantia, eadem erubescendi de tanta fœditate necessitas, esse chimericum et impossibilem, concludit *cap.* 20. et 21, ingratum fore, et irreligiosum adversus Deum, necnon et blasphemum qui hæc assereret. *Probatur minor :* ex hypothesi quod conderetur homo sine peccato, cum concupiscentia, simul et cum gratia, qua posset resistere concupiscentiæ, Deus illius auctor esse posset absque ullo suæ divinæ sapientiæ, divinæque majestatis præjudicio : ergo pariter potest esse opifex illius status, in quo nullo præcedente peccato, natura haberet annexam sibi concupiscentiam, cui ratio naturalis auxiliis naturalibus suffulta, posset resistere. Patet *antecedens;* ex eo namque nihil divinæ sanctitati detrahitur, cum nullum eo in statu supponatur annexum peccatum, et ex illa concupiscentiæ cum voluntate colluctatione, amplissima colligi possit meriti, et virtutum seges. Nam cum fateatur Novator *lib.* 3. *cap.* 19. pro nihilo reputandam esse illam infelicitatem Apostoli concupiscentiæ stimulis agitati, et idcirco exclamantis, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* nec illam miseriam esse veram miseriam, quoniam est occasio virtutis exercendæ ; quidni pari modo prodesse posset ad exercendam virtutem, et refertissimam bonorum operum segetem colligendam, illa pugna, quam homo innocens, et divina gratia roboratus in seipso sentiret? *Consequentia* patet a paritate rationis : tam enim homo in natura pura constitutus, naturalibusque auxiliis roboratus ex illis concupiscentiæ motibus stimulari posset ad virtutem exercendam, et aliquam in illa innocentia confirmationem promerendam, necnon et gratias Deo agendas pro subministratis sibi illis naturalibus auxilis, quibus illos concupiscentiæ motus reprimit, et vincit, et per quam victoriam ad perfectiorem Dei cognitionem et amorem promovetur intra naturalem ordinem, quam ille, qui divina

gratia illustratus hæc omnia posset exequi intra ordinem supernaturalem : ergo, etc.

Objicies 1. Nullum vitium potest esse homini naturale : sed concupiscentia cum ad peccatum inclinet, est quoddam vitium : ergo non potest esse homini connaturalis. — **Nego minorem** ; concupiscentia namque in statu naturæ puræ non esset proprie vitium ; sed ipsius naturæ defectus consequens ex constitutivis ejus principiis. Sicut enim ex eo quod homo sit naturaliter constitutus ex materia, et forma, sequitur eum esse corruptibilem ; et sicut ex eo quod est ex nihilo, etiam est peccabilis, a quo defectu Deus neminem liberat nisi in statu beatitudinis ; ita contrarietas, et pugna appetituum in homine sequitur naturaliter ex intrinseca constitutione ipsius, nempe quia constat parte spirituali, et corporea, quarum illa cælestia, hæc terrena sapiat. Hoc ipsum expresse docet S. Augustinus *lib.* 5. *contra Julianum, c.* 7. ubi consentit Juliano, in eo quod dicebat concupiscentiam esse naturalem ; *Cum igitur,* inquit, *libidinem et naturalem esse, et vinci posse ambo dicamus, et utrum bonum vincamus, an malum, ipsa inter nos vertitur quæstio.* Idem docet S. Basilius lib. *De Virginitate*, ubi ait : *Naturalis appetitus ad gulam, aut luxuriam corpus titillat.* Et S. Chrysost. hom. 19. ad populum Antiochenum, *Nisi,* inquit, *consuetudinem vincamus, quomodo concupiscentiam vincemus, cujus radix habet a natura principium? Concupiscere enim, naturale ; at male concupiscere, jam est voluntatis.* Constat ergo concupiscentiam esse ipsiusmet naturæ appendicem ; adeoque futuram in statu naturæ puræ.

Objicies 2. Concupiscentia non est a Deo, sed a peccato, ut pluribi docet S. Augustinus, maxime in libris *De Nuptiis, et Concupiscentia :* unde S. Jacobus c. 1. *Nemo cum tentatur dicat, quoniam a Deo tentatur ; Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat : unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus :* atqui si concupiscentia esset homini naturalis, eique in statu naturæ puræ conveniret ; cum Deus sit auctor naturæ, esset etiam concupiscentiæ dicendus opifex : ergo, etc. — **Distinguo majorem** : concupiscentia non est a Deo, quatenus est potentia appetitiva bonorum sensibilium naturæ convenientium, et rationi minime repugnantium, nego : quatenus est propensio appetitus in bonum rationi contrarium, quæ fomes peccati appellatur, concedo. Dupliciter enim usurpari potest concupiscentia, ut dictum est in *secundo Notabili :* de posteriori loquitur S. Jacobus, non vero de priori.

Objicies 3. Motus concupiscentiæ pudorem ingerit : unde de ipsa merito erubescunt homines : sed in statu naturæ puræ nihil esset pudendum, aut erubescendum, quia natura est opus Dei ; facit autem injuriam Deo, qui de ejus opere erubescit : *Quid enim,* inquit Sanctus Augustinus lib. 2. *De Nuptiis, et Concupiscentia*, cap. 9, *pudeat hominem alicujus operis, quod non homo, sed Deus fecit in homine ; cum omnes opifices quanto possunt labore, et industria id agant, ne de suis operibus erubescant? Sed profecto illud nos pudet, quod puduit primos illos homines, quando pudenda texerunt. Illa est pœna peccati, illa plaga, vestigiumque peccati, illa illecebra, fomesque peccati :* ergo in statu pure naturali non esset futura concupiscentia. — **Nego minorem** ; merito namque in statu pure naturali libidinis puderet sicut

et operis quod ex ea sequitur, non quia est opus Dei, sed quia est naturæ defectus, et imperfectio sequens ex conditione, et constitutione naturali: plura namque naturalia quemlibet hominis statum sequuntur, quæ licet ex originali peccato non fluant, nihilominus pudorem ingerunt, cujusmodi est ventris exoneratio, quæ sine dubio naturalis est homini etiam non peccanti; adeoque pudor ille, quem libidinis actus infert, posset esse naturalis, etsi nullum in homine fuisset peccatum. Quando autem S. Augustinus affirmat illum pudorem esse vitii appendicem, loquitur de concupiscentia quatenus nunc est pœna, fomesque peccati, ut constat ex ejus verbis.

Instabis: si concupiscentia ex ipsa naturali hominis constitutione manaret, licitum esset omnibus ejus desideriis consentire; natura enim nullo peccato infecta non potest in aliquid perversum inclinare: sed hoc absurdissimum apparet: ergo et id unde sequitur. — **Nego sequelam majoris**; illi namque concupiscentiæ motus quamquam a natura procedant, possunt esse rectæ rationi repugnantes; natura enim tametsi bona, prout defectibilis est, potest aliquid mali facere; siquidem natura Angelorum, et primorum Parentum a Deo immediate fuerat condita, nulloque vitio, antequam peccarent, erat depravata, et tamen peccatum ab ea processit. Unde eo in statu potuissent esse illi concupiscentiæ motus, non ut exinde peccatum fieret, sed ut plurium bonorum esset occasio, nempe generosius exercendi virtutem, eamque efficiendi majori laude, et præmio dignam; quia quo periculosius est certamen, eo illustrior existit victoria: qua ratione S. Ambrosius lib. *De Viduis* affirmat hominum puritatem esse præstantiorem, quam Angelorum; *Angeli enim*, inquit, *sine carne vivunt: Virgines vero in carne triumphant.* ✻ " Tametsi vero negare non possimus in illo possibili statu naturæ puræ fore motus concupiscentiæ, illicia ac lenocinia pulchritudinis, et illecebras voluptatis, quæ titillarent sensus, et irritarent appetitum, animumque pellicerent, quos quidem stimulos cupiditatis inhonesti et turpes illi motus sequerentur, qui non sunt in arbitrii potestate, et quorum maxime pudet honestum quemque et sapientem, qui naturales esse videntur, nec subjici rationi posse, sicut et motus cordis, utrosque enim præter rationem existere tradit Aristoteles, lib. *De causis motuum animalium;* nihilominus tamen motus illi pauciores essent et remissiores quam in natura lapsa, et facilius subjicerentur rationi. Unde S. Augustinus, lib. 14. *De Civit. Dei*, cap. 16: *Hoc quod*, inquit, *motus genitalium membrorum rationi non obedit, est ex pœna peccati, ut scilicet anima suæ inobedientiæ ad Deum in illo præcipuo membro pœnam inobedientiæ patiatur, per quod peccatum originale ad posteros traducit.* Videndus etiam lib. *De natura et gratia*, cap. 3.: *Natura quippe hominis*, ait, *primitus inculpata et sine ullo vitio creata est: natura vero ista hominis, qua unusquisque ex Adam nascitur, jam medico indiget, quia sana non est. Omnia quidem bona quæ habet in formatione, vita, sensibus, mente, a summo Deo habet Creatore et Artifice suo. Vitium vero quod ista naturalia bona contenebrat et infirmat, ut illuminatione et curatione opus habeat, non ab inculpabili Artifice contractum est, sed ex originali peccato, quod commissum est libero arbitrio. Ac per hoc natura pœnalis ad vindictæ [illegible]stissimam pertinet.* Et lib. 6. contra Julianum

Pelagianum, cap. 25. ubi respondens Pelagianis objicientibus, ex Manichæis, calamitates et morbos, quibus jactantur parvuli qui nondum peccaverunt, provenire ex duarum naturarum, boni scilicet et mali commixtione, respondet: *Hos catholica redarguit veritas, confitens originale peccatum, per quod factum est dæmonum ludibrium genus humanum, et laboriosæ miseriæ destinata propago mortalium. Non autem ita esset, si humana natura per liberum arbitrium in quo statu primum condita est, perstitisset.* Inde sequitur quod in statu naturæ puræ multo minor esset dissensio et pugna inter appetitum rationalem et sensitivum, quam in statu naturæ lapsæ; hominemque jam minores habere vires ad operandum bonum morale, quam haberet in statu naturæ puræ si existeret. Quod utique tria argumenta efficaciter persuadere videntur: *primum* quidem quia homo ratione peccati originalis inductus est in dæmonum servitutem ejusque tentationibus assidue jactatur. *Alterum* est, quod homini lapso, si non adjuvetur per gratiam, vix habeat facultatem servandi legem naturalem. *Tertium* quod per peccatum spoliatus sit magna ex parte, etiam auxiliis gratuitis intra ordinem naturæ, atque etiam vulneratus in naturalibus, ut significat Christus Dominus *Luc. 10,* per parabolam hominis incidentis in latrones. Nihil autem ex illis tribus occurreret in statu naturæ puræ. Non quidem *primum,* quia tunc nulla fuisset causa cur ita subjiceretur dæmonum tentationi. Non etiam *secundum,* quia homo in illo statu haberet media convenientia, non solum physica, sed etiam moralia auxilia ad servandam totam legem naturalem, et ad obtinendum suum ultimum finem naturalem. Non *tertium*, quia natura pura non solum spolianda non foret bonis sibi connaturalibus, verum neque vulneranda in illis ulla ex parte; cum eo ipso pura futura non foret, idest, nihil magis, nihilque minus habens, quam ipsa ferat ex se et spectata benefica conditione Creatoris sui; negari igitur non potest, quin natura lapsa sit ratione lapsus aliquatenus debilior, quam foret pura." ✻

Observandum tamen hominem in statu pure naturali conditum, non posse rebellantes appetitus sensitivi motus comprimere, et vincere absque speciali Dei auxilio intra ordinem naturæ. Quod utique non obscure indicat S. Augustinus lib. 3. *libero De arbitrio,* cap. 20. ubi ait: *Oportuisse filios Adæ non solum volentes non prohibere, sed etiam adjuvari ut vinceret quisque supplicium quod origo ejus ex aversione meruerat... Quamquam in ignorantia, et difficultate nata sit anima, non tamen comprimi aliqua necessitate ad perseverandum in eo quod nata est. Quod facultatem habeat, ut adjurante Creatore seipsam excolat, et pio studio possit omnes acquirere, et capere virtutes, adeoque si noluerit, peccati ream jure teneri, tamquam non bene usa sit facultate, quam accepit.* Hæc autem frustra dicerentur, nisi quoties, et quamdiu opus est, præsto esset adjuvans Deus ad complendam facultatem naturalem per auxilia sibi necessaria.

Observandum insuper, auxilium illud esse quidem homini in tali statu indebitum; esse tamen naturale quantum ad suam entitatem, et substantiam; tum quia in illo statu nihil esset entitative supernaturale: tum quia homo in statu pure naturali constitutus non ordinaretur ad finem præternaturalem; sed Deum ut Auctorem naturæ tam-

quam objectum suæ beatitudinis per cognitionem, et amorem naturalem sectaretur. — *Nec refert* quod illa auxilia appellentur interdum a S. Augustino nomine *gratiæ;* nam ipsemet S. Augustinus Epistol. 95. *ad Innocentium Papam,* duplicem agnoscit gratiam: unam *creationis,* et veluti naturalem, aliam *prædestinationis,* et supernaturalem: *Etsi enim,* inquit, *quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus, ut nonnihil essemus, nec ita essemus aliquid, ut cadaver quod non vivit, et arbor, quæ non sentit, aut pecus quod non intelligit: sed homines, qui et essemus, et viveremus, et sentiremus, et intelligeremus, et de hoc tanto beneficio Creatori nostro gratias agere debeamus: unde merito et ista gratia dici potest, quia non præcedentium aliquorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est: alia est tamen, qua prædestinati vocamur, justificamur, glorificamur, ut dicere possimus, si Deus pro nobis, quis contra nos?*

QUÆSTIO TERTIA.

QUALITER HOMO PER INGENITAS SUAS PRÆCELLENTIAS CUNCTIS CREATURIS PRÆCELLAT.

Notandum 1. Hominem considerari posse in triplici statu, *Naturæ, Gratiæ,* et *Gloriæ,* hoc est, vel quatenus est homo rationalis, vel prout est Christianus, vel quatenus est beatificandus. Juxta autem triplicem hunc ordinem, etiam triplicis generis præcellentias obtinet: ut enim creatura rationalis, omnes totius Universi perfectiones continet in epitome, estque veluti mundus compendiatus, complectens et adumbrans in se cujuslibet entis corporei, spiritualis, et divini præcellentias. In ordine gratiæ, omnium divinorum charismatum sacrarium est, et scopus; *Omnia enim propter Electos.* In ordine vero gloriæ, Cælorum est incola, Angelorum concivis, Dei familiaris, hæres et possessor. De prioribus tantum hic est sermo; posterioris vero generis perfectiones discutiemus in sequentibus.

Notandum 2. Triplicem esse modum detegendæ hominis perfectionis: nempe primo per *negationem,* removendo nimirum ab eo quoslibet defectus in ceteris creaturis reperiendos; secundo, per *affirmationem,* attribuendo ei omnes præcellentias, quas in aliis creaturis relucere conspicimus; tertio, per *eminentiam,* affirmando nobiliori gradu, præstantioriquc modo illas omnes perfectiones in ipso reperiri, quam in ceteris entibus creatis. Sicut enim per definitionem negativam, totius entis creati defectus a Deo removemus; per affirmativam autem quidquid in ente creato perfectionis relucet, ipsi tribuimus; per viam autem eminentiæ ipsum supra omne ens, omnemque excogitandam perfectionem cogitamus, et prædicamus: ita hoc triplici modo variæ hominis, supra cetera creata entia, præcellentiæ detegi, et affirmari possunt.

Notandum 3. Quod cum homo, juxta Philosophorum, et Sanctorum Patrum sententiam, sit *Microcosmos,* seu *parvus mundus,* vel mundus compendiatus, nativa ipsius præstantia, ab intimo commercio, quod cum triplicis mundi ordine habet, mensuranda, et delineanda est. Tres enim mundos distinxit olim Philosophia Platonica, nempe mundum Archetypum, Intellectualem, et Corporeum, quos homo felicissimo

nexu in se colligit. *Mundus Archetypus* Deus est, mundum mente gerens, similique ab imagine formans: est enim primum omnium creaturarum principium, exemplar, et finis; in eo namque totius existit esse plenitudo, infinita sapientia, et summa bonitas. Ratione primi, suprema est existentiarum et essentiarum causa: ratione secundi, omnium in se ideas præhabet, nomenque sibi vindicat prototypi, et exemplaris: ratione tertii, ultimi finis munere fungitur. *Mundus intellectualis* dicuntur ipsemet cælestes Intelligentiæ ab omni materia defœcatæ, substantiæ spirituales, statu incorruptibiles, durationc æviternæ, intelligendi virtute sapientissimæ amore ardentes, etc. *Mundum corporeum* integrant, et formant omnes creaturæ rationis expertes, et sensibiles triplici gradu distinctæ: nam earum aliquæ solam existentiam, et naturam, ut quælibet inanimata; nonnullæ vitam; aliæ sensum obtinent. Qualiter autem homo triplicis hujus mundi præcellentias eminenti gradu complectatur, determinandum est in præsenti: quocirca sit

Conclusio unica. — HOMO NATIVIS ET INGENITIS SUIS DOTIBUS CETERIS CREATURIS CORPOREIS PRÆCELLIT. Hujus conclusionis veritas patet maxime ex variis prærogativis, quibus illustrata fuit primordialis hominis formatio.

Primo namque omnium postremus conditus est, tamquam ceterarum rerum corporearum Princeps supremus, ac Monarcha, cujus gratia omnia condita sunt. Quam utique prærogativam sic expendit Philo in libro *De mundi Opificio: Ut igitur*, inquit, *convivatores non prius ad cœnam vocant, quam ad epulum necessaria præparaverint, et qui gymnicos ludos, et theatrales exhibent, antequam spectatores in theatra, vel stadia congregent, certatorum, et earum rerum, quæ ad oculorum, vel aurium oblectamentum attinent copiam parent: ita totius mundi Princeps tamquam certaminis, aut convivii dator, hominem ad epulas, et spectaculum vocaturus, quidquid ad utrumque pertinebat apparavit: ut in mundum ingressus ille statim inveniret et convivium, et theatrum sacratissimum.* Ipsi concinit S. Gregorius Nyssenus libro *De hominis Opificio*: *Non enim*, inquit, *consentaneum erat, ut Princeps, ac Rector existeret antequam essent illa, quibus imperaret: sed ut constituto jam imperio, cum Rex demum renuntiaretur.* ✻ " Concinit etiam S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 43: *Construendum*, inquit, *prius tamquam Regi palatium erat, atque ita Rex introducendus omni jam satellitio stipatus.* " ✻ Alias ejusdem postremæ formationis causas profert ipse Philo, nimirum ut ex tanto, tamque locuplete bonorum apparatu disceret homo, in maxima rerum affluentia victurum deinceps esse si Conditori suo morem gereret, et illius sanctitatem æmularetur, cujus Imperium referebat. Adjicit etiam hominem idcirco postremum conditum, *Ut jam procreatis omnibus superveniens, terrorem ceteris incuteret animantibus: sic enim futurum erat, ut eo primum conspecto obstupefactæ eum adorarent, tamquam Rectorem a natura datum, et Dominum.* ✻ " Possunt etiam aliæ rationes produci cur homo ultimo loco sit creatus, nimirum 1. *quod* rationale et contemplativum animal cum foret, par erat, præparari in antecessum omnia illa, quæ contemplationis et meditationis ejus dignum justumque obje-

ctum essent. 2. *Quod* in Dei intentione præcedebat, sequi in ejus operatione conveniens erat, juxta vulgarem regulam: quod prius est in intentione posterius est in executione, et vice versa. Finis vero inter creaturas sublunares primo et primario a Deo intentus, erat homo; oportebat ergo postremum eum esse in creatione. 3. *Quod* antea comparandum homini fuerat domicilium, omni instructum et ornatum supellectili, nempe mundus hic omnium rerum generibus absolutus, quam homo illius incola formaretur. 4. " ✳ *Quod* homo rebus omnibus corporeis indiget, vel ad vitam agendam, tuendamque; vel ad doctrinas omnes, artesque percipiendas et excolendas. Denique *quod* homo, cum sit quædam natura inter corporeas et incorporeas posita, ac utriusque generis naturæ ac proprietatum particeps, posterius extremis, quorum participatione constare debeat, formandus erat.

Secunda prærogativa est quod homo aliter, et nobiliori apparatu, quam cætera entia corporea fuerit constitutus; nam ad aliorum formationem Deus absoluto usus suæ divinæ voluntatis imperio, *dixit, et facta sunt:* ubi autem ad creationem hominis ventum est, tamquam in exquisito, et industriæ majoris, ac sapientiæ opere, consultationem, et consilium prius adhibet dicens: *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram.* Quod utique mirum in modum expendit S. Gregorius Nyssenus lib. *De hominis Opificio*, cap. 3. *Tumultuarie quodammodo,* inquit, *creatura reliqua divina virtute producitur solo imperio subsistens: hominis vero structuram consilium antecedit, et ab Artifice ipso quadam sermonis pictura, quod futurum erat, adumbratur.* Ipsi concinit S. Basilius homil. 20. in *Hexaemeron. Nosse vis teipsum? vel hinc auspicium sumito. De nullo enim operum, quæ Deus eatenus condiderat, vox ista* Faciamus *in litteras transmissa est; sed simplici verbo et mandato Dei omnia creata sunt. Erudire igitur hinc, o homo, ac edisce quantis unus tu æstimandus venias: neque enim generationem tuam velut pretii vulgaris communi creaturarum mandato censuit attexendam: in Deo prægreditur consultatio, quemadmodum tantum hoc animal provehi debeat ad vitam.* Faciamus ait, *En consultat sapiens, et quid secum statueret Artifex, proponit decernendum.* Ipsis præluserat Tertullianus lib. 2. *Contra Marcionem*, cap. 4. *Quis denique dignus*, ait, *incolere Dei opera, quam ipsius imago, et similitudo? Eam quoque bonitatis, et quidem operantior operata est, non imperiali verbo, sed familiari manu, etiam verbo blandiente præmisso; Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram: Bonitas finxit hominem de limo, etc.*

Tertia prærogativa est, quod cæteras creaturas non *fecisse* tantum, sed *creasse* dicatur. Hominem vero dicitur *Formasse*, *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ:* quod ita Severianus homil. 5. expendit: non dixit simpliciter *fecit*, sed *finxit*, vel *formavit: Porro formatio elegantiam, ac venustatem indicat.* Operis enim illius dignitas, et præstantia maxime commendatur ab ipso divino Artifice, cujus etiam vilem deterrimamque illius conditionis particulam, corpus nempe, propriis veluti manibus ex ipso luto dignatus est fingere. Quod ita commendat, et expendit Tertullianus lib. *De Resurrectione carnis*, cap. 5. *Et finxit*, inquit, *Deus hominem. Magnæ sine dubio differentiæ ratio pro conditione scilicet rerum. Minora enim, quæ fiebant, eo cui fiebant,*

siquidem homini fiebant cui mox a Deo addicta sunt. Merito igitur, ut famula jussu, et imperio, et sola vocali potestate universa processerant. Contra homo, ut Dominus eorum in hoc ab ipso Deo extructus est, ut Dominus esse posset, dum fit a Domino. Porro ad eamdem operis commendandam præstantiam pertinet hoc insuper, quod in carmine de Providentia Prosper ita cecinit.

> .... *Cumque omnia verbo*
> *Conderet: hunc manibus, quo plus Genitoris haberet,*
> *Dignatur formare suis.*

Quarta prærogativa est, quod homo præ cæteris creaturis corporeis unicus Dei similitudinem et imaginem referat, unicus divinorum operum, Deitatisque sit contemplator, habeatque summum cum Divinitate commercium. Unde Gregorius Nyssenus in libro *Catechetico, cap.* 5. causam procreandi fuisse hominis ait: *Ut haberet Deus, qui et lucem suam intueretur, et gloriæ testis esset, et bonitate frueretur.* Quamobrem *oportuisse,* dicit, *Hominem, qui ad divina perfruenda bona factus esset, cognatum quippiam ei cujus erat futurus particeps, habere in natura sua. Propterea vita, et ratione, et sapentia, et divinis bonis omnibus ornatum fuisse.* Unde eleganter quoque Pythagoricus Euryphamus, *Deus,* inquit, *hominem pretiosissimum animal in mundo collocavit naturæ suæ respondentem, et oculum quemdam totius Universitatis;* qui nempe, Dei instar universa lustret et conspiciat, maxime vero Divinitatis contemplatione et amore delectetur et occupetur. Quocirca Lactantius *lib.* 7. ait, mundum idcirco factum, et hominem in eo constitutum, *Scilicet ut esset qui opera ejus intelligeret: qui providentiam disponendi, rationem faciendi, virtutem consummandi, et sensu admirari, et voce proloqui posset;* unde concludit: *Quod planius argumentum proferri potest, et mundum hominis, et hominem sua causa Deum fecisse, quam quod ex omnibus animantibus solus ita formatus est, et oculi ejus ad Cœlum directi, facies ad Deum spectans, cultus cum suo Parente communis sit, videaturque hominem Deus quasi porrecta manu allevatum ex humo ad contemplationem sui excitasse.* Quod etiam præsentit Ovidius lib. 1. *Metamorphoseon:*

> *Sanctius his animal, mentisque capacius altæ*
> *Deerat adhuc, et quod dominari in cætera posset,*
> *Natus homo est: sive hunc divino munere fecit*
> *Ille Opifex rerum; mundi melioris origo .....*
> *Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.*

Quinta denique hominis præ cæteris rebus corporeis *dignitas* et *prærogativa,* est quod ipse omnium prorsus entium tam corporeorum quam spiritualium præcellentias complectatur: idcirco S. Gregorius homil. 29. in *Evangelia,* illum *omnem creaturam* appellat; testaturque eam fuisse Christi Domini sententiam, cum Apostolos in mundum universum delegavit ut prædicarent Evangelium omni creaturæ: *Omnis enim creaturæ nomine,* inquit, *signatur homo,* quia *omnis creaturæ aliquid habet homo: habet namque commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis:* unde concludit: *Si ergo commune habet aliquid cum omni creatura*

homo, juxta aliquid omnis creatura est homo, *Omni ergo creaturæ prædicatur Evangelium, cum soli homini prædicatur.* — ✻ " Inde est quod homo a veteribus dictus sit μικρο κοσμος sive *parvus mundus*, atque totius universitatis artificiosum quasi compendium, in quo summatim et cælestia et terrestria omnia, tamquam in parva quadam mappa depicta voluit Creator. Sic vocitarunt eum Clemens Alexandrinus in protreptico, et Chalcidius in Platonis Tymœum: *Est*, inquit, *in corporibus nostris aquæ portio, item et aëris, necnon ignis et terræ, unde opinor hominem mundum brevem a veteribus appellatum.* Eadem est Philonis Judæi sententia loco supra laudato ubi " ✻ ait hominem idcirco postremo fuisse conditum, ut primo operi divino ultimum responderet. Sicut enim initio Deus Cælum condiderat, omnium sensibilium, æternorumque perfectissimum; sic ad extremum hominem fecisse terra genitorum, et corruptibilium longe præstantissimum, et compendiatum velut Cælum, in quo nimirum aliorum dotes, et præcellentiæ velut in Cælo sidera, fulgent: unde S. Greg. Naz. *Orat.* 38. affirmat conditum hominem a Deo *Velut mundum quemdam alterum, in parvo magnum, supra terram collocatum, Angelum alium, mistum adoratorem, visibilis creaturæ spectatorem: mysten intelligibilis; eorum quidem, quæ in terra sunt regem, cælesti autem Regi subditum, terrenum pariter ac cælestem.* Cæteras hominis naturales et ingenitas præcellentias aperiemus evidentius in sequentibus Articulis.

Dices: Plures sunt creaturæ corporeæ, quæ suis nativis dotibus, et præcellentiis hominem antecellunt: ergo falsum est quod homo cæteris præstet. Patet *antecedens:* primo namque in perfectione sensuum exteriorum acutior est Aquilæ visus, acrior vulpi, et talpæ auditus, cani sagacior odoratus, ostreis vegetior tactus, et Araneis subtilior: ergo, etc. *Deinde* corporis robore homo tauris cedit, proceritate elephantibus, longævitate corvis, velocitate tigribus. Adde quod aliorum animalium corpora naturalibus operta sunt tegumentis, vel pilis, vel coriis, vel testis, vel squamis; naturalibus item instructa, et munita sunt armis, et præsidiis: quædam armata sunt cornibus, alia vel unguibus, vel dentibus, vel spinis, vel aculeis, quibus, et se tueri, et hostes suos ferire, ac profligare queant: soli homini corpus nudum, et inerme, et ad oppugnandum æque atque propugnandum imbecillum, et invalidum est datum. Hinc quidam conqueruntur apud Senecam lib. 2. *De Beneficiis*, cap. 29. *Quod non magnitudine corporis æquent elephantes, velocitate cervos, levitate aves, impetu tauros: Quod solidior sit cutis belluis, decentior damis, densior ursis, mollior fibris: Quod sagacitate nos narium canes vincant: Quod acie luminum aquilæ, spatio ætatis corvi, multa animalia nandi facilitate.* — Respondet Lactantius lib. *De Opificio Dei*, cap. 2. Deum hæc omnia in homine uberrime supplevisse rationis naturalis dono, ac innata sagacitate: *Dedit*, inquit, *hominibus Artifex ille noster ac parens Deus sensum ac rationem, ut ex eo appareret nos ab eo esse generatos, quia ipse intelligentia, ipse sensus ac ratio est: cæteris animantibus, quoniam rationalem istam vitam non attribuit, quemadmodum vita eorum tutior esset, ante providit. Omnes enim suis ea pellibus texit, quo facilius possent vim pruinarum, ac frigora sustinere. Singulis autem generibus ad propulsandos impetus externos sua propria munimenta constituit: ut*

aut naturalibus telis repugnent fortioribus : aut quæ sunt imbecilliora, substrahant se periculis pernicitate fugiendi : aut quæ simul, et viribus, et celeritate indigent, astu se protegant aut latibulis sæpiant, etc. Hominem autem ratione concessa, et virtute sentiendi, atque eloquendi data ; eorum, quæ ceteris animantibus attributa sunt, fecit expertem : et quia sapientia reddere poterat, quæ illi naturæ conditio denegasset, statuit nudum, et inermem, quia et ingenio poterat armari, et ratione vestiri. Ea vero ipsa quæ mutis data, et homini denegata sunt, quam mirabiliter homini ad pulchritudinem faciant, exprimi non potest. Nam si homini ferinos dentes, aut cornua, aut ungulas, aut caudam, aut varii coloris pilos addidisset, quis non sentit quam turpe animal esset futurum, sicut muta si nuda, et inermia fingerentur ? Quibus si detrahas vel naturalem sui corporis vestem, vel ea quibus ex se armantur, nec speciosa poterunt esse, nec tuta : ut mirabiliter, si utilitatem cogites, instructa ; si speciem, ornata videantur ; adeo miro modo consentit utilitas cum decore. Hominem vero quem æternum animal, atque immortale fingebat, non forinsecus, ut cetera, sed interius armavit ; nec munimentum ejus in corpore, sed in animo posuit, quoniam supervacuum fuit cum illi quod erat maximum tribuisset, corporalibus eum tegere munimentis, cum præsertim pulchritudinem humani corporis impedirent. — Addit Seneca laudato loco : *Proinde quisquis es iniquus æstimator sortis humanæ, cogita quanta nobis tribuerit Parens noster. Quanto valentiora animalia sub jugum miserimus ; quanto velociora consequamur ; quam nihil sit mortale non sub nutu nostro positum. Tot virtutes accepimus, tot artes, animum denique, cui nihil non eodem quo intendit momento pervium est, sideribus velociorem, quorum post multa sæcula futuros cursus antecedit : Tantum denique frugum, tantum opum, tantum rerum aliarum super alias aceervatarum. Circumeas licet cuncta, et quia nihil totum invenies quod esse te malles, ex omnibus singula excerpas quæ tibi dari velles. Ita bene æstimata naturæ indulgentia, confitearis necesse est in deliciis te illi fuisse.* Hæc Seneca non minus profecto vere ac sapienter, quam eleganter ac diserte.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE DIGNITATE, ET PRÆSTANTIA HUMANI CORPORIS.

Quamquam humanum corpus peccato vitiatum omni qua possunt verborum eloquentia sancti Patres insectentur ; utpote dum concipitur, sit sperma fœtidum ; dum vivit, saccus stercorum ; dum moritur, cibus vermium : cujus materia vilis, operatio turpis, status instabilis ; flebilis exitus, mors tristis, dissolutio miserabilis, ait ex S. Augustino mellifluus Bernardus : nihilominus si primordialem corporis humani statum spectemus, haud dubie mirandum divinæ Sapientiæ opificium esse cum S. Ambrosio lib. 6. *Hexameron*, c. 9. pronuntiabimus. Illius autem dignitas, et præstantia, penes tria maxime potest attendi : nimirum vel quoad Formationem, vel quoad Dispositionem, vel quoad Unionem cum anima rationali et immortali ; de quibus tres erunt sequentes Quæstiones.

QUÆSTIO PRIMA.

QUALIS, ET QUAM MIRANDA SIT HUMANI CORPORIS FABRICA.

Notandum 1. Operis alicujus dignitatem, et præstantiam ex triplici maxime capite esse repetendam: videlicet ex summa Artificis peritia; ex materiæ vel pretio, vel utilitate; denique ex figura, et forma exquisitissime elaborata. *Artificis* quidem peritia manifestius elucet interdum in minoris quam in grandioris operis conformatione. Peritior enim profecto fuit illius Artificis sagacitas, et industria, qui elegantes ea dexteritate currum equosque adaptaverat, ut ex illis alæ unius muscæ potuerint obtegi velamine, et volatu per aëra deportari, quam illius Opificis ars, et solertia, qui immensum fere Rhodi Colossum ære fuderat: inde pariter divinæ Sapientiæ summa, omnipotentiæque virtus, et activitas in tenuis formicæ productione magis commendatur, quam in ingentis elephantis fabricæ constructione. *Materiæ* pariter dignitas, non tam ex pretio, quam ex utilitate venit æstimanda; maxime eis in rebus, quæ summæ sunt utilitatis, et necessitatis, tum ad bonum publicum, vel particulare, tum ad finem aliquem præstantissimum comparandum: quo fit ut panis, et cetera edulia homini chariora, et pretiosiora videantur, quam aurum, argentum, ceteraque pretio commendata, quoniam illa ad vitæ conservationem, hæc tantum ad voluptatem immediate deserviunt.

Notandum 2. Quod cum humanum corpus formatum fuerit ut animæ rationali deserviret suis in operationibus eliciendis, maxime in scientia comparanda, oportebat tale fieri ut esset capax sensuum. Siquidem cum anima rationalis creanda esset nuda et expers omnis scientiæ, eamque deberet ipsa per sensus aucupari et acquirere, necesse fuit corpus hominis omnibus sensibus instructum, et ornatum esse. Omnium vero sensuum quasi fundamentum est *tactus*, qui in quadam mediocritate, et quasi temperatione primarum qualitatum constituitur; quippe præ ceteris ad scientiam experientia comparandam efficaciter inservit. Alii namque sensus, suis in percipiendis objectis falluntur sæpius, vel propter vitiatum organum, vel propter nimiam objecti percipiendi distantiam, vel propter medium indebite dispositum: eorum vero error per tactum emendatur, qui his deceptionibus non subjacet, ut in prima Quæstione nostræ Philosophiæ demonstravimus. Unde fit ut ex ea materia fabricari debuit humanum corpus, quæ tactui maxime erat idonea.

Notandum 3. Ex nostro Alensi *par.* 2. *q.* 81. *membro* 2. *ad primum*, animam rationalem sicut et humanum « corpus, triplici in statu « considerari posse: scilicet innocentiæ, lapsus, et gloriæ; in quibus, « inquit, corpus et anima primi hominis quamdam paritatem in no- « bilitate, et ignobilitate communicabant: *Primo* enim sicut anima in « primo statu, scilicet ante lapsum, sortita fuit esse nobile, in quo « vivebat vita naturæ integræ, roborata et sustentata vita gratiæ, quæ « erat in potentia, et habilitate ad esse ejus finale, et ultimatum no- « bilitare: similiter corpus in illo statu erat in integritate naturæ « optimæ in genere suo, et mediantibus fructibus sibi datis ad susten-

« tamentum, poterat perpetuari in esse illo donec assequeretur suum « esse nobilissimum..... Unde sicut anima in vita naturæ alebatur, « et sustentabatur gratia, quasi alimento spirituali, in progressu ad « suum esse optimum : sic corpus alimento corporali fructibus para- « disi promovebatur ad esse corporis nobilissimum. *Secundo*, sicut in « statu culpæ anima sortita est esse ignobile, per lapsum in culpam « duplex malum incurrens, scilicet corruptionis, et mortis spiritualis, « unde indigna efficiebatur bono ad quod condita erat : similiter cor- « pus sortitum est esse ignobile, duplex malum incurrens, scilicet « corruptionis, et necessitatis moriendi ; et indignum efficiebatur dono, « ad quod conditum erat. *Tertio*, sicut anima pœnitendo recuperavit « aptitudinem, et dignitatem ad obtinendum suum optimum, quod « amiserat per culpam, quo habito, sortitur esse nobilissimum : simi- « liter et corpus per virtutum corporearum exercitationes ac Evange- « licæ mortificationis cruciamenta, promovetur ad statum beatificum « in quo nobilissimum suum esse obtinebit ».

His ita prænotatis, jamjam humani corporis dignitas, et præstantia demostranda est ; *Tum* ex divino illius Artifice ; ✳ " *Tum* ex ipsius erga animam rationalem ministeriis et officiis : *Tum* denique ex illius præstantissima configuratione et forma.

Conclusio prima. — Summa humani corporis prærogativa est, quod præ cæteris rebus corporeis, speciali Dei opificio, veluti propriis ac divinis ejus manibus figuratum fuerit ; necnon ex variis ipsius erga rationalem animam ministeriis et officiis. Hæc Conclusio duabus partibus constat, quarum prima communis est apud " ✳ sanctos Patres, qui hanc veritatem multis commendant, et illustrant Scripturæ sacræ textibus. Imprimis vero S. Ambrosius in *Psalmum* 118. *octonario* 10. explanans illa verba, *Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me*, ea sic expendit : *Bestias non fecerunt manus tuæ, sed dixisti :* producant aquæ reptilia animarum viventium, et produxit terra secundum genus quadrupedia, et reptibilia, et bestias terræ. *Me autem*, inquit, *fecisti, me tuis manibus figurasti : hoc est non figurasti bestias manibus tuis, non reptilia, non volatilia.* Et infra advertit quod non solum manu Deus humanum corpus effinxerit ; sed quod duplicem manum huic operi admoverit. *Manus*, inquit, *plasmaverunt me : Manus, dicit pluraliter, non manu : at vero alibi ait :* ego manu mea solidavi cælum, et manus mea fecit hæc ; *in hominis constitutione videtur non abundare, quod toti mundo ut fieret abundavit. Cælum una formavit manus, ut scriptum est, et utraque Dei manus hominem figurarit, ut legimus.* Quibus constat quanta sit humani corporis præ cælesti dignitas, cum ad cæleste corpus efformandum Deus manum unicam admoverit ; ad effigiandum humanum corpus manu duplici adlaboraverit. — Hanc præ ceteris veritatem commendavit Tertullianus lib. *De resurrectione carnis*, c. 6. ubi humanam carnem ita prædicat: *Quantum contulit ille, qui eam fecit, jam tunc gloriantem quod illa pusillitas, limus, in manus Dei quæcumque sunt pervenit : satis beatus etsi solummodo contactus. Quid enim si multo amplius opere, statim figmentum de contactu Dei constitisset? Adeo magna res agebatur, qua ista materia extruebatur. Ita-*

que toties honoratur quoties manus Dei patitur, dum tangitur, dum decernitur, dum deducitur, dum effingitur. Recogita totum illi Deum occupatum, ac deditum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, et ipsa imprimis affectione, quæ lineamenta ductebat. Paucis interpositis objurgans Marcionem, quod humanum corpus vili faceret, quia e terra deductum et figuratum fuerat, ait: *Quo nunc facit ad infuscandam originem carnis, nomen terræ ventilare, ut sordendis, ut jacentis elementi? Cum etsi alia materia excudendo homini competisset, Artificis fastigium recogitari oporteret, qui illam, et eligendo dignam judicasset, et tractando fecisset. Phidiæ manus Jovem Olympium ex ebore molitur, et adoratur: Nec jam bestiæ, et quidem insulsissimæ dens est, sed summum sæculi Numen: non quia Elephantus, sed quia Phidias tantus,* hoc est, commendatur opus, non pretio materiæ, sed peritia Artificis. Quomodo ergo, *Deus vivus, et Deus verus, quamcumque materiæ vilitatem, non de sua operatione purgasset, et ab omni infirmitate sanasset? An hoc supererit, ut honestius homo Deum quam hominem Deus finxerit?* hæc omnia elegantissimis versibus Prudentius descripsit in Apotheosi:

Tantus amor terræ, tanta est dilectio nostri.
Dignatur præpingui humi comprendere mollem
Divinis glebam digitis: nec sordida censet
Hærentis massæ contagia. Jusserat ut lux
Confieret: facta est ut jusserat: omnia jussu
Imperitante, novas traxerunt edita formas.
Solus homo emeruit Domini formabile dextra
Os capere, et flabro Deitatis figmine nasci.

His itaque constat, quanta sit humani corporis dignitas, cum Deum præpotentem peculiari sapientia Opificem habuerit, cætera namque corpora, imo et spirituales intelligentiæ, solo Dei jussu, ac mandato constiterunt; humanum vero corpus Dei manibus elaboratum est. Non quidem manibus veris et corporeis (quidquid cogitaverit Tertullianus, putans Deum induisse corporis effigiem ut humanum corpus effingeret), sed manibus mysticis, hoc est, speciali divinæ sapientiæ, ac omnipotentiæ explicatione: his namque duabus præcellentiis, sapientia nimirum, et potentia, Deus cuncta sua opera veluti manibus molitur, et elaborat.

Conclusio secunda. — HOMINIS CORPUS CONVENIENTIUS FORMATUM FUIT EX MATERIA ELEMENTARI, QUAM EX CŒLESTI. Hanc veritatem probat Seraphicus Doctor in 2. *dist.* 17. *art.* 2. *qu.* 1. quadruplici ratione petenda ex totidem ordinibus, quos habet homo sive ad Deum, sive ad Angelos, sive ad creaturas corporales, sive ad seipsum.

Primo namque, ordo ipsius hominis in seipso hoc requirebat; quia, inquit, homo ideireo conditus fuit, et natus ut multa cognosceret, non solum cognitione intellectiva, sed etiam sensitiva: ideo habere debuit corpus multiforme, et diversis constans organis: ut diversi sensus ad varia objecta cognoscenda deservirent. Insuper quia conditus fuit cum summa arbitrii libertate, qua pro libito vivere poterat, servata originali justitia: aut fieri morti obnoxius, deperditis originalis justitiæ do-

tibus per propriam culpam, et admissum voluntarie peccatum; etiam habere debuit corpus, quod nedum vitæ, sed etiam morti foret deditum: ordo itaque hominis erga seipsum requirebat, ut ipsius corpus esset multiforme, et corruptibile, ideoque non cælestc, sed elementare esse debuit.

Secundo. Ordo ipsius hominis ad creaturam inferiorem idipsum exigebat; cum enim corporeæ creaturæ homini inferiores factæ sint, ut ipsi deservirent ad finem suum assequendum; etiam ille formari debuit ex materia composita, nimirum ut admittere posset obsequium inferiorum creaturarum, ita quod ipso mediante illæ creaturæ inferiores quodammodo possent ad beatitudinem promoveri, et cum homine glorificari. Id autem fieri non potuisset, si homo ex materia cælesti fuisset formatus; hoc enim in statu nullatenus opus habuisset obsequio creaturarum inferiorum ad sui ultimi finis consecutionem: ergo hac ratione conveniens fuit ipsius corpus ex materia elementari constitui.

Tertio. Hoc ipsum requirebat ordo quem habet ad creaturam parem, nempe Angelum; sicut enim facta est una rationalis creatura prope Deum, et in loco supremo, ut in Empyreo: sic debuit fieri alia rationalis creatura in loco infimo, scilicet terra; et ideo corpus ejus constitui debuit ex natura tali habitationi convenienti: adeoque convenientius fuit ipsum formari ex natura elementari, quam cælesti.

Quarto denique. Hoc etiam conveniebat ordini quem homo ad Deum tamquam ad finem ultimum habebat; conveniens enim erat, ut homo subjiceretur Deo, quatenus per humilitatem subjectionis ascenderet unde Angelus per sublimitatem elationis ceciderat: et ideo debuit habere corpus constitutum ex natura terrea, et inferiori, ut nempe seipsum terram, et pulverem reputans, Deo per omnia subjaceret.

Dices 1: Nobilissimæ formæ dari debuit nobilissima materia; siquidem materia debet esse formæ proportionata: sed anima rationalis est forma nobilissima: ergo debuit habere nobilissimam materiam. At nobilissima inter naturas corporales est natura cælestis: ergo ex ipsa formari debuit humanum corpus. — Respondet Seraphicus Doctor, quod nobilitas materiæ non sit spectanda ex natura ipsius materiæ, sed ex ordine quem habet ad formam. Quoniam igitur corpus humanum formatum fuit non solum ut ab anima rationali vivificaretur; sed etiam ut ipsi inserviret ad promerendam æternam beatitudinem, per illas videlicet virtutes quæ nonnisi corporis beneficio possunt exerceri, ideirco congrue formatum fuit illud corpus, non ex materia incorruptibili, sed quæ corruptioni foret obnoxia, necnon et apta multiplici sensuum operationi, qualis est natura elementaris, non vero cælestis.

Dices 2: Decens erat ut tale corpus formaretur homini, ex quo integra ejus natura constaret: sed talis non extitit cum corpore corruptibili, et anima incorruptibili; siquidem anima propter suam incorruptibilitatem est perpetuo vivificativa corporis; corpus autem corruptibile non est perpetuo vivificabile: ergo non aptum ut animæ uniatur. Nam secundum Aristotelem, quod est possibile ex parte formæ, etiam possibile debet esse ex parte materiæ: sicut a simili, quod est possibile ex parte potentiæ activæ, est etiam possibile ex parte

potentiæ passivæ, alioquin potentia illa esset frustranea; Deus autem, et natura nihil frustra in rebus moliuntur, aut esse sinunt: ergo convenientius erat ut immortalis anima incorruptibile corpus haberet, adeoque formatum ex materia incorruptibili, nempe cælesti. — **Respondet Angelicus Doctor** 1. *par. q.* 76. *art.* 5. quod in materia, quæ alicujus formæ causa eligitur, duplex invenitur conditio; altera quæ per se eligitur, ut per eam materia sit conveniens ad recipiendam formam, et idonea ut forma proprias actiones obire queat: altera vero, quæ per se non eligitur, sed quod ea priorem conditionem ex necessitate materiæ naturaliter consequitur, non potest abjici, et removeri a materia. Exempli causa, Artifex ad fabricandam serram eligit ferrum, quasi idoneam ad id materiam, quæ scilicet duritie sua apta est ad secandum; quod autem dentes serræ ferreæ possint hebetari, et rubigine affici, id sequitur ex necessitate materiæ. Sic animæ intellectivæ per se debetur corpus æqualis complexionis, et animæ vegetativæ, ac sensitivæ capax; tale autem corpus ex necessitate materiæ consequitur corruptibilitas. Hæc ille. Quasi diceret, Deum equidem aptasse corpus humanum animæ rationali, non quatenus erat corruptibile, sed quatenus poterat ipsi inservire ad suas operationes obeundas; ita quod corruptibilitas se habeat per accidens ad ipsam animam cui corpus aptatur, quia, nimirum, illa corruptibilitas sequitur ex conditione materiæ, non vero ex intentione agentis materiam assumentis, ad eam cum tali forma uniendam. Adde quod Deus etiam corporis immortalitatem in ipsius animæ arbitrio, et potestate ab initio constituerit, conferens ipsi dotes innocentiæ, quas utique si servasset, ipsius corpus corruptioni, et morti non fuisset subditum.

Conclusio tertia. — HUMANUM CORPUS SUA FIGURATIONE, ET FABRICA CETERIS REBUS CORPOREIS PRÆCELLIT. Hæc est communis apud sanctos Patres; quam ita prædicat S. Ambrosius in Psalm. 118. Octonario 10. *Fabricam ipsam humani corporis si quis considerare velit*, inquit, *nihil poterit in terra prætiosius judicare: est enim homo statu celsus, vultu decorus, cæsarie gratus, non in alvum ceterorum more curvatus animalium; sed ipso naturæ jure sublimis, qui in cælum libero spectet obtutu, nulla captivæ servitute cervicis depressus in terram; sed tamquam propriæ conscius libertatis, et locuples sui testis Auctoris.* Quod autem generatim hic commendat, sigillatim exprimit *lib.* 9. *Hexameron c.* 9. ubi corporis humani præstantiam, decorem, et gratiam ex miranda ipsius membrorum constitutione, eleganter sic delineat: « Etsi, inquit, una atque eadem omnium terrenorum corporum videatur esse substantia, firmitudo, et proceritas quibusdam « major in bestiis; forma tamen humani corporis est venustior, status « erectus, et celsus, ut neque enormis proceritas sit, neque vilis, et « abjecta pusillanimitas: tum ipsa habitudo corporis suavis, et grata, « ut neque belluina vastitas horrori sit, nec gracilitas tenuis infirmi- « tati. Ac primum omnium cognoscamus humani corporis fabricam « instar esse mundi. Siquidem ut cælum eminet aëri, terris, mari, « quæ velut quædam membra sunt mundi; ita etiam *Caput* supra re- « liquos artus nostri corporis cernimus eminere, præstantissimumque « esse omnium, tamquam inter elementa cælum; tamquam arcem in-

« ter reliqua urbis mœnia. In arce autem hac regalem quamdam habi-
« tare sapientiam, secundum Propheticum dictum: *quia oculi sapientis*
« *in capite ejus:* hanc esse ceteris tutiorem, et ex illa omnibus mem-
« bris vigorem providentiamque deferri. Quid enim robur, et validitas
« lacertorum proficiat, quid velocitas pedum, nisi capitis velut prin-
« cipis sui imperialis quædam adminiculetur potestas? Ex hoc enim
« aut destituuntur universa, aut omnia fulciuntur. Quid agat fortitudo,
« nisi oculo duce utatur in prælium? Quid fuga, si desit obtutus?
« Carcer est totum corpus, tenebroso inhorrens situ, nisi oculorum
« illuminetur aspectu. Quod ergo Sol et Luna in cælo, hoc sunt oculi
« in homine. Sol et Luna duo mundi lumina: oculi autem quædam
« in carne sidera fulgent desuper, et inferiora claro illustrant lumine.
« nec patiuntur noctis quibusdam nos tenebris implicari. Speculatores
« quidem nostri die ac nocte excubant: nam ex sopore membris ce-
« teris citius excitantur, et vigilantes circumspectant omnia; vicinio-
« res enim sunt cerebro, unde manat omnis usus videndi. Caput ita-
« que oculis explorat omnia, auribus occulta rimatur, cognoscit ab-
« scondita, audit quid aliis agatur in terris. Ipse autem vertex capitis,
« quam suavis, et gratus! quam speciosa cæsaries! quam reverenda
« in senibus! quam veneranda in sacerdotibus! quam terribilis in bel-
« latoribus! quam decora in adolescentibus! quam compta in mulie-
« ribus! quam dulcis in pueris. Ex arboribus licet, quæ humani sit
« gratia capitis, æstimare. In capite arboris omnis est fructus, ibi
« omnis est pulchritudo, illius coma nos aut a pluviis tegit, aut de-
« fendit a Sole. Tolle arbori comam, tota arbor ingrata est. Quanto
« igitur major humani capitis ornatus est qui cerebrum nostrum, hoc
« est, sedem originemque nostrorum sensuum capillis capitis munit,
« et vestit, ne aut frigore vexetur, aut æstu? Illic enim fons univer-
« sorum est: et ideo ubi injuria nocet, ibi gratia præeminet. Quid
« sine capite est homo, cum totus in capite sit? Cum caput videris,
« hominem agnoscis. Si caput desit, nulla agnitio esse potest: jacet
« truncus ignobilis, sine honore, sine nomine. Sola ære fusa Princi-
« pum capita, et ducti vultus de ære, vel de marmore ab hominibus
« adorantur. Non immerito igitur huic quasi consultori suo cétera
« membra famulantur, et circumferunt illud servili gestamine sicut
« numen, atque in sublime locatum venunt. Unde censoria potestate
« quo vult dirigit quorumdam obsequia servulorum, et præcepta sin-
« gulis obeunda decernit. Videas imperatori suo singula gratuito sti-
« pendio militare. Alia portant, alia pascunt, alia defendunt, et mi-
« nisterium suum exhibent: parent ut principi, ancillantur ut domino:
« inde velut quædam procedit tessera, quam debeant pedes obire re-
« gionem, quæ militiæ munia manus consummandis operibus exe-
« quantur; quam venter abstinendi, vel edendi formam impositæ te-
« neat disciplinæ. Huic *frons* libera nudis aperta temporibus, quæ
« mentis habitum specie sui prodat: nunc læta, nunc tristior: nunc
« directa ad severitatem, nunc ad lenitatem remissior, quæ signis fo-
« rensibus internam exprimat voluntatem: imago quædam animi. Lo-
« quitur in vultu fidei basis, in qua quotidie Domini nomen inseri-
« bitur, et tenetur. Eam geminæ sepes *superciliorum* sequuntur, quæ
« oculis munimenta pretendunt, prætexunt gratiam: ut et venustas

« decoris arrideat, et diligentia protectionis assistat : si quid enim de « capite sordidum decidat, aut arenæ pulvis, aut ros nebulæ, aut hu- « mescentis verticis sudor, excipitur supercilio, ne teneras offensa acie « visiones mollium perturbet oculorum : adhærent velut quibusdam « montium superciliis oculi, ut protegente montis cacumine tutiores « sint, et tamquam in summo locati, de quadam scena superiore uni- « versa prospectent. Præstantissimum quoque audiendi munus est, et « visui suppar gratia. Ideo *Aures* extentiores, ut et ornatus decorem « præferant, et excipiant omne illud quidquid de vertice sordium hu- « morisve defluxerit; simul ut in earum finibus vox repercussa sine « offensione interiores ingrediatur anfractus : nam nisi ita esset, quis « non ad omnem fortioris sonum vocis attonitus redderetur, cum in- « ter ipsa subsidia frequenter improviso ictus clamore nos obsurde- « scere sentiamus? Tum velut quædam propugnacula videas prætен- « dere adversus frigoris asperitatem, calorisque flagrantiam, ut neque « frigus penetret ductus patentes, neque nimius adurat æstus. Sinua- « tio autem interiorem aurium modulandi quemdam numerum præstat, « et disciplinam : siquidem per anfractus aurium quidam rythmus ef- « ficitur. Tenaces præterea sermonis accepti ipsos esse anfractus au- « rium, usus ipse nos docet : siquidem velut in concavis montium, vel « in recessu rupium, vel in anfractu fluminum vox auditur dulcior, « et responsa suavia referens echo resultat. Ipsæ quoque sordes aurium « non inutiles, quæ ligant vocem ut tenacior ejus in nobis et memoria « sit, et gratia. De *Naribus* autem quid loquar, quæ bivio, et procero « foramine antrum quoddam recipiendis odoribus præstant, ut non « perfunctorie odor transeat, sed diutius inhæreat naribus, et earum « ductu cerebrum, sensusque depascat? Ideo diutius odor flagrat, ac- « cepus, quam sermo resonat, aut visus apparet. Plerumque quod « momento brevi fueris odoratus, toto die tibi spirat in naribus. Per « eas quoque purgamenta capitis defluunt, et sine fraude, atque of- « fensione aliqua corporis derivantur. Est etiam non mediocris sen- « sus in *Tacta*, atque in eo voluptas gratissima, sinceramque judi- « cium : plerumque enim tactu probamus, quæ oculis probare non « possumus. Postremum quoque officium est *Oris*, aut *Linguæ*, quod « tamen omnibus vires ministrat : nam neque oculi vigorem videndi « haberent, nisi virtutem substantiæ corporalis acciperent, quæ cibo « defertur, et potu : neque aures audiendi, aut nares odorandi, aut « manus tangendi, nisi corpus omne reficeretur alimentis. Deficimus « enim viribus, nisi eas cibi competentis assiduitate reparemus. De- « nique confecti fame nullis oblectantur sensuum voluptatibus, sed « quasi exortes eorum delinimenta non sentiunt. Quid ego describam « *Dentium* vallum, quo cibus conficitur, et plenæ fit vocis expressio? « Quæ sine dentibus alimonia delectaret? Denique ævi maturos, ple- « rumque cernimus hoc ipso citius senescere, quod amissis dentibus « nullam possint cibi virtutem validioris assumere. Ideo muta infan- « tia, quia non habet adhuc organum vocis. *Linguæ* quoque non so- « lum in loquendo, sed etiam in edendo munus pretiosissimum est; « ea enim velut plectrum loquentis, et quædam edentis est manus, « quæ defluentem cibum dentibus suggerit, et ministrat. Quid autem « loquar de *Osculo oris*, quod pietatis, et charitatis est pignus? Oscu-

« lantur se, et columbæ ; sed quid ad humani oculi venustatem, quo « amicitiæ insigne, humanitatisque præfulget, in quo plenæ charitatis « fides exprimitur affectu ? Unde et Dominus velut prodigii genus in « proditore condemnans ait: *Juda, osculo filium hominis tradis?* Hoc « est, charitatis insigne convertis ad signum proditionis, et infideli- « tatis indicium : pacis hoc pignore uteris ad officium crudelitatis? « Quid est igitur os hominis, nisi quoddam sermonis adytum, fons « disputationis, aula verborum, promptuarium voluntatis ? Sequitur « *Guttur* per quod toti corpori vitale commercium, et spiritus hujus « commeatus infunditur. Succedunt *brachia*, et validi lacertorum tori, « validæ ad operandum manus, et procerioribus digitis habiles ad te- « nendum. Hinc aptior usus operandi, hinc scribendi elegantia, et ille « calamus scribæ velociter scribentis, quo divinæ vocis exprimuntur « oracula. *Manus* est quæ cibum ori ministrat: manus est quæ præ- « claris innitet factis, quæ conciliatrix divinæ gratiæ sacris infertur « altaribus, per quam offerimus, et sumimus sacramenta cælestia : « manus est quæ operatur pariter, atque dispensat divina mysteria, « cujus vocabulo non dedignatus est se Dei filius declarari, dicente « David : *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me.* « Manus est quæ fecit omnia, sicut dixit Deus omnipotens : *Omnia « enim hæc fecit manus mea.* Manus est totius corporis propugnacu- « lum, capitis defensatrix. Quæ cum sit loco inferior, totum verticem « comit, et honesto venustat ornatu. Quis digne explicet *Pectoris* cra- « tem, ventrisque mollitiem ? aliter enim viscera molliora non possent « foveri, et intestinorum sinus, duris haud dubie ossibus læderentur. « Quid tam salutare, quam ut *Pulmo* cordi finitimo limite jungeretur, « ut cum exarserit cor ira, et indignatione, pulmonis sanguine, atque « humore citius temperetur ? ideoque mollior pulmo est, quia madet « semper simul ut rigorem indignationis emolliat.... *Lien* quoque cum « jecore habet viciniam fructuosam : qui dum assumit quo ipse pa- « scatur, abstergit quidquid sordium deprehenderit, ut per fibras je- « coris minutiores, ciborum possint tenues, atque subtiles reliquiæ « transire, quæ vertantur in sanguinem, viribusque proficiant, et non « cum fimo, et sordibus egerantur. *Intestinorum* vero circumplexi or- « bes, et sine aliquo licet nodo, sibi tamen invicem nexi, quid aliud « nisi divinam prospicientiam Creatoris ostendunt ? Ut non cito esca « pertranseat, et statim a stomacho decurrat ; quod si fieret, jugis fa- « mes, et continua vorandi libido hominibus gigneretur. Exinanitis « enim visceribus, et exhaustis, dum momentaria effusione necesse « esset inexplebilem, atque insatiabilem cibi, et potus generari cupi- « ditatem, quam sine dubio immatura mors sequeretur. Ideoque pro- « vide conficitur primum esca in utero superiore, deinde in jecore co- « quitur, quousque vapore digestus transfunditur succus ejus in reli- « quas corporis partes, eaque substantia artus aluntur humani, quam « juvenes accipiunt ad incrementum ; senes ad perseverantiam : reli- « quum autem velut superfluum per intestina deducitur, et per illud « ex transverso ostium derivatur. Quid de officio *Pedum*, qui totum « corpus sine ulla sustinent oneris injuria ? Flexibile genus, quo præ « ceteris Domini mitigatur offensa, ira mulcetur, gratia provocatur : « hoc enim Patris summi erga Filium donum est: ut *in nomine Jesu*

« *omne genu curretur etc.* Duo enim sunt, quæ præ ceteris Deum « mulcent, humilitas, et fides. *Pes* itaque exprimit humilitatis affe- « ctum, et sedulæ servitutis obsequium : fides æquat Filium Patri, « atque utriusque eamdem gloriam confitetur. Recte autem non plu- « res, sed duo sunt homini pedes : quaterni enim pedes feris, ac bel- « luis sunt, bini avibus ; et ideo *unus quasi de volatilibus est homo,* « qui alta visu petat, et quodam remigio volitet sublimium cogitatio- « num. Et ideo de eo est : *Renovabitur sicut aquilæ juventus tua* di- « ctum, eo quod proprior sit cælestibus, et sublimior aquilis, qui pos- « sit dicere: *Nostra autem conversatio in cœlis est* ». Hæc omnia, pau- cis demptis, S. Ambrosius.

Ut autem integra, et exacta habeatur præcipuarum hominis par- tium delineatio, addere lubet ex Lugo lib. *De Provid. Numinis.* Homo indiget ossibus, ut sustentetur : non poterat autem unico osse constare, quia se flectere, et membris suis ad varios motus, et functiones uti ne- quivisset. Itaque ex plurimis ossibus partim majoribus, partim mino- ribus, partim minutissimis constructus est; quorum singula eam habent magnitudinem, figuram, firmitatem, connexionem, quam corporis robur, facilitas motus, et membrorum usus postulabat. Capitis ossa sunt octo : maxillæ superioris duodecim, inferioris unum. Dentes triginta duo : spina constat vertebris triginta duabus, os pectoris ensiforme ossibus tribus. Costæ sunt viginti quatuor, ex quibus quatuordecim a spina dorsi ad os pectoris pertingunt, in eoque firmantur ad cordis, et pul- monum custodiam ; decem non pertingunt, ut stomacho, et ventri la- xitas relinquatur. Singuli digiti constant ossibus ternis, pollex binis. Addit ex Galeno esse in corpore humano ossa supra ducenta : et sin- gula ossa habere scopos supra 40. qui in illis formandis, disponendis, connectendis considerandi sunt, itaque ut sola ossa corporis humani apte formentur, plusquam octies mille scopos esse spectandos. Muscu- los esse supra sexcentos, quorum singuli scopos habent decem ; ac proinde in solis musculis sex millia scoporum considerari. *Eadem,* inquit, *ars circa omnia viscera existit, et omnino circa quamlibet par- tem, adeo ut si quis structuræ scopos consideret, in aliquot myriades eorum multitudo excrescat.* Hinc concludit corpus humanum a sapien- tissimo, et potentissimo artifice esse formatum. Non satis erat corpus humanum ossibus constare, et musculis, sed calore opus erat, ut pos- set vivere, et sanguine quo posset ali, et spiritu quo posset moveri, ac sentire. Constat enim sine spiritu animam, nec sentire, nec corpus suum movere posse. Spiritus enim cum tenuissimæ sit substantiæ, tamquam medium quoddam inter animam subtilissimam, et corpus crassum, et proximum animæ instrumentum, quo motum, et sensum efficit, sine quo etiam alimenti distributio fieri nequit. Fabricavit igitur providentia tria viscera principalia in homine, quibus hæc perficeren- tur, cor, hepar, cerebrum. Cor ad totius corporis calorem, et spiritum vitalem : hepar ad sanguinem, et spiritum naturalem : cerebrum ad spiritum animalem. Officina itaque sanguinis est hepar : ex hepate enim ducuntur duæ venæ ingentes, altera sursum, altera deorsum, quæ deinde in varios dividuntur ramos, et singuli rami rursus in alios mi- nores, et hi in alios, donec tandem in minutissimas, et invisibiles venulas facessant... Venarum mira structura, et vis : constant enim

fibris directis, obliquis, et transversis. Directis ut sanguinem attrahant, et sugant: obliquis, ut retineant; transversis, ut ulterius ad musculos, et extremas usque partes transmittant. Eadem ars in fistulis intestinorum servata; habent vim sanguinis conservandi, qui extra illas erumpens statim putrescit, et morbos efficit, ut in pleuritide, contusionibus et inflammationibus videmus. Miscetur sanguini serosus humor ad faciliorem distributionem, qui postea, vel calore in halitum dissipatur, vel sudore excernitur. Miscetur et modicum bilis ad tenuitatem, ne crassescat, et quasi coaguletur: miscetur et spiritus, quem naturalem dicimus, ut poros aperiat, et alimentum inducat. Nulla enim est corporis particula, quæ porosa non sit. Sicut hepar omnibus partibus corporis sanguinem, quo alantur, et spiritum naturalem suppeditat; ita cor calorem, et spiritum vitalem, quo calor nativus assidue foveatur, et ventiletur: in quem finem a corde ducuntur duæ arteriæ, altera sursum, altera deorsum, quæ rursus in multos ramos abeunt, et hi rursus in alios minores, donec in tenuissimas veluti fibras terminentur, eo prorsus modo quo venarum genus. Pertingunt arteriarum ramusculi ad omnes musculos, et ad viscera omnia, ut calorem, et spiritum illis infundant. *Cerebrum* suppeditat spiritum animalem, qui, sicut sanguis et spiritus naturalis per venas, et sicut calor, ac spiritus vitalis per arterias, ita diffunditur per nervos. Verum quia e cerebro, quod capite continetur, non poterant sufficientes nervi procedere, qui ad omnia viscera, et musculos omnes pertingerent; providentia opifex hominis substantiam cerebri una cum suis membranis a capite per colli vertebras, et per totam spinam dorsi protendit, ita ut medulla spinalis non sit aliud, quam continuatio quædam, et productio cerebri. Ne autem spiritus evanescat, et animal subito moriatur, involutum est cerebrum duplici membrana, altera tenuiore, quæ interior est, altera duriore, et robustiore, quæ exterior, et ossi cranii proxima. Simili modo involvitur medulla spinalis. *Nervorum* mirabilis est compositio, sicut enim cerebrum integrum tribus constat; nimirum medulla, et duplici membrana qua involvitur: ita etiam singuli nervi qui ab ipso oriuntur; nam intima nervorum medulla est cerebri substantiæ similis, quæ duabus tunicis tegitur; adeo ut nihil aliud nervi esse videantur, quam illius medullæ, et illarum membranarum, quibus cerebrum constat, productio et continuatio. Hac ratione fit, ut cerebrum quodammodo sit per totum corpus, et in singulis corporis particulis, quæ sensum et motum habent. Primario enim locatum est in capite, in quo sunt omnia sensuum organa: a capite una cum suis membranis protenditur per spinam dorsi: a spina dorsi abit in nervos, qui sparguntur per totum corpus in omnes diffusi musculos. Simili modo *cor* per arterias, quæ cordis naturam imitantur, et hepar per venas, quæ ipsius vim et indolem retinent, per totum corpus diffunduntur, et in minima quavis particula existunt: quo mirabili artificio tria illa principalia viscera quibus sensus, motus, pulsus, et nutritio perficiuntur, nempe cerebrum, cor, hepar, per totum corpus extenduntur, et in singulis ejus partibus quodammodo existunt. Omitto alia innumera, quæ de structura singulorum, et usu dici possent.

Hæc omnia brevius, sed non minus eleganter, et graphice depingit sanctus Clemens *lib.* 8. *Recognit.* « Vide, inquit, in corpore hominis

« Artificis opus, quomodo ossa velut columnas quasdam quibus caro « sustentetur, ac portetur, inseruit: tum deinde æqualis ex utraque « parte, idest dextera, ac læva, mensura servetur; ut congruat pes « pedi, et manus manui; digitus quoque digitis, ut singuli ad sin- « gulos tota æqualitate concordent: sed et oculus oculo, auris auri, « quæ non solum consona sibi, et concordantia, sed et usibus neces- « sariis apta formantur: manus quidem ut operi commodæ sint, et « pedes ut gressibus: oculi ut visui serviant superciliorum excubiis « custodit; aures ad audiendum ita formatæ, ut cymbalo similes, su- « scepti verbi repercussum sonitum altius reddant, et usque ad sen- « sum cordis emittant. Audi sequentia, atque artificiosa, et mira. « Lingua autem ad loquendum illis, ac dentibus, plectri reddat offi- « cium; ipsi vero dentes, alii ut incidant, et dividant cibos, et interi- « oribus tradant, interiores vero in modum molæ conficiant, et com- « minuant quo opportunius stomacho traditi coquantur, unde et mo- « lares appellati sunt. Sed et nares commeandi flatus, et reddendi ac « recipiendi gratia factæ sunt, ut innovatione spiritus calor naturalis, « qui ex corde est, vel accendi, vel refrigerari, cum res poposcerit, « queat pulmonis officio, qui pectori inhærere datus est, ut mollitie « sua palpet, et foveat cordis vigorem, in quo videtur vita consistere: « vitam dico, non animam. Nam quid dicam de substantia sanguinis, « qui velut fluvius ex fonte procedens, ex uno prius alveo invectus, « tum deinde per innumeras venas quasi per areas derivatus, totam « humani corporis terram vitalibus rigat fluentis, jecoris opere mini- « stratus, quod ad efficaciam digestionis ciborum, atque in sanguinem « mutandorum in dextero latere jacet? Quis ex his omnibus non agno- « scat rationis opus, et sapientiam Conditoris? » — ✳ " Audiendus est etiam Alcimus Avitus Viennensis episcopus, lib. 1. Poëmatum, qui est de creatione mundi, ubi humani corporis fabricam graphice sic repræsentat:

Sic Pater Omnipotens victurum protinus arvum
Tractat, et in lento meditatur viscera cœno.
Hinc arcem capitis sublimi in vertice signat,
Septiformem vultum rationis sensibus aptans,
Olfactu, auditu, visu, gustuque potentem.
Tactus erit solus, toto qui corpore judex
Sentiat, et proprium spargat per membra vigorem.
Flexilis artatur recavo sic lingua palato,
Pressus ut in camera pulsantis verbere plectri
Percusso resonet modulatus in aëre sermo.
Exin succiduum porrecto in corpore pectus
Spargit ramosas post brachia fortia palmas.
Succedit stomacho medius, qui tegmine molli
Inter utrumque latus fovet vitalia, venter.
Dividuum partem femur excipit, aptius ut se
Alternus moveat duplicato poplite gressus.
At parte ex alia, fingit quam Conditor unus,
Occipiti submissa suo descendere cervix
Incipit, et vastos compagibus addere nervos.

Spina rigens crebris inter commercia nodis
Diffundit duplicem costarum ex ordine cratem.
Pars interna novos vitæ formatur ad usus,
Naturale parant tegumen vitalia cordi,
Massaque congestis pendens absconditur extis.
Additur his tenui pascendus ab aëre pulmo,
Qui concepta trahens lenti spiramina flatus,
Accipiat reddens, reddat quas sumpserit auras,
Inque vicem crebro pellatur anhelitus haustu.
Dextra tenet jecoris vegetandum sanguine fontem,
Quo clausum venæ spargunt per viscera flumen.
Lienis laevam sortitur regula partem,
Qua crines perhibent unguesque recrescere sectos.
Nec concisa dolent: hinc nunc augmenta resumunt
Quæ vivunt sensuque carent in corporis usu.
Postquam perfectæ jacuit novitatis imago,
Formatumque lutum speciem pervenit in omnem,
Vertitur in carnem limus, durataque molles
Visceribus mediis traxerunt ossa medullas.
Inseritur venis sanguis, vivoque colore
Inficit ora rubor: toto tum corpore pallor
Pellitur et niveos depingit purpura vultus.
Inde ubi perfectis consuescit vivere membris
Totus homo, et sumant calefacta ut viscera solam
Expectant animam, puro quam fonte Creator
Promat, et erectos recturam mittat in artus:
Levem perpetuo flatum profundit ab ore
Inspiratque homini: quem protinus ille receptum
Attrahit, et crebri discit spiraminis auras.

Audiendus etiam Cicero, lib. 1. *De legibus*, de humani corporis egregia configuratione sic disserens: « Ipsum autem hominem eadem « natura non solum celeritate mentis ornavit, sed etiam sensus tam- « quam satellites attribuit ac nuntios, et rerum plurimarum obscuras, « nec satis apertas intelligentias inchoavit, quasi fundamenta quædam « scientiæ: figuramque corporis habilem et aptam ingenio humano « dedit. Nam cum cæteras animantes abjecisset ad pastum, solum ho- « minem erexit, ad cælique quasi cognationis domiciliique pristini « conspectum excitavit: tum speciem ita formavit oris, ut in ea penitus « reconditos mores effigiaret. Nam et oculi nimis arguti, quemadmodum « animo affecti simus, loquuntur: et is, qui appellatur vultus, qui nullo « in animante esse præter hominem potest, indicat mores: cujus vim « Græci norunt, nomen omnino non habent. » *Ita Cicero.* " ✳

QUÆSTIO SECUNDA.

QUANTA SIT HOMINIS DIGNITAS EX RECTA EJUS DISPOSITIONE.

Notandum 1. Duplicem esse hominis rectitudinem, *spiritualem* nempe, et *corpoream*, de quibus loquitur Ecclesiastes cap. 7. dicens:

Deus fecit hominem rectum; videlicet *quantum ad dispositionem corporis, et quantum ad habitum mentis,* ut explicat noster Alensis *parte* 2. *qu.* 81. *memb.* 2. Prior est ipsa naturalis, et ingenita animæ rationalis inclinatio, qua rebus omnibus corporeis superior, necnon et omnium sensuum, ac passionum corporis, quod informat, domina, fertur in Deum tamquam in centrum in quo quiescat, in primam veritatem, quam contempletur, et in summum bonum in cujus amore et comprehensione beari et deliciari possit. Posterior est procerus et rectus ipse humani corporis status, quo, non sicut cætera animantia, prona facie in terram curvetur; sed erecto vultu in cælum feratur, et prospiciat. De priori rectitudine sermo erit in sequentibus; hic autem de posteriori agendum est.

Notandum 2. Quod cum homo triplici in statu considerari possit: nempe naturæ, gratiæ, et gloriæ, in quibus diversas dotes, et operationes habet, etiam ipsius corporeæ rectitudinis dignitas, et majestas colligi potest ex operationibus hoc in triplici statu eliciendis. Cum enim Deus divino suæ sapientiæ consilio res omnes in numero, pondere, et mensura produxerit, hoc est quamlibet in justa, et certa perfectionis, dispositionis, et situs ratione constituerit, secundum cujusque naturam, et existendi ac operandi modum; hinc est quod homini juxta triplicem ejus ordinem, eam figuram et corporis dispositionem concedere debuit, quæ diversis ejus operationibus hoc in triplici statu eliciendis congruentior erat et aptior, qualem esse corpoream rectitudinem demonstrabimus.

Notandum 3. Rectitudinem corpoream secundum se spectatam non inferre quidem summam perfectionem in eo cujus est; quædam enim creaturæ, etiam minimæ dignitatis, figuram habent rectam, et ad cælum eriguntur, qualia sunt fere omnia plantarum genera: e contra vero, quædam corpora nobilissima, ut sunt astra et lapides pretiosi, hanc rectitudinem, et versus cælum erectionem non habent; astrorum enim virtus magis in terram, quam in cælum propendet, et pretiosissimi quique lapilli in terra sordescunt, et delitescunt. Unde non est mensuranda, et colligenda humani corporis dignitas ex sola illius rectitudine, sed maxime ex ejus erectione; rectitudo enim erecta, inquit Alensis, *ibidem,* primum signum est perfectionis humani corporis, nempe formæ ejus nobilis, et cælestis, necnon et appetitus ad beatitudinem, quam in cælo tantum completam habere potest. Non sic autem de plantis, quæ licet rectæ sint, non tamen sunt erectæ, sed potius demissæ per suæ partis adhæsionem terræ a qua vitam, et accretionem obtinent; inde homo, et planta contrarium situm habent, quocirca homo dicitur arbor inversa.

Conclusio unica. — Summa humani corporis dignitas, et majestas maxime elucet in ejus proceritate, et versus cælum erectione. Hanc veritatem

Probat Alensis noster ex triplici statu hominis, nempe innocentiæ, gratiæ, et gloriæ, in quibus homo varias habere debet operationes, ad quas maxime ipsa corporis erectio conducit. Primo namque innocentiæ status tribus præcellentiis donabatur; in eo siquidem *homo habebat potentiam in præsidendo, sapientiam in loquendo, bonitatem*

in diligendo : quibus per peccatum spoliatus, cecidit *in infirmitatem potentiæ, in tenebras ignorantiæ, et in malitiam concupiscentiæ,* ut loquitur Alensis : sed ad tres has dotes implendas necessaria erat corporis proceritas, et erectio ; primo namque illa regiam majestatem, et potestatem indicat, qua homo innocens dominari debebat piscibus maris, volatilibus cæli, et bestiis terræ ; hæc enim omnia animantia, ut suam in hominem obedientiam, et observantiam testarentur, prona habuerunt corpora ; et deorsum proclivius inclinata sunt, ut homini supereminenti, tamquam principi, et capiti subjecta, venerationem suam exhiberent. — Juvat pariter iste status erectus ad demonstrandam hominis sapientiam in loquendo : si enim corpus ejus fuisset inclinatum, et non erectum, facilem non habuisset usum sermonis, qui præstantissimum est indicium communicatæ sibi divinæ sapientiæ. Inde S. Gregorius Nyssenus lib. *De hominis opificio, cap.* 9. colligit idcirco hominem donatum fuisse manibus, non solum ut essent instrumenta expedita ad omnes artes, et omnia opera pace, belloque gerenda ; sed etiam ut ad sermonem, et loquelam deservirent. « Nam si « his carendum homini esset, inquit, haud dubie animalium instar qua- « drupedum sic humanæ faciei partes formatas esse necesse foret, ut « eæ ad hominem nutriendum essent accommodatæ ; adeoque formam « hujus oblongam esse, attenuatam, ac pressam qua nares sitæ sunt, « labra vero eminentia, obducta callo, dura, crassaque esse oportebat, ut « nimirum ad carpendas herbas apte comparata essent. Præterea lin- « guam inter dentes, non illam quidem talem quali nunc utimur ; « sed vel carne amplam, solidam, asperam, quæ quidquid dentibus « injectum esset, una cum illis comminueret : vel contra, mollem « versus latera, fluidamque ; cujusmodi canum, reliquorumque ani- « malium crudivororum lingua est, quæ inter dentium quasi ferrato- « rum rimas diffunditur. Quamobrem si manus humano corpori ad- « ditæ non fuissent, quo pacto tandem exprimi articulata quasi vox « potuisset, partibus oris ad sonum adjuvandum non satis apte confor- « matis ? Profecto enim aut balandum, aut caprissandum, aut latran- « dum, aut hinniendum, aut boandum, aut rudendum homini fuisset, « aut mugitus quidem belluarum more edendus. Nunc cum manus « homini datæ sint, tantum sermoni os exprimendo deservit, atque « occupatur : idcirco recte statuitur manus esse proprium quoddam « naturæ loquendi facultate præditæ instrumentum, et hunc potissi- « mum ad finem factas esse, ut earum opera expeditior in nobis ser- « monis usus esset. » Hæc ille. Unde si manus non adessent humano corpori, nullum homo posset proferre sermonem. Si autem hominis corpus esset inclinatum, et pronum, non haberet manus ; quia in omnibus animantibus inclinatis anteriora membra corporis pedes sunt : adeoque si corpus non haberet erectum, nec etiam liberum haberet sermonis ministerium ; nec consequenter sapientia donaretur, sermo namque sapientiæ nedum est indicium, sed etiam vehiculum. Unde Ovidius 1. *Metamorph.* eleganter ait :

Pronaque cum spectent animalia cetera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

Constat denique illam corporis humani erectionem etiam maxime conducere ad divinam contemplationem, divinumque amorem; cum enim amor sit in spiritibus, quod in corporibus pondus, juxta tritam illam S. Augustini sententiam, *Amor meus pondus meum, illo feror quocumque feror*, hinc est, quod cum corpora naturali suo pondere deorsum tendant, ipsum corpus humanum, quod est divini amoris sacrarium, necnon et organum spiritus in Deum tendentis, etiam naturali sua dispositione tendere debuit sursum, quo ferri debet hominis amor; ibi enim amor ubi oculus. Unde Cassiodorus lib. *De anima* cap. 16. *Procerum animal homo, et in effigiem pulcherrimæ speculationis erectum ad res supernas, et rationabiles intuendas: cujus harmonica dispositio ingentia nobis sacramenta declarat.* Subdit qualiter omnes nostri corporis partes in Dei gloriam cedant.

Similiter hæc humani corporis erectio maxime conducebat ad operationes gratiæ, quæ duobus potissimum continentur: primum est quod carnali abjiciatur delectatio: secundum, quod ad spirituales delicias sectandas homo totus ordinetur, et occupetur. Utrumque autem recte constat, et colligitur ex ipsa humani corporis proceritate, et erectione. Ideo namque cetera animantia prona sunt, et versus ventrem suum obversos visus habent; quia tota eorum voluptas carnalis est, et terrena; hominis vero deliciæ cælestes sunt, ac spirituales. Quod egregie explicat S. Basilius in Hexaemeron c. 9. *Pecudes omnes*, inquit, *terrenæ sunt, et ob hoc inclinantur ad terram: sed est alia plantatio cœlestis homo, qui quantum habitu figuræ, tantum dignitate distat a pecoribus. Illorum facies deorsum fixa est, uteramque prospectat, et quod ejus libidini jucundum est, hoc sectatur: tuum vero caput ad Cœlum semper erigitur: oculi tui superna respiciunt. Sed si tu corporis voluptate te fœdaveris, obediendo luxui ventris, et inferioribus ejus partibus, comparatus es jumentis insipientibus, et similis factus es illis.* Cui concinit S. Bernardus super *Cantica*, serm. 24. *Corporis staturam*, inquit, *Deus dedit homini rectam, forsitan ut illa corporeæ exterioris, viliorisque rectitudo figmenti, hominem illum, qui ad imaginem Dei factus est spiritualis, suæ servandæ rectitudinis admoneret; et decor limi deformitatem argueret animi. Quid enim indecentius, quam curvum recto corpore gerere animum? Perversa res est, et fœda, luteum vas, quod corpus est, de terra, oculos habere sursum, Cœlos libere suspicere, cœlorumque luminaribus oblectare aspectus, spiritualem vero, cœlestemque creaturam suos e contrario oculos, idest, internos sensus, atque affectus trahere in terram deorsum; et quæ debuit nutriri in croceis, hærere luto tamquam unum de suibus, amplexarique stercora.*

Denique, hæc erecta humani corporis dispositio vestigium aliquod præbet futuræ gloriæ: homini enim inservit ad duplicem contemplationem; cælestium videlicet, et terrestrium. Nam, ut loquitur S. Augustinus lib. 83. quæstionum, *Corpus hominis solum inter animalium terrenorum corpora non pronum in alvum prostratum est, cum sit visibile, et ad intuendum Cœlum erectum.* Et infra: *Tale est, ut ad contemplandum Cœlum sit aptius: magis in hoc ad imaginem, et similitudinem Dei, quam cetera corpora animalium merito videri potest.* Unde S. Bernardus laudato loco subdit: *Erubesce, anima mea, divinam in*

pecorinam commutasse similitudinem : erubesce volutari in cœno, quæ de Cœlo es. Erubesce anima, ait corpus, in mei consideratione. Creata similis creanti recta, me quoque accepisti adjutorium simile tibi, utique secundum lineamenta corporeæ rectitudinis quocumque te vertas, sive ad Deum sursum, sive ad me deorsum (nemo siquidem carnem suam unquam odio habuit,) ubique occurrit tibi species decoris tui, ubique pro statu tuæ dignitatis habes de magisterio sapientiæ familiarem admonitionem. Me ergo meam, quam tui gratia accepi, retinente et servante prærogativam, tu quomodo non confunderis amisisse tuam?

Dices 1 : Quod est ingenitum, et a natura, non est laudis, aut vituperii dignum, ex Aristotele 3. *Ethicorum cap.* 5, nec consequenter ullam dignitatem infert: sed rectitudo corporis humani est a natura insita homini : ergo ex ea nulla ipsi dignitas accedit. — **Respondet Alensis**, bonum laude dignum esse duplicis generis : scilicet in *genere morum*, et per respectum ad actus secundum dictamen rectæ rationis elicitos : vel in *genere naturæ*, et juxta perfectionem cuique rei a natura inditam. De priori loquitur Philosophus : non vero de posteriori, de quo nobis est sermo. Licet enim naturalis perfectio magis alliciat ad laudem Creatoris, quam creaturæ ; nihilominus propter istam perfectionem ipsa etiam creatura laude digna est, secundum quod refertur ad bonum Universi, quatenus nempe ad ipsius Universi decorem, et splendorem concurrit, ita quod quæ majorem perfectionem habet, etiam perfectiori modo ad Universi pulchritudinem confert ; ideoque propter præstantiores suas præcellentias majori laude videatur digna.

Dices 2: Per peccatum anima cecidit ab ingenita sibi rectitudine : ergo pariter conveniens fuit, ut suam rectitudinem corpus humanum deperderet, et consequenter propter illam homo non est censendus laude dignus. *Consequentia* patet ; corporis enim rectitudo propter illustrandam animæ rectitudinem concessa fuit, ut diximus. Confirmatur ex Psal. 48. *Homo cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis :* maxime in curvitate animæ, quæ patet per stimulos concupiscentiæ, noxia semper et terrena appetentis ; nam, ut loquitur S. Augustinus, duo nobis per peccatum inflicta sunt, scilicet *ignorantia agendorum, et concupiscentia noxiorum :* ergo multo magis corpus, quod fuit instrumentum peccati, sua rectitudine spoliari debuit, adeoque hæc nullatenus in gloriam cedit. — **Respondeo**, quod ad jacturam rectitudinis animæ deperdi non debuerit corporis rectitudo : imo ideireo animæ grandis accedit agendæ pœnitentiæ stimulus, quod nempe corpus sibi subditum suam corpoream rectitudinem servaverit ; hæc autem spiritualem suam in Deum tendentiam voluntaria ad creaturas dejectione perdiderit, ut supra dicebamus ex S. Bernardo. *Ad confirmationem* dico, hominem per peccatum assimilari jumentis, propter effrænos concupiscentiæ motus, quibus agitur ad turpia, quæ scilicet carni arrident, et in quibus anima peccatrix delectatur : non autem fit hæc assimilatio quantum ad statum, et dispositionem ipsius corporis; constat namque eam semper stare rectam, sicut fuit ab initio, dum nempe vigeret innocentiæ status.

QUÆSTIO TERTIA.

QUANTA SIT HUMANI CORPORIS DIGNITAS EX EJUS UNIONE CUM ANIMA RATIONALI.

Notandum 1. Fide constare animam rationalem esse humani corporis formam, non *assistentem*, et solum moventem, ut voluit Plato; sed *informantem*, et realiter ipsi unitam, ut definitum est in Concilio *Viennensi* sub Clemente V. his verbis: *Quisquis deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, animam rationalem, seu intellectivam, non esse formam corporis humani per se, et essentialiter, tanquam hæreticus sit censendus.* Quam sanctionem Conc. *Lateranense tertium*, sub Leone X. suo decreto de anima rationali instauravit, ubi utramque prædictam sententiam reprobat et reprobatam asserentes anathemate ferit his verbis: *Sacro approbante Concilio damnamus, et reprobamus omnes asserentes animam intellectualem mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus; et hæc in dubium vertentes; cum illa non solum vere, et per se, et essentialiter humani corporis forma existat.* — Suffragatur etiam ratio: siquidem homo intelligit formaliter, et proprie, ut affirmat Aristoteles 10. *Ethicorum*, ubi felicitatem hominis in intelligentia actuali constituit: felicitas autem hominis inest ei formaliter. *Deinde*, anima rationalis est essentialiter distinctiva hominis; nam homo differt essentialiter a belluis, non per corpus, nec per gradus vegetativos, aut sensitivos, qui sunt ipsis communes: ergo per animam rationalem: sed distinctivum essentialiter inest formaliter ei quod distinguit: ergo, etc. *Denique*, si tantum esset forma assistens, se haberet ad corpus, ut nauta ad navim, et sessor ad equum: ergo sicut sessor ab equo, et nauta a navi potest recedere, utroque incolumi perseverante, ita pariter anima rationalis, si tantum esset forma assistens, recedere posset a corpore, ipso incolumi perseverante.

Notandum 2. Deum plurimis de causis animam spiritualem, et immortalem materiali corpori et mortali conjunxisse, quarum præcipuæ sunt: *Prima*, ne anima superbiæ vento tumesceret, et ob id facillime in errorem impingeret, eamdemque cum Lucifero, et ejus perduellibus Angelis jacturam incurreret. *Secunda*, Deus id instituit ut supremam suam sapientiam notam faceret, omnium naturalium unionum maximam instituendo: unio enim maxima debet esse inter infimum supremi, et supremum infimi: ergo cum anima infima sit inter substantias spirituales supremum inter entia locum obtinentes, et cum humanum corpus miranda sua fabrica inter corpora primas partes habeat, idcirco congrua fuit utriusque unio. *Tertia*, ut anima proficere posset ad majorem gloriam promerendam per bona opera corporea, scilicet castitatis, temperantiæ, patientiæ, etc.

Notandum 3. Animam rationalem, et corpus humanum posse bifariam considerari: scilicet vel *absolute*, et secundum proprias cuique dotes; vel *respective*, et prout ordinantur ad invicem tamquam materia ad formam, et forma ad materiam. Priori modo corporis dotes animæ dotibus opponuntur: materiales enim illæ sunt, et corruptibiles: hæ vero spirituales sunt, immortales, et indefectibiles; adeoque sic consideratum corpus, ex animæ propinquitate nobilitatem non obtinet,

imo deprimitur omnino, et in hac comparatione vilescit. Secus vero accidit, dum posteriori modo considerantur, maxima enim est humano corpori nobilitas, quod ex congrua ipsius harmonia aptum sit, et habile, ut uniatur formæ tam excellenti, a qua nedum vitam, et motum, sed etiam dignitatem, et præstantiam obtinet, ut probabit

Conclusio unica. — SUMMA EST CORPORIS HUMANI NOBILITAS, ET PRÆSTANTIA EX IPSIUS CUM ANIMA RATIONALI UNIONE.

Probatur ex triplici dignitate, quam corpus humanum obtinet ab anima, juxta triplicem statum : naturæ videlicet, gratiæ, et gloriæ. **Primo** namque ratione conjunctionis cum anima rationali omnibus rebus corporeis præcellit, ut supra probatum est : si enim animam rationalem ab eo seponas, revera corpus humanum tum in sensuum operatione, tum in vitæ diuturnitate, tum in virtute, et robore, longe superabunt plurima belluarum corpora, ut dictum est supra Concl. 3 primæ Quæstionis hujus Articuli. Tota ergo corporis humani supra cæteras creaturas corporeas dignitas, et præstantia naturalis ab intimo illius cum anima rationali commercio repetenda est. Quod utique mirum in modum expendit Tertullianus *lib. De Resurrectione carnis, cap.* 6. ubi corporis humani dignitatem colligit ex ipsius unione cum anima rationali; ibi enim Marcionem infuscatorem humanæ carnis, sic interpellat : *Non es diligentior Deo, uti tu quidem Scythicas, et Indicas gemmas, et rubentis maris grana candentia non plumbo, non ære, non ferro, ne argento quoque oblaquees : sed erectissimo, et insuper operosissimo describes auro : Vinis item, et unguentis pretiosissimis, quibusque rasculorum prius congruentiam cures : proinde perspectæ ferruginis gladiis vaginarum adæques dignitatem : Deus vero animæ suæ umbram, spiritus sui auram, oris sui operam vilissimo alicui commiserit capulo, et indigne collocando utique damnarerit. Collocavit autem an potius inseruit, et immiscuit carni, tanta quidem concretione, ut incertum haberi possit utrum ne caro animam, an carnem anima circumferat.... Sed etsi magis animam invehi, atque dominari credendum est, ut magis Deo proximam, hoc quoque ad gloriam carnis exuberat, quod proximam Deo, et continet, et ipsius dominationis compotem præstat.* Subdit autem qualiter etiam corpus animæ deserviat ad suas dotes naturales comparandas ; *Quem enim,* inquit, *naturæ usum, quem mundi fructum, quem elementorum saporem, non per carnem anima depascitur?... Et sermo de organo carnis est, artes per carnem : studia ingenita per carnem ; opera, negotia, officia per carnem, atque adeo totum vivere animæ carnis est, etc.* Hinc quisquis est auctor *libri De Spiritu et anima,* qui cum operibus sancti Augustini *tom.* 3. inscribitur, ipsique a nonnullis veteribus falso tribuitur, nam *cap.* 37. citat Boëtium longe Augustino posteriorem ; is inquam auctor *cap.* 11. recte ait : *Quadam amicitia anima corpori conjungitur, secundum quam amicitiam nemo carnem suam odio habet : sociata namque illi, licet ejus societate prægravetur, ineffabili tamen conditione diligit illud, amat carcerem suum, et ideo libera esse non potest : doloribus ejus vehementer afficitur : formidat interitum, quæ mori non potest ; timet defectum, quæ per naturam non potest deficere. Oculorum pascitur speculatione, sonoris delectatur auditibus, suavissimis jucundatur odoribus, larga*

epulatione reficitur: et licet his rebus nullatenus ipsa utatur, gravi tamen mœrore affligitur, si substrahantur. Quibus patet quam naturalis quamque stricta sit animæ rationalis cum suo corpore societas, et amicitia; quantaque exinde humano corpori dignitas obveniat.

Secundo: Hoc ipsum patet ex ordine gratiæ, siquidem gratia sanctificans animam informans incentiva vitiorum corporalium reprimit; ipsius passiones ordinat, et motus omnes non solum ad rationem, sed etiam ad sanctitatem ordinat, et componit: vicissim etiam humanum corpus non modicum utilitatis animæ rationali confert: *Nulla enim anima*, inquit Tertullianus ibidem c. 8, *salutem potest adipisci, nisi dum est in carne: adeo* caro salutis est cardo, *de qua cum anima Deo allegitur, ipsa est quæ efficit ut anima allegi possit. Sed et caro abluitur, ut anima emaculetur: caro ungitur ut anima consecretur: caro signatur ut et anima muniatur: caro manus impositione adumbratur, ut anima spiritu et illuminetur; caro Corpore, et Sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur... Insuper, sacrificia Deo grata, conflictationes dico animæ, jejunia, et seras, et aridas escas, et appendices hujus officii sordes, caro de proprio suo incommodo instaurat. Virginitas quoque, et viduitas, et modesta in occulto matrimonii dissimulatio, et una notitia ejus de bonis carnis Deo adolentur, etc.*

Tertio denique patet corporis humani dignitas ex ipsius unione cum anima rationali, quod per illam fiat capax percipiendæ beatitudinis æternæ; nam, ut loquitur ibidem Tertullianus, *Non possunt separari in mercede quas opera conjungit.* Ideo *illa unio*, inquit Alensis quæst. 81. membro 3, *quæ est animæ ad Deum per deiformitatem gloriæ quodammodo redundat in ipsum corpus. Habet etiam, et perfectissimam dignitatem in genere corporum, ex hoc quod ex illa unione quam habet cum anima, redditum est idoneum, ut secundum aliquam partem sui, sive aliquod generis sui uniretur Filio Dei in unitate personæ, quæ unio præcellit et illam quæ est naturæ, et illam quæ est gloriæ, quam dignitatem manifestavit Filius Dei per Incarnationem suam.* Unde unio animæ cum corpore fuit veluti delineatio futura unionis beatificæ, necnon et conjunctionis hypostaticæ, quod eleganter explicat Auctor *De spiritu, et anima*, cap. 14. *Plenum fuit miraculo*, inquit, *quod tam diversa et tam divisa ab invicem, ad invicem potuerunt conjungi. Nec minus mirabile fuit, quod limo nostro Deus seipsum conjunxit, ut sibi invicem uniuntur Deus, et limus: tanta sublimitas, et tanta vilitas: nihil enim est Deo sublimius, et nihil limo vilius... Si autem tam disparem naturam carnis, et animæ ad unam federationem atque amicitiam Deus conjungere potuit, nequaquam erit ei impossibile rationalem spiritum, qui usque ad consortium terreni corporis humiliatus est, cum eodem corpore glorificato, ut sit illi gloriæ quod fuit ei sarcinæ, ad consortium beatorum spirituum qui in sua puritate perstiterunt, exaltare, atque ad suæ gloriæ participationem sublimare: ad hoc siquidem illum sola charitate, nulla necessitate creavit Altissimus, ut suæ beatitudinis participem faceret.*

Hanc eamdem veritatem ea qua solet elegantia, et pietate inculcat S. Bernardus *Serm. 2. De Nativ. Domini*, ubi ait, quod summam Dei erga nos bonitatem, et magnificentiam *tria quadam ejus opera clamant: primæ nostræ Creationis, præsentis Redemptionis, futuræ Glo-*

rificationis... Triplicem commixtionem in his tribus considerare est cælestis plane operis, et divinæ virtutis: Nam in primo opere conditionis nostræ de limo terræ plasmavit hominem Deus, et inspiravit in faciem ejus spiritum vitæ. Qualis Artifex, qualis Unitor rerum, ad cujus nutum sic conglutinantur sibi limus terræ, et spiritus vitæ!... Agnosce, o homo, dignitatem tuam, agnosce gloriam conditionis humanæ, est enim tibi cum mundo corpus: sic enim decet eum qui constitutus est super universam hujus creaturæ corporeæ molem, aliqua ei similari ex parte; sed est tibi etiam sublimius aliquid, nec omnino comparandus es cæteris creaturis. Compacta et confœderata sunt in te caro et anima: illa plasmata, hæc inspirata. Secundam conjunctionem sic commendat: *Secunda jam conjunctio fit ex tribus, ut dicas ex hoc ipso ad Sacramentum accedere Trinitatis.* Verbum, *quod erat in principio apud Deum, et Deus erat;* anima *quæ de nihilo creata est, et ante non erat:* caro *de massa corruptionis sine corruptione aliqua divino segregata artificio (qualis nulla jam caro erat) vinculo indissolubili in personæ coeunt unitatem. Habes in his triplex genus potentiæ: quod non erat, creatum: quod perierat, reparatum: quod super omnia erat, paulo minus ab Angelis minoratum, etc.* — Tertiam denique unionem sic exprimit: *Quid futurum sit in unione tertia quis loquetur? Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se. Consummatio erit illa cum tradiderit Christus regnum Deo, et Patri: et erunt duo non jam in carne una, sed in spiritu uno. Etenim si adhærens carni Verbum factum est caro, multo magis qui adhæserit Deo; unus spiritus erit cum eo. Et in hac quidem unione* (nempe Verbi cum carne) *media humilitas exhibetur, et humilitas magna nimis: in ea vero, quam spectamus, ad quam suspiramus, perfecta nobis, si tamen nobis, reposita glorificatio est, etc.*

Dices: Ex eodem S. Bernardo, animæ dignitas longe deprimitur ex ejus unione cum corpore: ergo tantum abest, ut hæc unio quid conferat ad corporis præstantiam, imo eam infuscat. Probatur antecedens ex *cap. 3. libri De Cognitione humanæ conditionis:* ubi animam sic interpellat; *O anima Dei insignita imagine, decorata similitudine, desponsata fide, dotata spiritu, redempta sanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæres bonitatis, rationis particeps, quid tibi cum carne unde ista pateris? Propter carnem aliena peccata tibi imputantur, et tuæ justitiæ quasi pannus menstruatæ reputantur; atque tu ipsa ad nihilum es redacta, et quasi nihilum, et inane reputata. Nihil aliud est caro (cum qua tanta est tibi societas) nisi spuma caro facta, fragili vestita decore; sed erit quando erit cadaver miserum, et putridum, et cibus vermium. Nam quantumcumque excolatur, semper caro est. Si diligenter consideres quid per os, et nares, cæterosque corporis meatus egrediatur, vilius sterquilinium numquam vidisti. Si singulas ejus miserias enumerare velis, quam sit onerata peccatis, irretita vitiis, pruriens concupiscentiis, occupata passionibus, polluta illusionibus, prona semper in malum, et in omne vitium proclivis, plenam omni confusione et ignominia invenies! Propter carnem homo vanitati similis factus est, quia ex illa vitium concupiscentiæ traxit, quo captivus tenetur, et incurvatur ut diligat vanitatem, et iniquitatem operetur, etc.* — **Respondeo** 1. Præfatum librum quamquam devotissimum, non esse

sancti Bernardi, sed vel Hugonis a sancto Victore, vel alicujus modernioris Auctoris. *Secundo* dico, eum Auctorem intelligendum esse de vitiato corpore per originale peccatum; nos autem loquimur de humani corporis præstantia secundum primariam illius originem, et formationem, in qua his defectibus vacabat; adeoque præfata auctoritas nostræ Conclusionis veritati non officit.

ARTICULUS TERTIUS.

DE ANIMÆ RATIONALIS DIGNITATE, ET PRÆSTANTIA.

Tanta est tamque divina rationalis animæ dignitas et excellentia, ut referente Tertulliano lib. *De anima*, cap. 21. Plato eam pene Deo adæquaverit; *Innatam enim eam facit... Adjicit immortalem, incorruptibilem, incorporalem, quia hoc, et Deum credidit; invisibilem, ineffigiabilem, uniformem, principalem, rationalem, intellectualem. Quid amplius prosceriberet de anima si eam Deum nuncuparet. Nos autem, qui nihil Deo appendimus, hoc ipso animam longe infra Deum expendimus, quod natam eam agnoscimus, ac per hoc dilutioris divinitatis, exilioris felicitatis, etc.* — Quamquam autem dignitate longe sit Deo inferior, attamen ignota pene ipsius, sicut et Dei, videtur natura, et præstantia: *Nec ideo facile potest de ipsa dici,* inquit Cassiodorus lib. *De anima*, cap. 1, *quia per eam innumera novimus explicari. Oculus enim, qui usque ad sidera tendit, se videre non præviderit: et palatus noster cum diversa gusta sentiat, cujus ipse sit saporis ignorat. Nares etiam fragrantium corporum varios odores attrahunt, sed quid oleant ipsæ non sentiunt. Cerebrum denique nostrum, licet sensum membris reliquis tradat, ipsum tamen sensum legitur non habere.* Inde mirum non est, si tantopere erratum fuerit a Philosophis circa detegendam et assignandam rationalis animæ dignitatem et naturam; nam *quidam eorum,* inquit Sanctus Justinus Martyr, Exhortatione 1. ad Græcos, *animam* ignem *esse asseverant, quidam alii* aerem, *alii* mentem, *alii* motionem, *alii* exhalationem, *nonnulli vero* vim *ab astris defluentem; quidam* numerum *movendi potestatem obtinentem; alii* aquam genitalem: et ut refert Tertullianus libro laudato cap. 3. *Animæ ratio per philosophatas doctrinas hominum miscentes aquis vino: alii immortalem negant animam: alii plusquam immortalem affirmant: alii de substantia; alii de forma; alii de unaquaque dispositione disceptant. Hi statum ejus aliunde ducunt, hi exitum aliorsum abducunt: prout aut Platonis honor, aut Zenonis vigor, aut Aristotelis tenor, aut Epicuri stupor, aut Heraclili mœror, aut Empedoclis furor persuaserunt.* Inde, ut præmiserat, *Heraclitus ille tenebrosus, rastiores caligines animadvertens apud examinatores animæ tædio quæstionum pronuntiavit, terminos animæ nequaquam invenisse omnem viam ingrediendo.* Quocirca monet ibidem capit. 1. *Si quid de anima examinandum est, ad Dei regulas esse dirigendum: Certe nullum alium potiorem animæ demonstratorem, quam auctorem Deum... Quis enim revelabit quod Deus dixit? etc.* Ab ipsis itaque divinis Eloquiis investiganda est animæ dignitas, et natura, hoc in Articulo tribus Quæstionibus absolvendo; quarum *Prima* rationalis animæ naturam, et substantiam: *Secunda* animam esse ad imaginem Dei demonstrabit: *Tertia* aperiet in quo hæc imaginis ratio sit constituenda

QUÆSTIO PRIMA.

QUID, QUALIS, ET EX QUO SIT ANIMA RATIONALIS.

Tria maxime in Quæstione præsenti veniunt determinanda: *Primum* quidem, an rationalis anima sit substantia omnino spiritualis, et materiæ expers: *Secundum*, an sit incorruptibilis, et immortalis: *Tertium*, an sit *ex traduce*, hoc est, an sicut humanum corpus ex decisa a parentum corpore particula formatur, sic etiam anima filii ex parentis anima continua propagatione in posteros traducatur.

Notandum 1. Non solum a Gentilibus Philosophis erratum fuisse circa designandam animæ substantiam, quam omnes, ut mox dictum est, corporeum quid affirmabant; sed etiam a nonnullis Christianæ veritatis propugnatoribus. Imprimis namque Tertullianus lib. *De anima* a cap. 5. ad 11. probat animam rationalem corpoream esse, aut saltem corpore generis sui supervestiri. *Quum*, inquit cap. 8. *animæ corpus adserimus propriæ qualitatis, et sui generis: jam hæc conditio proprietatis de ceteris accidentibus corpulentiæ præjudicavit, ut hæc adesse qua corpus ostendamus, sed et ipsa sui generis pro corporis proprietate, aut etsi non adsint, hoc esse proprietatis non adesse corpori animæ quæ corporibus, et ceteris adsint.* Quam sententiam etsi benigne explicari posse censeat S. Augustinus lib. 10. *De Genesi ad litteram* duobus ultimis capitulis, ubi ait: *Tertullianus, quia corpus esse animam credidit, non ob aliud nisi quod eam incorpoream cogitare non potuit; et ideo timuit ne nihil esset si corpus non esset: qui sane, quamquam acutus est, interdum contra opinionem suam visa veritate superatur, etc;* nihilominus revera censuit Tertullianus animam esse vere corpoream, et materia, licet subtiliori, obductam: quod utique probat, non solum variis Scripturæ textibus, necnon philosophicis rationibus infra proponendis et dissolvendis; sed etiam revelatione quadam prophetica quam ita exponit cap. 9. *Est hodie Soror apud nos revelationum charismata sortita, quas in Ecclesia inter Dominica solemnia per extasim in spiritu patitur: conversatur cum Angelis, aliquando etiam cum Domino; et videt, et audit sacramenta, et quorumdam corda dignoscit, et medicinas desiderantibus submittit. Jam vero prout Scripturæ leguntur, aut Psalmi canuntur, aut adlocutiones proferuntur, aut petitiones delegantur: ita inde materiæ visionibus subministrantur. Forte nescio quid de Anima disseruerimus, cum ea Soror in spiritu esset. Post transacta solemnia dimissa plebe, quo usu solet nobis renuntiare quæ viderit; nam et diligentissime digeruntur, ut etiam probentur: Inter cetera, inquit, ostensa est mihi Anima corporaliter, et spiritus videbatur; sed non inanis, et vacuæ qualitatis, immo quæ etiam teneri repromitteret tenera, et lurida, et aërei coloris, et forma per omnia humana: Hæc visio est: Deus testis, et Apostolus charismatum in Ecclesia futurorum idoneus sponsor, etc.* Videtur itaque Tertullianus ad id absurditatis de anima aërei et lucidi coloris, fuisse seductus per falsas quasdam revelationes cujusdam Montanisticæ fœminæ, non quidem Priscillæ, aut Maximillæ, quæ jam dudum antea suspendio perierant: sed cujusdam earum Discipulæ a dæmone deceptæ.

Notandum 2. Variam fuisse de animæ rationalis incorruptione et immortalitate apud veteres Philosophos sententiam; plurimi namque illam omnino cum Epicureis, et Atheis mortalem dixerunt, quibus adnumerandi sunt omnes qui eam compositam, dissolubilem, et divisibilem affirmarunt: *Si enim structilis*, idest composita, inquit Tertullianus cap. 11. ejusdem libri De Anima, *et dissolubilis: si dissolubilis, jam non immortalis... Nam et diridi, dissolvi est, et dissolvi mori est. Dividitur autem in partes, nunc in duas a Platone, nunc in tres a Zenone, nunc in quinque, et in sex a Panetio, et in septem a Sorrano, etiam in octo apud Chrysippum, etiam in novem penes Apollophanem, sed et in decem apud quosdam Stoicorum.* Quid autem Aristoteles hic senserit, est satis ambiguum, quia varia, et implicata loquitur: attamen lib. 2. *De ortu animalium*, cap. 3. aperte dicit, *Solam mentem foris subire corpus, et solam quid divinum esse: eo quod ipsius operationi corporalis operatio non communicet.* Cum autem animas cæteras doceat in materia vi seminis ingigni, eo quod omnis earum operatio a corpore pendeat, colligit animam humanam vi seminis non nasci, sed foris venire, eo quod a corpore non pendeat; adeoque sentire videtur illam esse incorpoream, et immaterialem.

Notandum 3. Ex Seraphico Doctore *lib.* 2. *d.* 18. *a.* 2. *q.* 3., quantum ad animæ formationem tres potissimum esse sententias: quidam enim Philosophi dixerunt eam formari ab Intelligentia; ita quod sicut corpus cæleste concurrit ad productionem humani corporis; sic Intelligentia ad productionem animæ: qualiter sensisse videtur auctor libri *De Causis*, *Propositione* 11. et 16. Secunda sententia fuit, quod animarum productio fiat per traductionem, ita quod anima traducatur ex anima, sicut caro ex carne: et sicut ab una candela accenduntur multæ, sic ab una anima per sui communicationem absque diminutione vivificantur multa corpora. ✻ " Circa quod ad mortem usque dubius hæsit S. Augustinus, ut apparebit in Concl. 3. " ✻ Tertia sententia est quod animæ non seminentur, sed formatis corporibus a Deo creentur, ita quod creando infundantur, et infundendo producantur.

Conclusio prima. — Anima rationalis revera spiritualis est secundum substantiam, et omnis omnino corporis, et materiæ expers. Hæc est de fide, et

Probatur 1. Ex Eccles. 12. *Revertatur pulvis in terram suam, et spiritus ad Deum.* 1. Corinth. cap. 2. *Quis hominum scit quæ sint hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est?* Idque sub anathemate sancitum est in Concilio Lateranensi, sub Innocentio III. ubi definitur, *Animam ex qua homo constituitur, esse spiritualem.* Item in sexta Synodo Constantinopolitana, Actione 2. decernitur, *Verbum divinum assumpsisse carnem, et animam rationalem incorpoream.*

Hæc itaque propositio de fide est, quam omnes pene sancti Patres, præsertim S. Augustinus lib. *De Civitate Dei*, cap. 9. et lib. *De Genesi*, cap. 21. et sequentibus, ubi refellit errorem prædictum Tertulliani. Spiritualitas autem animæ pluribus rationibus suadetur. *Primo* quidem: operari sequitur esse: sed anima operationes spirituales elicit: ergo spiritualis est. *Major* constat: operatio enim dependet a substan-

tia, et entitate rei operantis: ergo si entitas materialis sit, materiales pariter erunt operationes; ac proinde ubi spirituales operationes sunt, ibi est pariter substantia spiritualis. Probatur *minor:* quod fertur in objectum ab omni materiæ concretione præcisum, et liberum, est quoque immateriale ac spirituale: sed operationes animæ nostræ sunt ejusmodi: ergo, etc. *Probat minorem* Doctor in 4. *dist.* 43. *qu.* 2. *nu.* 10: Intellectus noster res abstractissimas a materia in Metaphysica contemplatur, singularia, et universalia; negativa, et positiva; possibilia, et impossibilia; existentia, et non existentia; sensibilia, et insensibilia; materialia, et spiritualia attingit: ergo per operationem, et facultatem spiritualem; nulla enim facultas corporea objecta spiritualia percipit. — Hanc rationem sic expendit, et confirmat Cassiodorus lib. *De anima*, cap. 4. *Quamvis*, inquit, *anima ipsius corporis mole prægravetur, tamen operationes rerum sollicita curiositate perpendit, cœlestia profunde cogitat, naturalia subtili indagatione vestigat, et de ipso quoque Conditore suo ardua nosse desiderat. Quod si esset corporalis, cogitationibus suis spiritalia non cerneret utique, nec videret. Cesset ergo de ejus corporalitate suspicio; quando et definitionem corporis a se omnibus modis reddit alienam, et tales causas exquirit ad quas solus sublimis spiritus pervenire contendit. Hinc est quod et Scripturis sanctis justissime commonetur omnia mundi istius visualia contemnere, quoniam ipsa incorporea est: ut merito ad spiritualia tendat, quibus se similem cognoscit esse formatam.* — *Confirmatur* ex auctore libri *De Spiritu, et anima* apud sanctum Augustinum tom. 3. qui ait: *Animus invisibilis est, neque enim aliter invisibilia cernere valeret. Visibilia per corpus videt, invisibilia per se: et in eo se videt, quod invisibilem se videt, videtur tamen in corpore per corpus, sicut sensus in littera manet, et per litteram videtur. Animus corporis dominator, rector, et habitator videt seipsum per semetipsum. Non quærit auxilium corporalium oculorum, imo vero ab omnibus corporeis sensibus tamquam impedientibus, et perstrepentibus abstrahit se ad se, ut videat se in se, ut noverit se apud se, et cum vult Deum cognoscere, elevat se super se mentis acie. Non enim aliquid tale est Deus, qualis est animus; non tamen videri nisi animo potest, nec ita videri ut animus potest. Incommutabilis siquidem est veritas sine defectu substantiæ: non talis est animus: sed deficit et proficit, novit et ignorat, meminit et obliviscitur; modo vult, modo non vult, diffusus cogitationibus atque consiliis huc atque illuc vagatur, etc.* — Hanc ipsam veritatem urget c. 19. *Invisibilis*, inquit, *et incorporea est anima: Si enim visibilis esset, corporea esset; et si corporea esset, partibilis esset, et partes haberet, neque tota simul in uno loco esse posset. Nullum enim corpus, aut simul tangi totum potest, aut simul tangere totum potest. Anima vero in quibuscumque suis motibus, vel actibus tota simul adest, tota videt, et tota visorum meminit; tota audit, et tota sonorum reminiscitur; tota odorat, et tota odores recolit: tota per linguam, et palatum sapores sentit, et discernit: tota tangit, et dura et mollia; tota simul approbat, vel improbat: calida vero, vel frigida summo tantum digito tota discernit. Tota est visus, tota est auditus, tota meminit: et cum tota meminit, tota est memoria: cum tota vult, tota est voluntas; cum tota cogitat, tota est cogitatio; cum tota diligit, tota est dilectio.* Ergo non est corporea; siquidem cor-

pus est divisibile in partes, nec per unam potentiam tam diversa potest operari. — Idipsum confirmat sanctus Augustinus *Epist.* 27. *ad S. Hieronymum*, ubi ait: *Porro si corpus non est nisi quod per loci spatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita sistitur, vel movetur, ut majore sui parte majorem locum occupet, et minori breviorem, minusque sit in parte quam in toto: non est corpus anima: per totum quippe corpus, quod animat, non locali diffusione, sed quadam vitali intensione porrigitur; nam per omnes ejus particulas tota simul adest, nec minor in minoribus, et in majoribus major; sed alicubi intensius, alicubi remissius, et in omnibus tota, et in singulis tota est: neque enim aliter, quod in corpore etiam non toto sentit, tamen tota sentit..... Proinde, et in omnibus simul, et in singulis particulis corporis sui tota simul esse non posset, si per illas ita diffunderetur, ut videmus corpora diffusa per spatium locorum minoribus suis partibus minora occupare, et amplioribus ampliora: quapropter si anima corpus esse dicenda est, non esset corpus quale terrenum est, nec quale humidum aut aëreum, aut æthereum, omnia quippe talia majora sunt in majoribus locis, et minora in minoribus, et nihil eorum in aliqua sua parte totum adest; sed ut sunt partes locorum, ita occupantur partibus corporum.* Quamquam autem hic aperte non pronuntiet animam esse omnino materiæ expertem; idipsum tamen alibi diserte exprimit, maxime vero in *Tractatu* ad *Psalm.* 145. *Semper enim corpus*, ait, *quoniam corpus est, infra animam est, et quævis anima vilis excellentissimo corpore excellentior invenitur.* Rursus in eodem Tractatu: *Natura*, inquit, *animæ præstantior est, quam natura corporis: excellit multum, res spiritualis est, res incorporea est: vicina est substantiæ Dei.* Idem docet et in libro duodecimo *De Genesi ad litteram*, c. 72. et 33. et in libro 8. *De Civit. Dei*, cap. 16.

Objicies. 1. Ex Scriptura sacra suadetur animam esse corpoream: ergo talis est æstimanda. Probat *antecedens* Tertullianus libro *De anima*, cap. 7. *Corporalitas animæ*, inquit, *in ipso Evangelio relucet: dolet enim apud inferos anima cujusdam, et punitur in flamma, et cruciatur in lingua, et de digito animæ felicioris implorat solatium roris. Imaginem existimas exitum illum pauperis lætantis, et divitis mœrentis? At quid illic Lazari nomen si non in veritate res est? sed et si imago credenda est, testimonium erit veritatis: si enim non haberet anima corpus, non caperet imago animæ imaginem corporis, nec mentiretur de corporalibus membris Scriptura, si non erant.* Concludit: *Igitur si quid tormenti, sive solatii anima percepit in carcere, seu diversorio inferum in igne, vel in sinu Abrahæ, probata erit corporalitas animæ: Incorporalitas enim nihil patitur, non habens per quod pati possit: aut si habet hoc erit corpus, in quantum enim omne corporale passibile est: in tantum quod passibile est, corporale est.* — **Respondeo** 1. Dici posse cum sancto Augustino, ideirco Tertullianum animam corpoream credidisse, quod eam incorpoream cogitare non potuit; et ideo timuit ne nihil esset si corpus non esset; ait namque ipsemet Tertullianus ibidem: *Nihil enim si non corpus.* ✻ "Simili ratione explicari possunt hæc S. Hilarii verba, Comment. in cap. 5. S. Matthæi: *Nihil est quod in sua substantia et creatione corporeum sit, et omnium sive in cœlo, sive in terra, sive visibilium, sive invisibilium elementa*

formata sunt. Nam et animarum species, sive obtinentium corporea, sive corporibus exultantium, corpoream tamen naturæ suæ substantiam sortiuntur: quia omne quod creatum est in aliquo sit necesse est. Etiam sic, vel aliter restringendum, quod Joannes episcopus Thessalonicensis ait, synodo Nicæna II. initio actionis V. *de Angelis et Archangelis et eorum potestatibus, quibus et nostras animas adjungo, ipsa catholica Ecclesia hic sentit, esse quidem intelligibiles, sed non omnino corporis expertes, verum tenui corpore præditas, aëreo, sive igneo, etc.* Postea: *Nemo vel Angelos, vel dæmones, vel animas dixerit incorporeas.* Nec ea Joannis verba ab aliis rejiciuntur qui Synodo intererant. Hæc, inquam, eodem sensu accipienda sunt quo præfata Tertulliani verba, nimirum ut *corporeum* dicatur id quod solidam habet entitatem, non vero fictitiam aut chimericam, ut plenius jam diximus agendo de immaterialitate Dei, nec contrarium evinci potest ex verbis S. Lucæ ib. quæ Tertullianus producit; inde enim concludere non licet " * animam esse corpoream, ut late deducit S. Augustinus lib. 4. *De anima et ejus origine*, ad Vincentium Victorem, qui in eodem quo Tertullianus errore jacebat. Probat idipsum Claudianus lib. 3. *De statu Animæ*, c. 3. contra Faustum, asserens pariter membra hæc animæ non corporaliter, sed spiritualiter et metaphorice esse interpretanda; ita quod Christus Dominus iis parabolæ involucris pœnarum Inferni acerbitatem delineare voluerit.

Dices 2: Ex eodem Tertulliano ibidem cap. 5. corporalium, et incorporalium passiones inter se non communicant: *Sed anima compatitur corpori, cui læso ictibus, vulneribus, ulceribus condolescit; et corpus animæ, cui afflictæ cura, angore, amore, cohæresci per detrimentum sui vigoris, cujus pudorem et pavorem rubore atque pallore testatur. Igitur anima est corpus ex corporalium passionum communione.* — **Distinguo majorem**: res spirituales non communicant in passionibus cum rebus corporeis, secundum entitatem et effectum, concedo; secundum conjunctionem et affectum, nego: cum enim res incorporeæ rebus corporeis tamquam formæ informantes uniuntur, ut aliquid unum efficiant, sicut anima rationalis unitur corpori cum quo hominem integrat, et constituit, necessum est, quod fiat mutua passionum communicatio, ita quod corpore dolente anima tristetur; non quidem per acceptionem corporei doloris, sed per affectum quo suum corpus prosequitur, tamquam suam compartem, suumque nativum domicilium. — * " Fateor tamen vix Tertullianum excusari posse ab errore eorum qui existimant animam constare tenuissimo corpore, ratione cujus visibilis sit saltem in extasi. Hujusmodi exemplum producit idem Tertullianus, lib. *De anima;* at hæc illius sententia inter eas reputanda est quæ ab Ecclesia reprobantur. " *

Conclusio secunda. — Anima rationalis revera est immortalis et incorruptibilis. Hæc est de fide, et

Probatur innumeris Scripturæ sacræ textibus, tum ex Veteri, tum ex Novo Testamento deducendis. Maxime vero ex illo Sapientiæ 3. *Justorum animæ in manu Dei sunt, et merces eorum apud Altissimum, et non tanget illos tormentum mortis, visi sunt oculis insipientium mori; illi autem sunt in pace. Et si coram hominibus tor-*

menta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. Insipientes vocat eos, qui putant animas cum corporibus simul mori, atque dissolvi. Hinc ibidem cap. 5. inducit eos insipientes nimium seram in inferis pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes ad intuitum felicis animarum sortis, in hæc verba erumpentes: *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est:* ex quibus miram, et certissimam hanc inferunt consequentiam; *Ergo erravimus a via veritatis et justitiæ, lumen non luxit nobis, et Sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Quid ad animarum immortalitatem astruendam apertius? quid ad nebulonum cæcitatem et impudentiam redarguendam efficacius? — Facerem nusquam si hic exscribere contenderem omnes auctoritates et sententias quæ in novo Testamento nostrarum animarum immortalitatem astruunt; nulla enim in eo occurrit legenda pagina, quæ de præmiis vel de suppliciis vitæ æternæ, de mercede vel de pœna improbis post obitum repromissa sermonem non faciat. Unicum solum profero, illud nempe Christi Domini oraculum, Matth. 10. quo suaviter nos, blandeque consolatur, et monet corporis interitum non esse timendum; *Nolite*, inquit, *timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Quasi diceret, ait S. Hieronymus: *Nolite timere maledictum corporalis mortis, quod temporaliter solvitur. Timete maledictum spiritualis mortis, per quod anima in æternum cum suo corpore cruciatur. Non potest homo occidere animam tuam: usque ad corpus sævit: tu noli sævire in animam tuam: præsentia animæ tuæ caro vivit: persecutor potest ejicere, non autem interficere animam tuam.*

Missas facio omnium sanctorum Patrum hac de re sententias, qui omnes una cum S. Clemente lib. 6. *Constitut. Apost.*, cap. 11. in has voces erumpunt: *Nos animam incorpoream, et immortalem affirmamus, nec interire eam sicut corpora, sed perpetuo manere ut rationis participem, et libertate præditam.* Hic non refero veterum Philosophorum hac de re placita; constat enim sapientiores ex eis animarum immortalitatem fuisse professos, ut colligitur apud Ciceronem lib. *De Amicitia: Plus*, inquit, *apud me Antiquorum valet auctoritas, vel majorum nostrorum, qui mortuis tam religiosa jura tribuerunt, quod non fecissent si judicassent animam simul cum corpore interire.*

Hoc ipsum suadetur ratione **Physica**, et **Morali**; quarum prima deducitur ex *animæ spiritualitate.* Omne ens spirituale est immortale et incorruptibile: sed anima est spiritualis, ut probatum est in præcedenti Conclusione: ergo, etc. *Major*, in qua posset esse difficultas, probatur; *Primo*, quia materia dicitur principium corruptionis: sed quod est spirituale non involvit materiam: ergo nec corruptionis principium. *Secundo*, quia ens spirituale si corrumpi posset, maxime vel a se, vel a nullo, vel ab alio. Non a nullo, quia ens reale non corrumpitur nisi per id quod reale est, a nihilo enim nihil fit. Non etiam a se, quia nihil appetit sui desinentiam, imo perennem sui conservationem naturali stimulante desiderio omnia cupiunt. Si ab alio, vel corrumpitur ab alio inferioris virtutis, vel æqualis, vel superioris. Non primum, quia inferius in virtute non potest præstantius in vir-

tute corrumpere, alioquin aquæ guttula fornacem ardentem extinguere, et scintilla totum Oceanum calefacere et adurere posset. Non etiam secundum, quod enim aliud corrumpit, virtutem resistitivam illius superat, et in illud habet activitatis dominium ; non enim par in parem potestatem habet, nec simile agit in simile. Non denique tertium, quia solus Deus superiorem animabus virtutem obtinet : Deus autem etsi possit, ex æquo tamen non debet animas rationales una cum corpore in nihilum amandare. — *Ratio moralis* deducitur ex *providentia Dei*. Lumine naturali constat Deum rebus cunctis providere ; unde apud omnes etiam barbaras nationes extitit semper alicujus numinis cultus, observantia, ac religio : et velint nolint Athei, Deum esse, et res humanas curare fateantur necesse est, dum repentino in periculo urgente naturali instinctu Deum sibi propitium inclamant : sed nulla esset Dei providentia si animæ forent mortales. Probatur : ut digna, et æqua sit providentiæ divinæ dispensatio, debet probis præmium, et improbis pœnam decernere : sed ita non fit hac in mortali vita ; nam ut cum S. Chrysostomi Homil. 1. *De Provid.* verbis eloquar : *In hac*, inquit, *mortali vita impii, qui prosperam sæpius agunt vitam, divitiis affluunt, sanitate gaudent : Boni vero, et studiosi adversa patiuntur :* ergo non videretur æqua distributio, nec digna Dei providentia, nisi alia esset vita, in qua improbi meritas pœnas lucrent, justi vero digna præmia perciperent : at si alia sit vita, in qua Deus bonis, et malis justa retribuit, anima erit post corpus superstes, et immortalis.

Replicabunt, probos hac in vita præmiari, et improbos cruciari : *Virtus enim*, inquit Seneca, *sibi ipsi præmium est ; peccatum vero sibi supplicium*, juxta illud S. Augustini lib. 1. *Confessionum*, c. 12. *Jussisti Domine, et ita est, ut sibi sit pœna omnis peccator ;* ita quod *ipsum peccatum sit pœna peccati*, ut subdit Doctor in 4. dist. 43. quæst. 2. num. 27. — Contra 1. Hoc posito, permittendi essent omnes homines, ut pro libito quilibet viveret, dimittendique scelerati suo scelere futuri miseriores, quam cruciatibus et suppliciis, quod nullus etiam exiguæ rationis admiserit. *Secundo*, damnandi essent tamquam insani, qui vel Patriæ, vel Parentum, vel virtutis, vel ipsiusmet etiam Dei causa præclaram mortem oppetierunt, si ultra præsentem virtutem nullum supersit ipsius præmium. Quid præconiis extollimus, et laudibus celebramus eos qui ad mortem usque hujusce vitæ commodis, et voluptatibus fuere minus addicti, si nulla post mortem iis supersit speranda felicitas ? Deus injustus censeri poterit, si eos, qui pro tuenda religione, cultu, et gloria ipsius se tormentis, et ignominiosæ morti obtulerint, post vitam nullis donet præmiis : et ipsorum occisores, bonorum usurpatores, rerum publicarum eversores, blasphemos, adulteros, homicidas, immunes, et de suis sceleribus gloriantes abire permittit ? Hoc argumento utebatur S. Petrus, qui ut refert S. Clemens ejus discipulus lib. 3. *Recognitionum*, testatur se ab eo hæc verba sæpius audivisse : *Si Deus justus est, anima rationalis est immortalis.*

Objicies 1. Ex Ecclesiast. cap. 3. *Hominum, et jumentorum similis est interitus, et æqua utriusque conditio :* sed dum intereunt jumenta eorum animæ pereunt : ergo, etc. — **Respondeo**, hæc verba prolata fuisse in persona impiorum, qui ut pecudum instar, omnibus corpo-

reis voluptatibus sese libentius ingurgitent, animam suam pronuntiant mortalem. Unde *Sapientiæ* 2. sic habetur: *Dixerunt impii apud se non recte cogitantes: Exiguum est, et cum tædio tempus vitæ nostræ, et non est refrigerium in fine hominis: et non est qui agnitus sit reversus ab inferis, quia ex nihilo nati sumus; et post hoc erimus quasi non fuerimus:* et paulo post subinferunt: *Venite ergo, fruamur bonis, quæ sunt, etc.*

Dices 2: Solus Deus dicitur immortalis, *ad Timoth.* 6. his verbis: *Ipse est Rex regum, et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem:* ergo anima rationalis immortalitate non gaudet. — **Respondeo:** duplicem distingui posse immortalitatem, quarum prima negat omnem virtutem corruptivam, tum ab extrinseco, cum ab intrinseco, et hæc soli Deo competit, quia cum sit a se necessario existens, implicat ut ab aliquo possit annihilari. Secunda negat principium corruptionis ab intrinseco, puta materiam: sed corrumpi potest ab extrinseco, nimirum per divinam potentiam, quæ cum omnia ex nihilo formaverit, eadem potest iterum in nihilum reducere. De priori immortalitate loquitur Apostolus, nos vero de posteriori. Hoc sensu intelligendi sunt SS. Patres, qui dicunt animam, et Angelos immortales esse gratia, non natura. Sic S. Damascenus lib. 2. cap. 3. *De Angelis: Immortalis est,* inquit, *Angelus, non natura, sed gratia, nam quidquid initium habuit, et desinere suapte natura potest.* Et in Manichæorum hæresi: *Omne,* inquit, *quod habet principium, finem etiam habet suapte natura; et quod finem habet, habet et principium. Quare Angeli principium habent, finem etiam habent natura sua, tametsi divina gratia rursus esse incipiunt, et instaurantur.* — Idem pulchre exponit Sophronius Jerosolimitanus in *Epist. quæ est in actis Synodi sextæ actione* 11. ubi et discrimen inter sensibiles, et spirituales creaturas commode aperit sic: *Deus,* inquit, *ea quidem, quæ sub sensum cadunt, finiri voluit in tempore, intelligibilia vero, et invisibilia majori quam illa honore voluit afficere. Itaque nullo pacto moriuntur, neque corrumpuntur, uti sensibilibus accidit, quæ in fluxu posita sunt, et facile prætereunt. Neque tamen natura sunt immortalia, ut ad incorruptam substantiam transitum fecerunt; Verum gratiam iis indulsit, quæ ab corruptela, et interitu illa vindicat. Sic hominum animæ corruptionis expertes manent. Sic immortales perseverant Angeli, non quod naturam revera incorruptam habeant, ut diximus, aut substantia proprie immortali constent: sed quod gratiam divinitus sortiti sunt, largitricem immortalitatis, et incorruptibilitatis conciliatricem.* — Hinc *mortale* et *immortale* nomina trifariam apud sanctos Patres usurpantur, nam quod mutabile est, et alio, atque alio modo afficitur, id mortale dicitur, etsi nunquam occidat; *Ipsa enim mutabilitas,* inquit S. Augustinus 2. *De Trinit.,* cap. 9. *non inconvenienter mortalis dicitur, secundum quam, et anima dicitur mori, non quia in corpus, vel in alteram aliquam substantiam mutatur, et vertitur: sed in ipsa sua substantia quidquid alio modo nunc est, aut fuit secundum id quod desistit esse quod erat, mortale deprehenditur.* Qua ratione illud solum dicitur immortale, quod est omnino immutabile. *Secundo* dicitur *mortale,* quod divina virtute potest in nihilum redigi; sic tam anima, quam Angeli dici possunt etiam mortales, quia cum fuerint a Deo ex nihilo creati,

ita per eum in nihilum abire possunt. *Tertio* denique illud dicitur *immortale*, quod caret principio intrinseco corruptionis, et defectibilitatis; sicque tam Angeli, quam animæ rationales cum sint omnino spirituales, etiam revera sunt immortales.

Dices 3: Ea anima cujus omnis operatio, et functio dependens est ab organo corporeo, non potest consistere separatim a corpore: atqui anima rationalis talis est: ergo non potest separata subsistere, adeoque una cum corpore perit. *Major* est Aristotelis lib. 1. *De Anima,* cap. 1. textu 13. et ratione fit manifesta; cum enim esse sit propter operationem, in eo statu, in quo anima non potest habere operationem, non potest etiam habere esse: illud enim esse frustraneum esset, cum suo fine destitueretur, Deus autem, et natura nihil faciunt frustra. *Minor* vero probatur, nempe *quod omnis functio animæ rationalis pendeat a corpore: Primo,* quia constat nos non posse quidquam intelligere, nec de re intellecta judicare, nisi simul ejus quoddam simulacrum corporeum animo fingamus, et imaginemur, adeo ut neque spiritualia, et divina aliter concipere possimus; unde Aristoteles lib. 3. *De anima,* cap. 13. textu 39. cum mens contemplatur, inquit, necesse est simul phantasma aliquod contemplari. *Secundo,* quia experientia constat interceptis spirituum animalium meatibus, ut fit in syncope, et apoplexia, repente hominem omni rationis usu destitui, quod signum est rationis usum a spiritibus, et cerebri affectu pendere. — **Respondeo** cum Lessio lib. 2. *De providentia Numinis,* num. 23. ad *majorem,* dupliciter animæ operationem pendere ab organo corporeo: primo per se, et immediate; secundo mediate, et per accidens. Si primo modo dependeat, concedo *majorem,* nempe illam animam non posse separatam a corpore existere, quales sunt animæ brutorum animantium. Si vero solum dependeat anima a corpore per accidens, nego *majorem,* quia quod per accidens, et solum per aliud competit, potest falli. Operationes autem animæ rationalis solum per accidens pendent a corpore, quod multis indiciis constat. *Primo* namque functio intellectus potissimum consistit in judicando; atqui ad judicandum phantasia, et simulacrum illud corporale nullo modo juvat; sed potius impedit, et errandi occasionem præbet: unde intellectus phantasiæ conceptionem non debet sequi, neque secundum illius modum, et speciem judicare; sed lucc sua eam corrigere, ut ipsam veritatem possit attingere. Quod si tanta est vis intellectus, ut phantasiæ ruditatem, et errata corrigat, et liquidam veritatem longe supra phantasiæ captum positam assequatur; perspicuum est eum per se secundum suam substantiam a phantasia non pendere. *Secundo,* quia maxime desideramus intelligere spiritualia, quæ sub phantasiam non cadunt. *Tertio,* quia ut dictum est in præcedenti Conclusione, plura cognoscimus a materia abstracta, puta Deum, naturas universales, etc.

Conclusio tertia. — Anima rationalis non producitur per propagationem; neque fit ex traduce: sed in organizatum corpus a Deo creando infunditur, et infundendo creatur. Hæc est contra Apollinarem, et Tertullianum, qui in libro *De anima,* cap. 27. affirmat animam filii ex parentis anima, sicut corpus ex corpore in generatione seminari, et produci.

Probatur primo auctoritate sanctorum Patrum, maxime Lactantii lib. *De opificio Dei*, cap. 19. *Illud quoque*, inquit, *venire in quæstionem potest, utrumne anima ex patre, an potius ex matre, an vero ex utroque generetur; sed ego in meo jure ab ancipiti vindico. Nihil enim ex his tribus verum est, quia neque ex utroque, neque ex alterutro seruntur animæ corporibus. Corpus enim ex corporibus nasci potest, quoniam confertur aliquid ex utroque: de animis anima non potest, quia ex re tenui, et incomprehensibili nihil potest decedere. Itaque serendarum animarum ratio uni, ac soli Deo subjacet. Nam de mortalibus non potest quidquam nisi mortale generari. Nec putari debet pater, qui transfudisse, aut inspirasse de suo* (directe contra Tertull. paradoxon) *nullo modo sentit, nec si sentiat quando aut quomodo id fiat animo comprehendit. Ex quo apparet non a parentibus dari animas, sed ab uno, eodemque patre omnium Deo, qui legem, rationemque nascendi tenet solus, si quidem solus efficit.* — Quamquam autem hanc quæstionem explicatu difficillimam esse pronuntiet S. Augustinus pluribi, maxime vero *Epist.* 120. *ad Honoratum*, cap. 11. dicens: *Quis audeat in hanc se temere præcipitare sententiam, cum ratio de adventu, vel exortu animæ in tanto naturæ profundo sic lateat, ut satius sit eam semper quærere quamdiu in hac vita sumus, quam aliquando invenisse præsumere.* Quocirca hac de re edoceri cupiens, consuluit S. Hieronymum *Epist.* 28. ita eum interpellans: *Doce quæso quod doceam, doce quod teneam, et dic mihi si animæ sigillatim in singulis nascentibus fiunt, ubi in parvulis peccent, ut indigeant in sacramento Christi remissione peccati, peccantes in Adam, ex quo caro est propagata peccati. Aut si non peccant, qua justitia creaturæ ita peccato obligantur alieno, cum exinde propagatis membris mortalibus inseruntur, ut eas, nisi per Ecclesiam subventum fuerit, damnatio consequatur, cum in earum potestate non sit, ut eis possit gratia baptismi subvenire.* ✻ " Et Epist. 29. ad eumdem, *Ideo*, inquit, *putavi esse quærendum, ne forte ex illis opinionibus incarnationis animæ aliquam teneamus incautius, quæ liberandam prorsus animam parvuli contradicat negans eam esse in isto malo. Hoc igitur firmissime retento, quod anima parvuli de reatu peccati liberanda est, nec alio modo liberanda, nisi gratia Dei per Jesum Christum, si possumus ipsius etiam mali causam et originem nosse, vaniloquis non disputatoribus, sed litigatoribus, paratius instructiusque resistimus. Si autem possumus, non quia latet miseriæ principium, ideo pigrescere misericordiæ debet officium. Adversus eos autem qui sibi videntur scire quod nesciunt, hoc tutiores scimus, quod hanc ignorantiam nostram non ignoramus.* Unde " ✻ Epist. 157. quæ est ad Optatum, circa finem, affirmat quæstionem de origine animarum *sine fidei labe nesciri posse:* quapropter initio ejusdem Epistolæ alloquens ipsum Optatum, qui eum consuluerat, *utrum scilicet animæ, ut corpora propagatione nascantur, sintque ex illa una, quæ primo homini creata est: an Creator omnipotens, qui utique usque nunc operatur, sine ulla propagatione novas faciat singulis proprias:* respondet: *De qua re antequam aliquid admoneam, sinceritatem tuam scire volo in tam multis opusculis meis, nunquam me fuisse ausum de hac quæstione definitam proferre sententiam, et impudenter referre in litteras ad alios informandos, quod apud me non fuerit explicatum.* ✻ " Hæsit autem, ut

videtur, in isto dubio de origine animæ ad mortem usque, tametsi enim ipsam immortalem ac spiritualem esse constantissime docuerit, nihilominus qualis esset ejus origo et utrum a Deo solo creetur, an vero quemadmodum Adami posterorum corpora ex illius corpore seminantur, sic et animæ ex ejus anima fierent, sicut plures lucernæ ex una sine ipsius luminis imminutione accenduntur, nihil certo statuere ac definire voluit. Qua in re prædecessores ac sequaces habuit alios SS. Doctores Gregorium Nyssenum, lib. 2. *De anima*, cap. 6.; Eucherium in Commentario ad cap. 2. *Genes.*: Gregorium Magnum, lib. 7. epistolarum Epist. ad Secundinum ubi scribit: *De origine animæ inter SS. Patres resquisitio non parva versata est: sed utrum ipsa ab Adam descenderit, an certe singulis detur, incertum remansit, eamque in hac vita insolubilem fassi sunt esse quæstionem. Gravis enim est quæstio, nec valet ab homine comprehendi; quia si de Adam, substantia animæ cum carne moritur; si vero cum carne non nascitur, cur in ea carne quæ de Adam prolata est, obligata peccatis tenetur? Sed cum hoc sit incertum, illud incertum non est, quia nisi sacri Baptismatis gratia fuerit renatus homo, omnis anima originalis peccati vinculis est obstricta.* Unde in præfata epistola ad Optatum, eumdem " * admonens, ait: *Si inveneris quod te quærere admonui, quod ipse adhuc fateor non inveni, defende quantum potes, atque assere animarum infantium ejusmodi esse noritatem, ut nulla propagatione ducantur, et nobiscum quod inveniris fraterna dilectione communica. Si autem non inveneris quare, vel quomodo fiant animæ infantium peccatrices, et nihil in seipsis habentes malitiæ, a quo cogantur ex Adam trahere unde damnentur, cum eas credas non ex illa prima peccatrice propagatas, sed novas, atque insontes includi carne peccati, nec sic jam temere in aliam sententiam tua deflectatur assentio, ut eas ex illa una credas propagando traduci: ne forte alius invenire possit, quod ipse non possis, aut aliquando invenias quod nunc non potes. Nam et illi qui animas ex una propagari asserunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eas ex parentibus trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequuntur, profecto eas non spiritus, sed corpora esse contendunt, et corpulentis seminibus exoriri. Quo quid perversius dici potest?* — * " Hinc lib. 1. *De anima et ejus origine*, cap. 19. permittit quidem ut sententiam de novarum in dies animarum creatione quisque pro libito tueatur, dummodo quatuor errores fidei contrarios caveat. *Quicunque*, inquit, *volunt defendere, quod dicuntur animæ novæ nascentibus insufflari, non de parentibus trahi, aliquid illorum quatuor cavent omnimodo, hoc est: ne dicant a Deo fieri animas peccatrices per alienum originale peccatum. Ne dicant parvulos qui sine Baptismo exierunt, pervenire posse ad vitam æternam, regnumque cœlorum, originali peccato per quodlibet aliud resoluto. Ne dicant animas peccasse alicubi ante carnem, et hoc merito in carnem peccatricem fuisse detrusas. Ne dicant peccata quæ in eis inventa non sunt, quia præscita sunt, merito fuisse punita. Nihil ergo istorum quatuor dicentes, quoniam quodlibet eorum falsum atque impium est; inveniant etiam Scripturarum de hac re certissima testimonia, et hanc sententiam suam non solum me non vetante, verum etiam favente et gratias agente, defendant. Si autem non inveniunt certissimam de hac re auctoritatem*

dicinorum Eloquiorum, et aliquid illorum quatuor per inopiam dicere compelluntur, cohibeant se, ne per ipsam etiam parvulorum animas non habere originale peccatum secundum pelagianam hæresim olim damnabilem, nuperrimeque damnatam, dicere compellantur. — Nihilominus jam communis est Theologorum sententia animam rationalem non produci ex traduce, sed a Deo creari et in corpora organis expeditis instructa infundi. Quam veritatem " ✻

Probat noster Alensis qu. 60. membr. 3. art. 3. Primo quidem ex Hugone Victorino lib. 1. *De Sacramentis,* parte 7. cap. 30. idque ex lib. *Eccles.* 12. *Revertatur pulvis in terram, de qua sumptus est, et spiritus redeat ad Dominum, qui fecit illum:* quibus, inquit, manifeste ostenditur, quod non spiritus de spiritu, sed caro de carne traducatur materialiter; quamvis enim nostra corpora immediate non formentur ex terra, non inconvenienter tamen de terra sumpta esse dicuntur; quoniam ex ea figuratum est primi hominis corpus, ex quo nostra corpora seminata sunt, et propagata.

Reponunt aliqui apud S. Augustinum Epist. 157. circa medium: *Corpus in terram, de qua factum est primum hominis corpus, et spiritus ad Deum, a quo facta est prima hominis anima. Sicut enim nostrum corpus, inquiunt, quamvis ex primo illo corpore propagatum sit, eo tamen redit unde ipsum primum corpus effectum est: sic anima nostra, quamvis ex illa anima propagata, non ad nihilum, quia immortalis est, sed ad illum redit, a quo ipsa prima anima facta est. Ac per hoc illud, quod scriptum est de spiritu cujusque hominis,* quod redeat ad Deum qui dedit eum, *non solvit istam obscurissimam quæstionem, quia sive ex illo uno, sive ex nullo alio, Deus utique dedit eum.* — Verum respondet Alensis noster, quod quemadmodum in primo homine corpus de terra sumptum, spiritus vero a Deo datus legitur, ita et ratio expostulat, ut in sequentibus quoque hominibus caro quidem ex carne descendere; spiritus autem ad Dominum credatur venire.

Probat 2. Ex eodem ibidem, per illud Exodi 21. *Si quis percusserit mulierem prægnantem, et illa abortivum fecerit, si non fuerit formatum, mulctetur pecunia, si autem formatum fuerit, reddat animam pro anima:* aperte declaratur, quia cum caro de carne seminatur, anima similiter ex anima non trahitur. Si enim cum carne anima seminatur, quare in abortivo non formato anima pro anima non redderetur? Cum ergo in abortivo tantum formato anima pro anima reddi jubetur, quid nisi in eo, quod necdum formatum est, adhuc animam non esse, ostenditur? ut videlicet quemadmodum in primo homine prius corpus formatum, deinde animam infusam legimus: ita etiam in omnibus subsequentibus, prius in vulva corpus humanum formari, deinde animam infundi credamus. Quod si cui forte mirum videatur, quomodo paternum semen in vulva ante animationem, vel crescere possit, aut vegetari, vel etiam usque ad humani corporis effigiem promoveri: videat quomodo arbusta, et plantæ, et germina universa ejusmodi, animam rationalem non habentia, sola viriditate vegetentur, et crescant, et motu suo in formam proprio generi convenientem producantur. His, et hujusmodi ergo rationibus probabile factum est, animas ex traduce non esse, sed novas de nihilo creatas, novis quotidie corporibus de paterno semine in vulva formatis, ad vivificationem infundi.

Probat tertio S. Bonaventura in 2. dist. 18. quæst. 2. « Si anima « rationalis cum sit substantia per se existens, et incorruptibilis, ha- « beat materiam, et formam : cum ergo producitur, aut producitur ex « materia præjacente, aut simul cum ipsa producitur sua materia. Si « simul cum ipsa producitur sua materia, ergo necesse est ut produ- « catur ex nihilo : ergo a solo Deo. Si producitur ex materia præja- « cente, quæro de illa materia : aut est corporalis, aut spiritualis. Si « corporalis, ex ea non potest fieri anima. Si spiritualis, aut habet for- « mam, aut non : si non, quomodo potest esse in rerum natura sine « forma, cum omne esse sit a forma ? Si habet : ergo vel erit Ange- « lus, vel Anima. Non Angelus, constat ; ergo anima : sed ex eodem « non fit idem numero : ergo ex ea non potest fieri anima. *Confirmat* : « Animæ non seminantur, sed formatis corporibus a Deo creantur, et « creando infunduntur, et infundendo producuntur : animarum enim « creationem Deus sibi solum debuit reservare, tum propter earum « dignitatem, tum propter earum immortalitatem. Propter animarum « dignitatem, quia cum anima sit imago Dei, et nata immediate ferri « in Deum, et beatificari in ipso, diligendo eum ex toto corde, totum « suum esse immediate debuit ab ipso habere, ut ipsum ex toto corde « teneretur diligere. Decuit etiam hoc propter animarum immortalita- « tem ; cum enim solus Deus sit, qui habeat vitam in semetipso, et « vitam indeficientem, solus est, qui potest producere principium vi- « te perpetuum. Cum igitur res incorruptibilis substantificari non « possit in materia transmutabili, et operatio creaturæ sit super ma- « teriam transmutabilem, impossibile est, aliquam creaturam animam « rationalem producere, et ideo ejus productionem Deus sibi soli de- « buit reservare. Concedendæ sunt igitur rationes probantes, quod « animæ rationales non sint ex traduce, sed a Creatore ». — In his tamen omnibus, inquit Hugo Victorinus supra laudatus, nulla unquam ratio, sive auctoritas intantum prævalere potuit, ut dubietatem tolle- ret quæstionis ; excepto eo solo, quod fides Catholica magis creden- dum elegit animas quotidie vivificandis corporibus sociandas de nihilo fieri, quam secundum corporis naturam, et humanæ carnis proprieta- tem de traduce propagari. Si autem animæ ex traduce esse dicerentur, non tanta quæstio esset ; quia manifestior justitia esset in eo quod pec- catum originale a patribus in filios transire dicitur. Sed nos si occulta Dei judicia ratione comprehendere non possumus, tamen pro solvendis dubiis, alia asserere non debemus.

Objicies 1. S. Augustinus in præfata Epistola: *Illi qui propaginem animarum inconsiderata temeritate defendunt, inter alia testimonia, quæ suæ causæ suffragari arbitrantur, nullum quasi manifestius, et expressius pro se possunt putare proferendum, quam id quod in Genesi scriptum est :* omnes autem animæ, quæ introierunt cum Jacob in Ægyptum, qui exierunt de femoribus ejus. *Hoc enim velut evidentissimo testimonio possunt credi* animæ in filios ex parentibus *propagari, quoniam satis aperte dictum videtur,* animas etiam de femoribus Jacob, *non sola exiisse corpora filiorum ; ut eo modo etiam illud intelligi velint a parte totum, quod dixit Adam, cum illi mulier ejus ostenderetur ;* hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. *Non enim dixit,* et anima de anima mea : *sed ita fieri potest, ut carne*

nominata, utrumque intelligatur, sicut hic animas nominavit, et Adæ etiam corpora in filiis intelligi voluit. — **Respondet S. Augustinus**, pronomen præfixum verba *exierunt* usurpari posse, vel in fœminino, vel in masculino genere, nempe *quæ*, vel *qui*, scilicet ut significet, vel animas quæ, vel homines qui exierunt: neutro autem modo favet *oppositæ sententiæ, quoniam*, inquit, *et animæ nomine corpus solum posse significari, modo quodam locutionis ostenditur, quo significatur per id quod continetur illud quod continet: sicut ait quidam vina coronant, cum coronarentur vasa vinaria, vinum enim continetur, et vas continet. Sicut ergo appellamus Ecclesiam Basilicam, qua continetur populus, qui vere appellatur Ecclesia; ut nomine Ecclesiæ, idest populi, qui continetur, significemus locum, qui continet: ita quod animæ corporibus continentur, intelligi corpora filiorum per nominatas animas possunt. Sic enim melius accipitur etiam illud quod lex* inquinari dicit eum, qui intraverit super animam mortuam. *Numeror.* 9. hoc est, *super defuncti cadaver, ut nomine* animæ mortuæ, *mortuum corpus intelligatur, quod animam continebat, quia et absente populo, idest Ecclesia, locus tamen ille nihilominus Ecclesia nuncupatur.* — Respondet 2. *Si, ut dixi, fœminino genere positum esset:* quæ exierunt de femoribus Jacob: *idest quæ animæ; nunc vero cum masculinum genus sit positum, idest* qui exierunt de femoribus Jacob: *quis non ita intelligere malit, omnes animæ eorum, qui exierunt de femoribus ejus, idest, animæ hominum; ut etiam si possint intelligi secundum corpus tantummodo exiisse homines de femoribus Patris, quorum erant illæ animæ, per quorum numerum intelliguntur tot homines?*

Objicies 2. Illud ad Ephesios 2. cap. *Nascimur omnes natura filii iræ:* at non sumus filii iræ ex parte carnis, sed ex parte animæ: nec sumus filii iræ, nisi quia sumus filii Adæ: ergo anima nostra procedit ex anima Adæ. — **Respondet Seraphicus Doctor** laudato loco, nos idcirco natura esse filios iræ, quia anima cum unitur carni infectæ, statim inficitur, et contrahit culpam originalem: non quia ipsa traducatur, sed quia traducitur caro cui unitur. Quomodo autem hoc fieri possit, infra determinabitur, cum agetur de peccato originali.

Objicies 3. Vis generativa principaliter residet penes animam: ergo si homo generat hominem, cum generatio consistat in productione simili, principalius producit animam, quam carnem: ergo si caro est ex carne, multo fortius anima ex traduce. *Confirmatur:* æque magna, vel major congruentia est hominis ad hominem, quam sit bruti ad brutum: et perfectior est vis generativa in homine, quam sit in aliquo bruto animali: si ergo brutum totaliter potest producere brutum, et quantum ad animam, et quantum ad corpus, et non est necesse animam brutorum creari: multo fortius videtur, quod anima rationalis possit traduci, et per coitum terminari. — **Respondet idem Seraphicus Doctor** quod etsi vis generativa principaliter respiciat animam per modum moventis, et agentis; principaliter tamen respicit corpus tanquam illud, ex quo producit: et quoniam decisio potest fieri a corpore, non ab anima, hinc est quod ordinatur ad productionem corporis humani, non ad productionem animæ rationalis. *Confirmat* non esse paritatem, quia anima bruti, cum sit forma tantum, et forma corruptibilis, potest de potentia materiæ educi: anima vero rationalis,

cum sit hoc aliquid incorruptibile, nec educatur de materia præjacente, necesse est eam ex nihilo educi, et ita creari. Quod autem non possit produci ex materia præjacente, multipliciter ostendit Augustinus super *Genesim ad litteram*, lib. 1 [1]. quod illa materia præexistens nec possit esse corporalis, nec spiritualis.

Objicies 1. Aut anima rationalis est per propagationem, aut per creationem. Si per propagationem, habeo propositum, scilicet quod sit ex tradue: si per creationem, cum solius Dei sit creatio sequeretur quod creando animam, et eam infundendo in corpus per adulterium genitum, probaret illum adulterinum coitum; siquidem ipsi cooperaretur. — **Nego sequelam**; Deus enim illam creando, et infundendo in corpus ex adulterino genitum, non agit ut causa particularis, et moralis; sed ut causa universalis, et physica, cui non est adscribendus creaturæ aberrantis defectus. — Hanc ipsam rationem expendit S. Hieronymus, et ex eo S. Augustinus *Epist.* 28. ad ipsum Hieronymum circa medium, dicens: *Illud vero quod in libro adversus Ruffinum posuisti, quosdam huic sententiæ calumniari, quod Deum dare animas adulterinis conceptibus videatur indignum; unde conantur astruere meritis gestæ ante carnem vitæ, animas quasi ad ergastula hujusmodi juste posse perduci, non me movet multa cogitantem, quibus hæc possit calumnia refutari: Et quod ipse respondisti, non esse vitium sementis in tritico, quod furto dicitur esse sublatum, sed in eo qui frumenta furatus est, nec idcirco terram non debuisse gremio suo semina conferere, quia sator immunda ea projecerit manu, elegantissima similitudo est, quam et antequam legerem, nullus mihi objectio ista de adulterinis fœtibus in hac quæstione facichat angustias, generaliter intuenti, multa bona Deum facere etiam de nostris malis, nostrisque peccatis: animalis autem cujuscumque creatio, si habeat pium prudentemque consideratorem, ineffabilem laudem Creatori excitat, quanto magis creatio non cujuslibet animalis, sed hominis? Si autem causa creandi quæritur, nulla citius, et melius respondetur, nisi quia omnis creatura Dei bona est, et quid dignius quam ut bona faciat bonus Deus, quæ nemo potest facere nisi Deus?*

QUÆSTIO SECUNDA.

AN, ET QUOMODO ANIMA RATIONALIS FORMATA SIT AD IMAGINEM, ET SIMILITUDINEM DEI.

Notandum 1. Ex Seraphico Doctore in 2. *dist.* 16. *art.* 1. *qu.* 1. quatuor esse rerum similitudines: *Prima* est, per *convenientiam omnimodam in natura:* et sic una persona in Trinitate est alteri similis. Secunda, *per participationem alicujus naturæ universalis;* sicut homo, et asinus assimilantur in animali. Tertia vero, secundum *proportionem,* sicut Nauta et Auriga conveniunt secundum comparationem ad illa quæ regunt. Quarta est similitudo *per convenientiam ordinis,* sicut exemplatum assimilatur exemplari. Certum est autem quod duobus prioribus modis nulla creatura potest Deo assimilari: potest vero ipsi fieri similis duobus posterioribus modis; idque vel imperfecte et remote, et sic est *vestigium;* vel proxime et perfecte, et sic est *imago.*

Notandum 2. Hoc esse discrimen inter rationem *Imaginis,* et *Ve-*

stigii; quod *imago,* inquit Doctor in 1. *dist.* 3. *qu.* 9. *nu.* 2. est repræsentativa totius: *Vestigium* autem est tantum repræsentativum partis: *Si enim,* inquit, *totum corpus esset impressum pulveri, sicut pes est impressus, illud derelictum esset imago totius, sicut istud est imago partis, et vestigium totius. Tamen ista conformitas expressiva totius non sufficit ad rationem imaginis, sed requiritur imitatio, quia secundum Augustinum lib.* 83. *quæstionum q.* 71. quorumcumque duo sint similia, unum non est imago alterius, quia non est natum imitari ipsum, *et ideo requiritur quod imago nata sit imitari ipsum cujus est imago.* Necesse est igitur ut vere dicatur aliquid esse imago alterius, quod gerat in se illius similitudinem ex ipso expressam; *similitudinem* dico, vel *secundum speciem,* quemadmodum imago Regis est in filio ejus: vel certe *secundum aliquod accidens* proprium illius speciei: præsertim vero secundum figuram, quemadmodum imago Regis dicitur esse, vel in tabula depicta, vel in argento, vel alia quavis materia expressa. Similitudo autem speciei spectari debet secundum ultimum gradum, et differentiam rei. Res igitur rationis, et intelligentiæ expertes, assimilari quidem Deo possunt secundum existentiam, vitam, et infimum cognoscendi modum, qui est per sensus: supremum autem gradum mentis, et intelligentiæ nequaquam attingunt, in quo tamen gradu proprie consistit ratio similitudinis, quæ est inter Deum atque hominem.

Notandum 3. Illa verba *Genesis* primo: *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram,* secundum genuinam Hebraicæ linguæ significationem designare *similitudinem umbratilem*, idest similitudinem deficientem, et transeuntem: voces enim *Semel,* et *Demuth,* quibus utuntur Hebræi ad significandam rationem imaginis, et similitudinis, umbram etiam, et defectum significant. Voluit ergo Deus his verbis significare hominem factum esse similem Deo, quanta maxima similitudo esse potest inter opificem et tale opus: sed quia Deus infinitæ perfectionis est, propterea necesse fuit similitudinem Dei, quæ est in homine, infinitis partibus imperfectiorem esse pulchritudine, et præstantia divini Archetypi. Quemadmodum umbra est quidem similitudo, et imago corporis cujus umbra est, sed obscura tamen, et imperfecta. Unde homo in Scriptura sacra dicitur ad modum umbræ evanescere. Sic Psalmo 33. *Veruntamen in imagine pertransit homo,* idest cito transit ad modum umbræ brevi evanescentis: et ille locus Psalmi 101. *Dies mei sicut umbra declinaverunt, et ego sicut fœnum arui:* et ille Psalmi. 106. *Sicut umbra cum declinat ablatus sum.*

His prælibatis, duo sunt in præsenti Quæstione resolvenda: *Primum* quidem, quod anima rationalis formata sit ad imaginem, et similitudinem Dei; *Secundum* vero aperiendum est an, et quæ sit differentia inter rationem imaginis, et similitudinis Dei.

Conclusio prima. — Revera homo est ad imaginem, et similitudinem Dei formatus. Hæc veritas constantissima est in Scriptura sacra, in qua nihil tritum magis quam hominem ad imaginem, et similitudinem Dei formatum esse: maxime vero in *primo, et secundo cap. lib. Geneseos.*

Hanc conclusionem probat Seraphicus Doctor laudatus in *primo notabili,* ex duplici convenientia, *ordinis* nempe, et *proportionis,* quam

habet homo ad Deum. — *Primo* quidem *de convenientia ordinis* sic ait: « Deus universa propter semetipsum operatus est, ita quod, cum « sit summa *potestas*, et *majestas*, fecit omnia ad sui laudem : cum « sit summa *lux*, fecit omnia ad sui manifestationem : cum sit summa « *bonitas*, fecit omnia ad sui communicationem. Non est autem per- « fecta laus, nisi adsit qui approbet : neque est perfecta manifestatio, « nisi adsit qui intelligat : nec perfecta communicatio bonorum, nisi « adsit qui eis uti valeat. Et quoniam laudem approbare, veritatem « scire, dona in usum assumere, non est nisi solummodo rationalis « creaturæ, ideo non habent ipsæ creaturæ irrationales immediate ad « Deum ordinari, sed mediante creatura rationali. Ipsa autem crea- « tura rationalis, quia de se nata est laudare, et nosse, et res alias « in facultatem voluntatis assumere, etiam nata est ordinari in Deum « immediate. Quoniam autem quanto aliquid immediatius ordinatur « ad aliquid, tanto magis convenit cum eo convenientia ordinis ; ideo « anima rationalis, et quælibet rationalis creatura, eo quod capax Dei « est, et particeps esse potest, immediate ordinatur in ipsum, et ma- « xime convenit cum eo convenientia ordinis. Et insuper, quia quanto « major est convenientia, tanto expressior est similitudo : hinc est quod « quantum ad hoc genus similitudinis, rationalis creatura est Dei si- « militudo expressa ; et ideo imago est. Et hoc est quod dicit S. Au- « gustinus 14. *De Trinitate, Quod eo est anima imago Dei, quo capax* « *ejus est, et particeps esse potest ;* quia enim ei immediate ordinatur, « ideo capax ejus est, vel e converso : quia capax est, nata est ei con- « figurari ; et propter hoc fert in se a sua origine lumen vultus divini ; « et ideo quantum ad similitudinem, quæ attenditur quantum ad con- « venientiam ordinis, perfecte dicitur imago Dei, quia in hoc ei assi- « milatur expresse ». — *Secundo*, idem probat de *convenientia propor- tionis ;* convenientia enim proportionis, inquit, attenditur secundum *similiter se habere ;* similiter autem se habere potest fieri dupliciter : vel in comparatione ad extrinseca : vel in comparatione ad intrinseca. Tunc autem est similitudo expressa, quando non tantum est similis modus se habendi in comparatione ad extrinseca ; sed etiam in com- paratione ad intrinseca ; creatura autem irrationalis comparatur Deo tantum extrinsece, comparatione scilicet effectus ad causam a qua pro- ducitur : rationalis vero comparatur etiam quantum ad intrinseca, vi- delicet quantum ad spiritualitatem in entitate, vim intelligendi, et volendi in facultate, etc. ideoque majorem cum Deo habet proportio- nem, et sic est ejus imago.

Cur autem Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam produxerit, variæ a variis Auctoribus rationes morales proferuntur ; quas sic congerit, et diserte explicat Pererius lib. 1. in *Genesim* quæst. 8. quarum *Prima* est, ut palam esset, quantum intersit inter Dei bonitatem ac benignitatem, atque hominis malignitatem et in- vidiam. Homo enim si re aliqua excellat, velut divitiis, potentia, nobilitate, honoribus ac sapientia, nollet quemquam aliorum homi- num sibi ea re parem, aut etiam similem esse : at Dei tanta est bo- nitas, tamque omnis expers invidiæ, ut quibus rebus excellit, ipse earum capacem, et participem fecerit hominem, et quibuscumque modis homo similis Deo esse poterat, his omnibus hominem sibi fe-

cerit similem: fecit enim eum sibi similem secundum naturam, provehendo eum ad summum gradum naturæ in quo ipse est, naturam scilicet rationis compotem ei dando. *Deinde* secundum bona supernaturalia, et divina, faciendo eum suæ gratiæ, sapientiæ, et felicitatis participem atque consortem. *Denique* naturam hominis secum conjungendo in unitate personæ divinæ: ita ut non tantum homo similis Deo sit, sed etiam Deus, et nominetur et sit.

Secunda causa: ut res omnes corporales revererentur hominem, ut qui tam illustrem, et expressam Dei omnium Conditoris, et Dominatoris imaginem in se gereret: sic Deus dixit Noë *Genesis* 9. *Terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terræ, et super omnes volucres cæli, etc.* Ne Cæli atque astra inservire homini, aut etiam Angeli ei ministrare dedignarentur. Denique ne dæmones hominem lædere auderent, neve propter hominis rebellionem adversus Deum omnes creaturæ in ipsum insurgerent, sua hominem imagine Deus insignire, et munire voluit. Figura ejus rei fuit quod legitur libri *Geneseos* cap. 4. posuisse Deum signum super Cain, ne qui inveniret ipsum, signumque Dei in eo videret, interficere eum auderet. Et quemadmodum Joseph Patriarcham Ægyptii, et Mardochæum Judæum Persæ ac Medi honorabant, ac venerabantur, quod insignia Regum, ille Ægypti, hic Persarum ac Medorum gereret, sic omnes creaturæ, hominem effigie Dei insignitum et decoratum colunt ac reverentur.

Tertia causa: omnia Deus homini donaverat, sed ipsum tamen hominem divini juris, ac possessionis esse voluit: quocirca ut agnoscatur hominem esse quid Dei proprium, et peculiare, obsignavit illum sigillo suæ imaginis tam alte ac tenaciter impressæ, ut salva hominis natura signaculum illud auferri nullo modo possit. Quemadmodum fertur nobilissimum illum Phidiam fecisse Clypeum Minervæ, atque in eum tanta arte effigiem suam inclusisse, ut ea integro Clypeo non posset eximi. Homo igitur gestat Dei imaginem ut *filius sui Patris*, cui debet amorem, et pietatem: ut *mancipium Domini sui*, quem timere ac revereri debet: ut *Miles sui Ducis*, et imperatoris, cui fidem et obedientiam præstare oportet: denique ut *minister et dispensator* bonorum heri et domini sui, cui rectum usum creaturarum, quæ dispensationi ejus commissæ sunt, exhibere debet.

Quarta causa: quemadmodum, quia nullum animalium inveniebatur simile Adæ, cum quo societatem, et amicitiam, et familiaritatem habere posset, creavit Deus Evam tamquam ejus sociam; ita creatis rebus omnibus corporeis, cujus nulla esset Dei similis, et cum qua Deus societatem, et familiaritatem inire posset, fecit hominem sui similem, ut esset quem Deus amaret, et a quo vicissim amaretur amore amicitiæ. Et de aliis quidem rebus, cum eas Deus a se factas cerneret, approbasse eas dicitur; *Vidit Deus*, inquit Scriptura, *cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona;* de homine autem multo aliter locutus est Deus per Salomonem *Proverbiorum* 8. dicens: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Cætera igitur ut bona laudavit et approbavit Deus; solum autem hominem ut amicum amare, et velut cum familiari consuetudinem habere, et suæ felicitatis consortem esse voluit. Merito igitur Job. *cap.* 7. tantam Dei erga hominem benevolentiam, et benignitatem admirans exclamavit: *Quid est homo quia magnificas eum,*

aut cur apponis erga eum cor tuum? Visitas eum diluculo, etc. Illud *visitas*, denotat societatem, conversationem, et familiaritatem Dei cum homine: illud autem, *apponis erga eum cor tuum*, significat amorem amicitiæ, quo Deus hominem dignatur, atque complectitur. Verum admirationi Job recte possumus respondere, propterea Deum visitare hominem, et apponere erga eum cor suum, quia Deus fecit hominem ad imaginem, et similitudinem suam: similitudo enim amorem conciliat, et amicitiam conglutinat.

Quinta causa: omnia quæ a Deo creata sunt, et mundi ambitu continentur, hominem ea ut par est contemplantem, ad cognitionem Dei eorum opificis perducunt. Namque *invisibilia Dei*, ut Paulus testatur, *a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus, et divinitas.* Verum ne cogeretur homo cognitionem Dei extra se, et e longinquo quærere, ac petere, posuit Deus intra hominem, in ejus ipso animo, pulcherrimam sui effigiem et imaginem, quæ quidem sola expressius quam aliæ res omnes simul Dei vim, et naturam declararet. Hanc igitur Dei imaginem intra se intuens homo, per eam cognoscit qualis sit Deus; nam quia hominis animus similis Deo est, qualis imperfecte animus est, talem perfecte, remotaque imperfectione Deum esse existimare oportet. Itaque sicut animus noster, ita Deus est intelligens, libero arbitrio pollens, plenus virtute, gratia, et sapientia, mundum conservans, regens, atque continens, sicut animus corpus suum.

Sexta causa: ideo factus est homo ad imaginem Dei, ut posset homo esse æternitatis, infinitatis, et Divinitatis quodammodo capax: nullumque esset tantum bonum ut non id auderet homo petere a Deo, et impetraturum se ab eo sperare; possumus enim Deo fidenter dicere: *Domine imple bonis tuis infinitam hanc nostræ mentis, et voluntatis capacitatem, quam dedisti nobis:* nam si tu non pateris esse aliquid vacuum in natura, sed omnia loca vis esse obsessa, et impleta corporibus, quanto minus velle te putandum est aliquid esse vacuum in animo nostro? Tu igitur qui solus potes *replere in bonis desiderium nostrum*, reple nostram voluntatem, quam nulla res præter unum te explere, et satiare potest. Quemadmodum igitur vas rotunda figura præditum non potest omni ex parte repleri: nisi a corpore similiter rotundo, ita nec animus hominis ad imaginem Dei factus nisi a solo Deo, cui similis est, repleri, et satiari potest.

Septima causa: quemadmodum Rex condita a se civitate in medio ejus loco celebri imaginem suam collocat, ex materia quapiam eximia et pretiosa confectam, ut manifestum sit omnibus cam intuentibus quis fuerit ejus civitatis conditor: ita Deus fabricato a se mundo effigiem suam posuit in medio hujus idest hominem, qui est medium quiddam inter res a Deo conditas, ut ex ejus aspectu et contemplatione in aperto et manifesto sit omnibus qualis fuerit hujus mundi fabricator et opifex. Et sicut Apelles simulacrum Veneris inchoatum, morte occupatus, non potuit absolvere, nemoque postea pictor, qui succederet operi ad præscripta lineamenta inventus est; oris enim pulchritudo, reliqui corporis imitandi spem auferebat, ut tradit Cicero in exordio lib. 3. *De officiis*, et Plinius lib. 35. c. 10. simili ratione Deus per creationem homini dedit imaginem suam, sed imperfectam, quam tamen

nulla res alia præter Deum, ne ipse quidem homo, aut etiam Angelus posset perpolire, et absolvere. Id enim proprium Dei est, qui quam imaginem inchoavit per *creationem*, eam polit, et ornat per *justificationem*, et absolvit atque consummat per *glorificationem*. Quemadmodum igitur reus læsæ majestatis haberetur, et dignus extremo supplicio, qui regis imaginem loco publico, et celebri positam deturbaret, et injuriose tractaret; ita qui Dei imaginem in se positam, et expressam sceleribus fœdat ac maculat, et quantum in ipso est destruit ac delet, quasi in Deum injuriosus, et contumeliosus, gravissima meretur supplicia. — Hæc omnia luculenter expendit S. Chrysostomus homil. 42. in caput. 22. Matth. ubi expendens illa verba: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari*, ait: *Imago Dei non est in auro depicta, sed in hominibus figurata. Numisma Cæsaris aurum est: numisma Dei homo. Ideoque illibatam Deo semper imaginem suam reddamus. Non superbiæ fastu tumidam, non iracundiæ livore marcidam, non avaritiæ flatibus succensam, non gulæ illecebris deditam, non hypocrisis duplicitate contectam, non luxuriæ sordibus contaminatam, non elationis protensione levem, non vinolentiæ labe amentem, non dissidio mutuæ charitatis extorrem, non detractionis mordacitate pestiferam, non multiloquii vanitate inanem: sed charitate perspicuam, fide et spe certissimam, patientiæ virtute fortissimam, humilitate tranquillam, castitate purpuream, parsimonia sobriam, tranquillitate jucundam, hospitalitate devotam.* Subdit: *Sicut qui suam Cæsari adulterinam imaginem reddit, flagellari a tortoribus, et atrocibus jubetur subjici pœnis: sic Deus omnipotens corruptores imaginis suæ morti tradet perpetuæ, et infernales jubet pœnas persolvi. Qui itaque vitare horrenda exitia cupit, incorruptam studeat auctoris sui imaginem conservare: quatenus cum suam quam formavit requisierit Deus imaginem, salvam et immunem ab inimici infectionibus cernens, suo collocet gremio, Angelorumque choris admiscens, perpetuis faciat cælorum gaudiis frui.*

Objicies 1. Ubicumque est imago, ibi est similitudo, et ubi est similitudo, ibi est identitas aliqua: ubicumque autem est identitas, ibi est convenientia in aliquo tertio; si igitur Deus et creatura in aliquo tertio non conveniunt, creatura non potest esse similitudo Dei, et ita nec imago. — **Respondet Seraphicus Doctor**, quod similitudo quæ est in imagine, non attenditur per identitatem, aut ejusdem naturæ participationem, sed per convenientiam in ordine, et proportione: quæ similitudo non exigit communicationem in tertio, quia in convenientia ordinis unum est similitudo alterius; in convenientia autem proportionis non est similitudo in uno, sed in duabus comparationibus.

Objicies 2. Ubicumque est imago, est figuratio: imago enim attenditur in figura: sed divina essentia nullo modo est figurabilis: ergo nullo modo est per aliquam imaginem repræsentabilis: ergo nulla creatura est imago Dei. — **Respondet idem Seraphicus Doctor**, duplicem esse figuram: unam propriam, et corpoream; aliam spiritualem, et metaphoricam: unde sicut imago corporalis exigit configurationem corpoream, ita spiritualis configuratione spirituali absolvitur. Hæc autem, inquit, consistit non in quantitate molis, sed in quantitate virtutis, scilicet in potentiis: ita quod sicut figura triangularis habet tres terminos, et tres lineas, sic etiam in imagine spirituali potentiæ

sunt ad motum terminorum, et egressio unius ab altera, quantum ad actum, se habet ad motum lineæ conjungentis.

Objicies 3. In hoc differt imago a vestigio, quod vestigium repræsentet secundum partem; imago autem secundum totum: cum igitur Deus sit infinitus, et quælibet creatura sit finita, nulla creatura potest esse imago Dei. — **Respondet idem Seraphicus Doctor**, *Majorem* esse veram de imagine, quæ habet omnimodam perfectionem, et sic solus Filius est imago Patris: non vero de ea quæ repræsentat totum simpliciter tantum secundum rationem totius: unde quemadmodum rationalis creatura, et intellectus quodammodo est omnia, et omnia nata sunt ibi scribi, et imprimi, omniumque similitudines depingi: ideo sicut totum Universum repræsentat Deum in quadam totalitate sensibili, sic creatura rationalis eum repræsentat in quadam totalitate spirituali: quælibet autem alia creatura irrationalis repræsentat eum solum in parte, quia secundum se tantum, cum non sit nata alia in se spiritualiter continere, ita quod nihil sit, quod non sit nata cognoscere: hoc dico propter animam sensibilem, quæ etsi cognoscat aliqua, non tamen nata est cognoscere omnia.

Conclusio secunda. — Ratio imaginis maxime spectat substantiam, et facultates animæ: ratio vero similitudinis reposita videtur in donis gratuitis quibus homo divinam sanctitatem exprimit. Hanc similitudinis, et imaginis distinctionem statuunt, et exprimunt SS. Patres. In primis S. Basilius, qui Homilia 10. in *Genesim*, ait: *Per imaginem animæ impressam meæ, obtinui rationis usum; verum Christianus effectus utique similis efficior Deo.* Et S. Hieronymus in illud Ezechielis 28. *Tu Signaculum similitudinis*, sic ait: *Notandum est quod imago tunc in creatione facta sit tantum; similitudo in baptismate compleatur.* Et S. Chrysostomus Homilia 9. in *Genesim: Imaginem*, dixit, *ob principatus rationem; similitudinem ut pro viribus humanis similes fiamus Deo mansuetudine, lenitate, etc.* quod et Christus dixit: *similes estote Patri vestro qui in cœlis est.* S. Bernardus Serm. 1. *De Annunt.* addit: *imago siquidem in gehenna uri poterit, non exuri; ardere, sed non deleri. Similitudo non sic; sed aut manet in bono, aut si peccaverit anima, mutatur miserabiliter jumentis insipientibus similata.* — Idem sentiunt S. Ambrosius lib. 6. in *Hexameron* cap. 7. et 8. S. Nyssenus in *Homilia de creatione hominis*, et plures alii, qui omnes in ea sunt sententia, hominem factum esse ad imaginem Dei secundum dona naturalia, mentem dico, voluntatem, memoriam, ac liberum arbitrium, et hanc esse imaginem Dei naturalem communiter in cunctis hominibus expressam, qua bestiis præcellimus, et quæ nullo peccato deleri ac perdi potest: non enim hæc pendet ex nobis, sed ex Deo tota pendet. Similitudinem autem Dei ad quam factus dicitur homo, spectari putant in donis gratuitis, et supernaturalibus, uti sunt justitia, sanctitas, innocentia: et hæc imago non solum ex Deo pendet, sed nostrum quoque studium, conatum, et culturam exigit; hac boni viri differunt ac præstant reprobis.

Verum S. Augustinus in lib. *Quæstionum super Deuteronomium* quæst. 4. tractans illa verba, *Ne forte decepti faciatis vobis similitudinem aut sculptam imaginem*, hanc imaginis, et similitudinis distin-

ctionem impugnat scribens: *Quid intersit inter* similitudinem, *et* imaginem *quæri solet: sed hic non video quid interesse voluerit nisi aut duobus istis vocabulis unam rem significaverit.... Unde illud quod in Genesi cap.* 1. *scriptum est* fecit Deus hominem ad imaginem Dei, *manifestum est ita dictum, ut non ejusdem substantiæ sit imago quæ facta est: Si enim ejusdem esset, non facta, sed genita diceretur. Sed quod non addit,* et similitudinem, *cum superius dictum esset,* Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram, *quibusdam visum est* similitudinem *aliquid amplius esse quam* imaginem; *quod homini reformando per Christi gratiam postea servaretur. Miror autem, si non propterea postea* imaginem *solam voluit commemorare, quia ubi imago, continuo et similitudo est.* Unde hic *Moyses* similitudinem, et imaginem *fieri vetat, secundum eam fortasse rationem, quam diximus.* — Confirmatur hæc S. Augustini sententia, *Primo,* quia ut hoc loco dicitur homo factus ad *imaginem et similitudinem Dei,* similiter infra cap. 5. legitur Adam genuisse filium Seth *ad imaginem, et similitudinem suam.* Ubi cum duæ illæ voces, *imago, et similitudo* ponantur, inter eas tamen distinctio a prædictis Auctoribus tradita locum non habet. — *Deinde,* vocabulum *imaginis* non semel usurpat Paulus pro similitudine, quæ in donis gratuitis, et supernaturalibus maxime consistit, siquidem in prioris Epistolæ ad Corinthios, cap. 15. *Sicut portavimus,* inquit, *imaginem terreni, portemus et imaginem cælestis.* Et ad Colossens. 3. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, cum quo renovatur in agnitionem Dei, secundum imaginem ejus qui creavit illum.* — *Denique* Scriptura aliquando ponit utrumque nomen *imaginis* et *similitudinis,* et in eodum casu, ut hic: *Faciamus hominem, ad imaginem, et similitudinem nostram.* Aliquando ponit utrumque nomen, sed in diverso casu, ut *in capite secundo* libri Sapientiæ: *Creavit Deus hominem inexterminabilem: imaginem similitudinis suæ fecit illum.* Interdum autem omittitur nomen *similitudinis,* posita tantum voce *imaginis;* sic infra legitur cap. 9. *Ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Et in lib. *Ecclesiastici,* cap.17. *Deus creavit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit illum.* Manifestum igitur est ex his quæ diximus, harum vocum *imaginis* et *similitudinis* eamdem esse vim, et significationem; easdemque hoc loco ad idem significantius, expressius, et illustrius declarandum esse positas.

QUÆSTIO TERTIA.

IN QUO MAXIME SITA SIT RATIO IMAGINIS, ET SIMILITUDINIS DEI IN HOMINE.

Pervetus est præsens quæstio, et in varias partes opinionibus distracta; quam late prosequitur S. Epiphanius *hæresi* 70. quæ est *Audianorum,* et in *Ancorato,* ubi omnes fere de ea re sententias enumerat, et expendit, ac refellit: asserens nec in corpore positam esse, nec in anima, nec in baptismo aut alia re nobis cognita. Quare unum fide, et traditione compertum est, hominem ad imaginem Dei esse factum: nullam tamen partem definiri in qua istiusmodi ratio imaginis collocanda sit. Quid tamen verius censeatur, et ex sanctorum Patrum ac Subtilis Doctoris doctrina inferatur, ut pateat evidentius,

Notandum 1. Esse imprimis ablegandam illam deterrimam, et stolidam prorsus *Audianorum,* et *Antropomorphitarum* sententiam, qui cum persuasum haberent Deum esse corporatum et humana forma, ac figura præditum, in qua scilicet apparuisse Patriarchis, et Prophetis proditum est in sacris litteris; etiam hominem penes corpus ad imaginem Dei formatum affirmabant. Quos sic impugnabat *Melito* apud Theodoretum q. 20. in *Genesim:* si propterea existimatur Deus habere corpus, quale habet homo, quia Scriptura describit eum tamquam instructum, et præditum membris humanis, simili ratione concluderetur, hominem non esse similem Deo, nec ad ejus imaginem, et similitudinem factum. Etenim Zacharias cap. 4. describit Deum septem oculos habentem, cum nos duos tantum habeamus; et Psalmo 90. inducitur Deus habens pennas, et alas, quibus nos caremus; et multa alia per metaphoram Deo attribuit Scriptura, quæ si proprie, et ad veritatem exigerentur, Deum facerent enormem atque monstruosum, et longe dissimillimum hominis. Non igitur, ait Melito, imago Dei quærenda est in hominis corpore, sed in animo, qui ut Deus, sic ipse rationis, consilii, et sapientiæ compos, et capax est.

Notandum 2. Non esse pariter admittendam illam *Origenis,* et quorumdam aliorum sententiam, qui illud *ad imaginem nostram,* proprie referri debere putaverunt ad Filium Dei, quem Paulus ad Coloss. 1. vocat *imaginem Dei invisibilis,* et ad Hebræos 1. *figuram substantiæ Patris:* nomen enim *imaginis* soli Filio inter divinas personas proprie assignatur a Theologis. Existimant igitur isti, hominem esse factum similem Filio Dei, sicut Paulus ad Rom. 8. affirmat Deum Electos prædestinasse *conformes fieri imaginis filii sui.* Verum hanc opinionem refellit illa particula *nostram.* Si enim factus esset homo ad similitudinem Filii Dei tantum, Deus Pater loquens cum Filio suo, non dixisset: *Faciamus hominem ad imaginem nostram,* sed *ad imaginem tuam.* Adjice, quod homo non potuit fieri similis Filio Dei, nisi secundum dona naturalia, vel supernaturalia: at secundum utravis æque similis est toti Trinitati: utraque enim a tota Trinitate æqualiter, atque indifferenter efficiuntur, et donantur homini. Unde S. Aug. lib. imperfecto *De Genesi ad litter.* cap. 16. ait: *Non ad solius Patris, aut solius Filii, aut solius Spiritus sancti, sed ad ipsius Trinitatis imaginem factus est homo: quæ Trinitas ita est Trinitas, ut unus Deus sit: ita est unus Deus, ut Trinitas sit. Non enim ait Filio loquens:* Faciamus hominem ad imaginem tuam, *aut ad imaginem* meam, *sed pluraliter ait: ad imaginem, et similitudinem* nostram, *a qua pluralitate Spiritum sanctum separare quis audeat? Quæ pluralitas quoniam non tres dii, sed unus est Deus, ideo intelligendum est postea Scripturam singulariter intulisse atque dixisse:* Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei, *ut non sic accipiatur tamquam Deus Pater ad imaginem* Dei, *hoc est* Filii sui: *Alioquin quomodo verum est quod dictum est, ad imaginem* nostram, *si ad Filii solius imaginem factus est homo?*

Notandum 3. Non esse pariter admittendam illam opinionem *Eugubini* in Cosmopeia, qui existimat Deum, ut crearet hominem, et cum eo sermonem et colloquium humano more ac modo miscere posset, induisse formam humanam, et ideo dixisse: *Faciamus homi-*

nem ad imaginem, et similitudinem nostram. Accessit, inquit, *Filius ac Verbum Dei ad creationem humanam, in forma, imagine, habituque humano, gerens speciosissimam, divinissimamque formam, et jucundissimam omnium humanarum pulchritudinem superantem.* Verum hæc sententia absurda videtur: *Tum quia* sanctus Dionysius Areopagita affirmat omnes apparitiones divinas quas in Scriptura sacra legimus, Angelorum beneficio et ministerio factas fuisse: *Tum quia* vel natura illa humana, quam in exordio mundi Deus assumpsit, fuit vera natura, et vere assumpta in unitatem personæ, quod si dicerent, fateri cogerentur, bis factam esse incarnationem Dei, semel in fine sæculorum, et prius in exordio; et tunc quidem tota Trinitas esset incarnata: non enim aliter vere diceretur, *Faciamus hominem ad imaginem nostram,* cum illud *nostram,* non ad unam tantum personam divinam, sed ad omnes æque pertineat: vel non fuit vera illa natura humana quam assumpsit Deus a principio, sed fuit tantum umbra quædam, spectrum, et similitudo naturæ humanæ, quemadmodum Angelos legimus sæpe assumpsisse corpora humana. Hoc autem si dicatur, non erit verum illud, *ad imaginem nostram:* non enim illa similitudo naturæ humanæ erat Dei imago, cum nihil ad ipsum pertineret, nec vere dictum esset, Adamum, qui erat verus et perfectus homo, esse factum ad imaginem Dei; si per *imaginem,* ut diximus, intelligamus non veram naturam hominis, sed ejus tantum umbram quamdam, et similitudinem.

Conclusio prima. — Quintuplex potissimum est sanctorum Patrum diversa sententia de ratione, et statu divinæ imaginis in homine.

Primo namque nonnulli hominem Deo assimilant in *intelligentia* maxime, et cognitione. Ita Diadocus cap. 77. *De perfectione spirituali,* ubi ait: *Sumus ad imaginem Dei secundum notionem animæ ad mentem pertinentem.* Cui est illud affine, quod Clemens Alexandrinus, in 6. *Stromatum* scribit: *hominem ad Dei imaginem esse factum, non propter structuræ suæ figuram; sed quoniam uti Deus ratione molitur omnia, sic homo qui perfecta cognitione præditus est, ex rationali facultate bonas et honestas actiones exequitur.* Videtur autem maxime Clemens loqui non de naturali cognitione; sed de ea quæ Christiano, eique sancto ac perfecto congruit.

Secundo aliqui divinæ hujus imaginis proprietatem in *arbitrio libero* constituere videntur, ut Tertullianus lib. 2. *contra Marcionem,* cap. 5. *Liberum,* inquit, *et sui arbitrii, et suæ potestatis invenio hominem a Deo institutum, nullam magis imaginem, et similitudinem Dei in illo animadvertens quam hujusmodi status formam. Neque enim facie, et corporalibus lineis, tam variis in genere humano ad uniformem Deum expressus est: sed in ea substantia, quam ab ipso Deo traxit, idest animæ, ad formam Dei spondentis, et arbitrii sui libertate, et potestate signatus est.* Tum cap. sequenti: *Oportebat igitur imaginem, et similitudinem Dei liberi arbitrii, et suæ potestatis institui, in qua hoc ipsum imago, et similitudo Dei deputaretur, arbitrii scilicet libertas, et potestas: in quam rem ea substantia homini accommodata est, quæ hujus status est, ad status Dei, utique liberi, et suæ*

potestatis. — Ipsi concinit S. Hieronymus in Epistola 146. *Solus Deus est,* inquit, *in quem peccatum non cadit; cætera enim cum sint liberi arbitrii, juxta quod et homo ad imaginem, et similitudinem Dei factus est, in utramque partem suam possunt flectere voluntatem.* Subscribit sanctus Bernardus in tractatu *De libero arbitrio:* cum enim triplicem in homine distinxisset libertatem, unam *arbitrii,* alteram *consilii,* tertiam *complaciti;* concludit in his tribus consistere imaginem Dei, ita scribens: *Puto in his tribus libertatibus ipsam ad quam conditi sumus Conditoris imaginem atque similitudinem contineri, et imaginem quidem in libertate arbitrii, in reliquis autem duabus bipartitam quamdam consignari beatitudinem. Hinc est fortassis, quod solum liberum arbitrium sui omnino defectum, seu diminutionem non patitur, quod in ipso potissimum æternæ, et incommutabilis Divinitatis substantiæ quædam imago impressa videatur: nam etsi habuerit initium, nescit tamen occasum, nec de justitia, vel gloria capit augmentum, nec de peccato, sive miseria detrimentum: quid æternitati similius, quod non sit æternitas? Porro in aliis duabus libertatibus, quoniam non solum ex parte minui, sed ex toto amitti possunt, accidentalis quædam magis similitudo sapientiæ, atque potentiæ divinæ imagini superducta cognoscitur.*

Tertio, sunt qui imaginem ac similitudinem divinam in *Virtute* reponunt. Sic Gelasius in Actis Nicenæ Synodi parte 2. cap. 16. *Bonus,* inquit, *Deus natura sua intelligenti hominis substantiæ indidit illud, ad imaginem ipsius, et similitudinem ut bonitatem, simplicitatem, sanctitatem, puritatem, etc.* Subscribit Severianus Oratione 5. *De mundi opificio: Quid est,* inquit, *secundum imaginem? Deus est sanctus; si nos sancti sumus, ad imaginem sumus Dei. Sancti enim, inquit, estote quia ego sanctus sum. Deus est justus; si justitiam prosequimur, imago sumus Dei, etc.* Eleganter quoque Ambrosius in libro *De bono mortis,* capit. 5. *Fugiamus ergo hæc mala, et transformemus animam nostram ad illam imaginem Dei, et similitudinem. Fuga malorum similitudo Dei est, et virtutibus imago Dei acquiritur: ideo qui nos pinxit quasi auctor pinxit virtutum coloribus.*

Quarto, aliqui sunt qui imaginem Dei in æternitate, sive immortalitate malint positam. Ita Faustus Regiensis libr. 1. *De libero arbitrio,* cap. 1. *Quid vero aliud,* inquit, *intelligendum est etiam in ipsa qua homo conditus est, Dei imagine, nisi perennitatis insigne? Quam perennitatem non solum animæ non ademptam, sed etiam corpori agnoscis resurrectionis virtute reparatam.* Et Maximus Martyr, Centuria 3. *De Char.,* cap. 25. *imaginem* a *similitudine* distinguens ait: *Ob id etiam ad imaginem Dei, et ad similitudinem homo fabricatus esse dicitur: ad imaginem quidem tamquam existentis existens, et semper existentis semper existens; ut quamvis non absque initio talis sit, tamen sine fine sit; ad similitudinem vero, tamquam boni bonus, et sapientis sapiens: ejus qui natura istud est, illi, qui gratia est. Porro ad imaginem sunt prorsus omnes homines; ad similitudinem vero soli boni, ac sapientes.*

Quinto, cæteri hanc rationem imaginis reponunt in imperio, et dominatu, quem in animantes, ac terrarum orbem universum constituit humano generi Deus, hisque verbis Scriptura declarasse videtur. *Fa-*

ciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram, et præsit piscibus maris, et volatilibus cæli, et bestiis, universæque terræ, omnique reptili, quæ moventur in terra. Ejus sententiæ fuit Joannes Chrysostomus hom. 10. in *Genesim* expendens illa verba, *Et præsit piscibus, etc. Igitur,* inquit, *ad dominationis imaginem factus est homo, non ad aliud quidpiam: etenim omnium, quæ in terra sunt, principem creavit hominem Deus: neque quidquam est in terra majus illo, verum omnia sub ejus potestate sunt.* Ipsi subscribit Gregorius Nyssenus lib. *De hominis opif.: Ut in vita hac,* inquit, *artifices instrumentum ea forma moliuntur, quæ usui sit apta; ita tamquam vas quoddam ad Regni administrationem idoneum, naturam nostram præstantissimus fabricavit Artifex: ac tum animæ dotibus, tum figura ipsa corporis, talem designavit hominem, ut ad Regnum esset aptissimus.* Consentit et Marius Victor in lib. 1. scribens:

Nunc hominem faciamus, ait, qui regnet in orbe,
Et sit imago Dei: similem decet esse creanti
Liber ad arbitrium fruitur, qui mente creatis.

Nonnulli denique hanc imaginem in eo constitutam esse volunt, quod homo supremum gradum entis, nempe substantiæ spiritualis ratione, et sapientia pollentis non secus ac Deus contineat: hic enim gradus naturæ intelligentis, inquit Pererius lib. 4. in *Gen.* qu. 1. eximias, et admirabiles sex proprietates secum naturaliter, et necessario conjunctas habet, quas omnes in animo nostro cernere licet. *Una* est esse animum nostrum incorporeum, et individuum: *Altera,* esse immortalem: *Tertia,* intellectu, voluntate, ac memoria esse præditum: *Quarta,* pollere libero arbitrio: *Quinta,* capacem esse sapientiæ, virtutis, divinæ gratiæ, et felicitatis æternæ, quæ est in clara Dei visione collocata: *Sexta,* cunctis animantibus non solum dignitate præcellere, sed etiam potestate dominari. Propter hunc igitur gradum naturæ intelligentis, et prædictas sex proprietates, quæ eum gradum naturaliter consequuntur, et perpetuo comitantur, verissime dictum est, *Hominem ad imaginem, et similitudinem Dei esse factum.* His plura alia similia videbis apud Petavium libr. 2. *De Opif. hominis.* Verum quoniam hæc imaginis ratio, quæcumque sit, potius Deitatis unitatem, quam divinæ majestatis Trinitatem adumbrat; idcirco ut exacta hujusce divinæ imaginis habeatur ratio, sit

Conclusio secunda. — Ratio divinæ Imaginis maxime consistit in eo, quod anima nostra tribus facultatibus, intellectu nempe, voluntate, et memoria illustrata, divinam personarum Trinitatem in unitate essentiæ consistentem adumbret. Ita S. Augustinus pluribi, maxime vero lib. 9. *De Trinitate,* cap. 4. et sequentibus, ubi tria illa, quæ in anima totidem divinis Personis respondent, ita sumit, ut sint *mens, amor,* et *notitiæ* ejus: vel ut ait ibidem capit. 11. *memoria, intelligentia, voluntas.* Hanc veritatem eleganter declarat S. Ambrosius in lib. 1. *De dignitate conditionis humanæ,* cap. 11. ubi cum præmisisset: *Sicut Deus unus semper ubique totus est, omnia vivificans, movens, et gubernans: sic anima in suo corpore ubique tota viget, vivificans, movens illud, et gubernans.* Deinde, *quod*

sicut Deus est, vivit, et sapit, ita anima secundum suum modum est, vivit et sapit. Tum eam subjicit, quæ ad Trinitatem propius attinet: *Nam licet unius illa naturæ, tres tamen in se dignitates habet, idest, intellectum, voluntatem, et memoriam. Quod idem, licet aliis verbis in Evangelio designatur, cum dicitur:* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua: *idest ex toto intellectu, et ex tota voluntate, et ex tota memoria. Nam sicut ex Patre generatur Filius, et ex Patre, Filioque procedit Spiritus sanctus: ita ex intellectu generatur voluntas, et ex his item ambobus procedit memoria, etc. Et sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus est; non tamen tres Dii sunt, sed unus Deus, tres habens personas: ita et anima intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animæ in uno corpore, sed una anima tres habens dignitates, atque in his tribus ejus imaginem mirabiliter gerit in sua natura noster interior homo.* — Hanc rationem aliter expendit S. Gregorius Nyssenus in quæstione de imagine Dei, affirmans animam nostram adumbrare divinam Trinitatem per facultates concupiscendi, ratiocinandi, atque irascendi: *ut per* concupiscendi *quidem facultatem charitate cum Deo conjungatur: per facultatem autem* ratiocinandi, *scientiam ab ipso excipiat, et sapientiam: per vim demum* irascendi, *nequitiæ spiritibus possit obsistere, atque in his tribus etiam illud,* ad imaginem Dei *adumbret, et exprimat. Tribus enim modis Deus in Trinitate tres partes administrat, et regit, cœlestia nimirum, et terrestria, atque subterranea, virtute quadam Conditoris, sua providentia, ac Judicis auctoritate: siquidem omnia, quæ Deus exequitur, uno ex his tribus modis perficit; aut tamquam Conditor, aut ut Proridens, aut ut Castigans.* Verum hæc explicatio potius metaphorica est et mystica, quam litteralis et ad genuinum Scripturæ sacræ sensum accommodata. Dicendum itaque animam nostram in eo divinæ Trinitatis imaginem referre, quod illa cum sit substantia spiritualis, incorruptibilis, et immortalis, divinam exprimat essentiam pariter spiritualem, et immortalem. Tribus autem suis facultatibus, nempe intellectu, voluntate, et memoria, Personarum Trinitatem refert. Non quidem quatenus præcise animæ facultates sunt; quoniam, inquit Doctor in 2. distinct. 16. quæst. unica numer. 20. illæ facultates ab anima, prout illius facultates sunt, non distinguuntur realiter, sed solum formaliter; adeoque ut sic non possunt exprimere tres Personas divinas realiter ab invicem distinctas; sed tantum eas divinas personas exprimunt, et adumbrant, quatenus nempe illæ ipsæ facultates sunt sub actibus *intelligendi, volendi,* et *memorandi.* Ita quod eadem ipsa anima, ut est principium productivum intellectionis, repræsentat *Patrem;* et ut intelligit, habetque in se verbum productum, repræsentat *Filium:* et denique ut habet amorem productum, repræsentat *Spiritum sanctum:* quia quemadmodum Spiritus sanctus præsupponit Patrem, et Filium, sine quibus nequit esse, et a quibus realiter distinguitur; sic amor nequit esse absque cognitione, et principio productivo cognitionis, quod est memoria fœcunda, nempe intellectus cum objecto sibi præsente.

Objicies 1. Imago repræsentans tres Personas Trinitatis debet esse perpetua in anima: sed facultates animæ non sunt perpetuo sub actibus suis realiter distinctis: ergo non repræsentant tres divinas Personas,

quatenus sunt sub illis actibus: ergo tantum eas repræsentant quatenus sunt facultates. — **Distinguit majorem Doctor** ibidem num. 21. Imago debet esse perpetua, quatenus consideratur formaliter, negat: quatenus consideratur fundamentaliter, et radicaliter, concedit: *Imago enim Trinitatis*, inquit, *non est complete in anima absolute considerata sub potentiis suis, nisi in radice: sed ut est sub actibus suis communitate suæ essentiæ repræsentat Trinitatem: et sic consistit imago in tribus realiter distinctis, non autem in potentiis, quæ realiter non distinguuntur.*

Objicies 2. Si imago Trinitatis non consisteret in potentiis realiter distinctis, maxime quia potentiæ non essent realiter distinctæ: sed ita sunt: ergo, etc. Probatur *minor:* si non essent sic distinctæ, sed identificatæ realiter, posset dici, quod intellectus esset voluntas: sed hoc est inconveniens; quia alias posset dici, quod intelligeremus per voluntatem, et vellemus per intellectum, quod est absurdum. — **Respondet** ibidem Doctor negando *minorem* cum *majore* probationis: nam licet ex realiter identificatis posset dici, quod unum sit realiter alterum; tamen non potest dici, quod unum sit alterum absolute, præsertim si unum, et alterum ponatur abstracte; unde quamvis animalitas identificetur homini, et sit de essentia ipsius, tamen non potest dici, homo est animalitas: ergo quandoquidem intellectus sit quid abstractum non concernens voluntatem formaliter; et voluntas sit quid abstractum non concernens intellectum, nequit dici, intellectus est voluntas.

Quæres: *An sit discrimen aliquod inter esse* imaginem, *et* ad imaginem Dei?

Respondeo, hanc esse sententiam quorumdam sanctorum Patrum, quod sôlus *Filius divinus* dicendus sit perfecta, et substantialis imago Dei: *Homo* vero ad imaginem, ita quod illud *ad* significet aliquem accessum hominis ad Deum, a quo tamen infinito distat intervallo. Sic S. Ambrosius in caput 22. Lucæ scribit: *Solus Christus est plena imago Dei, propter expressam in se paternæ claritudinis unitatem: Justus autem homo ad imaginem Dei est, si propter imitandam divinæ conversationis similitudinem, mundum hunc Dei cognitione contemnat.* Subscribit Clemens Alexandrinus: *Dei,* inquit, *imago Verbum ejus est, et mentis germanus Filius, divinum Verbum, luminis archetypum lumen: at imago Verbi est homo, vera mens, quæ est in homine; qui propterea ad imaginem, et similitudinem Dei factus dicitur, utpote qui cordis potentia divino assimilatus est Verbo, et eatenus rationalis.* — Hanc eamdem sententiam docuerat S. Augustinus in lib. 83. quæstionum 51. Verum hoc postea correxit in lib. 1. Retractationum c. 26. Quippe legerat apud sanctum Paulum prioris Epistolæ ad Corinth. cap. 11. virum appellari imaginem Dei, quod utique luculenter expendit lib. 7. *De Trinit.* cap. 6. *Sunt,* inquit, *qui ita distinguunt, ut imaginem velint esse* Filium; *hominem vero non* imaginem; *refellit autem eos Apostolus dicens,* vir quidem non debet velare caput, cum sit imago, et gloria Dei; *non dicit* ad imaginem, *sed* imago, *quæ tamen imago cum alibi dicatur* ad imaginem, non quasi ad Filium dicitur, quæ imago æqualis est Patri; *Alioquin non diceret ad imaginem no-*

stram, quomodo enim nostram, cum Filius solus Patris imago sit? Sed propter imparem, ut diximus, similitudinem dictus est homo ad imaginem; et ideo nostram, ut imago Trinitatis esset homo: non Trinitati æqualis, sicut Filius Patri; sed accedens, ut dictum est, quadam similitudine, sicut in distantibus significatur quædam vicinitas, non loci, sed cujusdam imitationis.

DISPUTATIO SECUNDA.

DE STATU NATURÆ INNOCENTIS.

Quod Judæis olim in captivitate Babylonica lugentibus, idipsum præsentiarum nobis accidit. Illi toties solvebantur in ejulatus, et fletus, quoties præsentium ærumnarum pondere gravati, dulcissimæ suæ Patriæ, et pristinæ felicitatis memoriam refricabant, dicebant enim: *Super flumina Babylonis illic sedimus, et flevimus dum recordaremur tui Sion.* Psalm. 136. Hæc eadem est hominum lugenda sors dum primævæ suæ innocentiæ, ejusque dulcissimi ac beatissimi status jacturam in mentem revocant; etenim quis talia fando temperet a lacrymis? *Homo cum in honore esset non intellexit; ideo comparatus est jumentis insipientibus, etc.* Quæ sic lugens expendit S. Bernardus serm. 35. in Cantica: *In quo honore quæris? Habitabat in Paradiso, et in loco voluptatis conversatio ejus. Nihil molestiæ, nihil indigentiæ sentiebat, et odoriferis stipatus malis, fulcitus floribus, gloria et honore coronatus, et constitutus super opera manuum Plasmatoris; magis autem ob insigne divinæ similitudinis præcellebat, et erat illi sors, et societas cum plebe Angelorum, et cum omni militia cœlestis exercitus. Sed mutavit istam gloriam Dei in similitudinem vituli comedentis fœnum... Heu tristis, et lacrimosa mutatio! ut homo Paradisi accola, terræ dominus, Cœli civis, domesticus Domini Sabaoth, frater beatorum Spirituum, et cœlestium cohæres Virtutum, repentina se conversione invenerit, et propter infirmitatem jacentem in stabulo, et propter pecorinam similitudinem indigentem fœno, et propter indomitam feritatem alligatum præsepio, sicut scriptum est: in chamo, et fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* — Verum quoniam elapsæ felicitatis etiam aliquando meminisse juvat; ideo non ingratum, nec injucundum erit, beatissimam illam Protoparentum innocentium sortem, hac in Disputatione retexere: quod utique præstabimus tribus in sequentibus Articulis, quorum *Primus* jucundissimum eorum domicilium, nempe *Paradisum terrestrem* delineabit: *Secundus* egregias eorum corporis, et animi nativas dotes referet: *Tertius* tandem eximia justitiæ, et gratiæ originalis privilegia recensebit.

ARTICULUS PRIMUS.

DE PARADISO TERRESTRI, PROTOPARENTUM INNOCENTIUM DOMICILIO.

« De Paradiso adoriundus sermo, (inquiebat S. Ambrosius lib. *De* « *eodem*, c. 1.) non mediocrem æstum nobis videtur incutere, quinam « sit Paradisus, et ubi, qualisve sit, investigare et explanare cupien- « tibus, maxime cum Apostolus, sive in corpore, sive extra corpus

« nesciat, *Quoniam raptus est in Paradisum, et audivit ineffabilia* « *verba, quæ non licet homini loqui.* Ergo si hujusmodi Paradisus est, « ut eum solus Paulus, aut vir aliquis Paulo similis cum in hac vita « degeret, videre potuerit, idem tamen sive in corpore, sive extra corpus « viderit meminisse non possit, audierit tantum verba, quibus prohi- « bitus sit vulgare, quod viderat: quo tandem modo Paradisi locum « poterimus absolvere, quem nec videre potuimus, et si potuissemus « videre, prohiberemur tamen aliis intimare? » — Verum quoniam Scriptura sacra illius existentiam nedum asserit, sed et delineationem effingit *Genesis* cap. 2. et 3., ideirco quidquid ex sanctis Patribus et gravioribus Auctoribus seligere poterimus, hoc in Articulo edicemus, resolvemusque *Primo,* quid sit ille Paradisus. *Secundo,* ubi situs sit. *Tertio,* quatenus sit, et qualis. *Quarto,* quibus præcipuis arboribus consitus fuerit. *Quinto,* an revera adhuc subsistat.

QUÆSTIO PRIMA.

QUID SIT PARADISUS TERRESTRIS.

Notandum 1. ✻ " Paradisi vocem deflexam esse, vel ab his vocibus græcis παρα et δεισως, quod a δενω *rigo* formatur, quasi *hortum irriguum* dixeris. Ita Suidas; cui concinit A. Gellius, lib. 7. cap. 20.: *Vicaria,* inquit, *quæ nunc vulgus dicit, sunt quos* νοσδεπαρας *Græci appellant.* Vel, quod verosimilius, a voce hebræa *pardes,* quæ significat locum amœnum, omnis generis fructiferis arboribus consitum, quo sensu usurpatur Cantic. 4. " ✻ *Emissiones tuæ Paradisus* (Hebraice *pardes*) *malorum punicorum;* et Ecclesiast. 2. Salomon ait: *Feci mihi hortos, et pardesim,* ubi Septuaginta vertunt *Paradisos, et Pomaria.* Unde Rabbi Kinchius in Radicibus Hebraicis ait: *Pardes est hortus consitus arboribus ad escam.* Quod etiam Latini usurpaverunt; nam Procopius lib. 2. *Belli Vandalici* ait: *Ibi Regia Principis Vandalorum sita erat, et omnium, quos ipse viderim, pulcherrimus* Paradisus; *nam et fontibus totus erat irriguus, et nemora undequaque virescebant: arbores autem pomis erant onustæ, adeo ut ipsi milites defixis late sub arboribus tentoriis, inde poma decerperent.* Nihilominus jam receptum est apud sacrorum Bibliorum Interpretes, quod *pardes* significat locum voluptatis, a radice *para,* idest fructificavit, et *habas,* idest myrtus; quasi dicas, *hortus myrtorum,* seu in quo fructificant myrti; *Myrtus* enim odore et sapore præ aliis arboribus recreat et excellit.

Notandum 2. Triplicem ex Scriptura sacra distingui posse Paradisum: primus quidem est *Terrestris,* de quo mox diximus, et plura dicturi sumus in sequentibus: secundus est *Cœlestis,* de quo Apocalypsis 2. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei.* Et S. Paulus 2. *ad Corinth.* c. 12. ait *se raptum in Paradisum:* quid autem nomine *Paradisi* intellexerit, prius dixerat ibidem versu 2. affirmans *se raptum usque ad tertium Cœlum:* idest, inquiunt aliqui sacri Interpretes, usque ad sedem Beatorum: triplex enim Cœlum distinguunt: *Aëreum* primum, quod aquas atque terram ambit: unde aves dicuntur, *volucres Cœli,* Psalmo 8. *Secundum* est Cœlum in orbes illos, quos Astrologi agnoscunt, divisum. *Tertium* demum, quod est sedes Beatorum, quod Cœlum Cœli dicitur. *Tertius* denique *Paradisus*

ille est, quem significavit Christus Dominus Lucæ 23. dum Latronem pœnitentem, et secum crucifixum alloquens, ait: *Hodie mecum eris in Paradiso;* idest, quieses a laboribus, et passionibus, donec in Cælum mecum subvectus æterna felicitate fruaris. — Vel aliter, Paradisus est triplex: *Primus,* corporeus in ordine naturæ: *Secundus,* spiritualis in ordine gratiæ: *Tertius,* divinus in ordine gloriæ. Primus pro Adamo: secundus pro Justis, quorum animæ virtutibus, quasi floribus refertæ, Deo deliciæ sunt: tertius denique pro Beatis.

Notandum 3. Ex S. Augustino lib. 8. *De Genes. ad litteram,* circa Paradisi terrestris entitatem, et veritatem, *tres quasi generales esse sententias: Una est eorum, qui tantummodo corporaliter Paradisum intelligi volunt: Alia eorum, qui spiritualiter tantum. Tertia eorum qui utroque modo Paradisum accipiunt; alias corporaliter, alias autem spiritualiter. Primæ sententiæ* sunt omnes pene Theologi Scholastici, et recentiores sacri Interpretes cum ipso S. Augustino, et nonnullis aliis sanctis Patribus. *Secunda sententia* fuit Origenis lib. 4. *Periarchon,* cap. 2. ubi plura coacervans exempla earum rerum quarum in Scriptura sacra non est quærenda vera et realis historica narratio, sed sola mystica et spiritualis intelligentia, inter ceteras Paradisum voluptatis collocavit, sic dicens: *Quis vero ita idiotes invenitur, ut putet, velut hominem quemdam agricolam, Deum plantasse in eo id lignum visibile et palpabile, ita ut corporalibus dentibus manducans, quis ex ea arbore vitam percipiat; et rursus ex alia manducans arbore, boni et mali scientiam capiat? Sed et illud, quod Deus post meridiem deambulare dicitur in Paradiso; et Adam latere sub arbore boni et mali; equidem nullum arbitror dubitare, quod figurali tropo hæc a Scriptura proferantur, quo per hæc quædam mystica indicentur. Tertia* denique *sententia* eorum est, qui litteralem Paradisi historiam admittentes, eam nihilominus in mysticum sensum traducunt ad interiores, et sublimiores quasdam rerum spiritualium et cælestium intelligentias assequendas, uti fecerunt plures e sanctis Patribus; maxime vero S. Augustinus lib. 13. *De Civit. Dei,* cap. 21. cum Allegoricam quamdam Paradisi expositionem commemorasset, subdit hæc verba: *Ista, et si quæ alia commodius dici possunt de intelligendo spiritualiter Paradiso, nemine prohibente dicantur, dum tamen, et illius historiæ veritas fidelissima rerum gestarum narratione commendata credatur.*

His prænotatis, tria sunt probanda: *Primum,* quod Paradisus sit locus corporeus; *Secundum,* quod non sit totus terrarum orbis: *Tertium,* quod non sit extra hunc nostrum terrenum orbem.

Conclusio prima. — Paradisus, quem descripsit Moyses, locus fuit visibilis, et corporeus, non vero pure spiritualis, et mysticus. Hæc est communis apud SS. Patres, qui idcirco *Origenem* erroris insimulant, quod litteralem Paradisi historiam suis allegoriis evertat. Unde Epiphanius in *Ancorato* scribit: *Ita multi de Paradiso allegorice disputant, ut furiosus Origenes adumbratam nescio, quam speciem pro veritate in mundum invexit:* et S. Hieronymus in *Epist.* 61. ad Pammachium inter octo errores Origenis sexto hunc loco recenset: *Quod sic Paradisum allegorizet, ut historiæ auferat veritatem, pro ar-*

boribus Angelos, pro fluminibus virtutes cœlestes intelligens, totamque Paradisi continentiam tropologica interpretatione subvertat. Unde S. Augustinus lib. *De hæresibus*, cap. 59. *Seleucianos*, et *Hermianos* inter Hæreticos reponit, quod Paradisum visibilem, et aspectabilem sustulerint.

Hæc aperte constabunt si verba Moysis de *Paradiso*, tum cap. 1. tum 2. *Genesis*, tantisper excutiamus. *Primo* namque ait, *Ipsum plantatum Oriente*, hoc est in Orientali parte mundi, quæ revera corporea est: ergo pariter corporeus, et sensibilis fuit Paradisus. *Secundo* ait: *Produxitque Dominus Deus* (in eo) *de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave; lignum etiam vitæ in medio Paradisi, lignumque scientiæ boni, et mali:* si Paradisi arbores de humo, seu de terra productæ sunt, quanam ratione non erunt corporeæ, et Paradisus non erit locus terrestris? *De humo* inquit, quid clarius? etc. *Tertio*, fluvium ait irrigasse totum Paradisum, nempe ut hortum irriguum, qui aquarum divergiis irrigari solet. *Quarto*, addit inde *dividi in quatuor flumina*, et Phison *circumire omnem terram Hevillath; ubi nascitur aurum, et aurum terræ illius optimum: ibi invenitur bdellium, et lapis onychinus.* Verum et reale igitur flumen illud Paradisi fuit, cujus unum brachium Phison vere, et corporee per terram Hevillath fluat, est sane in terra, et vere terram suis aquis alluit: aurum illud aspectabile est, et bdellium, et lapis onychinus, omnia corporea, et in terra Hevillath nascentia. *Quinto* asserit *Geon* circuire omnem terram Æthyopiæ. Hæc quidem corporea, et visibilis est. Omittimus de Tygri, et Euphrate dicere, quos veros et sensibiles fluvios esse, qui nolit credere, suo absque invidia fruatur ingenio. — Quod utique S. Chrysostomus luculenter urget Homil. 13. in *Genesim* scribens: *Ideo Moyses describens Paradisum, et nomen loci, in quo erat, scilicet* Hedem, *et plagam Orientalem, quam spectabat, et nomina fluminum e Paradiso egredientium fere nota omnibus, tam subtiliter et accurate enarravit, ut non liceret nugare volentibus decipere simpliciores, dicendo nullum fuisse in terra Paradisum, sed in Cælo, et alias fabulas, suaque somnia jactando. Nam si cum Moyses tantam in describendo Paradiso diligentiam posuerit, nihilominus tamen sacre nonnulli fabulantes, non fuisse super terram Paradisum, multaque alia a doctrina Moysis alienissima inducentes, et verba ejus aliorsum, quam dicta sunt detorquentes; quid futurum fuisset, si non tam minutatim, tam dilucide, denique tam enucleate Paradisum descripsisset?* Hæc S. Chrysostomus.

Probatur 2. Eo modo narratio Moysis de Paradiso est accipienda, quomodo accipietur ea, quam facit de peccato tum Evæ, tum Adami cap. 3. *Genesis:* sed hæc accipitur in sensu litterali, et proprio: ergo et illa. *Minor* constat. *Major* probatur: in hac proprietate sine dubio intelligenda sunt illa verba: *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave, lignum etiam vitæ in medio Paradisi, etc.* Quomodo cap. 3. dicitur: *Vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile, et tulit de fructibus illius, et comedit:* in utroque enim contextu fit mentio de *visu*, et *esu*, quæ sunt actiones corporeæ: sed constat posteriorem contextum non esse intelligendum metaphorice; alio-

quin omnia, quæ de peccato primi Parentis Ecclesia credit, falsa essent, et inania : unde S. Epiphanius in *Ancorato: Si non est Paradisus sensibilis*, inquit, *non est fons, non ficus, non folia, non comedit Eva, sed jam fabula est.* — Denique *Genesis* 13. vers. 10. comparatur Regio circa Jordanem in pulchritudine, et amœnitate Paradiso Domini, *Irrigabatur*, inquit, *sicut Paradisus Domini, et sicut Ægyptus venientibus in Segor:* sed inepta prorsus videretur comparatio illius regionis cum re spirituali et mystica, ut recte colligit S. Augustinus quæst. 27. in *Genesim:* ergo necessum est, quod Paradisus sit locus corporeus, sicut Ægyptus cui comparatur : *Conticescant ergo*, ut infert S. Hieronymus in caput 10. *Danielis*, vers. 4, *eorum deliramenta, qui umbras et imagines in veritate sequentes, ipsam conantur overtere veritatem, ut Paradisum, et flumina, et arbores putent allegoriæ legibus se debere subruere. — Confirmant* idem cæteri SS. Patres ; maxime vero sanctus Theophilus Antiochenus Episcopus lib. 2. ad Autolicum: *Condito*, inquit, *homine, Deus elegit regionem in locis Orientalibus, amœnitate eximiam, lumine coruscantem, et splendido aëre illustrem, plantis variis fœcundam, et in hac collocavit hominem..... Verum ut sciamus Paradisum esse terram, et super terram sculptum, docemur a Scriptura sacra, quæ inquit:* et plantavit Deus Paradisum in Edem, in regione Orientali : et in eo posuit hominem, et prodire fecit Deus ex terra omnem arborem pulchram visu, et bonam ad comedendum. *Quod igitur ait* ex terra, *et* in Orientali plaga, etc. *diserte nos docet Scriptura sacra Paradisum esse sub hoc Cælo, sub quo Oriens, et terra conspiciuntur.* Sanctus Methodius Olimpii Lyciæ Episcopus et Martyr, ex professo adversus Origenem, corporeum Paradisum suis allegoriis destruentem, ita disserit : *Primum enim Paradisus, unde in primo Parente ejecti sumus, ex hac terræ palam locus eximius est, ad jucundam quietem, et vitam meliorem Sanctis destinatus. Ab ipso Tygris, et Euphrates, et reliqui fluvii qui illic profunduntur ; hinc apparent fluviorum excursus in nostrum continentem inundantes: Non enim ex supernis de Cœlis effunduntur, ac eliduntur: nam neque sustinere potuisset terra ut tantam aquæ molem acervatim ex alto delabentem susciperet: neque Adam e Cœlis dejectus est, sed e Paradiso plantato in Edem juxta Orientem.* — Favet etiam sexta Synodus generalis *Constantinopolitana*, Actione 13. approbans Epistolam *Sophronii* recitatam Actione 11, in qua ipse Patriarcha Hierosolimitanus inter alios Origenistarum errores hunc etiam condemnabat, *quod extra paternam et Apostolicam traditionem Paradisi plantationem projecerit.*

Non diffiteor tamen hanc a Moyse de Paradiso factam narrationem, mysticum in sensum posse exponi, nam ut observat S. August. lib. 13. *De Civit. Dei*, cap. 21. *Nonnulli totum illum Paradisum, ubi primi homines fuisse dicuntur, ad intelligibilia referunt ; arboresque illas, et ligna fructifera, in virtutes vitæ, moresque convertunt : tamquam visibilia et corporalia illa non fuerint, sed intelligibilium significandorum causa, eo modo dicta, vel scripta sint. Quasi propterea non potuerit esse Paradisus corporalis, quia potest etiam spiritualis intelligi : tamquam ideo non fuerint duæ mulieres Agar, et Sara, et ex illis duo filii Abrahæ, unus de Ancilla, alius de Libera, quia duo Testamenta in eis figurata dicit Apostolus. Nemo itaque prohibet intelligi*

Paradisum, *vitam Beatorum :* quatuor *ejus* flumina, *quatuor virtutes, Prudentiam, Fortitudinem, Temperantiam, atque Justitiam* ; *et* ligna ejus, *omnes utiles disciplinas ; et lignorum* fructus, *mores piorum ; et* lignum vitæ, *ipsam bonorum omnium sapientiam ; et* lignum scientiæ boni, et mali, *transgressi mandati experimentum. — Possunt hæc etiam de* Ecclesia *intelligi, ut ea melius accipiamus, tamquam prophetica indicia præcedentia futurorum :* Paradisum *scilicet ipsam Ecclesiam, sicut de illa legitur in Cantico Canticorum;* quatuor *autem* Paradisi flumina, *quatuor Evangelia ;* ligna fructifera, *Sanctos ;* fructus *autem* eorum, *opera eorum ;* lignum vitæ, *Sanctum Sanctorum, utique Christum ;* lignum scientiæ boni, et mali, *proprium voluntatis arbitrium.* Inde concludit hæc: *Et si quæ alia commodius dici possunt de intelligendo spiritualiter Paradiso, nemine prohibente dicantur: dum tamen et illius historiæ veritas fidelissima rerum gestarum narratione credatur.*

Dices: Illa Moysis narratio plura complectitur, quæ nonnisi tropologice, et per metaphoram possunt accipi ; puta ambulatio Dei in Paradiso post meridiem : ergo pari ratione, quæ refert de Paradiso ipso, etiam metaphorice sunt intelligenda. — **Respondeo**, concesso *antecedente*, negando *consequentiam.* Aperte namque constat, deambulationem illam secundum sensum litteralem non posse accipi ; cum enim Deus corporis sit expers, etiam corporeæ deambulationis est incapax ; ideoque illa deambulatio litteraliter non posset usurpari, absque evidenti et manifesto absurdo : at tale absurdum non sequitur ex eo quod Paradisus dicatur aliquis locus corporeus et sensibilis, totaque de eo Mosaica narratio ad litteram usurpetur.

Dices 2: Paradisus terrestris, ille est in quem anima Christi Domini sese recepit in triduo mortis, et de quo Latroni pœnitenti Lucæ 23. dixit, *Hodie mecum eris in Paradiso:* sed locus ille, in quem anima Christi sese recepit, non fuit corporeus et sensibilis, talis enim locus animam pure spiritualem dedecet : ergo Paradisus ille non est locus aliquis corporeus. — **Nego majorem**; nam, ut dictum est in 2. *Notabili*, triplex in Scriptura sacra Paradisus distinguitur ; nempe *Cœlestis, Mysticus*, et *Terrenus ; Primus* est cælestis Patria, in qua beatæ mentes æterna Dei visione, et felicitate perfruuntur : *Secundus* est ipsa clara Dei visio, et summa quies ab omnibus laboribus et pressuris, ubicumque fiat, sive in Cælo, sive in terra, sive etiam in Limbo, in quem Christus ipse descendit, in triduo mortis : *Tertius* denique est amœnissimus ille locus, in quem Adamus innocens ab ipso suæ conditionis exordio a Deo deportatus fuit, et a quo per peccatum exulavit. De Paradiso mystico loquebatur Christus Lucæ, 23. non autem de terreno : adeoque vera certaque est nostra propositio, nempe Paradisum terrestrem, locum quemdam esse visibilem et corporeum. An autem sit locus specialis, aperiet

Conclusio secunda. — Nomine Paradisi Terrestris non intelligitur totus hic terrarum orbis quem incolimus, sed locus aliquis particularis in certa quadam hujus orbis regione constitutus. Hæc est contra plurimos Recentiores, maxime Pinedam lib. 1. *Monarchiæ Ecclesiasticæ*, cap. 6. Abrahamum Ortelium in *tabula sacræ Geografiæ*, et alios non inferioris nominis, qui volunt

Paradisum voluptatis a Moyse descriptum, esse totum hunc terrarum orbem, suæ conditionis initio omni pulchritudine, fertilitate, amœnitate, ac deliciis exuberantem : *Fontem* vero qui Paradisum alluebat, esse Oceanum, quem Homerus, et plerique Philosophorum, *Fluviorum omnium parentem*, *fontemque omnium maximum* appellarunt.

Patet hujusce conclusionis veritas ex ipsamet Mosaica narratione, qua constat *Primo*, Paradisum in Oriente fuisse plantatum : sed tota terra nedum ad Orientem, sed et ad Occasum, Aquilonem, et Meridiem, longe lateque diffusa spatiatur : ergo hæc non est Paradisus. — *Deinde* ex eodem constat, Deum e loco, in quo Adamum formaverat, ipsum in Paradisum deportasse, et postmodum in pœnam peccati a Paradiso ejecisse, constituisseque Cherubinum ipsius Paradisi custodem, ut ipsum Adamum, ipsiusque posteros, ab eo arceret : at non est verisimile Deum creasse Adamum extra hunc terrarum orbem, ut postmodum ipsum in illum deportaret : nec pariter credibile est eum ejecisse extra hunc mundum ; quippe illum in hac nostra terra habitasse, et in ea sepultum fuisse ex infra dicendis apertissime constabit. Nec denique ullatenus probabile fit Cherubinum constituisse circa totum hunc terrarum orbem, ne Adamus, aut ejus posteri in illum erumperent : ergo constat hanc Mosaicam de Paradiso historiam, nonnisi illusoriis, et fanaticis allegoriis ad universam terram posse deduci.

Dices 1 : Fluvius ille, qui egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, et qui inde dividitur in quatuor capita, non alius est quam Oceanus, ut affirmat sanctus Damascenus lib. 2. *De Fide orthodoxa*, cap. 9. iis verbis : *Est et Oceanus ut fluvius quidam circumdans totam terram ; de quo dixisse mihi videtur divina Scriptura, quod fluvius procedit de Paradiso, etc.* — **Nego majorem**; Fluvius enim ille Paradisinus egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum ; at Oceanus non egreditur de universo hoc terrarum orbe. *Deinde*, dividebatur tantum in quatuor flumina : Oceanus autem non solum in omnia flumina effunditur ; sed etiam in varios gurgites, et marium tractus exoneratur, et effluit ; adeoque pro illo Paradisino fonte non potest accipi.

Dices 2 : Paradisus fuit locus destinatus habitationi generis humani, omniumque Adami posterorum, si ille innocentiam conservasset ; unde *Philoxenus* Mobugæ Episcopus, Oratione de contemplatione ligni vitæ, sic scribit : *Paradisus prima fuit generis nostri habitatio : nam ut Angelorum sedes est Cœlum, dæmonum vero post ipsorum casum est aër, medio nimirum positus loco : Insuper animantium brutorum, et hominum, post violatam legem, hæc terra in qua versamur : denique piscium, et natatilium omnium aqua : Sic quoque destinatus fuerat Paradisus, ut esset hominum, priusquam peccassent, domicilium. Spreto autem Dei mandato, Adamus per ignominiam dejectus est in hanc terram peccato obnoxiam, ut in ea cum brutis pecudibus versaretur.* — Confirmat Moses Barcepha lib. *De Paradiso*, cap. 22. *Tria*, inquit, *loca condiderat Deus pro Adamo, Cœlum, Paradisum, et hanc quæ extra Paradisum est, terram. Morigero quidem præmium culti præcepti daretur regnum cœleste, in quod e Paradiso sustolleretur : Rebellis vero, atque prævaricator e Paradiso in hanc maledictam terram detruderetur : sed si Paradisus esset aliquis locus specialis in hoc terrarum orbe,*

non foret capax continendæ totius hominum multitudinis, qui in statu innocentiæ fuissent propagati: ergo necessum est, ut Paradisi nomine totus hic terrarum orbis intelligatur. — **Respondeo 1.** Verisimilius esse quod etiamsi originalis justitia humano generi constitisset, nihilominus homines innocentes terram quoque extra Paradisum incoluissent; tum quia cum diu vixissent homines, etiam innumera prole fuissent donati, ideoque ipsis omnibus locandis Paradisinus hortus, quamvis spaciosissimus, non fuisset sufficiens: tum quia, *Genesis* 1. versu 28. cum hominem masculum, et fœminam creasset Deus, *Benedixit illis, et ait: Crescite, et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam: et dominamini piscibus maris, et volatilibus Cœli, et universis animantibus, quæ moventur super terram. Dixitque Deus. Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram.* Quibus maxime tria Deus hominibus indicit: *Primo* quidem ut repleant terram, et eam subjiciant: *Secundo*, ut dominentur omnibus animantibus quæ moventur super terram: *Tertio*, ut in escam assumerent fructus omnium arborum, omnemque herbam, quæ per universum orbem germinabat. Quibus liquet, homines a Deo creatos ut essent accolæ, non unius dumtaxat Paradisi, sed etiam totius terrarum orbis, etiamsi innocentia stetisset.— Ad prætatas auctoritates dico, ex iis quidem inferri homines innocentes in Paradiso victuros: verum nihil evincitur contra Conclusionem nostram, nempe, quod Paradisus sit aliquis locus particularis, non autem totus hic terrarum orbis; id enim Auctor uterque conceptis verbis exprimit.

Conclusio tertia. — PARADISUS TERRESTRIS NON FUIT EXTRA HUNC TOTUM TERRARUM ORBEM CONSTITUTUS. Hæc aperte sequitur ex dictis in præcedentibus, et colligitur

Primo ex ipsamet Scriptura sacra, quæ sufficienter indicat Adamum in hoc nostro terrarum orbe conditum, et a Paradiso pulsum, in eo vixisse ac sepultum fuisse: non est autem verisimile ipsum fuisse deportatum in alterum orbem, ut innocens ibi maneret, et a quo perduellis pulsus, in nostrum orbem denuo deportaretur.

Deinde, nota sunt in nostro orbe ingentia illa duo flumina *Tygris*, et *Euphrates*, quæ ex Paradisino fonte emanare Moyses affirmat: non est autem credibile fluvios illos sub mare ferri, atque in hac demum, quam nos habitamus, terra prodire: clarum est igitur Paradisum in hoc nostro terrarum orbe fuisse conditum.

Denique, nullus est e sanctis Patribus, et Antiquioribus scriptoribus, qui adversæ sententiæ subscribat, adeoque si quis eam propugnare contenderet, ut novi figmenti commentator esset ablegandus.

DICES: Moses Bar-Cepha lib. *De Paradiso*, cap. 9. affirmat, terram in qua Paradisus constitutus fuit, non solum altiorem esse ea quam nos colimus, sed etiam ab ea prorsus distinctam, et disjunctam per ingens illud mare, quod terram nostram cingit, et alluit. Quam sententiam refert ex sancto Ephrem dicente, Paradisum universam ambire terram, atque ultra Oceanum ita positum esse, ut totum terrarum orbem ab omni circundet regione, non aliter atque Lunæ orbis ipsam Lunam cingit; subditque Moses cap. 14. quod qui censent Paradisum ultra Oceanum esse positum, etiam affirmant primos homines ex illa

Paradisi affini terra in hanc nostram per vadosum mare pedibus commeasse, cum essent staturæ procerissimæ, etc. Ergo hæc sententia ab Auctoribus non ignoti nominis propugnatur. — **Respondeo**, Mosem Bar-Cepham in præfato illo libro omnes quotquot vulgabantur tam serias quam ludricas de Paradiso opiniones collegisse, nec tamen eas omnes probasse; ideoque exinde sententiæ illi, quæ Conclusionis nostræ veritati opponitur, nihil patrocinii accedit. Ad id autem, quod refert sanctus Ephrem, *Respondeo* illud in ejus operibus quæ Vossius e Græco in Latinum vertit, et edidit, non reperiri. Quod si ita censuerit sanctus Ephrem, dico eum per *terram ultra Oceanum*, forte novum orbem Americæ designasse: certum enim est aliam Africam, et Europam pene omni ex parte Oceano allui: et ultra Oceanum jacere immensam illam novi orbis continentem terram nondum satis ab omni latere apertam, et perlustratam. Minus enim paradoxum erit censuisse sanctum Ephrem Paradisum in America plantatum, quam in alia terra ultra Oceanum, et Americam, seu novum orbem.

QUÆSTIO SECUNDA.

QUIS, ET QUALIS SIT PARADISI TERRESTRIS SITUS.

Notandum 1. ✻ "Multiplicem esse de situ Paradisi auctorum sententiam; eruditus enim Henricus Valesius in notis ad caput 5. orationis Constantini ad sanctorum cœtum producit Stephanum Gobarum scribentem Paradisum, in quo constitutus fuit Adamus, extitisse in tertio cælo, et quod arbores quæ illic sunt, intellectu et scientia sint præditæ, quodque Adamus post transgressionem suam, illinc in terram fuerit dejectus. Cui opinioni favere videtur Tertullianus in libro *De patientia*, ubi de Adamo scribit: *Innocens erat, et Deo de proximo amicus, et Paradisi colonus. At ubi semel succidit impatientiæ, desivit Deo sapere, desivit cœlestia sustinere posse. Exinde homo terræ datus, et ab oculis Dei dejectus.* Similiter Origenes, referente Methodio in libro *De resurrectione*, collocavit Paradisum, cujus incola fuit Adamus, in tertio cælo. Quibus præiverat Valentinus, eadem quæ postmodum Gomarus de Paradisi situ cælesti et arboribus intelligentia præditis delirans, teste S. Irenæo, lib. 1. — Non defuerunt etiam qui e diametro oppositam opinionem excogitantes, teste Maresio, syllog. disp. parte secunda, ausi sunt asserere infra terram hortum hunc amœnum, in quo constitutus fuerat Adamus innocens, esse statuendum, Paradisum, quo Christus migraturum sese cum latrone edixerat, cum inferno confundentes. Cujus opinionis assertorem facit etiam doctissimum Grotium, sed perperam et absque ullo fundamento, ut clare demonstrat Guillelmus Saldenus, lib. 2. Exercit. 2. — Tertia sententia eorum est qui affirmant Paradisum Adamicum fuisse omni terra excelliorem et cælo proximum. Ita Rupertus, lib. 2. *De Trinitate*, cap. 21. et alii quidam apud S. Damascenum, lib. 2, *De fide*, cap. 11, quibus favere videtur S. Basilius, Homilia de Paradiso, ubi scribit: " ✻ *Paradisus locus erat deliciis affluens omnem creaturæ sensibilis exsuperans pulchritudinem*; *sublimitate loci in quo erat, nulla sui parte tenebras admittens: sed exoriuntium siderum splendore semper illustratus, in quo nulla erat vel modica ventorum vis, nulla tempestatum procella,*

nullus hyemis horror, non nimia veris humiditas, non torrens æstatis ardor, non molesta, et noxia Autumni siccitas : sed temperata, pacifica omnium temporum in se consonantia, etc. — E contra aliqui cum Pererio, lib. 3. in *Genesim*, Disputatione de Paradiso, quæst. 2. existimant esse probabilius, Paradisum in planicie aliqua situm esse : tum quia altitudo nimia sanitati adversatur, ob siderum et elementi ignis vicinitatem : tum etiam quia demissiora loca, uberiora sunt, et fertiliora. — *Ultima* denique sententia inter has extremitates media, contendit Paradisum neque ita esse demissum, ut in planicie aliqua jaceat, neque ita sublimatum, ut altiores montes transcendat : sed in suprema hujus infimæ regionis aëris parte positum esse et in terra constitutum.

Notandum 2. Constans esse exploratumque apud antiquos Ecclesiæ Patres, Paradisum in Oriente esse plantatum, quod utique ex ipsa Scriptura colligunt ; ubi enim vulgatus noster vertit, *Plantavit autem Dominus Deus Paradisum voluptatis ab initio,* Septuaginta scripserunt *in Edem ad Orientem ;* vox enim Hebraica *Edem,* tam de tempore quam de loco potest accipi, ut significet, vel *Orientem* vel *anterius tempus,* seu ipsum rerum exordium. Unde Græci Patres omnes, et plurimi ex Latinis secuti Septuaginta, Paradisum ad Orientem plantatum affirmant ; docentque inde manasse morem, cur Judæi ad Austrum, nos vero Christiani ad Orientem conversi, adoremus ; ut nempe eo respectantes, veterem patriam suspiremus, *Audiant fideles,* inquit S. Athanasius quæstione 37. ad Antiochum, *et discant quod sancti Apostoli Christianorum Ecclesias, ideo jusserant ad Orientem versus suas fundere preces, ut ad Paradisum unde excideramus respicientes, suppliciter a Deo petamus, et a nostro Domino, ut in antiquam nos patriam, et locum unde excidimus nos restituere velit.* Ad Austrum vero intendere, Judæis Prophetæ præceperunt, quod ex *Austro* quoad Jerusalem scilicet, et Bethleem, nasciturus erat Dominus ; ideo dixit Propheta, *Deus ab Austro veniet ;* ut accurate expendunt Bellarminus lib. 3. *De beatitudine Sanctorum,* cap. 3. et Baronius, tomo 1. ad annum 58. n. 106. Sunt etiam qui hinc constare existiment, Paradisum esse in Oriente ; quia qui sacras ædes aut templa construere volunt, altaria ad Orientem spectantia fabricant, quasi Deus versus eam mundi partem debeat adorari, in qua primitus homines suæ Divinitatis cultores, et adoratores constituerat. — Hujus autem Paradisini situs Orientalis hanc rationem profert *S. Thomas,* 1. p. q. 102. art. 1. quod cum Oriens sit dextera Cæli, ut patet per Philosophum 2. *De Cœlo :* dextera autem sit nobilior sinistra, conveniens fuit ut Paradisus omnium locorum præstantissimus, in Oriente firmaretur. Aliam subdit *Severus* in catena Græca in Genesim: *Præmonens,* inquit, *quod futurum erat Deus; hominem ibi primum habitare voluit, unde principium lucis exoriretur. Nam quemadmodum sidera ab ortu tendentia ad occasum rursus apparent : sic et hominem oportebat a vita properare ad mortem, et occidere, rursusque renasci per resurrectionem ex mortuis.*

Notandum 3. Quod cum Paradisus dicitur plantatus ad Orientem, non modicam inter graviores Auctores moveri controversiam, quonam pacto illud *ad Orientem* sit accipiendum. Jam tamen communior graviorum Auctorum sententia prævaluit, id esse intelligendum de parte Orientali, Mesopotamiæ regione ; non quidem universa, sed in *Edem,*

quæ illius regionis erat pars Orientalis. Omnes enim regiones quæ eis sinum Persicum jacent, in Scriptura sacra Orientis nomine solent nuncupari, puta *Persia*, *Arabia*, *Chaldea*, *Mesopotamia*, quæ omnes respectu Terræ sanctæ, Orientales sunt. Sic Jobi 1. v. 3. *De Jobo* dicitur, *Erat vir magnus inter omnes Orientales;* manebat autem in terra *Hus*, quæ in confinibus Idumeæ, et Arabiæ desertæ jacebat; juxta illud Threnor. 4. *Gaude, et lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus.* Similiter Geneseos 29. legimus: *Profectus ergo Jacob venit in terram Orientalem:* et ibidem, ac cap. sequenti dicitur, *venisse in Mesopotamiam,* ubi erat Laban ejus Avunculus. Insuper Balaam Num. 23. ait: *De Aram adduxit me Barac Rex Moabitarum de montibus Orientis,* idest de Mesopotamia; nam Moyses *Deut.* 23. ait: *Conduxerunt Moabitæ contra te Balaam filium Beor de Mesopotamia Syriæ ut malediceret tibi.*

His omnibus constat revera Mesopotamiam esse Orientalem respectu Judææ. An autem revera in aliqua Mesopotamiæ parte conditus fuerit Paradisus terrestris, non ita conveniunt Auctores: affirmant enim aliqui, negant autem alii, admittentes quidem Paradisum in Oriente constitutum, non solum respectu Judææ, sed respectu totius mundi: quo autem in loco, prorsus ignotum esse contendunt. Quocirca duo præcipue hic veniunt determinanda: *Primum* quidem qualis fuerit Paradisinus situs, an sublimis, an depressus. *Secundum,* quanam in mundi parte sit stabilitus.

Conclusio prima. — PARADISUS NEQUE ITA DEPRESSUS EST, UT IN PLANITIE ALIQUA JACEAT: NEC ITA SUBLIMIS, UT AD SECUNDAM AËRIS REGIONEM EXCEDAT.

Probatur prima pars, primo quidem auctoritate sanctorum Patrum, qui in hoc omnes pene conveniunt, Paradisi situm tantæ esse sublimitatis, ut nullas tenebras, nullasque tempestatum procellas patiatur: quorum duplex fundamentum est. Primum quidem, quia e Paradiso quatuor effluunt ingentia illa flumina, quibus universa terra irrigatur: unde Moses Bar-Cepha lib. *De Paradiso,* cap. 9. ita scribit: Illud insuper asserimus, eam terram, in qua est Paradisus, altiorem multo, sublimioremque existere hac quam nos colimus; id enim ita se habere indicio sunt quatuor illa ingentia flumina, quæ orta in Paradisi terra per hanc nostram ab illa diversam feruntur: nisi enim illa terra altior staret, fieri non posset ut illa flumina universam terram irrigarent. — Secundum fundamentum est, quia Paradisus debuit esse locus saluberrimus, subindeque liber a ventorum procellis, et crassioribus terræ vaporibus; adeoque in altiori quodam loco quam sit hæc nostra communis habitatio constitui debuit: unde Tertullianus lib. *De Judicio Domini,* c. 8. sic canit:

Lux ubi clara nitens, spiratque salubrior aura,
Æternusque dies, atque immutabile tempus.
Est secreta Deo regio ditissima campis,
Atque beata nimis, sudæque in cardine sedis,
Aër læsus ibi semperque luce futurus
Lenis, et aspirans vitalia flamina ventus.

Probatur secunda pars. nempe, quod Paradisus in editissimis quibusvis aliis montibus sublimiori non fuerit collocatus ; tum quia, ut recte infert Pererius, lib. 3. in *Genesim*, qu. 2. necnon *Maluenda* cap. 13. locus adeo sublimis, nec salubris est, nec hominum habitationi accommodatus: tertia namque aëris Regio patitur nimiam siccitatem, ingentem ardorem, continuam agitationem, ex vicinia elementi ignis, et raptu Cælorum, necnon et ex multitudine corporum ardentium, puta Cometæ, qui in ea regione formantur, et accenduntur. *Deinde*, nullus ibi flat suavis et refrigerans ventus, nullo rore solaris æstus temperatur, nulla fluminum et fontium scaturigo, nullus herbarum viror, nullus suavis florum nitor; nulla denique fructuum esse potest jucunda suavitas et salubritas. *Denique* aër juxta supremam regionem nedum valde tenuis est, siccus et calidus, subindeque hominum respirationi, et cordis refrigerationi minime conveniens ; sed et ita insalubris, ut mortem ipsam sorbere videantur qui aliquid ejus aspirant. Unus nobis erit hujusce veritatis testis oculatus, et expertus, Pater a Costa lib. 3. *Indicæ historiæ*, cap. 9. ubi ait: « Est in Peru al-« tissimus mons *Periacaca :* audieram sæpius sævam stomachi jactatio-« nem celsa ejus juga superantibus incidere : antidotis me valide præ-« munieram, cessere tamen incassum, nec præsens incommodum potui « prævertere. Verticem ac summa tenueram, scalas vocant, tam diro « de repente angore sum correptus, ut pene de jumento provolverer. « Sensus doloris erat acerbissimus, quisque e comitibus celeri fuga « sibi consulerat certum mortis discrimen evasurus. Relictus cum Indo « famulo cum enixe rogabam ut me manibus sustineret ne e jumento, « cui vix mentis compos hærebam, præceps in terram allideret. Secutæ « sunt mox capitis oculorumque vertigines, fœdæ nauseæ, ingentes « vomitus quibus magnam flavæ atræque bilis vim cum toto semidi-« gesto cibo adeo violento nisu projeci, ut sanguinem quoque reje-« ctarem : credideram jam de me actum ; sed descendens ex immani « illa altitudine ad inferiora, et mitiora loca, Dei benignitate, cœpit « dolor tantisper remittere. Offendi socios adeo ex repentino morbo « confractos ut quidam eorum jam sibi supremam horam affore putan-« tes, sacram exomologesim maximis vocibus efflagitarent: alii e ju-« mentis se dejicere ; vomitu alvique fluore pene deplorati, nonnulli « rabie doloris amentes corpora solo allidere, projectare, tristique ro-« boatu fremere. Accepi quosdam eo in tormento animas efflavisse. « Perpetuus ille montium Peruanorum tractus pars Andium, ad quin-« gentas leucas in Austrum excurrens, quacumque in vertice trajicitur « illa stomachi dira tormina mirabili operatione ciet, ipse quater di-« versis locis celsissima illa juga superans, gravi semper sum affectus « incommodo. Eodem quoque affligi eos, qui montes illos pervadunt, « certissimum est. Porro trucis mali causam, aërem esse tenuissimum, « ac subtilissimum, qui incredibili efficacitate viscera, et interiora « omnia pervadat, agitet, pervolvat, rerum periti affirmant; nec enim « potentius remedium ad præsens damnum arcendum hactenus reper-« tum quam corpusculum multo vestium integumento undique fulcire: « non dubitem eos montes omnium totius orbis esse altissimos, quibu-« scum nec Alpes, nec Pirenæi ullo pacto comparari possint. Est ibi « aër adeo subtilis, ut humanæ respirationi, quæ illum trahat ac red-

« dat, non sit aptus, cum ea spissiorem desideret spiritum. Deserta « sunt omnia ad triginta leucarum spatia : nulli mortales, animantia « nulla illis in locis degunt : herbæ virulento aëre exustæ, tristi pror- « sus ac maligna Cæli solique facie. » Hæc et alia Pater a Costa, ex quibus illud quoque inferimus, locum terræ quo altiorem, eo insalubriorem, et incommodiorem victuris hominibus esse.

Confirmat S. Augustinus lib. 3. *De Genesi ad litteram*, cap. 2. dicens: « *Etiamsi verum dixit quidam sæcularium Poetarum*, nubes excedit « Olympus, et pacem summa tenent ; *quia perhibetur in Olympi vertice* « aër esse tam tenuis, ut neque nubibus obumbretur, neque turbetur « vento, neque sustentare alites possit, neque ipsos qui forte ascen- « derint homines, crassioris auræ spiritu alere, sicut in isto aëre con- « sueverunt : unde qui illius montis verticem subeunt, vel sacrificandi, « vel inspiciendorum siderum causa, ferre secum solent spongias ple- « nas aqua, unde sugent identidem humorem ad refrigerandum cor ; « aliter enim, ob summam illius aëris tenuitatem et siccitatem, vivere « non possent. » Hæc S. Augustinus.

Deinde, si tanta esset Paradisi sublimitas, ut usque ad Lunæ globum pertingeret, ab aliqua regione conspiceretur : insuper, vel nobis, vel Antipodis nostris, aliquando Solis aut Lunæ conspectum eriperet, præsertim cum ad Orientem situs esse credatur. *Addunt* aliqui, quod si adeo excelsus esset ac sublimis, ut esset facilis ascensus ejus, oporteret basim seu fundamentum illius occupare totam fere terram, ut paulatim decresceret, et suavem ascensum præberet hominibus ex aliis terræ partibus, ad illum conscendentibus, si nempe felicissimus innocentiæ status perseverasset ; ut facile patebit consideranti proportionem necessario servandam inter cacumen montis, et extensionem radicum ejus.

Objicies 1. Quo montes sunt altiores eo uberiores sunt, et floribus ac fructibus feraciores : ergo in altissimi cujusdam montis vertice locari debuit hortus ille voluptatis, et deliciarum. Probatur *antecedens* de monte Atlante, de quo sic scribit Solinus in *Polyhistore*, cap. 27. per Autololum gentem iter est in Atlanticas solitudines : *Atlas*, mons e media arenarum consurgens vastitate, et eductus in viciniam Lunaris circuli, ultra nubila caput condit. Qua ad Oceanum extenditur, cui a se nomen dedit, manat fontibus, nemoribus inhorrescit, rupibus asperatur, squalet veluti jejunio, humo nuda, nec herbida. Qua Africam contra versus est, opimus nascentibus sponte frugibus, arboribus proceris opacissimus, quarum odor gravis, comæ Cupressi similes, vestiuntur lanugine, sericis velleribus nihilo viliore. In eo latere, et herba Euphorbia copiosa, cujus succus proficit ad ocularium claritatem, et multiplex præsidium sanitatis, nec mediocriter percellit vim venenorum. Vertex semper nivalis, saltus ejus quadrupedes ac serpentes feræ, et cum his Elephanti occuparunt. Idipsum de monte *Atho* Macedoniæ, seu Thraciæ monte, idem Solinus narrat c. 17. *Polyhist.* Et sane *Athos* sublimis adeo, ut altior æstimetur, quam unde imbres cadunt, quæ opinio ex eo fidem concepit, quod in aris quas cacumine sustinet, numquam cineres elevantur, nec quidquam ex aggeribus suis perdunt ; sed quo relicti fuerint cumulo permanent. In summo oppidum *Achrothon* fuit, in quo dimidio longior quam in aliis terris incolentium ætas

prorogabatur, ideo inde homines *Mocrobios* Græci, nostri appellavere *longævos*. — **Respondeo,** hæc a præfatis Auctoribus potius ex Poetarum fabulis quam experientia, aut fide dignis Cosmographis scripta et narrata fuisse : etenim nec montes illi adeo sublimes sunt, ut vel mediam aëris regionem excedant, vel ad supremam pertingant, cujus signum est manifestum, quod montis Atlantis vertex nivibus semper operiatur : est igitur infra supremam aëris regionem, et solum ad initium mediæ sublimatur. Adde quod si montes illi mediam aëris regionem, vel etiam supremam occuparent, forent non solum insalubres, sed etiam prorsus inhabitabiles homini ; siquidem media regio nimio frigore stringit, et nivium, ac nubium parens est : suprema vero propter viciniam elementi ignis, necnon et propter Cæli vertiginem mirum in modum calescit, ac volubilis est : ergo tantum abest, ut homines ibi salubriter, et diu vivere potuissent, imo ne brevi quidem tempore vita incolumem ibi agere liceret.

Objicies 2. Ea debuit esse Paradisini situs sublimitas, ut ad eum pertingere non potuerit exitialis diluvii inundatio, sed illa altius ascendit, quam communes quique montes sublimentur : ergo necessum fuit, ut Paradisus in omnium montium celsissimo locatus fuerit. — **Respondet** Doctor in 2. *dist.* 17. *qu.* 2. quod sicut diluvium generale non naturali rerum occursu, sed miraculo divinitus accidit ; ita quoque miraculo factum est, ut Paradisus a diluvii exitio servaretur. Adde quod ex *Genesi*, cap. 7. *Aquæ prævaluerunt nimis super terram : operti-que sunt omnes montes excelsi sub universo cœlo : quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat.* Ergo hac ratione Paradisus non debuit celsissimo in monte locari ; cum enim diluvii inundatio omnes operuerit montes, qui sub cælo sunt, etiam et eum in quo locatus esset Paradisus operuisset. Quod si ab illa generali sententia necessario putent excipiendum esse Paradisum, nulla ergo ratio suadet propter aquas diluvii tantæ sublimitatis Paradisum facere. Quantum autem ad Sanctos Patres Paradiso altitudinem cælo proximam tribuentes, dico cum sancto Thoma 1. *par. qu.* 2. *artic.* 1. eos hyperbolico, vel metaphorico sermone usos, nec aliud voluisse quam significare sublimem excellentemque Paradisi pulchritudinem, et amœnitatem, omnem aliam terrestrem longe excellentem, ac cælesti beatitudini ferme proximam, et consimilem.

Conclusio secunda. — Probabile est Paradisum terrestrem in confinibus Mesopotamiæ et Arabiæ Orientalis, non multum a Chaldæa et Syria Damascena consitum fuisse : ita quod *ab Oriente* habuerit eam Persidis partem, quæ tendit in Parthiam : *a Meridie* Sinum Persicum, et Arabiam Orientalem : *ab Aquilone* Assyriam, ac plagam versus Babylonem, et Seleuciam : *ab Occasu* Chaldæam, et Syriam Damascenam, ac plagam versus Judæam. Hæc est communior inter Recentiores, eamque pluribus probant Sixtus Senensis lib. 5. *Bibliothecæ,* annotatione 31. Genebrardus lib. 1. *Chronographiæ*. Pererius lib. 3. in *Genesim,* n. 122. Maldonatus in 27. Matth. vers. 44. Cornelius in secundum caput *Genesis,* etc. hancque sententiam plurimis rationibus

Probant: *Primo* quidem, quia Scriptura sacra diserte indicat Para-

disum constitutum in Edem, ubi enim Vulgata nostra habet: *Plantaverat autem Deus paradisum voluptatis,* Hebraica fert, *plantaverat Deus Paradisum in Edem:* sed Edem in Syriæ, vel Mesopotamiæ finibus fuisse ex eadem Scriptura sacra colligitur, 4. *Regum* cap. 19. v. 12. ubi superbus Sennacherib sic loquitur: *Numquid liberaverunt dii gentium singulos quos vastaverunt patres mei, Gosam videlicet, et Haram, et Reseph, et filios Edem qui erant in Thelassar?* Quibus aperte *Eden* nomen esse regionis significatur; siquidem cum Gosana, Haram, et Reseph, utpote vicinis atque confinibus locis jungitur. *Gosan* enim, inquiunt Eusebius et S. Hieronymus, in regione Emath est in finibus Damasci; putantque illam esse Gausanitidem regionem quam Fluvius Chabores ab Acrabenæ Mesopotamiæ finibus disterminat. Similiter *Reseph* iidem affirmant esse civitatem Syriæ, existimantque eam esse Ritzipha, quam Ptolomeus in Mesopotamia collocat; certum est enim Mesopotamiam sub Syria comprehendi. De *Thelassar* autem ajunt illam esse Syriæ regionem, vel Mesopotamiæ, postea Seleuciam nominatam: ergo revera Eden in Syria, vel Mesopotamia erat. Sed Moyses asserit Paradisum fuisse consitum in Edem; igitur in Syria, vel Mesopotamia Paradisus consitus erat. — *Confirmatur* ex illo Ezechielis c. 27. v. 23. *Haran, et Chene, et Eden negotiatores tui. Haram* autem est illa celebrata Charram, vel Haran, quam incoluit Abraham, et in qua ejus pater Thare vita functus est, ut constat *Gen.* 11. v. 31. et *Actorum* 7. v. 2. de qua Eusebius, et S. Hieronymus in locis Hebraicis hæc scribunt: *Charram civitas est Mesopotamiæ trans Edessam, quæ usque hodie Charra dicitur, ubi Romanus cæsus est exercitus, et Crassus dux captus:* sed Charram urbem fuisse Mesopotamiæ, non solum Moyses, et S. Stephanus locis laudatis indicant; at etiam affirmat Plutarchus in *Vita Crassi*, et Strabo lib. 16. *De situ orbis:* ergo cum Scriptura sacra dicat Eden non longe a Charris abfuisse, et eadem Scriptura doceat *Charras* in Syria, vel Mesopotamia fuisse; cunctique Scriptores idipsum adstruant; rursumque sacer Moyses affirmet Paradisum in *Eden* plantatum, ineluctabili evincitur consecutione, in confinibus Mesopotamiæ, et Arabiæ Orientalis, non multum a Chaldæa, et Syria Damascena dissitis, Paradisum conditum fuisse.

Confirmatur insuper ex illo *Genesis* 4. Vers. 16. *Egressusque Cain a facie Domini habitavit profugus in terra ad orientalem plagam* Eden; quibus *Eden* haud dubie nomen proprium Regionis est: at verisimile est Cainum una cum patre suo habitasse non ita longe ab ea regione, in qua consitus erat Paradisus terrestris: existimant enim nonnulli cum Genebrardo lib. 1. *Chronographiæ* Cainum profugum a loco ubi Adam cum cœtu piorum morabatur, demigrasse Orientem versus ultra Mesopotamiæ Eden, ubi erat Paradisus, atque in ea regione, quæ ipsi Eden, seu paradiso erat Orientalis, consedisse. Nimirum, ajunt, Cainum cum posteritate incoluisse Assyriam, vel ejusmodi aliam regionem trans Tigrim, et Euphratem, quæ ipsi Mesopotamiæ, seu Horto Eden esset Orientalis: cum Adam, Seth, et alii veri Deicolæ, in quibus erat Ecclesia, Syriam, et vicinas regiones cis Euphratem, quæ ipsi Mesopotamiæ, et Paradiso Eden essent occidentales, inhabitaverint; sicque Hortum Eden medium inter utrosque fuisse, et hos ab illis disterminasse. *Nec refert* quod Vulgatus noster scripserit, *Paradisum voluptа-*

tis, pro *Paradiso in Eden*, quasi *Eden* non esset nomen proprium loci, in quo Paradisus fuit conditus; sed tantum appellativum, significans locum omnifaria voluptate refertum; unde S. Augustinus lib. 8. *De Genesi ad litteram*, cap. 7. legit *Paradisum in deliciis:* et Severianus quamvis Græcus, *Eden* etiam interpretatur *deliciæ:* quasi dicat, *plantavit Paradisum in voluptate, vel deliciis*, hoc est, in loco voluptatem spirante. Hoc, inquam, non refert, nam septuaginta Interpretes *Eden* nomen proprium loci interpretati sunt; et cum ipsis concinunt nedum plurimi Patres, tam Græci, quam Latini, sed etiam plerique Hebræi: quos in longum refert, et laudat *Malvenda* lib. *De Parad.*, c. 18. unus autem sufficiat nobis Moses Bar-Cepha lib. 1. *De Parad.*, c. 21. *Diximus*, inquit, *Eden esse regionem spaciosam, amplam, amœnam, variam: Paradisum vero locum esse pulchris, fructuosis, præstantibus, laudabilibusque arboribus præ quibusvis aliis in tota* Eden *locis ornatum. Paradisum enim ejus regionis, quæ* Eden *dicitur, partem esse inter alias omnium præstantissimam, laudabilissimam, atque cultoribus suis commodissimam.* Cui subscribunt Eusebius, et S. Hieronymus, qui cum Hebraica loca urbium, et regionum describunt, de *Eden* tanquam de loco peculiari, ubi esset Paradisus, ajunt, Eden *sacer Paradisi locus ad Orientem, quod in voluptatem, deliciasque transfertur.*

Probatur 2. Ex ubertate regionis Mesopotamicæ, quæ tantis Cosmographorum encomiis celebratur, ut omnes alias terræ plagas fructuum suavitate, omnisque generis deliciis, variis etiam naturæ dotibus longe antecellere videatur, ut referunt Strabo, et Curtius lib. 5. etc.; quod certe indicium est, in hac regione potissimum esse Paradisum constitutum, cujus nempe ubertas in viciniorem plagam refluebat, et redundabat.

Tertio. Paradisus non adeo longe dissitus fuisse videtur a Judæa, siquidem verisimile est primos parentes Paradiso ejectos, non longa terrarum spacia peragrasse, sed ubi primum terram humanæ habitationi commodam invenerunt, ibi substitisse, domiciliumque locasse: at certum est Adamum in terra Judæa, aut sane Chaldæa vixisse, ac diem clausisse postremum; nam et sepulchrum ejus in terra sancta extitit, ut infra probabitur: ergo non longe a Palestina, aut Chaldæa aberat Paradisus: atqui Mesopotamia etiam non longe a Judæa distat: ergo verisimile est Paradisum in ea fuisse locatum. *Probatur major* ex illo *Gen.* 3. ubi Vulgatus noster habet: *Et ejecit Adam, et collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubim;* septuaginta Interpretes reddunt: *Et ejecit Adam, et collocavit eum contra Paradisum voluptatis;* in Complutensi vero, *Et collocavit eum ante Paradisum voluptatis.* Unde sancti Patres peculiariter annotant, Adamum non procul a Paradiso fuisse a Deo positum, semperque illum in prospectu habuisse, ut jacturam suam perpetuo coram oculis habens, ad perpetrati facinoris severam pœnitentiam stimularetur. *Non enim hoc solum misericordiæ et benignitatis argumentum erat,* inquit S. Chrysostomus Hom. 18. in Genesim, *quod emittebat, et ejiciebat: sed et contra Paradisum illum habitare faciebat, ut jugem dolorem haberet quotidie, cogitans unde exciderit, et in quem statum se conjecerit:* similia habent S. Cyrillus Jerosolymitanus *Catechesi* 2. Theodoretus qu. 10. et S. Augustinus libr. 2. *De Genesi* contra Manichæos.

Quarto. Ibi constitutus est Paradisus, ubi sunt Euphrates, et Tygris: atqui hi fluunt in Mesopotamia, et Armenia: *Euphrates* enim est Fluvius Babyloniæ, inter quem, et Tygrim intercepta regio, *Mesopotamia* dicitur, quasi medians inter duo flumina, quod utique Dionysius Geographus ita describit de Euphrate et Tygri sermonem faciens:

Hoc tamen omne solum fluvius, quod cingit uterque
Indigenæ populi pro re dixere Medamnem,
Quod medias omnes has terras flumina cingunt.

Sciendum enim est Tygrim, et Euphratem supra sinum Persicum in unum tandem coire, ac rursum dividi, tumque nomen mutare: unus enim in sinum Persicum delabens dicitur Phasis, seu Phasitigris (qui videtur esse Phison) celebris apud *Curtium*, *Plinium*, et alios: hic circuit terram *Evilach*, idest *Chavila*, puta *Chaulatæos*, quos Strabo lib. 16. in Arabia ponit juxta Mesopotamiam. Alter Arabiam desertam, et loca vicina petens, videtur esse is, qui hic *Geon* dicitur: hic circuit Æthyopiam, non illam Abyssinorum quæ est infra Ægyptum, sed illam quæ est circa Arabiam. In Scriptura enim Madianitæ, aliique juxta sinum Persicum, vel Arabicum habitantes, vocantur Æthyopes. — Paradisus ergo videtur fuisse eo loco, quo confluunt Euphrates, et Tygris: ab illo enim confluxu dividuntur, et discriminantur, in quatuor hæc flumina; sursum enim sunt *Euphrates*, et *Tygris*; deorsum vero sunt *Geon*, et *Phasitigris*, sive *Phison*. Quod enim hi fluvii, postquam coierunt, rursum dividantur, clare patet ex exactioribus tabulis Cosmographis Gerardi Mercatoris, Ortelii, et aliorum. *Mercator* enim in Asiæ tabula 4. manifeste ostendit Tygrim, et Euphratem concurrere juxta Appamiam, ac rursum dividi juxta urbem, quæ dicitur Asia; atque efficere insulam magnam satis; ac denique utrumque in sinum Persicum influere, ibique desinere. Adde quod verisimile est hos fluvios tempore Moysis magis fuisse divisos, eo quod postea mutarint alveum, magisque confluxerint: sicut a tempore Moysis multa alia flumina, et maria alveum mutarunt, uti annotavit Torniellus. Hæc patebunt evidentius, si speciatim discutiamus et aperiamus,

Quisnam sit Tygris, *et* Euphratis *fons, et fluxus?*

Moyses cap. 2. *Paradisum terrestrem* describens ait: *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita. Nomen uni* Phison; *est iste, qui circuit omnem terram Evilath, ubi nascitur aurum.... et nomen fluvii secundi* Geon, *iste est, qui circuit omnem terram Æthyopiæ; nomen vero tertii,* Tygris: *ipse vadit contra Assyrios: fluvius autem quartus ipse est* Euphrates. De duobus ultimis his fluminibus, nulla est, aut saltem modica apud omnes Auctores controversia: constat enim eos habere originem ex monte Tauro Armeniæ majoris: cursum per Mesopotamiam, Assyriam, et Chaldæam; exitum vero in sinum persicum habere, ut supra diximus. — Unus vero vocatur Tygris, vel a *celeritate cursus*, secundum Isidorum lib. 13. *Ethimolog.*, c. 29. ducta similitudine a *Tygri* animalium velocissimo, cujus miram in cursu pernicitatem de-

scribit Plinius lib. 8. c. 18, vel potius ita appellatur a *celeritate sagittæ,* quam Persæ, et Medi *Tygrim* appellant, teste Curtio. Alius vero nominatur *Euphrates* a voce Hebræa *Parqache,* ducta a radice *Parraa* significante *fructificare,* et *fœcundare;* eo quod ad modum Nili exundans terras riget et fœcundet: unde Cicero 2. *De Nat. deorum;* Mesopotamiam, inquit, fertilem efficit Euphrates, quotannis novos agros invehit. — Utriusque autem hujus fluminis originem et fluxum ita describit Strabo lib. 11. Taurus, inquit, Armeniam disterminat a Mesopotamia: hinc fluunt Tygris, et Euphrates, qui Mesopotamiam circumdant, et apud Babylonios invicem cohærent: deinde in mare Persicum emittunt, quorum Euphrates major est, et plus regionis flexuoso alveo percurrit. Fontes habet in parte Tauri Boreali, fluit ad occidentem per Armeniam, quæ major appellatur, usque in Armeniam minorem, quam a dextris habet, a sinistris vero Lisanam: deinde ad Austrum flexus confinis jungitur Cappadocum, quæ ad dextram relinquit, ad sinistram Commagenorum confinia, rursumque a Sicinsina etiam Sophena majoris Armeniæ ad sinistram relicta, progreditur Syriam, atque iterum flexum alium capit in Babylonios, et Persicum Sinum Tygris ex eodem monte Seleuciam illatus ad Euphratem accedit, ibique efficit Mesopotamiam: deinde in eumdem sinum Persicum intrat. Euphratis, ac Tygris fontes inter se distant ad stadia duo millia, et quingenta, hoc est trecenta circiter milliaria. — Similia horum sunt, quæ de iisdem fluminibus tradit Philostratus lib. 1. *De Vita Apollonii,* cap. 14. Hanc, inquit, regionem, quæ propterea Mesopotamia quod media inter duo flumina posita est, Tygris, atque Euphrates ex Armenia, et Tauri radicibus diffluentes cingunt, sunt autem in ea regione civitates aliquot, maxima autem ex parte pagis, ac vicis incolitur: populi vero partim *Armeni,* partim *Arabes* nuncupantur, quorum magna pars sedibus incertis vagatur: tamquam insula sese clausos arbitrantes. Flumina vero ubi eam, quam diximus, continentis partem ambierunt, in idem mare decurrunt. Sunt qui dicant in paludem quamdam partem maximam Euphratis delabi, ita ut ad mare non perveniat, sed in terra cursus sui finem recipiat: quidam et audacius de eo loquentes, asserunt cum diutius sub terra fluxerit, rursus in Ægypto apparere, et Nilo commisceri. Hæc Philostratus. — Similia pene de iisdem fluminibus tradit *Quintus Curtius* libr. 5. Inter Tygrim, inquit, et Euphratem jacentia tam uberi et pingui solo sunt, ut a pastu repelli pecora dicantur, ea ne satietas perimat. Causa fertilitatis est humor, qui ex utroque amne manat toto fere solo per venas aquarum resudante. Ipsi amnes ex Armeniæ montibus profluunt, et magno deinde aquarum divortio iter, quod cœpere, percurrunt. Duo millia et quingenta stadia emensi sunt, qui amplissimum intervallum circa Armeniæ montes notaverunt. Iidem cum Mediæ, et Gordianorum terras secare cœperunt paulatim in arctius coëunt, et quo longius manant, hoc angustius inter se spatium terræ relinquunt. Vicini maxime sunt his campis quos incolæ *Mesopotamiam* vocant, mediam namque ab utroque latere concludunt, iidem per Babyloniorum fines in Rubrum mare prorumpunt. Ita Curtius. *Lucanus autem* lib. 3. indicat eos fluvios eodem ex fonte promanare, cum ait:

Quaque caput rapido tollit cum Tygride magnus
Euphrates, quos non diversis fontibus edit,
Persis, et incertum tellus si misceat amnes,
Quod potius sit nomen aquæ; sed sparsus in agros.
Fertilis Euphrates Phariæ vice fungitur undæ,
At Tygrim subito tellus absorbet hiatu
Occultosque tegit cursus, rursusque renatum,
Fonte novo flumen Pelagi non abnegat undis.

Boëtius quoque lib. 5. *De Consolatione Philosophiæ* metro primo. unum eumdemque Tygris atque Euphratis fontem esse declarat his versibus:

Rupis Achœmeniæ scopulis, ubi versa sequentem
Pectoribus figit spicula pugna fugax.
Tygris, et Euphrates uno se fonte resolvunt,
Et mox abjunctis dissociantur aquis.

Sed magis, inquit Pererius, credendum est Straboni, Curtio, et aliis Cosmographiæ peritioribus, diversos esse, satisque inter se distantes eorum fluminum fontes affirmantibus: nisi forte propterea uno ex fonte profluere dicantur, quod ex uno Armeniæ majoris monte Tauro ambo exoriantur.

Quæ sint flumina Phison, *et* Geon.?

Cum hæc duo a Moyse narrata flumina a Cosmographis nullatenus nominentur, vix judicare licet, quænam et ubi fuerint. Communis sanctorum Patrum, et Doctorum sententia est *Geon* esse *Nilum*, *Phison* esse *Gangem*. Ita sentiunt sanctus Epiphanius, Augustin. Ambrosius, Hieronym. Theodoretus, Joseph, Damasc. Et *probatur primo*, quia septuaginta Interpretes Hieremiæ 2. v. 18. ubi vulgata editio habet, *Quid tibi in via Ægypti ut bibas aquam turbidam?* vertunt, *ut bibas aquam Geon*, et S. Hieron. in *Commentario* hujus loci testatur semper in communi editione fuisse *Geon:* unde etiamnum hodie Abyssini Nilum vocant *Guijon*, teste Francisco Alvarez, *Histor. Æthyopiæ*, cap. 122. *Secundo*, quia Ganges proprie *circuit terram Evilath*, idest Indiam, quæ est intra Gangem, *ubi aurum est optimum:* imo ipse Ganges teste Plinio est Aurifer, et Gemmifer. Porro Ganges vocatur *Phison*, idest multitudo, a radice, *Pus*, idest luxuriare, et multiplicari, quia decem magna flumina in Gangem se exonerant. Ita Josephus lib. 1. *Antiquitatum* 2. et Isidorus lib. 13. *Ethimolog.*. cap. 21. Pari modo *Geon*, idest, Nilus circuit Æthyopiam, sive Abyssinam, ubi regnat *Preto Joannes:* Nili enim inundatio est celerrima: hanc autem etiam ipsi *Geon* tribuit *Ecclesiasticus*, cap. 24. v. 35. et 37. ubi de viro sapiente dicit: *Qui adimplet quasi Phison sapientiam, et sicut Tygris in diebus novorum: qui adimplet quasi Euphrates sensum, qui multiplicat quasi Jordanis in tempore messis; qui mittit disciplinam sicut lucem, et assistens quasi Geon in die vindemiæ;* quo loco Rabanus, Jansenius, et alii Interpretes, per *Phison*, Gangem; per *Geon* Nilum intelligi volunt.

Præterea, ut recte notavit Jansenius, comparare volens Ecclesia-

sticus sapientiam Dei quinque celeberrimis fluminibus, descripsit ea flumina illo ordine, quem vere inter se habent: primus enim ab Oriente est *Ganges:* secundus *Tygris:* tertius *Euphrates:* quartus *Jordanis*, ultimus *Nilus.* Unde ipse ordo narrationis cogit, ut per *Phison* intelligatur Ganges, per *Geon* Nilus, cum videatur, primo loco nominari Phison, ultimo loco Geon, neque ulla ratio esse possit cur Jordanis prius nominatus sit quam Geon, nisi quia prior est quoad situm. Hæc firmat Claudius Marius Victor, qui lib. 1. carminum in Genesim ita canit:

Nec minor inde Geon *placidis, sed mitior undis,*
Niliacas attollit aquas, arsuraque late
Diluvio tegit arva pio, cœloque repugnans,
Temperat Æthyopum stagnis refluentibus undas.

Oppositæ sententiæ fundamenta. — Verum, inquit *Cornelius,* incredibile videtur tanto, et tam vasto spatio hoc Paradisi flumen, vel potius quatuor flumina sub terra se condere, et postea tam dissitis locis exoriri. Nam, ut docet Ptolomæus, inter *Euphratem*, et *Gangem* intercedit spatium septuaginta graduum, idest plusquam 1300 milliarium. Idem de Nilo dici potest. *Secundo,* hæc quatuor flumina locis, jam paulo ante dictis, et satis cognitis ita modice oriuntur, ut statim appareat ea ibi primum nasci, ac deinde confluentibus hinc inde rivulis paulatim adolescere: ergo non nascuntur ex uno illo flumine magno Paradisi. *Tertio,* Viega in *Apocalypsim*, cap. 11. Sectione 5. aliique Viri Doctissimi annotarunt, nec Indiam, nec Gangem, nec alias regiones, aut fluvios, qui sunt ultra Sinum Persicum, vocari in Scriptura Orientales, vel Orientem, sed tantum illas, quæ sunt citra sinum Persicum, veluti Armeniam, Arabiam, Mesopotamiam. Harum ergo incolæ puta Arabes, Idumæi, Madianitæ, Armeni, vocantur *Orientales,* vel *filii Orientis* respectu Judæorum: atqui Paradisus fuit in Oriente, ut habent Septuaginta. *Quarto,* si *Geon* est Nilus, et Phison Ganges: ergo Paradisus complexus est omnes regiones interjacentes, Nilum inter Euphratem, Tygrim, et Gangem, puta Babyloniam, Armeniam, Mesopotamiam, Syriam, Mediam, Persiam, multasque alias; quod utique credibile non sit, cum Paradisus nominetur *Hortus:* quis autem cogitet hortum esse tantæ magnitudinis?

Fateor equidem his rationibus nostram sententiam probabiliorem videri, non tamen exinde omnino est improbanda adversa sententia; siquidem reponere possent Fluvium ipsum in Paradiso scaturientem, postquam amœnissimum hortum rigarat, atque perluerat universum, iam inde a primo conditu Paradisi, non erupisse foras aperto, et aspectabili procursu: sed ibi in ipso extremo Paradisi margine terra excipi, indeque subterraneis, et vastissimis meatibus dividi in quatuor illa flumina, vel si quis malit ab ipso jam Paradisi margine quatuor illa flumina manifesto super terram cursu ad certum usque locum deferri, ubi per cuniculos absorbeantur: quæ tamen terras subeuntia per longissima spatia interdum sub mari labantur, atque in disjunctissimis orbis regionibus emergant, primosque fontes attollant. Unde quamvis Gangis, Nili, Tygris, et Euphratis fontes noti quidem, atque conspicui

in tam invicem separatis locis appareant, tamen internis terræ viscerum fluxibus, et perennibus subterraneis meatibus, omnes illos ex uno Paradisi fonte derivari possunt. Sapientissimeque istud Dei consilio factum putant, quo Paradisi locus esset abstrusior, ne humana curiositas illinc ob suam culpam profligata, vestigiis inde fluentium omnium iterum in Paradisum ire conaretur, aut saltem scire locum cuperet. — His favet Sanctus Epiphanius in *Ancorato*, ubi affirmat Tygrim, et Euphratem e Paradiso subter terram fluere, et in Armenia erumpere, sic scribens: *Tertius*, inquit, *Fluvius Tygris cursum faciens in conspectu Assyriorum; secat enim partes Orientis, et mergitur sub terram, et exoritur ab Armenia per medium Cardiensium, ac Armenorum, et rescaturit rursum, et secatur in Assyriorum terram. Sed et quartus Fluvius Euphrates similiter eodem modo subiens terram, emergit ab Armenia, et sic alluit Persidem.* — Huic concinit Sanctus Augustinus lib. 8. *De Genesi ad litteram*, capit. 7. dicens: *Quoniam locus ipse Paradisi a cognitione hominum est remotissimus: inde quatuor aquarum partes dividi credendum est, sicut fidelissima Scriptura testatur. Sed ea flumina quorum fontes noti esse dicuntur, alicubi isse sub terras, et post tractus prolixarum regionum, locis aliis erupisse, ubi tamquam in suis fontibus noti esse perhibentur, nam hoc solere aquas facere, quis ignorat?*

Hæc omnia luculenter expendit Moyses Bar-Cepha in libro *De Parad.*, capit. 21. in hunc modum disserens: *Igitur illud flumen revera ingens, Paradisum universum irrigat; quo perluto, scinditur in quatuor deinde fluvios, et ipsos grandes, qui ab illo diducti, simulatque Paradisum relinquere sub ipsa maris Oceani vada dilabuntur, atque inde rursus in hac a nobis habitata emergunt terra. Neque vero hæc nobis ipsis fingimus, sed tamquam Moysis Prophetæ verba consentanea pronunciamus, qui satis indicat quatuor eos fluvios, postquam Paradisum reliquerunt sub terram delapsos, tandem in hoc a nobis culto orbe prorumpere, scaturireque. Sed urgebit aliquis, qui possit fieri, ut quatuor illi fluvii, Paradiso egressi præcipitentur sub Oceani vada, atque inde tandem in hac nostra terra erumpant? Huic primo respondemus, ea quæ a nobis fieri non posse existimantur, facilia esse Deo. Illum vero, quem diximus quatuor fluviorum cursum, atque ejus generis alia, divinum esse opus, non humanum.* Deinde *hoc quoque responso volumus Paradisum multo sublimiore positum esse regione, atque hæc nostra extet terra: eoque fieri, ut illinc per præcipitium delabantur fluvii tanto cum impetu, quantum verbis exprimere non possis: eoque impetu impulsi, præcipitesque sub Oceani vada rapiantur: unde rursum prosiliant, ebulliantque in hoc a nobis culto orbe. Hæc ita se habere Dominus etiam Ephrem, et cum eo Doctores alii affirmant, quare nos quoque libenter assentimur.* Inde patet qualiter intelligenda videantur illa verba Moysis cap. 2. *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita,* illud enim *inde,* vel, ut fert Hebraica *de ibi,* referri potest, aut ad locum Eden, ut videlicet in ipso egressu fluminis ex Eden, statim divideretur in quatuor capita: aut ad Paradisum, ut fluvius ille egrediens quidem ex Eden unus esset, sed ingressus in Paradisum divideretur in quatuor flumina, quibus omnis terra Paradisi commodius

irrigaretur: aut denique potest referri ad egressum illius fluminis ex Paradiso, ut flumen illud postquam irrigasset Paradisum, ejus finibus egressum postea in quatuor fluvios esse dispertitum. Incertum est autem quanto intervallo post egressum hujus fluminis ex Paradiso ipsum fuerit in quatuor alia flumina dissectum, ac divisum. Quocirca non necesse est fontes eorum fluminum nobis conspicuos esse Paradiso propinquos. Tandem majoris elucidationis gratia placet hic attexere, quæ de Paradisino fonte, deque quatuor illis fluminibus scribit Rupertus lib. 2. *De Trinit.*, cap. 24. et 29. *Aquarum natura,* inquit, *per se salsa est, nec idonea potui, sicut in seipso ostendit mare; ascendens autem de abysso, quæ est matrix omnium aquarum, in illam quasi magni corporis terræ mammam, idest Paradisi fontem quodammodo lacteam assumit dulcedinem, et irrigat universæ terræ superficiem, ut juxta Psalmistam, potent omnes bestiæ sylvæ, et expectent onagri in siti sua, immo ut dulcesceret omnis terra ad nutricandam herbam virentem, lignumque Pomiferum, quod jussa erat terra producere, atque hoc potissimum valet in terris Orientalibus, non solum panis, et vini, sed etiam pretiosorum aromatum, metallorum, ac lapidum fertilissimis. Omnes igitur aquæ potabiles, et salubres ubicunque fluant, et undecunque appareant, de fonte Paradisi per occultos meatus originem trahunt, et ex ejus dulcedine hoc habent, ut potabiles, et salubres sint. Et quemadmodum jecur in corpore animalis fons est sanguinis, ut docent Physici, cunctis per corpus sparsis venis sanguinem dispensans, atque hoc ministerio vitam animalis conservans: sic ille fons universam terram per occultas venas irrigans vegetat, et in multos redundat fontes, ac flumina, sed eorum omnium ista quatuor sunt capita, idest principalia. Fontes igitur Tygris, et Euphratis si libet in Armenia demonstrentur; et tamen per viam, quam solus novit auctor fluminum Deus, de Paradiso secundum veritatem Scripturæ hujus manare credantur.* Hæc Rupertus.

✳ "Perbelle ista omnia repræsentat Alcimus Avitus Viennensis episcopus, Carmine *De creatione mundi*, tametsi nonnihil a nostra sententia recedat:

Eductum levi fontis de vertice flumen,
Quatuor in largos confestim scinditur amnis.
Euphratem, Tygrimque vocant qui limite certo
Longa sagittiferis faciunt confinia Parthis.
Tertius inde Geon, Latio cui nomine Nilus
Dicitur, ignoti cunctis plus nobilis ortus
Cujus in Ægyptum levis perlabitur unda,
Ditatura suam certo sub tempore terram.
Nam quoties tumido perrumpit flumine ripas
Aluens, et nigris campos perinundat arenis,
Ubertas taxatur aqua, cæloque vacante
Terrestrem pluviam diffusus porrigit amnis.
Tunc inclusa latet lato sub gurgite Memphis,
Et super absentes possessor navigat agros.
Terminus omnis abest, æquatur judice fluctu
Annua suspendens contectus jurgia limes.

Gramina nota videt lætus subsidere pastor,
Inque locum pecorum viridantis jugere campi
Succedunt nantes aliena per æquora pisces.
Ast postquam largo fœcundans germina portu
Lympha maritavit sitientis viscera terræ,
Regreditur Nilus, sparsasque recolligit undas.
Fit fluvius pereunte lacu: tum redditur alveo
Pristina riparum conclusis fluctibus obex,
Donec dividuum spargens per devia finem
Gurgite septeno patulum percurrat in æquor.
Sed cur dicatur tantum mundana latere
Vertex Nile tuus? Nam qui nescitis ab ortu,
Non solus, sed quartus eras, diffusus ab illo
Despicit excelso qui flumina cuncta meatu
Ipsius atque pater pelagi supereminet omnes,
Quas montes, quas plana vomunt, quas nubila, lymphas.
Quartus Physon erit, quem possidet India Gangem.
Motus odorifero quoties qui vertice crevit,
Deciduas pulchro quas spargunt flumina luco
Prælambens furatur opes, et gurgite nostrum
Ducit in exilium. Nam ripa largus utraque,
Amnibus ut nostris enodes ferre papyros,
Aut scriptos algasque leves deducere mos est,
Excrementa trahens magnus sic ditia Ganges
Hoc etiam donat mundo, quod projicit alveo.

Quæres. — *Quanam in mundi parte Paradisus fuerit constitutus?*

Respondeo probabiliorem videri sententiam " * quæ asserit Paradisum in aliqua ex Orientalibus Indiæ, aut Sinarum insulis esse consitum. Hinc sanctus Isidorus Hispalensis libr. 14. *Originum*, capit. 3. Paradisum facit primam regionem Asiæ majoris ab ortu Solis. Favent et plurimi alii SS. Patres; maxime Epiphanius Epistola ad Joannem Jerosolymitanum; sanctus Basilius Homil. 11. in *Genesim;* Ambrosius, lib. *De Paradiso*, et ceteri. Unde Tertullianus, lib. *De Genesi*, cap. 2. ita canit:

Læta Paradisus in aula
Instruitur, primique adspectat lumina Solis.

Et lib. *De Judicio Domini*, cap. 8. ait:

Est locus Eois Domino dilectus in oris;
Lux ubi clara nitens, spiratque salubrior aura.

Et Lactantius lib. 2. *Divinarum Instit.*, cap. 13. *Post hæc Deus hominem posuit in Paradiso, idest in horto fœcundissimo, et amœnissimo, quem in partibus Orientis omni genere ligni, arborumque conseruit.* Et in Carmine *De Phœnice:*

Est locus in primo felix Oriente remotus.

Proba Faltonia in Virgilii Centonibus *De Paradiso* ait:

Ecce autem primi sub lumine Solis et ortus.

Marius Victorinus lib. carminum in *Genes.* etiam *De Paradiso*:

Eoos aperit felix, qua terra recessus.

S. Alcimus Avitus libro primo *De initio mundi:*

Est locus Eoo mundi servatus in axe,
Secretis natura suis, ubi Solis ab ortu
Vicinos nascens aurora repercutit Indos.

Et paulo inferius:

Ergo ubi transmissis mundi caput incipit Indis,
Lucus inaccessa cunctis mortalibus arce
Permanet: æternum conclusus limite, postquam hic
Decidit expulsus primævi criminis auctor.

Quibus patet illum auctorem, Paradisum in India, vel in ulteriori proxima Orientali regione constituere. Posset itaque affirmari Paradisum in aliqua ex amœnissimis, et uberrimis Orientalibus insulis fuisse consitum; in qua fons ille Paradisinus emanabat, et scindebatur in quatuor ingentia illa flumina, quæ forte ab ipso Paradisi limine absorpta, per subterraneos meatus, rursus in varias orbis partes effluunt. Itaque de Paradisino situ adhuc sub judice lis est.

QUÆSTIO TERTIA

QUÆNAM SIT PARADISI TERRESTRIS MAGNITUDO, ET AMŒNITAS.

Notandum 1. Circa Paradisi magnitudinem varias esse Auctorum sententias. *Primo* namque censent aliqui ingentem illius esse extensionem; ita quod videatur incomprehensibilis: sic S. Anastasius Sinaita Homil. 9. in *Genesim*, ait: *Cum latitudo Paradisi sit magnitudinis incomprehensibilis, adeo ut abundantia ejus irrigationis efficiat quatuor fluvios universam prope terram irrigantes.* Nonnulli affirmant illum esse tantæ magnitudinis, quanta est una ex præcipuis terræ partibus, puta Asia, aut Africa, aut Europa. Verum hæc utraque sententia merito ab omnibus exploditur, quia tanta Paradisi laxitas non posset ullo pacto in terra latere: maxime cum hoc ipso tempore totus orbis circumnavigetur; haud dubie enim jam aliquis in illas Paradisi plagas incidisset, quod utique nusquam factum est. Putat Tostatus in c. 13. *Genesi*, quod Paradisus non habuerit majorem magnitudinem, quam in longitudine tres aut quatuor leucas, in circuitu autem duodecim, aut non multo plures. Alii aliter sentiunt. Quibus patet rem procul dubio esse omnino incertam, ita quod solis conjecturis Paradisi magnitudinem detegere liceat.

Notandum 2. Incertum pariter videri an Paradisus ita fuerit hominibus præparatus, ut si innocentiæ status perseverasset, in ipso bruta animantia non habitassent. Etenim S. Basilius, lib. *De Paradiso*, ait: *In Paradiso omnia erant avicularum genera, quæ et pulchritudine colorum, et dulcedine concentus incredibiliter oblectabant hominem. Erant illic etiam variorum animalium spectacula: sed erant omnia mansueta, obedientia homini, inter se concorditer, et pacifice viventia,*

quæ et audiebant inter se, et loquebantur sensate. Serpens autem non erat tunc horrendus, sed mitis; et mansuetus: nec terribiliter in terræ superficie velut natans reptabat, sed sublimis, et erectus pedibus insistens gradiebatur. Ipsi concinit S. Augustinus lib. 14. *De Civitate Dei*, cap. 11. ubi ait: *Superbus ille Angelus colubrum in Paradiso corporali, ubi cum duobus illis hominibus masculo et fœmina, animalia etiam terrestria cetera subdita et innoxia versabantur, animal scilicet lubricum, et tortuosis anfractibus mobile operi suo congruum per quod loqueretur elegit.* Hanc ipsam veritatem acerrime propugnant Bellarminus lib. *De gratia primi hominis*, cap. 15. et Pererius in 2. capit. *Genesis* iisque potissimum rationibus nituntur: *Primo*, quia homini in Paradiso existenti datum est imperium in animantia: ergo oportet animalia fuisse in Paradiso, in quæ imperium exerceret. *Secundo*, non potuisset Heva non vehementer exhorruisse ad primum serpentis aspectum, si numquam nec serpentem, nec animal aliud ante vidisset. *Tertio*, non parum ornatus, ac pulchritudinis Paradiso defuisset, si nulli in aquis pisces, nullæ in arboribus aviculæ, præsertim discolores, et canoræ, nullæ in sylvis animantes, nulla in campis pecora conspici possent. *Quarto*, homo innocens variis caruisset voluptatibus quas ex animalibus, volucribusque percipere poterat. — Alii e contrario diserte negant ulla animalia in Paradiso habitatura si felix innocentiæ status perseverasset. Ita S. Damascenus, lib. 2. *De fide*, cap. 11. *Divinus profecto locus Paradisus*, inquit, *ac dignus ejus qui ad imaginem Dei creatus fuerat incolatu, in quo nullum irrationalium habitabat; sed solus homo divinarum manuum factura.* Ipsi concinunt plurimi Recentiores, his potissimum rationibus ducti: *Primo*, quia locus ille proprius immortalitatis non congruebat animantibus morti, et corruptioni obnoxiis. *Secundo*, si animalia extitissent in Paradiso, vel in eo fuissent creata, vel aliunde deportata. Non primum; quippe cum nec ibi creatus fuerit Adamus. Non etiam secundum, quia, vel ibi semper mansissent, vel ejecto Adamo, ab eo pariter fuissent extrusa. Non primum, cum enim tantum masculum et feminam Deus creaverit, consequens esset, quod in terra nostra non fieret propagatio omnium animalium a Deo conditorum. Non etiam secundum, quia in extrusione Adami e Paradiso nulla fit mentio ejectorum animalium. Idcirco indiscussa manet veritas an revera animalia in Paradiso extiterint.

Conclusio prima. — PROBABILIUS EST PARADISUM TERRESTREM, NEC ITA ARCTUM, NEC ITA SPATIOSUM FUISSE UT AD QUINDECIM AUT VIGINTI LEUCAS EXCESSERIT. Ita colligitur ex S. Augustino lib. 8. in *Genesim*, cap. 10. ubi ait: *Neque enim exiguus locus erat Paradisus quem totus fons irrigabat.* Cui subscribit Moses Bar-Cepha lib. *De Parad.*, cap. 15. ubi ait: *Necessum est spatiosum admodum atque amplum fuisse. Ei enim rei fidem facit ingens illud flumen, quo rigabatur, nam si hoc, ubi Paradisum satis abluit, in quatuor grandes fluvios dissecatur, qui magnam orbis hujus, quem nos colimus, partem suo cursu aluunt; maximum profecto, amplissimum, atque profundissimum, ut sit consentaneum est antequam in quatuor illos diductum atque dispertitum est grandes fluvios. Jam vero ex fluminis magnitudine con-*

ficitur Paradisum, qui illo rigaretur, amplissimum quoque esse. Et cap. 28. *Paradisus dicebatur accomodatissimus ad habitationem oblectationemque hominum. Sed quanta fuerit hujus amplitudo, satis arguit fluvius magnus qui ex ipso effluebat, et postquam elapsus esset dividebatur in quatuor flumina. Si enim fluvius ipse magnus erat, manifestum est Paradisum quem rigabat, magnum spatiosumque fuisse.* Verum fateor argumentum istud non satis evincere Paradisi magnitudinem, et vastitatem. Quis enim nesciat maxima interdum flumina a suo ortu, vel exigua esse, deinde influxu aliorum, fontiumque scaturiginibus augeri in ingentem confluentem? etenim Danubius, et Rhenus modicos, et vicinissimos habent fontes: nihilominus varias provincias alluunt; siquidem Danubius per Hungariam, et Traciam effluit, seque post Constantinopolim exonerat; Rhenus vero ubi Germaniam, et Hollandiam irrigavit, in Oceanum erumpit. *Adde quod* Paradisus terrestris in ea altitudine fuerit consitus, ut commode potuerint inde in quatuor partes valde inter se dissitas quatuor illa ingentia flumina erumpere.

Dices: Si Adamus non peccasset, omnes ejus posteri Paradisum terrestrem incoluissent: sed illi infra spatium quindecim aut viginti leucarum contineri non potuissent: ergo Paradisus terrestris longe spatiosior, et latior esse debuit. *Probatur minor;* nam si post Adæ peccatum vixerunt aliqui homines prope mille annos, ut Adam ipse, et Mathusalem, etc., proculdubio in statu innocentiæ vixissent non minus quam ter, aut quater mille annos: quo spatio temporum innumera proles nullo tunc moriente propagata fuisset: ergo non potuissent simul in Paradiso subsistere, nisi locus ille unam ad minus ex totius orbis partibus æquasset. *Major* etiam constat: siquidem Paradisus ille homini innocenti fuerat destinatum domicilium: cum ergo Adamo non peccante omnes ejus posteri fuissent innocentia donati, etiam in eo voluptatis domicilio habitare debuissent. Adde quod in Paradiso jacebat salutiferum lignum vitæ, cujus fructum decerpere, et edere debuissent homines, quo vitam suam prorogarent, et consequenter necessum erat eos omnes in Paradiso subsistere. — **Respondeo 1.** negando *majorem*, etenim si stetisset felix ille innocentiæ status, non in solo Paradiso, sed etiam in universa terra Adami posteri habitassent; tum quia Deus Adamo, et Evæ in Justitia Originali creatis *benedixit, et ait: Crescite et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam.* Insuper ait: *Dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli, et universis animantibus quæ moventur super terram:* loquitur autem de terra universa nuper a se etiam extra Paradisum creata, ut et de piscibus omnium marium, de volatilibus omnium regionum sub cælo, de animantibus, herbis, arboribus totius orbis. Si ergo totam hanc terram, et mare cum omnibus animantibus, volatilibus, aquatilibus, herbis, arboribusque, subjecit Deus homini ante peccatum, voluitque ut sobole sua terram repleret, coleret, suis usibus eam cum omni ejus ornatu inservire cogeret; putabimusne non peccante homine hæc ei incassum dicta, et genus humanum tunc juxta Paradisi septa conclusum, universam reliquam terram, vastam, desertam, habitatore vacuam in sempiternum relicturum, cum terra potissimum in usum hominum condita fuerit? Adde, quod universa terra

foret inculta, sylvestris, et indecora, si esset deserta, et hominibus vacua, cum hominis industria, et cultura multum ei ad fertilitatem, amœnitatem, et decorem conferat: imo esset omnino otiosa, et in vanum a Deo creata; quod repugnat Scripturæ sacræ dicenti Isaiæ 45. *Dominus fecit terram, ipse plastes ejus: non in vanum creavit eam, ut habitaretur formavit eam.* — *Respondeo* 2. Concessa *majore,* negari posse *minorem:* cum enim in eo felici statu nullo frigore, nulloque Solis ardore agitati fuissent homines, etiam nec domibus, nec Palatiis indiguissent, adeoque plurimi simul habitare potuissent. *Adde quod* non omnes homines nascituri, semper in eo mansissent: sed forte, qui essent provectioris ætatis, et perfecti meriti in cælum fuissent translati, ut docet Magister sententiarum in 2. distinct. 20. Verum fateor nos nihil certi de hac re determinare, et divinare posse. Ideo sit

Conclusio secunda. — TERRESTRIS PARADISUS AMŒNISSIMUS, ET JUCUNDISSIMUS ERAT. Hoc ipsum sufficienter indicat Moyses dum eum Paradisum voluptatis appellat, hoc est omni voluptate, et amœnitate refertum; unde Hebræi ipsum vocant *Ganedem,* ut observat Malvenda, idest, hortum deliciarum; nam apud Hebræos *Gana,* significat hortum, *Eden* vero delicias, et voluptatem. Firmatur hæc veritas omnium sanctorum Patrum sententiis, qui Paradisi amœnitatem, et pulchritudinem omni qua possunt elegantia exprimunt. Imprimis vero audiendus est S. Basilius Orat. *De Paradiso,* ubi postquam declarasset amœnissimum hunc locum nullis procellis agitari, nec fœdari tenebris ob loci sublimitatem, ita concludit: *Hunc locum sic constituit Deus, ut satis alioqui illum omni singulæ tempestates circumlustrarent, imo præcipuis illum suis facultatibus stipantia, ac communientia conferrent singula tempora. vernale quod habet delicatum, et jucundum; æstivum æsculenta in alimoniam, autumnale hilaritatem, hyemale otium et quietem. Deinde ut terra esset pinguis, mollis, et vere fluens lacte ac melle, ad fertilitatem frugum accommodata, ac fertilissimis aquis irrigua, quæ profecto incredibilem quamdam pulchritudinem exhiberent. Subtiles enim aquæ illæ, ac perspicuæ, et multum quidem jucunditatis spectantibus conferant, plus tamen utilitatis.* — S. Damascenus lib. 2. *De Fide,* cap. 11. hunc ipsum deliciarum hortum ita delineat: *Quia vero,* inquit, *Deus plasmaturus erat hominem ad imaginem, et similitudinem suam, tamquam quemdam Regem, et Principem universæ terræ, et eorum, quæ in ea sunt, præstruxit ei quamdam veluti Regiam in qua diversans, beatam, et ex omni parte felicem deduceret vitam, et ipsa est divinus Paradisus Dei manibus in Eden plantatus,* lætitiæ, et voluptatis omnis promptuarium, *Edem enim voluptas interpretatur. In Oriente vero omni terra excelsior collocatus est, optima temperie, et aëre subtilissimo atque purissimo splendidus, plantis semper virentibus insignis, odoris suavitate refertus plenusque lumine, universæ sensibilis venustatis, et pulchritudinis superexcellens intelligentiam. Divinus profecto locus, ac dignus ejus qui ad imaginem Dei creatus est incolatu.* — Quibus verbis sancti Patres terrestris Paradisi voluptatem, et amœnitatem quinque præcipue in rebus constitutam declarant, nempe in Cælo, aëre, aquis, terra, et plantis. *In Cælo* namque perpetuus erat salubris astrorum influxus, et omni tempore suavis-

sima quædam æquabilitas, quæ veluti perpetuum ver efficiebat. *In aëre* firma serenitas, et puritas, subindeque perpetua claritas nullis infuscata tenebris. *Aquarum* ingens nedum erat copia, qua serpentibus undequaque rivulis, jucundissime Paradisus irrigabatur; sed earum limpiditas, et puritas erat summa, quæ speculi instar, hujus amœnissimi loci speciem gratissimam intuentibus referret. *Terra* autem fœcundissima, quæ nullo incolentium labore arbores, et plantas progerminaret. *Denique plantæ* ipsæ, et arbores, flores nedum suavissimos, et pretiosissima aromata, quibus visus, et olfactus recrearetur, sed etiam dulcissimos fructus ad cibum, et gustus oblectamentum suppeditabant. *Plantavit enim in illo Deus*, inquit S. Basilius, *omnifariam arborum pulchritudinem, quæ gratissimæ essent aspectu, et jucundissimum sui exhiberent usum:* unde Scriptura: *produxit Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave:* quibus verbis significat in Paradiso fuisse arbores, et plantas, non solum ad necessitatem, et suavitatem cibi, sed etiam ad visus oblectamentum.

Hæc omnia luculenter exprimit Tertullianus lib., *De judicio Domini*, capit. 8. ubi sic canit:

Omnia fert fœcunda, solo prædivite, tellus,
Flores in pratis fragrant, et purpura campis...
Arbor stat cum flore novo pulcherrima pomis;
Vitalem, et frugem felicia robora densant;
Mella viridanti conflagrant pinguia cana:
Lac etiam plenis manat potabile vivis:
Vitam spirat ibi, quidquid pia terra virescit:
Et pulchre redolet munus medicabile Cretæ.
Fons illic placidis leni fluit agmine campis;
Quatuor inde rigant partitas flumina terras,
Ver puto semper agit vestitus floribus hortus:
Non frigus variat hyberni sideris auram:
Et reficit fœtam meliori flamine terram.
Non ibi nulla; suas defendunt astra tenebras.
Iræ insidiæque absunt, et dira cupido,
Exclususque metus, pulsæ de limine curæ.

Hanc ipsam Paradisi amœnitatem et delicias etiam graphice describit sanctus Alcimus Avitus Viennensis lib. I. *De initio mundi:*

Hic ver assiduum Cœli clementia servat,
Turbidus auster abest semperque sub aëre sudo,
Nubila diffugiunt jugi cessura sereno.
Nec poscit naturâ loci, quos non habet imbres:
Sed contenta suo dotantur gemina rore.
Perpetuo viret omne solum, terræque ridentis
Blanda nitet facies: stant semper collibus herbæ,
Arboribusque comæ, quæ cum se flore frequenti,
Diffundunt, celeri solidant sua germina succo.
Nam quidquid nobis tota nunc nascitur anno,
Menstrua maturo dant illic tempora fructu.

Lilia perlucent nullo flaccentia Sole:
Nec tactus violat vicias, roseumque ruborem,
Servans perpetuo suffundit gratia vultu.
Sic cum desit hyems, nec torrida ferveat æstas,
Fructibus haud caret autumnus, vel floribus annus.
Hic quæ donari mentitur fama Sabæis,
Cinnama nascuntur.
Illic desudans flagrantia balsama ramus,
Perpetuum promit pingui de stipite fluxum.
* " *Tum si forte levis novit spiramina ventus,*
Flatibus exiguis, lenique impulsa susurro,
Dives sylva tremit foliis, ac flore salubri,
Qui sparsus late suaves dispensat odores.
Hic fons perspicuo resplendens gurgite surgit.
Talis in argento non fulget gratia, tantam
Nec chrystalla trahunt nitido de frigore lucem.
Margine riparum virides micuere lapilli,
Et quas miratur mundi jactantia gemmas,
Illic saxa jacent, varios dant arva colores,
Et naturali campos diademate pingunt.
Eductum leni fontis de vertice flumen
Quatuor in largos confestim scinditur amnes.

Audiendus est etiam Marius Victor, lib. 7, Comment. in *Genesim*, ubi canit in hunc modum:

Eoos aperit felix qua terra recessus.
Editiore globo nemoris Paradisus amœni
Panditur: et teretis distinguitur ordine silvæ
Hic ubi, jam spatiis limes discernitur æquis
Solis et æternum paribus ver temporat horis
Illic quæque suis dives stat fructibus arbor
Pomaque succiduis pelluntur mitia pomis
Quæ jucunda oculis, et miri plena vigoris
Membra animosque fovent pascuntque sapore et odore
Sidereos hic terra vibrat distincta calores.
Semper flore novo frondens, fructuque recenti
Hic fragiles solvunt calamos animata vigore
Muneris Ambrosii spirantia cinnama odores
Sed nec quod Medus redolet, vel crine soluto
Fragrat Archimenius, quod molli dives amomo
Assyrius, missisque rubens Mareotica nardo
Quod tartesiaci frutices, quod virga Sabæi
Quodque Palæstinus, lacero flet vulnere ramus
Omnia certatim hunc congesta putabis in hortum
Namque hunc cuncta Deus pariter quæ singula certis
Accepit natura locis, confecta regessit.
Motaque dum leni vibrat nemus aura meatu
Unum ex diverso nectar permiscet odore
Fitque novum munus sibi nulla quod asserat arbor

Quaque tremens blando sensim jactata fragore
Commotis trepidat floris, sonat arbore cuncta
Hymnum silva Deo modulataque sibilat aura
Carmina, nec vacuus vacuum quatit aëra motus
Neque minus eleganter licet contractius proba
Falconia Adolphi Romani proconsulis uxor
Græcæ et latinæ eruditissima quæ cum Virgilii
Opera memoria teneret, ad christianæ doctrinæ
Mysteria metrice explicanda in centones redegit
In quibus hæc de Paradisi oblectamentis habet.
Ecce autem primi sub lumine solis et ortus
Devenere locos, ubi mollis amaracus illos.
Floribus et dulci adspirans complectitur umbra
Hic per purpureum atque alienis mensibus æstas
Hic liquidi fontes, hic cœli tempore certo
Dulcia mella premunt hic candida populus antro
Imminet, et lentæ texunt umbracula vites
Invitant croceis ad laudes floribus horti
Inter odoratum lauri nemus, ipsaque tellus
Omnia liberius nullo poscente ferebat." ✻

Hæc ipsa veritas etiam Poetas Ethnicos non latuit: siquidem Paradisi terrestris amœnitatem sub larvata Alcinoi hortuli imagine delineavit Homerus, eo fere modo quo ipsum Moyses descripserat.

Ibi magnæ creverunt arbores longæ,
Pyri, et punicæ, et mali fructuosæ,
Ficusque dulces, et olivæ longæ,
Quarum numquam fructus perit, nec intermittit,
Hyeme nec æstate perennans, quin semper aura
Zephyria flans alia gignit, alia coquit.
Pyrus post pyrum senescit, et malus post malum,
Et uva post uvam, et ficus post ficum.
Hic ei sata est fructuosa vinea, cujus altera area
In plano loco siccatur Sole; alias autem vindemiant,
Alias calcant, adsunt immaturæ uvæ,
Delapso flore, aliæ maturescunt.

Ipsi concinit Ovidius, qui haud prorsus obscure visus est Paradisum innuisse cum in prima Transformationum canit:

Ver erat æternum, placidique tepentibus auris,
Spirabant Zephyri; natos sine semine flores:
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat,
Nec renovatus ager gravidis carebat aristis.

Alia his similia invenies apud sanctos Patres, et Recentiores Theologos, quos consulere poteris si plura desideres.

QUÆSTIO QUARTA.

QUIBUS PRÆCIPUIS ARBORIBUS PARADISUS TERRESTRIS CONSITUS FUERIT.

Notandum 1. Certissimum esse varias arborum species in Paradiso fuisse plantatas: siquidem *Gen.* 2. v. 9. Moyses ait: *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave: Lignum etiam vitæ in medio Paradisi, lignumque scientiæ boni, et mali:* et vers. 16. *Præcepitque ei dicens; Ex omni ligno Paradisi comede; de ligno autem scientiæ boni, et mali ne comedas, etc.* Quibus tres distingui possunt arborum species, nempe Communes, Vivificæ, et Probatrices. *Communes* erant illæ arbores ad hominis oblectamentum, et edulium conditæ: *Vivifica* erat illa arbor vitæ cujus fructu, et esu prorogari, et servari debebat hominum vita: *Probatricem* appello illam arborem *scientiæ boni, et mali:* qua nempe probari debebat hominis in Deum observantia, aut perduellio. Seu ut loquitur Severianus Gabalitanus, *Tres arborum differentiæ erant in Paradiso: Una quidem data erat homini, ut viveret; altera ut bene viveret: tertia ut semper viveret.* — Communes autem arbores erant duplicis generis, aliæ quidem *frugiferæ*, aliæ *infructuosæ*. De frugiferis apertum est præfatum sacræ Scripturæ testimonium: de infructuosis autem non ita constans. Colligitur tamen, tum ex hoc Ezechielis oraculo c. 31. *Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiso Dei; Abietes non adæquaverunt summitatem ejus, et Platani non fuerunt æquæ frondibus illius: Omne lignum Paradisi non est assimilatum illi.* At Cedri, Abietes, Platani, quas Propheta refert fuisse in Paradiso Edem, arbores sunt infrugiferæ. Tum quia licet arbores illæ neque ad esum, neque ad usum ignis, aut ædificiorum, aut alias humanæ vitæ utilitates conducerent in statu innocentiæ; conferebant tamen ad ornatum, varietatem, pulchritudinem, et ad oblectandum odoratum et visum: ac proinde magnam istius generis arborum copiam in Paradiso fuisse non est ambigendum. Nec sane officit illud a Deo Adæ dictum, *De omni ligno Paradisi comede;* intelligendum enim est de omni ligno ad comedendum idoneo; sicut illud Pauli 1. ad Timoth. 4. ubi jubet Christianos vesci omni creatura cum gratiarum actione, haud dubie intelligitur de omni creatura ad hominis cibum accommodata.

Notandum 2. Judæos fabulis assuetos, sentire *lignum*, seu *arborem scientiæ boni, et mali*, ita dictam, quod cum Adam et Eva conditi fuissent ut infantes absque ullo rationis usu, hunc ex esu fructus illius arboris sunt assecuti. Non rectius sapuit Josephus affirmans *lib.* 1. *Antiq. cap.* 2. arborem hanc habuisse vim acuendi ingenium, et conciliandi prudentiam. Idem senserunt *Ophitæ* qui serpentem pro Christo colebant, eo quod (inquiebant, referente S. Epiphanio *Hær.* 37). ipse homini fuerit Auctor adipiscendi scientiam, cum ei esum ligni vetiti suasit. At fabulam hanc impugnant et expugnant plurimæ æque non leves rationes. 1. Quia alioquin Deus non prohibuisset illius esum, nec tantum bonum homini invidisset. 2. Quia serpens non fuisset mentitus Adamo et Evæ cum eis dixit: *Eritis sicut Dii scientes bonum, et malum.* 3. Non adeo dolere debuissent primi parentes cum ex ad-

missa culpa ingenio præstantiores evasissent. 4. Grande bonum, quo antea carebant, peccando fuissent assecuti, quod impium esset cogitare. — Præstat itaque asserere, arborem illam per anticipationem ex præviso eventu futuro appellatam esse *scientiæ boni, et mali;* quia licet Adam speculative antea sciret bonum, et malum, tamen edens ex illo vetito fructu practice, et experientia cognovit quantum bonum peccando amiserit, et in quæ mala fuerit prolapsus, expertusque est quam excellens bonum esset innocentia, et quam grave malum esset peccatum. Scit Medicus quid sit sanitas, et ægritudo : at cum in morbum incidit, reipsa experitur quid intersit inter sanitatem, et ægritudinem. Sciebat Christus triplici scientia, divina, beata, et infusa quam sint graves hominum calamitates et molestiæ, et quanta opus esset animi constantia ad eas ex animo suscipiendas et ferendas : attamen *cum esset Filius Dei, didicit ex iis quæ passus est obedientiam*; idest, propria experientia comprobavit. — Ita præfatam appellationem interpretantur SS. Patres; maxime S. Augustinus lib. 8. *De Genesi ad litteram*, cap. 6. *Arbor illa*, inquit, *appellata est* scientiæ dignoscendi bonum et malum, *quia si post prohibitionem homo ex illa ederet, in illa erat præcepti futura transgressio, in qua homo per experimentum pœnæ disceret, quid interesset inter obedientiæ bonum, et inobedientiæ malum.* Seu ut eleganter rem effert Basilius Seleuciensis orat. 2. *De Adam: Tamquam in tabula præceptum in arbore præscribens, latentem intus discernendi scientiam excitavit, obedientiæ, et inobedientiæ discrimen ad arborem adscribens. Inde agnoscibile boni et mali lignum dicitur: nam ab iis quæ ille perdoctus est, lignum nomen accepit, et hujus disciplina arboris est appellatio.*

Notandum 3. *Lignum* seu *Arborem vitæ*, vel ut fert Hebraica *lignum vitarum*, ita appellatum, non quod esset signum vitæ Adamo a Deo concessæ, ut volunt aliqui : sed *vitæ*, aut *vitarum*, idest vivificum, quod ejus fructus miram haberet vim ad vitam hominis servandam, et prorogandam. *Primo*, quia esus illius fructus efficiebat hominis vitam longævam. *Secundo*, valentem et robustam. *Tertio*, ita constantem, ut nusquam morbo aut senio laborasset. *Quarto*, hilarem et jucundam, bilis enim ardorem temperasset, et omnem melancholicum humorem absorpsisset. Hæc autem miranda Arbor consita erat *in medio Paradisi*, ut affirmat Moyses *Gen.* 2. *vers.* 9. idque juxta arborem scientiæ boni, et mali, quam sic Deus primo Parenti indicarat, inquit Moses Bar-Cepha cap. 20. *Si ab illa arbore scientiæ boni, et mali te continueris, legique meæ obtemperaveris, en tibi arborem vitæ præparavi, qua vescens, vives in perpetuum.* Unde Severianus Gabalitanus Homil. 5. *Lignum scientiæ instar fuit Palestræ, ac gymnasii: postquam mandatum servasses in ligno isto, præmium acciperes.* Idque consulto factum est : nam cum lata a Deo lex esset ne Adam de arbore, quæ scientiæ boni, et mali dicebatur, gustaret, et prævaricanti pœna præfixa ipsa mors; congruum erat ut præmium observanti etiam demonstraretur, nempe ipsa *Arbor vitæ*, ut quantum mortis nomine Adamus a rebellando deterreretur tantum vitæ perpetuæ illectu ad parendum stimularetur. — Hanc eamdem veritatem luculenter explicat et confirmat sanctus Bonaventura in 2. *dist.* 17. ubi recenset tria arborum Paradisi genera; *Quædam*, inquit, *proderant corpori ad ejus*

nutritionem et sustentationem, de quibus Moyses in universum dixit, produxit Deus ex humo omne lignum ad vescendum suave. *Aliæ arbores proderant animæ hominis: hujusmodi erat* arbor scientiæ boni et mali, *cujus fructus interdictus est homini, scilicet ad probandam ejus obedientiam: a quo fructu si præceptis Dei obediens abstinuisset, proculdubio dulcissimum immortalitatis fructum esset adeptus. Tertii generis fuit* arbor vitæ *ipsi homini, hoc est conjuncto ex anima et corpore profutura: quippe tribuens perpetuam homini vitam, et indissolubilem faciens corporis et animæ conjunctionem. Harum dumtaxat duarum arborum proprie meminit Moyses, propter singulares, et admirandos earum effectus, propter quos Deus eas posuerat in medio Paradisi inter se propinquas: ut aspiciens homo arborem vitæ, amore immortalitatis ad observantiam divinæ legis acrius incitaretur; cernens autem arborem scientiæ boni et mali, mortis metu tamquam fræno quodam in divinorum præceptorum obedientia contineretur. Dicta est autem arbor vitæ, non ob effectum quem ipsa habuit, sed ad quem ordinabatur, et quem sine dubio habuisset, si homo in Dei gratia perseverasset.*

His omnibus prælibatis, restat determinandum: *Primo* quæ et qualis fuerit arbor scientiæ boni et mali. *Secundo,* quam virtutem et efficacitatem habuerit Arbor vitæ.

Conclusio prima. — Variæ sunt Auctorum sententiæ circa determinandam speciem Arboris scientiæ boni et mali: Sed verius augurari videntur, qui ipsam malum fuisse indicant.

Constat hujusce Conclusionis prima pars ex diversis Auctorum hac de re opinionibus; nam ut observat Moyses Bar-Cepha, c. 19. *Nonnulli existimant non fuisse illam veram et naturalem arborem, cujus fructum gustaverit Adam, sed venereum amplexum quo cum uxore ille corpus miscuit: eamque ob rem, ajunt, partum mulieris esse per Dei sententiam doloribus factum obnoxium. Neque aliud voluisse illud præceptum; Ne edatis de illa arbore, quam ne coëatis, sed sancte et absque omni venere vivatis.* Cujus delirii auctorem fuisse Origenem, affirmat Anastasius Sinaita lib. 9. in *Exameron*, his verbis: *Nefandorum autem effector sicut obscœnorum perpetrator Origenes, existimavit eam arborem esse mulierem.* Verum, inquit Bar-Cepha, minime veram esse hanc sententiam id satis arguit, quod integra virginitate pulsi sint illi de Paradiso: quamdiu enim morati sunt in Paradiso, ipsos mansisse virgines communis est sanctorum Patrum sensus. Unde rectius, inquit idem ipse, censent alii, *frumentum* fuisse hanc arborem, atque ideo Christum quoque suum corpus in pane dedisse, ut qua re contractum esset debitum, eadem et exolveretur. *Rursus* alii *Vitem* fuisse contendunt, et idcirco sanguinem suum dedisse Christum in vino, pro expianda primorum Parentum noxa. *Sed nos,* ait Bar-Cepha, *hæc vera non esse putamus, frumentum enim seges, non arbor dicitur, ut neque vitis.* — Nonnulli arbitrantur hanc arborem fuisse *ficum*, nam statim ab ejus esu nudum se videns Adam, ex foliis ficus vestem sibi consuit, ut legitur *cap.* 3. *vers.* 7. a proxima autem, et vicinissima arbore Adam propter nuditatem suam pudore suffusus, vi-

detur accepisse hæc folia et tegmina nuditatis suæ: at nulla ipsi erat vicinior illa, ex qua jam fructum decerpserat, et comederat; itaque videtur illa fuisse ficus. Ita censent S. Athanasius qu. 49. *ad Antiochum*, Theodoretus qu. 28. Gennadius *in Catena Græca Genesis*, dicens: *Non est verisimile cum degustationem illico secutus sit pudor, relicta proxima arbore, alias errabundos quæsiisse quibus foliis contegerentur; sed neque cum advenientem Deum persentirent, sub illa arbore latitassent quæ reos fecisset illos, nisi sub ea etiamnum comedentes deprehensi fuissent.* — Similia habet Bar-Cepha, cap. 19. *Neque enim simile veri potest existimari*, inquit, *ipsos prætermissa ea arbore quæ proxima erat, ad aliam longiusque dissitam festinasse, ex cujus foliis consignatis subligaculis suam contegerent nuditatem: Erat ergo ficus arbor illa scientiæ boni, et mali, qua non vesci cum essent jussi, non paruerunt edicto:* unde S. Alcimus Avitus, lib. 3. in *Genesim*, cap. 1. ita canit:

Indumenta petunt foliis e mollibus ambo, ut
Membra tegant, nudumque malum sub veste latescat.
Umbrosis prope stabat ficulnea ramis,
Frondentes diffusa comas quas protinus Adam
Humentem capiens raso de cortice librum,
Assuit: et viridi solatur veste ruborem.

Verum *Tostatus* in caput 3. *Genesis*, qu. 61. illam arborem non fuisse ficum, probat his argumentis; *Primo*, quia mox ut comederunt fructum illius, senserunt bonum quod amiserant, et malum in quod se conjecerant, pudore penitus suffusi; unde verisimile est ingenti horrore et odio illius arboris affectos, ex qua exitium in se excitaverant longius ab ea recessisse, nec manum ad folia ejus extendere ausos, ne majus aliquod damnum in caput suum accerserent. Præsertim cum Eva serpenti dixerit *Gen.* 3. 6. *De fructu ligni quod est in medio Paradisi præcepit nobis Deus ne comederemus, et ne tangeremus illud. Secundo*, Arbor scientiæ boni vel mali erat pulcherrimi visus *Gen.* 3. 6; at certe ejusmodi non est ficulnea.

Probatur itaque secunda pars, nempe quod Arbor illa fuerit species quædam *Mali*, eaque præstantissima, nempe vel *Pyrum*, vel *Malum punicum*, vel alterius etiam speciei nobilioris et suavioris; cujus rei argumentum est illud *Canticorum* 8. *Sub arbore Malo suscitavi te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua:* ac si dicat Sponsa seu Ecclesia: sub Malo in Paradiso voluptatis excitavi te e dulci quiete Divinitatis tuæ, ut induta carne, meas subires miserias factus homo: nam (ut peccatum primorum parentum expiaret Deus humanam naturam induit) mox uti illi esu Mali peccaverunt, promisisti semen benedictum Christum: *Ipse*, vel *ipsa conteret caput tuum*. Ibi Eva mater omnium viventium, vel natura humana sub Malo corrupta, et violata est gravissimo inobedientiæ peccato. Quamquam enim nomen *Mali* in Scriptura sacra tribuatur omnibus arboribus quarum fructus sunt levioris et mollioris corticis, quique suavem spirant odorem; nihilominus Vulgata hanc significationem restringit ad genus *Mali* quo *pomum* significatur, ut etiam appareat ex notione vocis ar-

borem illam scientiæ boni, et mali fuisse speciem aliquam pomi præstantissimi. Unde Judæi aliqui fabulati sunt ex hac arbore vetita Seth jussu Angeli accepisse semen, illudque indidisse ori Adæ sepulti; ex quo sucreverit arbor, ex qua crux Christi confecta est, quæ peccatum Adæ abolevit: decuisse enim, ut in eodem ligno, quo peccaverat Adam, Christus Adæ peccatum lueret et expiaret. Fabulam hanc fuse narrat Pineda lib. 5. *De Salom.*, cap. 14.

Conclusio secunda. — FRUCTUS ARBORIS VITÆ SOLUM HOMINIBUS VITÆ DIUTURNITATEM, NON AUTEM VERAM IMMORTALITATEM CONTULISSET. Hæc est Doctoris in 2. dist. 19. quæst. unic. n. 1. ubi probat arborem vitæ non habuisse vim naturalem et physicam conservandi hominis vitam infinito tempore, sed usque ad aliquod definitum tempus diuturnum: quo exacto translatus fuisset homo in Paradisum Cælestem antequam fuisset alteratum ipsius corpus alteratione improportionata animæ rationali ipsum informanti. — Ratio ipsius est, quod virtus et efficacitas illius arboris finita erat: ergo ad infinitum tempus non poterat extendi. *Insuper* Deus poterat aliam arborem, illa præstantioris et majoris virtutis creare, cujus effectus longioris et diuturnioris fuisset durationis: ergo hujus efficacitas in infinitum non diffundebatur. *Rursus,* omne agens physicum in agendo patitur, et debilitatur; quare etiam in statu innocentiæ calor naturalis hominis in ipsa nutritione, aliisque actionibus defectum aliquem passus fuisset, et tandem debilitatus esset: nec fructus arboris vitæ converti potuisset nobiliorem in statum, quam erat status comedentis, qui quidem infirmus et debilitatus esset. Seu ut loquitur Doctor, *quidquid fuisset principium activum in homine, non potuisset continuare actionem, quin aliquando debilitaretur: quia omne agens physicum in agendo debilitatur. Esto ergo, quod natura esset debilitata, et sumeret de fructu, non potuit sustentari per istum fructum, nisi convertendo ipsum, ut alimentum in substantiam et naturam suam; sed illud conversum non potuit esse nobilius, quam convertens. Similiter natura convertens prius fuit debilitata, et in convertendo etiam nutrimentum illius fructus debilitatur magis: sicut enim in una actione, ita et in alia, et ideo magis debilitatur, quanto magis et magis agit in convertendo: ergo semper debilitatur, et ideo quandoque deficiet. Exemplum Aristotelis de aqua mixta vino: nam vinum primo convertit aquam in se, toties autem potest apponi aqua, quod deficiet virtus vini in convertendo: unde secunda vice minus fortiter operatur, quam prima.*

Addidit Pererius lib. 3. in *Genes.*, n. 69: si arbor vitæ vim habuisset conservandi hominis vitam ad infinitum tempus, fore illam vim et potentiam plane otiosam, inanem, et supervacaneam, frustraque ei arbori tributam: cum enim homo in statu innocentiæ non esset vitam in terris æternam acturus, sed constituisset Deus cum ad tempus quoddam longissimum, definitum tamen, puta ter vel quatuor mille annorum in terris vivere; postea vero in statum meliorem commutatum, vitam ducere omni ævo in cælis beatissimam: erat profecto rationi consentaneum, ut arbor vitæ potentiam haberet servandi hominem incorruptum et integrum usque ad aliud tempus præscriptum: ultra vero illud tempus, nec opus erat homini, et fuisset sine ullo usu, atque

omnino supervacuum. Deus autem et natura, inquiunt Philosophi, nihil frustra, nihil sine causa, nihil ad nullum usum, et finem faciunt. Et cum corpus humanum sit intrinsece corruptibile quadruplici nomine: quia ex materia, quia ex elementis, quia ex partibus heterogeneis coagmentatum est, quia denique calor ejus debilior fit in dies, et ex repugnantia alimenti, et ex impuritate humoris alimentalis, qui est pabulum ejus: cum igitur ita se habeat corpus humanum, non potest fieri naturaliter, ut non aliquando corrumpatur; nec opinor ex ullo cibo, vel medicina posse fieri calorem, et humorem nativum ita perfectum et purum, sicut est ab ortu hominis, nec multiplicanda sunt miracula de illa arbore sine necessitate. — Constat ergo lignum vitæ non tribuisse homini immortalitatem simpliciter, quia nec arcebat mortem, quæ homini a ferro, igne, aqua, præcipitio, et aliis innumeris casibus posset obvenire: sed tantum eam, quæ a senio, et defectione activæ virtutis contingere solet: neque hanc mortem simpliciter in sempiternum ævum dispulisse: sed ad certum, et præfinitum tempus dumtaxat. Unde præstitisset homini potius, ut posset ab hac parte non mori, quam ut non posset mori: nam etsi sæpius gustasset, numquam simpliciter ad æternum tempus virtus ejus activa firmaretur, sed semper maneret defectibilis, cum singulis comestionibus nonnisi ad determinatum aliquod tempus roboraretur.

Hanc esse mentem S. Augustini fere omnes fatentur, nam lib. 14. *De Civit.*, cap. 26. ait: *Cibus aderat homini in Paradiso ne esuriret, potus ne sitiret, lignum vitæ ne illum senectus dissolveret: nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ullas molestias ullis ejus sensibus ingerebat; nullus intrinsecus morbus; nullus ictus metuebatur: extrinsecus summa in carne sanitas.* Et lib. 6. *De Genesi*, c. 5. inquit: *Corpus Adæ ante peccatum, et mortale secundum aliam, et immortale secundum aliam causam dici poterat, idest,* mortale, *quia poterat mori;* immortale, *quia poterat non mori: aliud est enim* non posse mori, *sicut quasdam naturas immortales creavit Deus; aliud est autem* posse non mori, *secundum quem modum primus creatus est homo immortalis: quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ; a quo ligno separatus est cum peccasset, ut posset mori, qui nisi peccasset posset non mori.*

Dices: Esus ligni vitæ homini veram immortalitatem contulisset: ergo non solum vitæ diuturnitatem. Probatur *antecedens* ex illo *Genesis*, cap. 3. v. 22. ubi Deus de perduelle Adamo sermonem faciens ait: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est sciens bonum, et malum: nunc ergo ne forte mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitæ, et comedat, et vivat in æternum,* ideo ejecit eum de Paradiso. Ergo edens de ligno vitæ vitam habuisset immortalem. — *Confirmatur* ex sanctis Patribus, maxime Irenæo lib. 3. *Adversus hæreses*, cap. 37. ubi scribit Adamum ejectum e Paradiso, ne gustaret de ligno vitæ, aitque, id factum esse non tam Dei indignatione, quam misericordia, nimirum ne post peccatum edens ex fructu vitæ, evaderet immortalis, vitamque sempiternam in perpetuis miseriis, et ærumnis ducere cogeretur. *Quapropter,* inquit, *ejecit eum a Paradiso, et a ligno vitæ longe transtulit, non invidens ei lignum vitæ, quemadmodum quidam dicunt, sed miserans ejus ut non perseveraret semper tran-*

sgressor, neque immortale esset, quod esset circa eum, et malum intolerabile; seu ut brevius loquitur S. Gregorius Nazianzenus Orat. 2. *De Paschate*: *Inde Paradiso ejectus et a ligno vitæ separatus Adam lucratur quidpiam mortem nempe, ac peccati abscissionem ne malum esset immortale: sitque pœna misericordia.* Idem sentit S. Chrysostomus Hom. 18. *De Arbore Vitæ.* Insuper et S. Augustinus, seu quicumque alius auctor lib. *Quæstionum Veteris et Novi Testamenti* ita videtur sensisse, nam c. 19. ait: *Sic ergo immortalis, et incorruptibilis condita est caro hominis, ut suam immortalitatem et incorruptionem per observantiam mandatorum Dei custodiret: in quibus mandatis hoc continebatur, ut de illis lignis concessis manducaret, et ab interdicto abstineret. Per horum edulium immortalitatis dona conservaret, donec corporalibus incrementis perductus ad ætatem, quæ Conditori placeret, multiplicata progenie ipso jubente sumeret de ligno vitæ, quo perfecte immortalis factus cibi alimenta ulterius non requireret.* Quibus verbis per unicam comestionem ligni vitæ, quæ post decursum multorum annorum fieret Deo jubente, sic immortalis futurus fuisse dicitur primus homo, si mansisset, ut non indigeret ulterius alia comestione. — **Nego antecedens,** et ad ejus probationem dico, Deum quasi irrisorio sermone, et ironice dixisse, *ne forte vivat in æternum:* hæc enim sicut et præcedentia verba ironice protulerat, nempe: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est sciens bonum et malum;* certum namque est Adamum perduellem revera non fuisse divinis Personis assimilatum, nec parem habuisse cum eis cognitionem boni et mali; sed solum illis verbis Deus Adamo confusionem ingerebat, exprobrans ipsi ambitionem, qua parem Deo scientiam acquirere cupiebat, quam esu arboris vitæ diabolo decipiente et promittente se consecuturum sperabat, quam tamen non est adeptus. Adde quod mille aliis modis potuisset Deus impedire, ne Adamus post peccatum comederet de ligno vitæ, etiamsi in Paradiso subsisteret; poterat siquidem vel arborem illam destruere, vel ejus fructui efficacitatem substrahere, sicut interdum tempore famis *firmamentum panis contrivit,* inquit Regius Vates, hoc est, virtutem nutriendi abstulit, vel ipsam arborem occultare, aut custodia angelica munire, quatenus ad eam homo non accederet, sicut et de facto constituit Cherubinum ante Paradisum post ejectionem Adami, ne vel ipse, vel ejus posteri ad eum remeare tentarent. Verisimile est ergo, quod ironice locutus fuerit Deus dicens: *Ne forte mittat manum suam, et sumat de ligno vitæ, et vivat in æternum.* — *Ad confirmationem dico,* vel SS. Patres laudatos intelligendos esse de immortalitate et æternitate non simpliciter et proprie dicta, sed secundum quid et improprie nominata pro vitæ longæva diuturnitate; eo scilicet modo quo Scriptura sacra diuturnum tempus, æternitatem appellare solet, uti fusius explicuimus et probavimus agendo de immortalitate, et æternitate soli Deo propria; vel dico, quod si revera intelligendi sint de immortalitate proprie dicta; eorum quidem auctoritatem oppositam sententiam probabilem efficere, nostram vero non expugnare, quippe quæ similibus sanctorum Patrum auctoritatibus muniatur.

✻ " Quæres I. — *Utrum homo innocens fuerit immortalis ex virtute ligni vitæ, aut ex constitutione naturæ?*

Respondeo, circa hominis immortalitatem et mortalitatem variam ac multiplicem esse cum veterum, tum recentium Theologorum sententiam. Theophilus qui anno Christi 180. septimus post S. Petrum Ecclesiæ Antiochenæ episcopus exstitit, lib. 2. *Ad Autolycum*, scribit hominem ab initio nec mortalem nec immortalem fuisse conditum: *Dicat aliquis*, ait, *mortalisne creatus est homo? Nequaquam. Quid igitur? Num immortalis? Ne hoc quidem. Nam a primordio suæ creationis, nec mortalis, nec immortalis conditus est. Si immortalem ab initio eum fecisset, Deum eum constituisset; si mortalem eum formasset ab initio, Deus sane posset auctor hominum mortis videri. Apparet igitur hominem a Deo nec mortalem, nec immortalem esse factum; sed, quemadmodum supra significavimus, utriusque quodam modo participem, ut si ad ea ferretur, quæ ducunt ad immortalitatem, observandis Dei mandatis, mercedem ab eo acciperet immortalitatem, et deus fieret. Sin autem conversus fuerit ad peccatum, inobediens Deo, ipse sibi auctor fieret mortis.* — Refert Origenes apud Theodoretum, quæst. 39. in *Genes.* quosdam sacros Interpretes existimasse hominem post peccatum mortali corpore a Deo fuisse vestitum et circumdatum: *Quid*, inquit, *existimare debemus istas pelliceas? Valde quidem stolidum est, et anile, Deoque minime dignum, arbitrari Deum pelles animalium jugulatorum, aut aliter mortuorum accepisse, et inde pelles illas consuendo, coriarii more in vestimenti formam redegisse. Rursum, ut vitetur hæc absurditas, dicere vestes illas pelliceas, nihil aliud esse quam corpora, probabile quidem est, et ad assensionem eliciendam efficax; at non evidens quod sit verum. Si enim pelliceæ vestes sunt carnes et ossa, quomodo antea dixit Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea? His igitur ambiguitatibus obruti nonnulli asseverant, vestes pelliceas esse mortalitatem illam, qua circumdati sunt Adam et Eva, morti propter peccatum adjecti. Sed isti non facile probare possunt, quomodo Deus, et non multo magis peccatum, mortalitatem pariat successori. Præterea necesse est eos dicere, carnem et ossa propria ratione non esse corruptibilia, cum postea Patres nostri propter peccatum conditionem mortalitatis acceperint.* — Ei subscribit S. Methodius martyr, lib. *De Resurrectione apud Photium*, cod. 234.: *Cum Deus Omnipotens Adamum immortalem fecisset, sciens eum ex insidiis diaboli malum factum, uti et ille erat qui eum deceperat diabolus, propterea illi pelliceas vestes concinnavit, quasi illum induens mortalitate, ut per corporis solutionem omne quod in eo malum erat, moreretur.* — Eis etiam concinit S. Epiphanius, Hæres. 64.: *Propterea Deus pelliceas illas tunicas fecit, ut illum velut morte quadam indueret, et ea corporis dissolutione, quidquid in eo mali productum fuerat, intermoreretur.*

Censuerunt nonnulli SS. Doctores mortem quidem homini inflictam occasione peccati et suæ in Deum perduellionis ac inobedientiæ, non tamen ex affectu vindictæ et justitiæ, sed misericordiæ et clementiæ, neque in pœnam peccati, sed in miseriæ solatium et innocentiæ remedium. Sic Gregorius Nazianzenus, Orat. 42.: *Postquam diaboli invidia, et mulieris insultu, quem, ut mollior, passa est, et ut ad persuadendum*

accommodatior, admovit. O (infirmitatem meam, mea enim est primi parentis infirmitas) accepti mandati oblitus, ab acerbo illo gustu victus est, simul et a ligno vitæ, et a Paradiso, et ab ipso Deo propter peccatum expellitur, et pelliceas tunicas induit, utique crassiorem carnem et mortalem, primumque turpitudinem suam agnoscit, et a Deo se abscondit, atque hic quoque tamen mortem ac peccati præcisionem elucratur, ne malum immortale sit. Ita pœna ipsa in misericordiam cessit : sic enim Deum supplicia inferre censeo. — Ejusdem etiam sententiæ est S. Ambrosius, lib. *De bono mortis*, c. 4. : *Si recolamus, quod Deus mortem non fecerit, sed postquam homo lapsus in flagitium est prævaricationis et fraudis, sententia eum comprehenderit, ut in terram suam terra remearet, inveniemus mortem finem esse peccati, ne quo esset vita diuturnior, eo fieret culpa numerosior. Passus est igitur Dominus subintrare mortem, ut culpa cessaret, etc.* — Adjicit S. Chrysostomus, Homil. 26, in *Genes.* : *Mortis supplicium Adamo Deus propter hoc intulit, ut ne posthac per inobedientiam peccato obnoxius effectus perpetuo peccaret. Non videntur tibi hæc esse maximæ clementiæ, ejici a paradiso, et pœna hac puniri?*

Ex his manifestum fit non unam eamdemque fuisse SS. Patrum de hominis immortalitate aut mortalitate sententiam. Tametsi enim convenirent omnes hominem non fore morti obnoxium quamdiu stetisset innocens, nec mortalitati addictum nisi post prævaricationem ; nondum tamen constans et una apud eos erat sententia mortem esse hominibus præscriptam in peccati vindictam et pœnam. At ut petulans est et impatiens hæreticorum genium, illa de hominis mortalitate disputatio quæ diutissime inter catholicos quasi limites sese continuerat, tandem in apertum errorem erupit. Cælestius enim Pelagii assecla primus cum suo erroris socio ausus est effutire *Adamum mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, fuisset moriturus.* Tanta autem petulantia dogma istud ab eis propugnatum est, ut inter Pelagianos errores, hunc primum ac veluti caput recenseant Marius Mercator, præfatione in librum *Subnotationum*; et S. Augustinus, lib. *De gestis Pelagii*, cap. 11.; et auctor libri *Hypostaticon*, tom. 8., apud S. Augustinum, et S. Prosper, carmine *De ingratis*, ubi cecinit :

Hac primos homines cretos ditione ferebat,
Ut seu præscriptum mandatum transgrederentur,
Sive inculpati servata lege manerent,
Mortem istam prorsus, qua carmen vita relinquit,
Oppeterent, quæ non peccato parta, sed ipso
Instituente Deo comes esset fixa creatis.

Inde est quod Arausicana Synodus hinc primum inter Pelagianos errores damnavit. Cum enim sint ipsius octo canones adversus hæresim Pelagianam, primus omnium existit : *Placuit omnibus episcopis qui fuerunt in hac sancta Synodo, ut quicumque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut, sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.* — Unicum etiam retulit in sua sanctione Honorius Imperator, idque eo maxime, quod in capite cetera complexus sibi videbatur, ortumque inde secundi erroris indicasse.

Sic enim ait: *Impiæ commentationis auctores Pelagium Cœlestiumque percrebuit extitisse. Hi parenti cunctarum rerum Deo, præcipuæque semper majestati interminate potenti, et ultra omne principium transeunti, tam trucem inclementiam sævæ voluntatis assignant, ut cum formandi mundi opificem curam sumeret, qualitatemque hominis struendi profunda spiritus conceptione libraret, fundati muneris finem anteferret exordio, et mortem præmitteret nascituro: non hanc insidiis vetiti fluxisse peccati, sed exegisse penitus legem immutabilis constituti, ut ad declinandum lethi exitialis incursum, nihil prodesset abstinentia delinquendi: cujus ita vis putatur astricta, ut non possit aboleri deinceps. Primitivi hominis errorem, in quem captæ mentis, inops rationis, cæcitate irruisset, delapsum ad posteros non fuisse; tantumque apud eum, quem malesuada gratia infelix rapuisset illecebra, transgressionem interdicti extitisse discriminis, cum evidens catholicæ legis omnifaria testetur auctoritas, illum interitus omnium fuisse vestibulum, quem divinæ præceptionis sedulum liquet corripuisse mandatum.* At de hoc erroneo Pelagianorum dogmate, paulo infra plenior erit sermo.

Petes. — *Quæ fuerit Theologiæ Scholasticæ Principum de hominis innocentis immortalitate sententia?*

Respondeo, Doctores Angelicum et Subtilem circa hujus quæstionis resolutionem invicem consentire quod Adamus secundum suam constitutionem naturalem et physicam spectatus morti quidem fuisset obnoxius, nisi divino præveniente beneficio in statu innocentiæ, quamdiu ille perseverasset, a mortis aculeo fuisset et imperio liber. Verum dissentiunt invicem in eo quod Angelicus Doctor contendat illam hominis innocentis immortalitatem oriundam fore ex quadam supernaturali qualitate intrinsece hominem afficiente, qua a morte fieret immunis. Nam 1. p. quæst. 97. a. 1. *In corpore: Tertio,* inquit, *modo dicitur aliquid incorruptibile ex parte causæ efficientis; et hoc modo homo in statu innocentiæ fuisset incorruptibilis, et immortalis: quia ut Augustinus dicit (lib. De quæst. novi et vet. Testam. q. 19.) Deus hominem fecit, qui quamdiu non peccaret immortalitate vigeret, ut ipse sibi auctor esset, aut ad vitam, aut ad mortem. Non enim corpus ejus erat indissolubile per aliquem immortalitatis vigorem in eo existentem, sed inerat animæ quædam vis supernaturaliter divinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione præservare, quamdiu ipsa Deo subjecta mansisset; quod rationabiliter factum est: quia enim anima rationalis excedit proportionem corporalis materiæ, ut supra dictum est, conveniens fuit, ut in principio ei virtus daretur per quam corpus conservari posset supra naturam corporalis materiæ.* Et in eadem quæst. a. 3. ad 1.: *Immortalitas primi status* (id est innocentiæ) *erat secundum vim quamdam supernaturalem in anima residentem.* Esse autem hanc virtutem independentem a ligno vitæ docet a. 4. ejusdem quæst. *Non tamen lignum vitæ,* inquit, *simpliciter immortalitatem causabat, quia neque virtus quæ inerat animæ ad conservandum corpus causabatur ex ligno vitæ.*

Doctor vero Subtilis contendit immortalitatem hominis innocentis oriundam esse non ab intrinseco, sed ab extrinseco Dei beneficio. Ait enim, in 2. dist. 19. n. 3.: *Dico quod homo in statu, seu stante statu*

innocentiæ, potuit mori: ista tamen potentia non fuisset reducta ad actum, et sic poterat non mori, sicut si diceretur de aliquo, et vere, quod potest esse episcopus, qui tamen numquam erit episcopus. Addit num. 5.: *Dico tamen quod stante innocentia non accidisset mors: cujus causam assigno talem, quia quilibet fuisset translatus in Paradisum, antequam fuisset alteratus alteratione improportionata animæ, sive formæ: et hæc translatio non fuisset miraculosa, sed justa et regularis, quod quilibet in statu suo transformaretur.* Quibus verbis declarat Doctor quod homo perseverante statu innocentiæ physice et ex naturali sua constitutione fuisset quidem mortalis, tametsi nusquam moriturus ex Dei privilegio ipsum a morte præservantis per singularem custodiam et providentiam, atque etiam per præsidium ligni vitæ cujus virtute temperamentum ejus semper fuisset ad pondus, nec mortis semina ex humorum discordia et oppositione naturali exurgentia usquam sensisset. — Itaque Doctoris sententia est, quod hominis corpus ex natura sua esset quidem defectibile, nusquam tamen deficeret ex singulari Dei protectione. Quod autem revera defectibile esset ex natura sua, atque physice mortale, probat Doctor, *num.* 3. et sequentibus. Primo quia in statu innocentiæ eædem essent causæ mortis quæ in statu naturæ puræ, necnon et lapsæ; igitur homo esset in eo statu physice mortalis. *Consequentia* est evidens; *antecedens* vero probatur: corpus humanum in statu innocentiæ iisdem constabat partibus et humoribus quibus constaret in statu naturæ puræ, et quibus jam constat in statu naturæ lapsæ, utpote cum ad naturalem ipsius constitutionem spectent: itaque ex naturali sua activitate frigida calidis, et humentia siccis opponerentur, atque invicem pugnarent, seseque mutuo conficerent, nisi præpedirentur aliunde. Haberet igitur homo in eo felici statu seminarium defectionis. — Accedit quod in statu innocentiæ vigeret actio calidi naturalis in humidum radicale, ut vigere solet in nutritione. Istud autem fieri nequit sine actione et repassione; nam ut vulgare est apud physicos, *omne agens agendo repatitur, et repatiendo debilitatur.* Itaque non obstante felicitate illius status, esset semper in homine principium defectionis. *Deinde,* potuisset homo in illo statu substrahere sibi alimenta necessaria; igitur in eo fuisset semper potentia naturalis moriendi. *Antecedens* patet, nullus enim est cui non sit liberum substrahendi tam sibi, quam aliis cibum necessarium ad vitæ sustentationem, præsertim parvulis et infantibus; igitur, etc. — *Denique,* in statu innocentiæ corpus esset ex se vulnerabile, non minus quam ex statu naturæ lapsæ, carnes enim essent flexibiles, nec pellis ferri aut adamantis instar obduruisset: igitur potuisset admittere punctiones, læsiones et vulnera, nisi aliunde et ab extrinseco ab eis nocumentis fierent immunes. Equidem, si alicujus corpus in eo statu in ignem conjiceretur, aut fuste tunderetur, aut pungeretur aculeis et gladio, num extingueretur ignis, gladius hebetaretur, aut fustis resiliret? Hæc si quis affirmaverit, ventos pascit et fabulis delectatur. *Confirmatur* autem illa Doctoris Subtilis sententia auctoritate S. Augustini qui lib. 6. *De Genes. ad litt.,* cap. 25. respondens ad objectionem eorum qui dicebant per Christum non fuisse resarcitam jacturam humano generi ab Adamo illatam, utpote cum corpus adhuc morti sit obnoxium, ait de Adami corpore: *Illud quippe*

ante peccatum, et mortale secundum aliam, et immortale secundum aliam causam dici poterat: idest, mortale, quia poterat mori; immortale, quia poterat non mori. Aliud enim est non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus: aliud autem est posse non mori secundum quem modum primus creatus est homo immortalis; quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ: a quo ligno separatus est cum peccasset, ut posset mori, qui nisi peccasset posset non mori. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Conditoris. — Similia habet lib. 1. *De peccatorum meritis et remissione,* ubi agens contra Pelagium ejusque sequaces negantes mortem esse pœnam peccati, et asserentes hominem quocumque esset in statu, moriturum, quia mors erat conditio naturæ in hominibus sicut et in brutis, sic respondet S. Augustinus, ut concedat corpus humanum mortale quidem esse in quocumque statu, sed non moriturum in statu innocentiæ, quia homo in eo statu tamdiu victurus erat, donec transferretur ad beatitudinem in qua corpus illud erat commutandum ex animali in spirituale, et ex corruptibili in incorruptibile. Unde concludit cap. 5.: *Antequam mutaretur in illam incorruptionem quæ in Sanctorum resurrectione promittitur, poterat esse mortale: quamvis non moriturum: sicut hoc nostrum potest, ut ita dicam, esse ægrotabile, sed non ægrotaturum. Cujus enim caro est, quæ non ægrotare possit, etiamsi aliquo casu, priusquam ægrotet, occumbat. Sic et illud corpus jam erat mortale, quam mortalitatem fuerat absumptura mutatio in æternam incorruptionem, si in homine justitia, idest obedientia permaneret: sed ipsum mortale non est factum mortuum, nisi propter peccatum.* — Ex his manifestum fit sententiam Doctoris omnino conformem esse menti S. Augustini, qui censet in quocumque statu mortem esse naturalem homini; nec valere argumentum: non moritur, ergo non est mortale; sicut non valet: non ægrotat, ergo non est ægrotabile. Itaque tametsi in statu innocentiæ homo non fuisset morti subjectus, non minus ex natura sua mortalis esset.

Dices: Idem S. Augustinus, quæst. 19. ex lib. *Quæstionum veteris et novi Testamenti*, ait: Deus hominem fecit, qui quamdiu non peccaret, immortalitate vigeret, ut ipse sibi auctor esset aut ad vitam, aut ad mortem. — **Respondeo,** Thomistas in hac auctoritate frustra gloriari, siquidem manifestum est librum istum quæstionum in vetus et novum Testamentum perperam S. Augustino adscribi; non enim genuinus est fœtus, sed omnino spurius, ut cum Lovaniensibus observavimus in recensione operum S. Augustini. Accedit quod idem auctor hominis immortalitatem non ex intrinseca et supernaturali virtute, sed ex extrinseco beneficio repetat. Subjicit enim post verba a S. Thoma laudata: *Quamdiu enim in Creatoris lege duravit, dignus fuit edere de arbore vitæ, ut mori non posset. Nec enim corpus tale erat quod dissolvi impossibile videretur, sed gustus arboris vitæ corruptionem corporis imbibebat. Denique etiam post peccatum potuit indissolubilis manere, si a Domino permissum esset illi edere de arbore vitæ. Nam quomodo immortale corpus habebat, quod cibo sustentabatur? immortalis enim non eget cibo, neque potu. Cibus enim vires præstabat, vitæ autem arbor medicinæ modo corruptionem prohibebat. Sic enim homini erat quasi inexpugnabilis murus.*

Dices 2: Status innocentiæ erat quadam gratiæ originalis communicatione beatus; ergo debebat habere aliquam vim et qualitatem supernaturalem qua humanum corpus fieret immortale ab intrinseco, sicut beatorum corpora sunt immortalia. — **Nego sequelam**; virtus enim et qualitas illa est omnino improbabilis; esset enim vel spiritualis vel corporea. Non primum, sic enim corpori non posset esse mortis antidotum; non etiam secundum, quia non apparet qua ratione virtus illa sistere posset ne corpus humanum deficeret ab intrinseco vel extrinseco. Nec eadem est ratio de conditione corporum in statu innocentiæ quæ de statu beatitudinis post resurrectionem. In hoc enim corpora erunt omnino immortalia non per aliquam qualitatem intrinsecam quæ illa eximat a morte, sed ratione status ab omni prorsus corruptione liberi.

Instabis: Status innocentiæ addit aliquid supra statum naturæ puræ in quo homo mori posset et moreretur, sicut et peccare posset et peccaret. Igitur, sicut anima præservabatur a peccato per gratiam sanctificantem, ita et corpus eximi debebat a morte per aliquam qualitatem internam. — **Respondeo**, revera statum innocentiæ puræ habuisse divina beneficia quibus homo caruisset in statu naturæ puræ; nam præter gratiam et auxilia præservantia animam a peccato, habebat etiam fructum ligni vitæ, quo vires corporis servarentur integræ, et ab omni defectu fierent liberæ. Unde discrimen hoc intercedit inter quadruplicem statum naturæ, puræ, lapsæ, innocentis, et beatæ; quod in duobus prioribus homo esset mortalis et moreretur, in tertio mortalis esset, sed non moreretur; in quarto vero omnino erit immortalis ratione status ab omni defectu immunis.

Quæres. 2. — *Utrum in statu innocentiæ homo revera fuisset mortuus?*

Respondeo, "✳fide constare, quod si non peccasset hominum primus, nusquam morti fuisset de facto subditus. Hæc namque veritas primum determinata est in Synodo Diospolitana: refert namque S. Augustinus *De gestis Pelagii*, cap. 11. hoc isti ab ejus Synodi Patribus objectum ex Discipuli ejus Cælestii scriptis: *Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset; quoniam peccatum Adæ ipsum solum læserit, et non genus humanum.* Hæc porro, *Judicio illo Ecclesiastico anathematizante Pelagio, et Episcopis interloquentibus constat esse damnata*, ut idem scribit. — Postea vero pleniore in Concilio, cui ex omnibus Africæ Provinciis interfuere Episcopi ducenti tres, proscripta eadem est hæresis Canone isto, *Ut quicumque dixerit; Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.* Qui Canon licet primus habeatur in *Milevitana* secunda Synodo, tamen perperam, est enim *Carthaginensis*, sive Africanæ, et recensetur in Africana collectione septuagesimus sextus; in collectione vero Græca Canonum, cap. 9. atque hoc numero citatur a Michaële Glyca in *Annalibus*. Ac novissime *Tridentinum Concilium*, idem sanxit in primo Canone *De peccato originali*. — ✳ " Hæc autem veritas manifeste constat ex Scriptura sacra, maxime vero ex illis verbis Dei primos parentes alloquentis et

esum fructus ligni scientiæ boni et mali interdicentis: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Quibus proculdubio significatur Adamum moriturum non fuisse, nisi legem illam violasset. Quis enim, si sapiet, ei, quem velit deterrere, comminetur istud malum quod alioquin ex necessitate naturæ aut aliis ex causis certo eventurum uterque novisset? Id ipsum constantissime docebat Apostolus Rom. 5., his verbis: " ✳ *Per unum hominem, peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Quod reliquo deinceps capite repetit. Et postea: *Corpus mortuum est propter peccatum; spiritus vero vivit propter justificationem.* Docet hoc idem liber Sapientiæ, qui *Deum* ait, *mortem non fecisse, nec lætari in perditione vivorum. Creavit enim ut essent omnia, et sanabiles fecit nationes orbis terrarum, etc. Impii autem manibus, et verbis accersierunt illam.* Et apertius capite sequenti: *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum: Invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum:* quo in loco Græca sensum hunc reddit: *Deus creavit hominem ad incorruptibilitatem;* hoc est, ut de facto corrumpi, morique non posset.

✳ " Reponebant Pelagiani, minas Dei sicut et alia adjecta Scripturæ oracula ad mortem animæ seu donorum cælestium spoliationem, et a Deo qui est fons vitæ, sejunctionem referri debere; quoniam hæc sola pœna tanto peccato par esse poterat; non vero spectare ad corporis mortem, quia sive homo peccaret, sive non peccaret, de corpore exiret necessitate naturæ. — **Verum** merito jure instabant Catholici Dei prohibentis minas ex sententia condemnantis intelligi debere: porro post violatam legem Deus dixit Adamo: *Terra es, et in terram ibis.* Quibus significat per mortem ejus corpus in terram unde sumptum fuerat esse reversurum. Urgebant etiam ex duplici Apostoli textu quorum primum legitur in Epist. ad Rom., c. 8.: *Si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem. Quod si Spiritus ejus qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* Alterum ex 1 ad Corinth. xv, v. 21., et 22.: *Per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Unde S. Augustinus pluribi colligit, sed præsertim in libris quos contra Pelagianos edidit, et in sexto *De Genesi ad litteram:* " ✳ *Per hoc,* inquit, *mors etiam corporis de peccato est. Si ergo non peccasset Adam, nec corpore moreretur: ideoque immortale haberet et corpus.* Tum in sequenti; *Verum est quidem, quod non moreretur etiam corpore nisi peccasset. Aperte quippe dicit Apostolus, corpus mortuum propter peccatum.* Et in lib. 13. *De Civit. Dei,* cap. 15. *Unde constat inter Christianos veraciter Catholicam tenentes fidem, etiam ipsam nobis corporis mortem non lege naturæ, quia nullam mortem homini Deus fecit; sed merito inflictam esse peccati, quoniam peccatum vindicans Deus dixit homini, in quo tunc omnes eramus: Terra es, et in terram ibis.* Fulgentius, lib. *De Incarn.*, cap. 12. *Nisi præcessisset,* ait, *in peccato mors animæ, numquam corporis mors in supplicio sequeretur. Et homo in terram carne non iret, si terra peccando non fieret.*

✳ « Urgebant Pelagiani: Si primi hominis peccato factum est ut moreremur corpore, per incarnationem Christi fieret ut credentes in eum non moreremur: *neque enim prævaricatoris transgressio plus nobis nocuit, quam incarnatio vel redemptio profuit Salvatoris.* — **Respondet** S. Augustinus, lib. 2. *De peccatorum meritis et remissione*, c. 30.: « Cur non potius attendunt, hoc audiunt, hoc sine dubitatione credunt « quod Apostolus 1 Cor. 15., sine ambiguitate locutus est? Quia per « hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim « in Adam omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificabuntur: « neque enim aliunde quam de corporis resurrectione dicebat. Omnium « ergo corporis mortem factam per unum hominem dixit, et omnium « corporis resurrectionem in vitam æternam per unum Christum futu- « ram esse promisit. Quomodo ergo *plus nobis nocuit ille peccando, quam « iste profuit redimendo,* cum per illius peccatum temporaliter moria- « mur, per istius autem redemptionem non ad temporalem vitam, sed « ad perpetuam resurgamus?... Poterat autem etiam hoc donare cre- « dentibus, ut nec istius experirentur corporis mortem : sed si hoc fe- « cisset, carni quædam felicitas adderetur, minueretur autem fidei « fortitudo. Sic enim homines mortem istam timent, ut non ob aliud « felices dicerent esse christianos nisi quod mori omnino non possent. « Ac per hoc nemo propter illam vitam quæ post illam mortem beata « futura est, per virtutem etiam contemnendæ ipsius mortis ad Christi « gratiam festinaret, sed propter removendam mortis molestiam deli- « catius crederetur in Christum. Plus ergo gratiæ præstitit, plus fi- « delibus suis sine dubitatione donavit. Quid enim magnum erat vi- « dendo non mori eos qui crederent, credere se non moriturum? Quanto « est majus, quanto fortius, quanto laudabilius ita credere, ut se speret « moriturus sine fine victurum? » Ita S. Augustinus.

Addebant Pelagiani: Si propter peccatum mors corporis contingeret, fieret consequens ut post remissionem peccatorum mortis imperio amplius non subjiceremur. — **Respondet S. Augustinus**, c. 33. : « Non intelligunt res, quarum reatum ne post hanc vitam obsint, Deus « solvit: tamen eas ad certamen fidei sinit manere, ut per illas eru- « diantur, proficientes in agone justitiæ. Posset enim et alius hoc non « intelligens dicere: si propter peccatum dixit Deus homini: *In su- « dore vultus tui edes panem tuum, et spinas et tribulos pariet tibi « terra;* quare et post remissionem peccatorum labor hic permanet, « et hæc dura et aspera parit etiam terra fidelium? Item, si propter « peccatum dictum est mulieri: *in gemitu paries;* cur etiam post pec- « catorum remissionem fœminæ fideles eosdem dolores in parturiendo « patiuntur? Et tamen constat propter peccatum quod admiserant, illos « a Deo primos homines hæc audisse, atque meruisse; nec resistit his « verbis divini libri, quæ posui de labore hominis et de parturitione « mulieris, nisi qui prorsus alienus a fide catholica ejusdem litteris « adversatur ». Deinde adjicit quod sicut illa ante remissionem sunt supplicia peccatorum, post remissionem autem certamina exercitationesque justorum, sic et mortem corporis propter peccatum Deus homini inflixit, et post peccatorum remissionem propter exercendam justitiam non ademit. Quod confirmat exemplo primorum parentum: « *Sicut enim*, inquit, *primi illi homines postea juste vivendo, unde*

« *merito creduntur per Domini sanguinem ab extremo supplicio liberati,* « *non tamen in illa vita meruerunt ad Paradisum revocari : sic et caro* « *peccati etiamsi remissis peccatis homo in ea juste vixerit, non con-* « *tinuo eam mortem non perpeti, quam traxit de propagine peccati* ».

Ex his omnibus duo fiunt manifesta: primum, quod primi parentes erant quidem ex constitutione naturæ etiam in statu innocentiæ physice defectibiles, quia constabant corpore quod ex se erat defectibile: alterum vero quod nusquam mortui fuissent (si stetissent innocentes) per virtutem fructus ligni vitæ. " ✳

Quæres 3. — *An vis illa ligni vitæ fuerit naturalis, aut supernaturalis?*

Respondeo, probabilius videri virtutem illam non fuisse naturalem, et physicam, sed supernaturalem, et extraordinariam : idque colligitur primo ex S. Augustino, lib. 8. *De Genesi*, cap. 5. ubi ait: *Eam arborem non ut alium cibum, sed nonnulla salubritatis occulta inspiratione præstitisse homini firmitudinem, sicut una collirida panis Eliam quadraginta dies aluit : et farina oleumque viduæ Sarreptanæ non deficiebant :* at virtus colliridæ supernaturaliter erat indita, ut etiam olei, et farinæ non deficientis: ergo talis erat virtus ligni vitæ. Insuper lib. 13. *De Civit.*, cap. 20. ait: *Cætera ligna erant homini alimenta ; illud autem vitæ sacramentum.* Ergo, inquit S. Bonaventura in 2. dist. 17. verba Magistri explanans : *sicut Sacramenta nostra non creant gratiam, sed divina virtus ipsis assistens, in eorum legitima perceptione gratiam infundit; sic fructus hujus arboris non dabat immortalitatem, sed divina virtus, cum fructus ille comedebatur, immortalitatem homini largiebatur.* Adde quod si naturalis vis illa fuisset, sequeretur quod animalia, quæ in Paradiso ex fructu vitæ edissent, etiam quamdam immortalitatem fuissent assecuti, quod utique fit improbabile ; tantum namque beneficium belluis animantibus non congruebat. — Itaque longæva hæc vitæ diuturnitas hominis innocentia stante varias habuisset causas, quas secum originalis justitia complectebatur. *Prima* fuisset solers, et attenta cura, et vigilantissima providentia hominis in his cavendis, quæ ejus vitæ, et integritati sive interius, sive exterius nocere potuissent: quod utique facile præstare poterat, cum esset rerum omnium scientissimus, atque prudentissimus, singulosque incidentes eventus prospiceret. *Secunda* erat singularis, et eximia Dei providentia, necnon et amica Angelorum custodia, quibus homo valide protegeretur, et muniretur adversus quæcumque ipsum infestantia. *Tertia* erat vis quædam animæ, quæ ita contineret, et conservaret corpus, ut nihil intra lædere, aut dissolvere posset: nempe ut nulli morbi, nulla intemperies, nullum ex contrarietate formæ, et privationis, aut pugna elementorum, et humorum incommodum oriretur. *Quarta* denique erat lignum vitæ ; sic dictum, inquit Beda in 2. *Genes.* quia divinitus acceperat, ut qui ex eo manducaret, corpus ejus stabili sanitate firmaretur, ne vel ætate in deterius, vel tandem in occasum dilaberetur. Quæ omnia sic explicat Hugo Victorimus : « Lignum vitæ, « inquit, habuit in se naturam ut perpetuaret homini vitam, si com- « petenter ederetur ; factus est enim homo, et mortalis, et immortalis : « immortalis quidem quia poterat non mori per cibi sustentationem

« quo egebat: mortalis autem, quia perire poterat per extrinsecam « violentiam. Sed Deus ita munierat eum intus per lignum vitæ sum- « ptum in cibum, et extra per divinam potentiam, ut posset non mori « intus portam negligentiæ per rationem humanam, extra portam vio- « lentiæ observans per divinam custodiam, ut nisi homo ratione abu- « tens, portam negligentiæ aperiret, nunquam per portam violentiæ « aliquid ei noxium intraret: sed quia noluit sibi cavere, ut servaret « portam sibi commissam, merito Deus ejus deseruit custodiam ».

Rogabis: cum fructus arboris vitæ non ad infinitum, sed determinatum tempus servasset hominis vitam, quam diuturnum foret illud tempus? — **Respondeo**, mihi videri futurum fuisse minimum ad octo, vel decem millia annorum: quod sic argumentari licet: status hominis ante peccatum instructior, et efficacior fuisset ad producendam hominis vitam, comparatione status hominis post peccatum ante diluvium, quam fuit hic status comparatione ejus status, in quo nunc est homo; quia uterque hic status est hominis peccatoris habentis corpus infirmum, et mille malis obnoxium: sed in statu hominis ante diluvium vita fuit decuplo longior, quam est nunc; nam fere nongentos annos excedebat: ergo in statu innocentiæ vita hominis fuisset decuplo longior, quam fuit ante diluvium. Sed hoc intelligi volumus quantum pertinet ad vim, et efficaciam arboris vitæ, et vigorem naturæ humanæ in eo statu; nam quamdiu hominem Deus vitam in terris agere vellet, ne divinari quidem potest.

Quæres 4. — *Num frondes, et fructus ex illis Paradisinis arboribus aliquando defluerent?*

Respondeo, verisimilius videri nullas Paradisi arbores suis frondibus unquam totas nudari: verum cum non essent penitus immortales, arbitror senescentibus quibusdam foliis, sensimque defluentibus nova semper in locum labentium succrescere; ita quod nusquam arbor foliis tota expoliaretur; sed mira semper pulchritudine, et virore vigeret, ut olea, et palma, ita quod ipsis competeret illa benedictio Psalmi 123. *Et folium ejus non defluet.*

Respondeo 2. Arbores frugiferas perenni successione flores extrusisse, qui mox in fructus celeri maturitate coalescerent; ita quod decerpto, aut deciduo maturo fructu, statim novus flos in ejus locum nasceretur, qui deinde in fructum maturesceret, sicque semper continua ista vicissitudo efflorescendi, et fructificandi in arboribus persisteret; alterna videlicet, et mirabili varietate, qua semper inessent aliqui flores, et fructus alii virides, alii maturescentes, alii maturi; quod ad eximiam arborum pulchritudinem, et loci præstantiam conduceret, ita quod videatur ad illas arbores respexisse Ezechiel capit. 47. dum ait: *Et super torrentem orietur in ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomiferum: non defluet folium ex eo, et non deficiet fructus ejus.*

Quæ omnia mire expendunt sacri Poetæ: nam Tertullianus *De judicio hominis* capit. 8. sic canit:

Æternumque virent solæ sine grandine sylvæ:
Nulla cadunt folia, et nullo flos tempore desit...
Arbor stat cum flore novo pulcherrima pomis,
Vitalem, et frugem felicia robora densant.

Similiter Marius Victor, lib. 1. *In Genesim:*

Illic quæque suis dives stat fructibus arbor,
Pomaque succiduis pelluntur mitia pomis,
Quæ jucunda oculis, et miri plena vigoris,
Membra, animosque fovent, pascuntque sapore, et odore.

Tandem S. Alcimus Avitus lib. 2. *In Genes.*, cap. 2. ait:

Sumitur alternus tenui de cespite fructus,
Nam si curvato fœcundo pondere rami,
Dulcia submittunt sublimi ex arbore poma
Protinus in florem vacuus turgescere palmes
Incipit: inque novis fructum producere gemmis.

An autem arbores illæ aliquando siccarentur, et interirent, an vero perpetuo viverent, et virerent, problema videtur; quippe nullus in Paradiso defectus, et mortis indicium appareret si felix stetisset innocentiæ status. Nihilominus probabilius censeo, eas arbores non fore plane immortales: sed aliæ aliis essent longioris ævi, ut sunt aliquæ ex nostris. Dum autem senescerent, et interirent facili conversione in terram solverentur, et in earum locum redivivis germinibus, aliæ ejusdem naturæ germinarent, ut fit plerumque in nostris etiam arboribus tam frugiferis, quam infructuosis. — Hæc videtur esse S. Athanasii sententia quæst. 48. ad Antiochum, ubi inquirens: *Num corruptibilem dicimus Paradisum, an incorruptibilem?* respondet: *Neque corruptioni eum obnoxium dicimus, in morem nostrarum plantarum, et fructuum quæ et a putredine, et vermibus arroduntur: neque tamen plane vicissim incorruptibilem, et magnam consecuturum senectutem: sed respectu nostrorum fructuum, et hortorum omni corruptione est superior: ad futuram vero bonorum gloriam, quam oculus non vidit, nec auris audivit, inferior est, et creditur.*

Quæres tandem 5. *An adhuc Paradisus Terrestris subsistat?*

Respondeo, hujus quæstionis solutionem incertam omnino videri, adeoque nobis erit problematica: cujus *affirmativa pars* sic suadetur: ea veritas nobis debet esse constantissima, quam sancti Patres affirmant, eamque se Apostolica traditione accepisse testantur: sed ita est de existentia Paradisi. *Probatur minor:* primo quidem ex S. Irenæo, (quem S. Epiphanius Hæres. 23. sanctissimum, priscumque Theologum, et successorem Apostolorum appellat.) Ille inquam lib. 5. *adversus hæreses*, c. 5. affirmat Henoc et Eliam translatos fuisse in Paradisum, ex quo projectus est Adamus in hunc mundum, subditque: *Quapropter dicunt Presbyteri, qui sunt Apostolorum discipuli, eos qui translati sunt illuc translatos esse. (Justis enim hominibus, et spiritum habentibus, præparatus est Paradisus, in quem et Paulus Apostolus asportatus audivit sermones inenarrabiles quantum ad nos in præsenti) et ibi manere eos, qui translati sunt, usque ad consummationem, quo auspicantur incorruptelam.* — Favet etiam Tertullianus, lib. *De anima*, cap. 55. ubi ait: *Quomodo Joanni in spiritu Paradisi regio revelata, quæ subjicitur alteri.*

nullas alias animas apud se præter martyrum ostendit? quomodo Perpetua fortissima martyr sub die passionis in revelatione Paradisi solos illic commartyres suos vidit; nisi quia nullis romphæa Paradisi custoditrix cedit, nisi qui in Christo decesserint? Non in Adam nova mors pro Deo, et extraordinaria, pro Christo alio, et privato excipitur hospitio? Agnosce itaque differentiam ethnici, et fidelis in morte, si pro Deo recubas, ut Paracletus monet, non in mollibus febribus, et in lectulis, sed in martyriis: Si crucem tuam tollas, et sequaris Dominum, ut ipse præcepit, tota Paradisi claris tuus sanguis est. — Confirmat S. Augustinus, lib. 2. *De peccato originali,* cap. 23. dicens: *Sunt nonnullæ quæstiones, in quibus salva fide, qua Christiani sumus, aut ignoratur quid verum sit, et sententia definitiva suspenditur, aut aliter quam est, humana, et infirma suspicione conjicitur; veluti cum quæritur, qualis, vel ubi sit Paradisus, ubi constituit Deus hominem quem formavit ex pulvere: cum tamen esse illum Paradisum fides Christiana non dubitet. Vel cum quæritur ubi sit nunc Elias, vel Henoc, an ibi, vel alibi; quos tamen non dubitamus, in quibus nati sunt corporibus vivere.* Quibus videtur asserere actualem Paradisi existentiam esse de fide. Idem censent omnes illi sancti Patres, qui Henoc et Eliam in Paradiso voluptatis ad finem usque sæculi servari superstites affirmant; sic Victorinus Martyr, S. Athanasius, Hieronymus, et alii confirmant: et illi omnes, qui Paradisi pulchritudinem, et delicias ita describunt, ut rem præsentem delineare censeantur: at omnium optime S. Alcimus ait:

> *Permanet æterno conclusus limite, postquam hinc*
> *Excidit expulsus primævi criminis auctor.*

Idipsum ratione suadetur: si non superaret Paradisus terrestris, maxime quia generali terrarum diluvio fuisset obrutus: sed id non videtur probabile. Diluvium enim idcirco missum fuit, ut terram hominum criminibus contaminatam elueret, ut patet *Genes.* cap. 6. Ergo solum eam debuit absorbere, et eluere, quæ fuerat inquinata post ejectum Adamum e Paradiso; non autem Paradisum solis innocentibus viris præparatum; cujus indicium est, quod statim post peccatum, inde ejecti sunt Adam et Eva, et posita est custodia Angelica, ne quis deinceps ad eum accedens posset illum contaminare. — *Secundo, Ecclesiastici,* cap. 44. legimus: *Henoc placuit Deo, et translatus est in Paradisum, ut det Gentibus pœnitentiam:* ergo revera translatus fuit in Paradisum, sicut et Elias: sed illa translatio et deportatio eorum facta non est in Paradisum cælestem, quia ex eo nemo excidit; illi autem rursus cum hominibus debent conversari ut Antichristo obsistant, a quo pariter erunt trucidandi: ergo in terrestrem; ac proinde cum ab inundantibus ac jugulatricibus aquis servati fuerint incolumes, haud dubium videtur servari pariter debuisse locum amœnitatis, in quo degerent. — *Tertio,* Scriptura sacra dicit de Paradiso terrestri quatuor egredi flumina, scilicet Phison, Geon, Tygrim, et Euphratem, de quibus post diluvium non semel fit mentio in Scripturis: ergo debet pariter stare locus e quo effluunt. — *Quarto,* si quæ ratio, aut auctoritas contrarium suaderet, maxime contextus ille,

cap. 7. *Genes.* in quo sic habetur; *Inundaverunt aquæ, et omnia replererunt in superficie terræ, et prævaluerunt nimis super terram; opertique sunt omnes montes excelsi sub universo cælo: quindecim cubitis altior fuit aqua, super montes quos operuerat:* sed hic sacer Textus non officit; in eo namque capite legimus universos homines, et animas, in quibus spiraculum vitæ erat, interiisse, et post pauca subditur: *Remansit autem solus Noe, et qui cum eo erant in Arca:* et tamen nullus admittit Henoc fuisse in Arca reclusum, neque his jugulatricibus aquis interiisse: ergo sicut in hac universali propositione: *Mortui sunt omnes homines, excepto Noe, et qui cum eo erant,* excipitur Henoc; quidni et excipitur Paradisina terra ab universali illuvione?

Negantem problematis partem sic suadere licet: si Paradisus terrestris erat locus hominum in statu innocentiæ permanentium habitationi destinatus, sublatis incolis, verisimile est pariter locum, et incolatum interiisse. Deinde cum a nullo per tot sæcula hominum potuerit inveniri, nec etiam leve ipsius vestigium deprehendi, licet universus terrarum orbis sit habitatus, et lustratus, argumentum est ipsum non superesse. Quod utique confirmatur ex eo quod regiones quas alluunt prædicta quatuor flumina, jam notissimæ sint et habitatoribus ac incolis refertissimæ: ergo si Paradisus a quo effluunt adhuc superesset, quidni potuisset incolarum aliquis ad eum ducentibus fluminum aquis permeare? — Quod enim legitur de *Macharío* quodam *Romano,* et aliis tribus Monachis: qui cum omni studio sese ad investigandum Paradisi locum dedissent, peragratis longinquis regionibus, tandem ad ipsius Paradisi aditum pervenerunt, ab ejus autem introitu prohibiti sunt, nec illuc accedere ausi, horribili illa Cherubini custodia perterriti; hoc, inquam, inter aniles fabulas reputo. Nec majorem censeo faciendam fidem narrationi quam apud *Joannem Gonzale,* in itinerario novi orbis c. 18. descriptam reperimus: regem quemdam *Bengalæ* quam Ganges præterluit, fontem fluminis, atque adeo Paradisum inveniendi cupidine incensum adverso flumine misisse quosdam navigiis, et plurium mensium commeatu instructos, qui fluvio longius emenso multorum dierum navigatione ad campos devenere ubi Ganges placide stagnabat, segnius fluens. Ibi aura spirabat lenior, florum, aromatumque mirabilis odor incredibili voluptate animos omnium profundebat. Rati fontem haud procul abesse, remis velisque valide in interiora conabantur; sed omnis opera laborque evanescebat; nam quamvis omnia essent secundissima, et celerrime invehi existimarent, nihil tamen a loco promovebant. Intellectum ab iis occulta quadam vi se detineri, nec longius ex indiciis locorum *fontem* Gangis, Paradisumque distare, quo penetrare prohiberentur. — ✻ " Verum narrationes istæ majoris non sunt fidei, quam ea quæ Judæi fabulantur de Josue, nimirum, quod cum esset morti proximus, Deus miserit ad eum *Angelum mortis,* qui peteret ab eo, numquid sibi vellet aliquid ante mortem suam? isque solum postulaverit, ut ostenderetur sibi locus mansionis suæ in horto Eden; ductusque ad septum Paradisi, ut introspiceret, elapsusque e manibus Angeli, subito insilierit pede in Paradisum, ibique lustrans omnia, invenerit septem mansiones, singulas longitudine centum millia milliarum, et latitudine decem millia. In

primaque vidisse paganos qui, relicto ethnicismo, ad Deum se converterunt ; in *secunda* pœnitentes ; in *tertia* Abrahamum, Isaacum, Jacobum, et omnes filios Israël qui Ægypto egressi mortem obierant in solitudine ; in *quarta* neminem ; in *quinta* Messiam Filium David, et Eliam ; in *sexta* eos qui hinc migraverant in tristitia ; in *septima* illos qui excesserant in infirmitate et supplicio. — Paulo aliter ac plenius enarrat hæc Carpzovius in Schikard, *De jure Reg. Hebr.*, cap. 6. In *primo* (inquit) conclavi offendebat (Jehosua) proselitos justitiæ sub præfectura Obadiæ Justi ; in *secundo* peccatores per pœnitentiam conversos, sub præfectura Manassis filii Hiskiæ ; in *tertio* Abrahamum, Isaacum, Jacobum, omnesque Israëlitas qui olim ex Ægypto exierant, quique in deserto obierant, et omnes Davidis liberos, excepto Absalomo, Davidem ipsum et Salomonem, atque omnes reges Juda, præter Manassem Hiskiæ filium, utpote pœnitentibus in secundo conclavi præfectum ; præerat autem his Moyses et Aaron. In *quarto* conclavi reperit perfecte justos et fideles ; in *quinto*, omnium splendidissimo, Messiam filium Davidis, et Eliam ; in *sexto* mortuos in via præcepti ; in *septimo* denique mortuos ægritudine propter Israëlitarum iniquitates. At meræ hæ delirantis, ne dicam insanientis cerebri chimæræ sunt, quas auctoribus suis relinquimus, inquit G. Saldenus *Exercit.* 6. *lib.* 2. Ex his itaque et similibus narratiunculis, verius dicam inanibus commentis et fabellis nihil elicitur ad Paradisi terrestris subsistentiam comprobandam. — Accedit ad negantis sententiæ confirmationem, quod cum " * aquæ diluvii per annum integrum continua, et ingentissima vi euntes, et redeuntes omnes arbores, domos, urbes, quin et colles straverunt, totamque fere terræ superficiem dimoverunt : ergo et Paradisi formam, et decorem subverterunt.

Denique, si quidpiam Paradisi existentiam suadeat, maxime textus ille *Eccles.* 44. quo Henoc dicitur translatus in Paradisum : at exinde non sequitur illum esse translatum in Paradisum Adami. Primo, quia Græce non habetur vox illa *Paradisus*, sed tantum *translatus est ut det gentibus pœnitentiam.* Secundo, etiamsi vulgatam translationem servemus, non inde sequitur eum translatum fuisse in Paradisum Adamicum : vox enim *Paradisus,* non semel in sacris libris accipitur pro aliquo delicioso loco, seu horto fructifero arboribus consito, ut patet *Canticorum* 4. vers. 13. *Emissiones tuæ Paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.*

Hanc ipsam veritatem docet Rupertus lib. 3. *De Trin. et ejus operibus,* c. 33. his verbis : *Nusquam Scriptura dat intelligi, quod Henoc, et Eliam Deus tulerit in ipsum Paradisum ubi comederent de ligno vitæ, et viverent in æternum : sed ita sublati sunt, ut in secretam quamdam regionem terræ ducerentur, ubi in magna carnis, et spiritus quiete viverent quousque ad finem mundi redeant, et mortis debitum solvant.* Similia autem Ruperto Gregorius scribit de *Elia*, quem isti volunt una cum Henoc in Paradiso versari. Homilia enim 29. in *Evangelia* sic ait S. Gregorius : *In Cœlum aëreum Elias sublevatus est, ut in secretam quamdam terræ regionem repente duceretur, ubi in magna jam carnis et spiritus quiete viveret, quousque ad finem mundi redeat, et mortis debitum solvat : Ille enim mortem distulit.* Ex prædictis igitur verbis Ruperti et Gregorii, liquido intelligitur, inquit

Pererius, eos sensisse Henoc et Eliam non esse translatos in Paradisum illum terrestrem, sed in alia quadam secreta mundi regione vitam agere: quamquam Henoc fuisse translatum in Paradisum illum Adami nihil officit huic sententiæ: fuit namque translatus Henoc annis 669. ante diluvium, ut perspicitur ex cap. 5. Geneseos, quo tempore non negamus fuisse Paradisum, sed eum diluvio superfuisse, hodieque existere, et in eo Henoc commorari, incertum.

Quantum autem ad SS. Patres, dico eorum sententiam non in omnibus, sed tantum in dogmatibus fidei, et morum doctrinam esse absolute sequendam, ut monet Vincentius Lirinensis: *Antiqua,* inquit, *antiquorum Patrum consensio, non in omnibus divinæ legis quæstiunculis; sed solum in fidei regula, magno nobis studio investiganda est, et sequenda.* — Ad S. Augustinum dico, ipsum ibidem docere, non esse certum, adeoque nec de fide, an Henoc et Elias sint in Paradiso: subindeque mens ejus non est, quod de fide sit nunc Paradisum existere, sed tantum quod aliquando revera extiterit; fueritque locus quidam corporalis et aspectabilis; non autem, ut Origeni placuit, spiritualiter et mystice intelligendus. Quod utique compertum fit ex aliis similibus quæstionibus, quas ibidem proponit, quasque affirmat salva fide posse nesciri: *Puta,* inquit, *quot sint Cæli, in quorum tertium se raptum esse Apostolus commemorat; Vel utrum elementa mundi hujus conspicabilis quatuor, an plura sint? Quid faciat Solem Lunamque deficere his defectibus, quos prædicere Astrologi certa temporum dinumeratione consueverunt? Cur antiqui homines tamdiu vixerunt, quam sancta Scriptura testatur: et utrum proportione longioris ætatis filios sera pubertate gignere cæperint. Ubi potuerit Matusalem vivere, qui in arca non fuit, et qui sicut in plerisque codicibus, et Græcis et Latinis numerantur anni, reperitur supervixisse diluvio? Vel utrum paucioribus, qui rarissimi inveniuntur, potius credendum sit, in quibus ita est numerus conscriptus annorum, ut ante diluvium defunctus fuisse monstretur? quis enim non sentiat in his atque hujusmodi variis, et innumerabilibus quæstionibus, sive ad obscurissima opera Dei, sive ad Scripturarum abditissimas latebras pertinentibus, quas certo aliquo genere complecti, ac definire difficile est, et multa ignorari salva Christiana fide, et alicubi errare, sine aliquo hæretici dogmatis crimine?*

ARTICULUS SECUNDUS.

DE NATURALIBUS ET INGENITIS HOMINIS INNOCENTIS DOTIBUS.

Varias, easque præstantissimas hominibus ingenitas dotes Disputatione præcedenti delineavimus; jam quæ fuerint Adami, et Evæ in statu innocentiæ naturales præcellentiæ proferendum est. Observandumque imprimis cum sancto Bernardo Serm. 11. in Psalm. *Qui habitat;* nos quadrifariam debere Deo gratiarum actionem propter quadruplex ab ipso collatum nobis grande beneficium. *Primum,* inquit, *quod nobis præstitit, quod nos ipsi sumus. Siquidem ipse fecit nos, et non ipsi nos: parumne tibi videtur istud, quia te fecit? Cogita qualem te fecit. Nempe etiam secundum corpus egregiam creaturam, sed se-*

cundum animam magis, utpote imagine Creatoris insignem, rationis participem, capacem beatitudinis sempiternæ. Porro secundum ambo simul, præ ceteris creaturis, maxime admirandam cohærentem sibi incomprehensibili artificio, investigabili sapientia Conditoris. Itaque tam magnum hoc donum quam magna res homo. Sed quam gratuitum putas? Planum est, quia nihil ante promeruit, qui penitus nihil fuit. An postea sperabatur gratiam retributurus auctori? Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. *Nos igitur necessariam retributurus gratiam ei qui sic per omnia sibi sufficit; sed devotas relaturus gratias ei qui sic meruit sperabatur. Quidni gratias agat? Si quis oculorum lumen, si quis usum aurium, si quis narium, si quis manuum, si quis pedum, tibi præpeditum aliquo modo reparasse videretur: si quis sopitam quavis occasione excitasset in te rationem; quis non alius tibi vehementissime succenseret, si quando forte beneficii hujus immemorem, aut benefactori deprehendisset ingratum? Enimvero Dominus Deus ipsa etiam tibi instrumenta largitus, ex nihilo fecit hæc omnia. Nec modo fecit, sed et compegit etiam, et formavit, ac suo quoque illustravit officio. Quomodo non is omni jure sibi gratias exigit ampliores? Nam ne hoc quidem (licet maximo) contentus munere, qui dedit ut esses qui ante non fueras, adjicit etiam unde subsisteres qui jam eras. Nec minus liberaliter hoc quam illud mirabiliter est operatus. Faciamus, inquit, hominem ad imaginem, et similitudinem nostram. Quid vero postea? et præsit piscibus maris, et bestiis terræ, etc. Nam et cœlestia sese elementa in usus creasse tuos ante docuerat: nempe facta memorantur, ut essent in signa, et tempora, et dies, et annos. Cui putas? Nulli utique nisi tibi. Ceteræ siquidem omnes creaturæ, aut in nullo egent his omnibus, aut non intelligunt ea. Quam copiosus in secundo hoc beneficio, quam liberissimus fuit! Quanta igitur largitus est ad substentationem, quanta ad eruditionem, quanta ad consolationem, quanta ex hoc jam ad correptionem, quanta etiam ad delectationem?* Alia duo subdit; nempe beneficia *Redemptionis, et Remunerationis,* quæ quoniam supernaturalia sunt, hic omittenda duximus.

Verum longe majores, et ampliores gratiarum actiones Deo referre tenebatur primus hominum Parens propter ingentia sibi a Deo collata beneficia; quæ sic eleganter expendit S. Augustinus, lib. 14. *De Civit. Dei,* cap. 26. *Vivebat,* inquit, *homo in Paradiso sicut volebat, quamdiu volebat quod jusserat Deus: vivebat fruens Deo, ex quo homo erat bonus: vivebat sine ulla egestate, ita semper vivere habens in potestate. Cibus aderat ne esuriret: potus ne sitiret: lignum vitæ ne illum senecta dissolveret: nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ullas molestias nullis ejus sensibus, ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus: summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas. Sicut in Paradiso nullus erat æstus, aut frigus: sic in ejus habitatore nulla ex cupiditate, vel timore accedebat bonæ voluntatis offensio. Nihil omnino triste, nihil erat inaniter lætum; gaudium verum perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat charitas ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta; atque inter se conjugum fida ex honesto amore societas, concors mentis corporisque vigilia, et mandati sine labore custodia, non lassitudo fatigabat otiosum, non somnus præ-*

mebat inritum, etc. Præmiserat autem cap. 10. *Quam igitur felices erant primi homines, qui nullis agitabantur perturbationibus animorum, nullis lædebantur incommodis! Tam felix universa societas esset humana, si nec illi malum, quod etiam in posteros trajicerent, nec quisquam ex eorum stirpe iniquitatem committeret, quæ damnationem reciperet. Atque ita permanente felicitate, donec per illam benedictionem qua dictum est: Crescite, et multiplicamini, prædestinatorum sanctorum numerus compleretur; alia major daretur, quæ beatissimis Angelis data est, ubi jam esset certa securitas peccaturum neminem, moriturumque neminem: et talis esset vita Sanctorum, post nullum laboris, doloris, mortis experimentum, qualis erit post hæc omnia in incorruptione corporum reddita resurrectione mortuorum.*

His ita præmissis, tria maxime veniunt in præsenti Articulo determinanda: *Primum,* quæ et qualis fuerit Adami et Evæ corporea formatio, et occupatio. *Secundum,* quæ fuerit eorum mentis illustratio et sapientia. *Tertium,* qualis in statu innocentiæ futura esset hominum propagatio.

QUÆSTIO PRIMA.

QUÆNAM FUERIT PROTOPARENTUM CORPOREA FORMATIO, ET EXERCITATIO.

Notandum 1. Adami nomen non solum esse appellationem totius humanæ speciei, sicut est *homo*, sed etiam esse proprium primi hominum parentis, qui Hebraice dictus est *Adam* ab *Adamah*, idest terra, seu argilla rubra. Hebraice enim *Adam* est *rubescere*, et *Adamah* terra, sed a rubedine dicta, qualis est argilla. Hinc *Esau* Hebraice dictus est *Edon*, cujus nominis ratio *Geneseos* 25. et 30. aperitur cum ipse ad Jacob ait: *Da mihi de coctione hac rufa,* nempe ex lenticulis, et statim infert Moyses, *quam ob causam vocatum est nomen ejus Edon*, nimirum quasi rufus. — Censent veteres aliqui Ecclesiæ Patres, primum hominem idcirco dictum *Adam*, quod ejus corpus ex quatuor mundi partibus accepta terra plasmatum fuerit: indeque nomen Adam nactum, quod singulæ hujus vocabuli litteræ inchoent singulas quatuor illas mundi præcipuas partes, juxta Græcum Idioma, quod utique sic expendit S. Cyprianus, vel quisquis est auctor libri De montibus Sina, et Sion adversus Judæos: *Hebraicum Adam in Latino interpretatur* terra caro facta, *eo quod ex quatuor cardinibus orbis terrarum pugno comprehendit terram, sicut scriptum est*, palmo mensus sum Cælum, et pugno comprehendi terram, et finxi hominem ex omni limo terræ, ad imaginem Dei feci illum: *Oportuit illum ex his quatuor cardinibus orbis terræ nomen in se portare Adam. Invenimus in Scripturis per singulos cardines orbis terræ esse a Conditore mundi quatuor stellas constitutas in singulis cardinibus. Prima stella Orientalis dicitur* ανατολή. *Secunda Occidentalis* δυσις. *Tertia stella Aquilonis* αρκτος. *Quarta stella Meridiana dicitur* μεσημβρία. *Ex nominibus stellarum quatuor de singulis stellarum nominibus tolle singulas litteras principales, de stella* Anatole, *a, de stella* Dysis, *d, de stella* Aretos, *a, de stella* Mesembria, *m: in his quatuor litteris cardinibus habes nomen Adam.* Hanc ipsam sententiam confirmat S. August. tract. 9. et 10. in *Joan.*

ubi ait: *In Adam vocabulo quatuor litteris, quatuor orbis terrarum partes per Græcas appellationes demonstrantur. Si enim Græce dicantur Oriens, Occidens, Aquilo, Meridies, sicut eas plerisque locis Scriptura commemorat, in capitibus verborum invenis Adam.* Idipsum docent Sixtus Senensis libr. 3. Bibliothecæ, Salmeron Prolegomeno 7. in *Evangelicam historiam,* Pererius in primum *Genesis.* Quibus patet quantum risu dignus sit Erasmus, qui suo more ridet quod etymon nominis *Adam* cum sit Hebraicum, ex Græca lingua petendum voluerint sancti Patres. Quid enim ineptum aut absonum nomina e prima origine Hebræa, cum communia fiunt aliis linguis, ex eisdem quoque linguis eorum etymon, et allusionem derivare? sic enim Optatus nomen *Cephæ*, non Syriace, sed Græce interpretatus est *caput.*

Notandum 2. Primam mulierem ab Adamo appellatam fuisse *Eram*, eo quod futura esset mater omnium viventium, juxta illud *Genesis*, cap. 3. *Et vocavit Adam nomen uxoris suæ* Eva, *eo quod mater esset cunctorum viventium.* Quæ utique significatio ut sit legitima, non *Eva*, sed *Chaffa* dicenda videtur, idest *vivens,* vel *vivificans*, a radice *Chaja*, idest *vixit.* Non satis autem liquet an hæc nominis impositio facta fuerit ante lapsum; sunt enim qui opinentur Adamum ingenti dolore stupefactum, quod tantis bonis uxoris causa spoliatus esset, tantisque malis, ac morti malorum omnium maximo fuisset addictus, ipsam uxorem per acerbam quamdam ironiam appellasse *matrem viventium*, quemadmodum Græci furias infernales appellant *Eumenides*, idest *faciles* ac *mites*, a contrario nempe, quippe cum dicantur duræ, et inexorabiles. Nisi forte cum Lyrano, et Abulensi dixeris *Eram* significare matrem omnium, non simpliciter, sed ærumnose, et misere in hac mortali vita viventium. Hinc pie aliqui contemplantur apte vocari *Eram*, quasi hoc nomen alludat ad ejulationem parvulorum ex Eva prognatorum. Masculus enim recenter natus ejulando dicit *A*, fœmina vero dicit *E*, unde Poeta:

Dicent e, vel a, quotquot nascentur ab Eva.

Rursum *Eva* per anastrophem, et apocopen Latine est *væ*, per solam Anastrophen est *ave*, quod Beatæ Virgini salutando detulit Gabriel Archangelus.

Notandum 3. Certum esse, quod corpus primi hominum Parentis a Deo formatum fuerit de limo terræ; id namque apertissimis verbis Moyses indicat 2. *Genes.* v. 7. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem.* Quibus verbis quatuor hominis causas assignat: Efficientem quidem, nempe Deum, dicens: *Formavit igitur Dominus Deus hominem.* Materiam cum subdit: *de limo terræ:* formam cum addit: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ:* finem denique: *factus est homo in animam viventem,* idest, ut sit anima vivens, seu animal vivens, puta sentiens, seipsum movens, se et alia noscens, omniaque vitæ opera exercens. Quamquam formam simul et finem hominis significantius, et expressius declaraverat supra dicens cap. 1. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram.* Siquidem ea est germana, et propria forma hominis, quæ Dei similitudinem et imaginem gerit: hæc autem est anima rationalis.

Finis autem hominis is est ut per opera meritoria, Dei adjutus auxilio, quam maxime fieri potest Deo assimiletur per gratiam sanctificantem in hac vita, et per gloriam in altera, ut scribit sanctus Joannes 1. cap. 3. *Scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus.* — Observandum pariter quod Hebraice, et Chaldaice sic habetur: *plasmavit, vel finxit Deus hominem pulverem, vel lutum de terra;* unde septuaginta Interpetres ita verterunt: *Formavit Deus hominem pulverem accipiens e terra,* quibus significatur hominem esse factum pulvereum, terrenum: unde S. Paulus 1. *ad Corinth.* c. 15. *primus homo de terra terrenus;* et homines plerumque in Scriptura sacra dicuntur *Terrigenæ:* quocirca terrenæ nostræ originis contemplatio toties inculcatur in Scriptura sacra, ut nos admoneat fragilis, et caducæ, ac brevi perituræ conditionis humanæ. Quod utique diserte, ac pie tractans Rupertus in caput 20. libr. 2. *De Trinit. Duo.* inquit, *a Moyse dicta sunt, quæ diligenter advertere operæ pretium est, quia videlicet formavit Deus hominem, et non undecumque, sed de limo terræ formavit. Hoc namque sicut dictum erat perpendentes homines sancti, hunc ipsum Creatorem suum Plastem, seipsos autem lutum appellaverunt eleganti confessione, et lacrimosa declamatione: et nunc Domine,* inquit Isaias, cap. 64. *Tu Pater noster es, et nos lutum: fictor noster, et opera manuum tuarum omnes nos:* et apud Jeremiam, cap. 18. *loquitur idem plastes noster Deus, numquid sicut figulus iste non potero vobis facere, domus Israël? Ecce sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu mea. Ostenderat autem illi figulum facientem opus suum super rotam; et dissipatum est,* inquit, *vas quod ipse faciebat de manibus suis, conversusque fecit vas alterum, sicut placuerat in oculis ejus, ut faceret. Hinc idem, qui supra, dicit Isaias: Væ qui contradicit fictori suo, testa de samiis terræ. Hæc et illis similia sciens ille Jurisperitus Cœlestis Paulus ait in Roman.* 9. *O homo tu quis es qui respondeas Deo? numquid potest figmentum dicere ei qui se finxit, quare me fecisti sic? Aut numquid non habet potestatem figulus facere de eodem luto aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? Itaque et nos cum legimus, quia formavit Deus hominem de limo terræ, non discutiendum nobis est cur ita poterit, sed potius illud timendum unicuique vestrum de seipso, ne vas, quod fecit ipse, dissipetur in manibus ejus; et hoc abjecto faciat aliud vas sicut placuerit in oculis ejus.* Sic Rupertus.

His ita prælibatis, tria sunt in præsenti Quæstione resolvenda: *Primum* ubi formati fuerint Adamus et Eva. *Secundum*, quales et quali corpore donati. *Tertium*, quæ fuerit, et futura esset eorum occupatio in statu innocentiæ.

Conclusio prima. — Probabilius est Adamum extra Paradisum formatum esse: Evam autem in Paradiso.

Prima pars est omnium Sanctorum Patrum; eamque Scriptura sacra perspicue indicat *Genesis* 2., v. 15. ubi de creato homine ait: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in Paradiso voluptatis, ut operaretur, et custodiret illum:* et *Genes.* 3. v. 23. *Emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis ut operaretur terram, de qua sumptus est.* Si Deus hominem creatum accepit, et posuit in Paradiso

ubi antea numquam fuerat, non igitur creatus est in Paradiso; si ejectus extra Paradisum ad incolendam terram ex qua efformatus est, jam extra Paradisum e terra plasmatus fuit.

Cur autem Deus noluerit creare hominem in Paradiso, variæ rationes proferuntur ab auctoribus: *Primo* quidem, inquit Pererius in caput 2. *Genes.* quia habitatio Paradisi non conveniebat homini secundum ejus naturam, sed propter donum immortalitatis, quod ei Deus in statu innocentiæ permanenti concessurus erat. Illud autem donum immortalitatis non erat naturale homini, sed gratuito Dei munere ei tributum: quo igitur manifestius intelligeret Adam eum locum non esse sibi naturaliter debitum, sed sola Dei gratia concessum, congruum erat Adam creari extra Paradisum. *Secundo*, si Adam creatus esset in Paradiso, nec ante vidisset alia loca, forte putasset eum locum sibi convenire, ac deberi naturaliter: at creatus extra Paradisum ex comparatione aliorum locorum clarius agnoscens præstantiam Paradisi, sine dubitatione intellexit eximiam Dei erga se benevolentiam ac beneficentiam, qui tam felici eum loco, ac domicilio dignatus esset. *Tertio*, ut Adam cautior esset, et ad exequendum Dei voluntati promptior, atque in custodiendis jussis, et præceptis ejus diligentior, atque curiosior: certissime sciens tantisper sibi esse in Paradiso commorandum, dum ipse Dei præceptis obtemperaret. *Quarto* denique, nullam habere posset dolendi, et de Deo conquerendi causam, cum ex Paradiso propter peccatum ejiceretur, quasi loco sibi naturaliter debito, et convenienti deturbatus esset: cum tamen Deus propter peccatum naturalibus bonis hominem mulctare, ac privare minime soleat. — Quantum autem ad formationem Evæ putat Josephus lib. 1. *Antiquitatum*, cap. 1. eam extra Paradisum etiam fuisse formatam: narrata enim Adami, Evæque productione, describens quoque Paradisi pulchritudinem et amœnitatem, ista subdit: *Narrat propterea Moyses Deum hortum ad orientem plantasse omni virenti planta: in hunc hortum cum introduxisset Deus Adamum cum uxore, jussit eos plantarum curam habere.* Hæc ille. Adamum ergo et Evam censet alibi procreatos. Deinde in Paradisum a Deo introductos aperte Josephus affirmare videtur. Tertullianus lib. 2. *adversus Marcionem* idem indicare visus est cum ait: *Nullus mortalium, nec ipse quidem, Adam in Paradiso Dei natus est.* Nihilominus Evam in Paradiso terrestri formatam fuisse Scriptura sacra aperte satis indicat, dum ait eam ex Adamo in Paradisum jam translato fuisse editam. — Confirmat hæc omnia S. Ambrosius, lib. *De Paradiso*, cap. 1. dicens: *Adverte quia extra Paradisum vir factus est, et mulier intra Paradisum; ut scias quod non loci, non generis nobilitate, sed virtute unusquisque gratiam sibi comparet. Denique extra Paradisum factus, hoc est, in inferiori loco vir melior invenitur: et illa quæ in meliori loco, hoc est in Paradiso facta est, inferior reperitur. Mulier enim prior decepta est, et virum ipsa decepit: Unde Apostolus Petrus subjectas fortiori vasi mulieres sanctas viris suis velut Dominis obedire memoravit.*

Ex iis constat utrumque primum Parentem eamdem *efficientem* causam habuisse; Deum nempe, immediatum et solum sui corporis animæque suæ artificem: at causam *materialem* omnino diversam; vir namque ex terra pulverea, mulier autem ex una extracta ab Adamo

costa formata fuit: ait enim Moyses *Genes.* cap. 2. v. 21. et 22. *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam, cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea, et ædificavit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem, et adduxit eam ad Adam.* Quæ verba tria maxime notatu digna complectuntur: *Primum* quidem, a Deo in Adam immissum fuisse soporem, hoc est, ut vertunt Septuaginta, *extasim:* somnus enim ille fuit extaticus, ita ut non modo soluta, et libera esset mens ejus ad naturalem usum rationis, animique agitationem, sed etiam divinitus illustraretur, et prophetico spiritu impleretur, in ipso suo somno intelligens mulierem ex latere suo formari, et ejus facti mysterium perspiciens, tumque expergiscens dixit: *Hoc nunc os de ossibus meis, et caro de carne mea.* Dicamus igitur fuisse illum quidem somnum, sed talem tamen, ut in eo ligatis sensibus, nihilominus mens soluta, et divinitus illustrata, et res quæ id temporis gerebantur cerneret, et quæ in eis latebant mysteria intelligeret. — ✳ " Hunc autem somnum adeo sensus externos ligaverat, ut detractam sibi costam non senserit Adamus. Unde Alcimus Avitus, Carmine de formatione hominis, somnum istum Adamicum sic repræsentat:

Dumque petunt dulcem spirantia cuncta quietem,
Solvitur et sommo laxati corporis Adam.
Cui Pater Omnipotens pressum per corda soporem
Jecit, et immenso tardavit pondere sensus,
Vis ut nulla queat sopitam solvere mentem.
Non si forte fragor securas verberet aures
Nec si commato cœlum tunc intonat axe,
Sed nec pressa manu rupissent membra quietem.

Hunc autem extaticum somnum figuram fuisse futuræ mortis Christi, et ex ejus latere exorituræ Ecclesiæ, putat Magister Sententiarum in 2. d. 18.: " ✳ *Non sine causa,* inquit, *dormienti quoque viro potius, quam vigilanti detracta est costa, de qua mulier in adjutorium generationis viro est formata: scilicet ut nullam in eo sensisse pœnam monstraretur, et divinæ simul potentiæ opus mirabile ostenderetur, quæ hominis dormientis latus aperuit, nec eum tamen a quiete soporis excitavit. In quo etiam opere sacramentum Christi, et Ecclesiæ figuratum est, quia sicut mulier de latere viri dormientis formata est, ita Ecclesia ex sacramentis, quæ de latere Christi in cruce dormientis profluxerunt:* seu ut loquitur S. Augustinus in *Sententiis,* Sent. 328. *Dormit,* inquit, *Adam ut fiat Eva: moritur Christus, ut fiat Ecclesia. Dormiente Adam fit Eva de latere: mortuo Christo lancea perforatur latus, ut superfluant sacramenta, quibus formetur Ecclesia.*

✳ " Ipsis concinit supra laudatus Alcimus Avitus:

Istius indicium somni mors illa secuta est,
Sponte sua subiit sumpto quam corpore Christus.
Qui cum passurus ligno sublimis in alto
Penderet nexus, culpas dum penderet orbis,
In latus extensi defixit missile Lictor.

Protinus exiliens manavit vulnere lympha.
Qui vivum populis jam tum spondente lavacrum,
Fluxit martyrium signas et sanguinis unda.
Inde quiescenti, gemina dum nocte jaceret,
De lateris membro surgens Ecclesia nupsit.

Secundum quod occurrit in formatione primæ mulieris notandum, est quod " ✳ mulier formata fuit ex costa Adami, idque variis de causis, quas S. Thomas., 1. parte qu. 92. art. 2. ita exponit: Primo, inquit, decuit mulierem ex viro formari magis quam ex aliis animalibus; *Primo* quidem ut in eo quædam dignitas primo homini servaretur, ut secundum Dei similitudinem esset et ipse principium totius suæ speciei, sicut Deus est principium totius Universi. Unde et Paulus dixit Actorum 17. quod Deus fecit ex uno homine genus hominum. *Secundo*, ut vir magis diligeret mulierem, et ei inseparabilius inhæreret, cum cognosceret Evam ex se esse productam: unde dicitur Genesis 2., *De viro sumpta* est; quamobrem relinquet homo Patrem, et Matrem, etc. Unde quatuor de causis Adamus vehementer incitabatur ad diligendam Evam: nempe propter similitudinem ejusdem naturæ; propter copulam carnalem; propter generationem prolis: super omnia vero, quod Eva esset aliquid ipsius, idest, de substantia ejus procreata: namque ob hanc potissimum causam parentes tantopere liberos suos diligunt. Quod si animus Adami tanto mulieris amore non fuisset occupatus, cum postea ejus suasu, atque impulsu lapsus esset in peccatum, ob idque tot ac tantis Dei muneribus ac donis expoliatus; ingens et implacabile adversus eam odium concepisset, semperque animum ab ea alienum, et aversum gessisset. *Tertia vero ratio* (inquit S. Thomas) est sacramentalis; figurabatur enim per hoc, quod Ecclesia a Christo sumit principium: unde Apostolus dicit ad Ephesios 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et in Ecclesia. Quartam* rationem addit Pererius in cap. 2. *Genes.*, n. 187. nempe quod homo media quædam natura est inter Angelos, et animalia: quocirca mediam quoque conveniebat esse rationem originis humani generis. Et Angeli quidem omnes ac singuli proxime a Deo creati sunt: nec in tanto Angelorum numero unum aliquem reperire licet ex alio Angelo procreatum: animalia vero ex aliis orta sunt, sed non omnia, etiam quæ ejusdem sunt speciei, ex uno generata sunt: siquidem in exordio mundi Deus cujusque speciei animalium multos mares, multasque fœminas fecit, quibus cetera facile, ac numerose procreari possent: in homine vero medio quodam modo sese res habuit: primus enim homo proxime a Deo factus est; ex hoc fabricata est fœmina: ex utroque autem omnis hominum soboles extitit. — Inde quatuor modos productionis humanæ distinguere possumus: unum sine viro et fœmina, ut Adami; alterum ex viro sine fœmina, ut Evæ: tertium ex fœmina sine viro, ut Christi Domini ex Virgine Maria: quartum ex viro et fœmina, ut ceterorum hominum, qui est naturalis et communis generationis modus. — Observandum pariter, quod non de qualibet corporis viri parte formata est Eva, inquit Magister Sententiarum laudato loco, sed de latere ejus formata est; ut ostenderetur quia in consortium creabatur directionis. Ne forte si fuisset de capite facta,

viro ad dominationem videretur præferenda: aut si de pedibus, ad servitutem subjicienda: quia igitur viro, nec domina, nec ancilla parabatur, sed socia, nec de capite, nec de pedibus, sed de latere fuerat producenda: ut juxta se ponendam cognosceret, quam de suo latere sumptam didicisset.

Tertium denique circa mulieris formationem ex præfatis Scripturæ verbis notandum est quod Deus detraxerit unam costam Adamo, et repleverit carnem pro ea: unde *dubium nascitur* an illa costa detracta Adamo fuerit ex costis necessariis integritati corporis humani: tradunt enim Physiologi, et Medici, corpus nostrum viginti quatuor costis, duodenis utrovis in latere esse constructum, et coagmentatum: an vero fuerit illa costa redundans, et supervacanea, v. g. ut Adam in sinistro latere tredecim costas habuerit: utrovis autem modo dicatur, videtur res absurda. Si enim illa costa sit ex necessariis costis: ergo post ejus detractionem, Adam fuit mutilus, mancus, et imperfectus: sin autem supervacanea erat: ergo Adam creatus est monstruosus, et deformis, habens scilicet in uno latere plures costas, quam in altero, quod erat insigne quid ad deformitatem, non minus certe, quam si factus esset biceps, aut triceps, aut utraque, vel alterutra manu senos habens digitos. *Respondent* communiter Theologi costam illam partim fuisse supervacaneam Adæ, partim necessariam: *supervacaneam* quidem, si consideretur Adam ut singularis quidam homo, et persona particularis: sic enim justo costarum numero supererat illa costa, ad integritatem scilicet corporis Adæ minime pertinens: sin autem consideretur Adam ut primus homo, futurusque principium totius generis humani, et ex quo formanda erat Eva, *necessaria* fuit illa costa, non quidem simpliciter, nec secundum naturalem ordinem et rationem, potuit enim aliunde formari Eva, sed tantummodo secundum Dei electionem et ordinationem, qui ex Adami costa corpus Evæ fabricare constituerat. — *Censerem ego probabilius* hanc costam ab Adamo detractam, fuisse ex necessariis costis ad ejus corporis constitutionem et integritatem pertinentibus: si enim fuisset illa costa superflua Adamo, et extra naturam ejus, non posset vere dici, Evam esse formatam ex Adamo, nec vere dixisset Adam, Evam fuisse *os de ossibus ejus*: costa enim illa non fuisset naturale et proprium ejus os, sed quantum ad eum pertinebat, præter naturam, et per accidens, et ad brevissimum tempus ei fuerat inditum. *Adde quod* ad significandam conjunctionem arctissimam Adami et Evæ, et mulieris ex viro naturalem originem et dependentiam, congruentius et convenientius erat formari Evam ex costa quæ esset pars naturalis et necessaria Adamo, quam quæ esset supervacua, et præter naturam ejus.

Rogabis: Cuinam, Adamo an Evæ detracta illa costa in resurrectione mortuorum reddenda erit? Videtur quidem Adamo reddenda, quia ab initio fuit Adami, ut pars ejus integralis: contra autem videtur reddenda Evæ, quoniam ex illa principaliter formata est Eva. — **Respondeo**, costam illam penes Evam remansuram, siquidem ex ea corpus ejus quasi materia, et fundamento compactum fuit; adeoque necessum est illam in Eva subsistere. Nec inde corpus Adami imperfectum fore censendum est, siquidem loco ipsius costæ Deus carnem substituit; non quidem mollem, sed induratam, et crassam, quæ substractæ costæ locum et vices im-

pleret. Adde quod non omnia, quæ corporis nostri fuerunt, in resurrectione sunt retribuenda; alioquin corpus nostrum monstruosum, et enorme resurgeret: quippe certum est partes carnis per totum vitæ tempus ab ortu scilicet usque ad obitum continenter fluere, et deperdi; earumque in locum, alias et alias subinde per nutritionem aggenerari. Si ergo omnes disperditæ restituerentur, gyganteum foret corpus hominis resurgentis. — ✻ " Addit Moyses 2. cap. *Genes.* 23. v. 24. Adamum formatam mulierem matrimonii vinculo sibi junxisse in uxorem, Deo id imperante. Quod egregie repræsentat Alcimus Avitus supra laudatus, ubi matrimonii leges sic præscribit:

Principio Rector tanti sacrare figuram
Disponens vincli, nectit connubia verbo,
Vivite concordi studio, mundumque replete,
Crescat longævum felici semine germen,
Non annis numerus, vitæ nec terminus esto.
Progeniem sine fine dedi, quam tempore toto
Aspicies, generi primus qui poneris auctor.
Pronepos eductos spargens per sæcla nepotes
Viventes numeret proavos, inque ora parentum
Ducant annosi natorum pignora nati.
Tum lex conjugii, toto venerabilis ævo,
Intemerata suo servabitur ordine cunctis.
Fœmina persistat, de viscere sumpta virili,
Conjugio servare fidem: nec separet alter
Quod jungit sociatque Deus: patremque relinquat
Et matrem justo constrictus amore maritus.
Ista parentales non rumpant vincula curæ,
Vita sed amborum carnem teneatur ad unam.
Taliter æterno conjungens fœdere vota,
Festivum dicebat hymen, castoque pudori
Concinit angelicum juncto modulamine carmen.
Pro thalamo Paradisus erat, mundusque dabatur
In dotem, et lætis gaudebant sidera flammis." ✻

Conclusio secunda. — Primi hominum Parentes ætate perfecta, et ordinata corporis magnitudine, ac pulchritudine conditi sunt.

Hæc colligitur ex Scriptura sacra, quæ toties perfectissima esse opera Dei testatur; adeoque hominem præstantissimum Dei Creatoris opus, omnibus numeris absolutum in prima sua creatione formatum fuisse pariter suadet. *Probatur quidem de ætate perfecta:* prima enim illa Dei opera, quæ in mundi molitione proxime ab eo facta sunt, perfecta esse decuit. Sicut igitur ceteras animantes corporis mole, ætateque perfectas condidit; ita quoque, ac multo etiam magis hominem in perfecta ætate condidisse existimandum est. *Confirmatur* ex eo quod statim ut creati sunt Adam et Eva, dixit eis Deus: *Crescite, et multiplicamini, et replete terram:* quo licet intelligere Adamum, et Evam firma jam ætate, et ad generandum idonea esse procreatos.

Hoc ipsum probat S. Augustinus, lib. 6. *De Genes. ad litteram,*

cap. 13. ita scribens : *Sed quomodo fecit hominem Deus de limo terræ? utrum repente in ætate perfecta, hoc est virili, atque juvenili, an sicut nunc usque format in uteris matrum, ut illud tantum proprium habuerit Adam, quod non ex parentibus natus est, sed factus ex terra : eo tamen modo, ut in hoc perficiendo, et per ætates augendo hi temporum numeri complerentur, quos naturæ humani generis attributos videmus? An potius hoc non est requirendum? Utrumlibet enim fecerit, hoc fecit quod Deum, et omnipotentem, et sapientem posse, ac facere congruebat. Ita enim certas temporum leges generibus, qualitatibusque rerum in manifestum ex abdito producendis attribuit, ut ejus voluntas sit super omnia, etc.* Quibus licet videatur hanc quæstionem utrinque librare, et indiscussam relinquere ; nihilominus in nostras partes declinat, ut constat exemplis, quibus probat Deum unico temporis momento suum opus perfectum ad statum deducere posse, quem nonnisi multo tempore agente natura posset comparare ; unde subdit : *Nonne certis dierum numeris suo cuique generi accommodatis omnis natura serpentium coalescit, formatur, nascitur, roboratur? Num expectati sunt hi dies, ut in draconem virga converteretur de manu Moysis, et Aaron? Nec ista cum fiunt, contra naturam fiunt, nisi nobis quibus aliter naturæ cursus innotuit ; non autem Deo, cui hoc est natura, quod fecerit.* — Putant aliqui Protoparentes creatos fuisse ætate juvenili, ea scilicet qua Dominus noster Jesus Christus e mortuis resurrexit, hoc est inter trigesimum, et quadragesimum annum. Verum credibilius existimo eos illa ætate conditos, quæ quinquagenarium esset æquanda : cum enim tunc longissima esset hominis vita, hoc est decuplo diuturnior, quam nunc sit ; singulæ etiam ætates longiores pariter erant, quam nunc sunt ; longior erat pueritia, et adolescentia : et priori ætate longius productam, proxime consequens ætas tardius accedebat : comparatione igitur, et proportione totius vitæ nongentesimum annum excedentis, juvenilis ætas primi hominis, non ante quinquagesimum annum contingere ei potuisset.

Probatur secunda pars, nempe quod Adamus factus fuerit perfecta corporis magnitudine, non ad giganteam molem vergente ; Scriptura namque, et sancti Patres concordi sententia confirmant perfecto animo et corpore Adamum fuisse a Deo procreatum : gigantea autem corporis moles naturæ exorbitantis excessus est ; adeoque hæc non est præstantissimo divinorum operum tribuenda.

Dices : Josue cap. 14. scriptum reperitur : nomen *Hebron ante vocabatur Chariatharbe : Adam maximus inter Enacim ibi situs est :* Enacim autem fuisse gigantes manifestum est, ex his quæ speculatores explorata terra Chanaam reversi dixerunt Josue, cap. 13. lib. *Numerorum : Populus,* inquiunt, *quem aspeximus proceræ staturæ est, ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati quasi locustæ videbamur.* Quibus significare videtur Scriptura Adamum fuisse maximum inter Enacios Gigantes ; adeoque ipsum fuisse maximum Gigantem. — **Nego consequentiam** ; præfata enim verba Josue non sunt intelligenda de primo homine, quem non in Hebron, sed in monte Calvariæ sepultum infra demonstrabimus ex SS. Patribus : nec vocabulum illud *Adam* ibidem est proprium primi hominum Parentis nomen, sed est commune et appellativum, idem

significans apud Hebræos, quod apud Latinos vocabulum *Homo:* unde urbs *Hebron* olim dicta est *Chariatharbe*, idest *civitas Arbe,* quod *Arba* maximus homo fuerit inter Enacinos: maximus inquam *vel* nominis celebritate, et rerum gestarum gloria; *vel* principatus amplitudine, potentia, aut diuturnitate; *vel* denique quod illius urbis conditor, aut gentis Enacinorum parens fuerit.

Conclusio tertia. — Corporea hominum exercitatio, perseverante felici innocentiæ statu, fuisset terræ cultura, sed laboris et defatigationis expers.

Probatur ex Scriptura *Genesis,* cap. 2. vers. 15. ubi legimus: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in Paradiso voluptatis ut operaretur, et custodiret illum.* Quæ verba licet S. Augustinus, lib. 8. *De Genes. ad litteram,* cap. 10. videatur referre ad hominem, ut sit eorum verborum sensus, Deum ob eam maxime causam collocasse Adamum in Paradiso, ut ipsum Adamum magis ac magis operaretur, idest perficeret, præceptis illustrioribus excolendo, et ad præstantiora virtutum opera invitando, atque adjuvando, seu ut loquitur, *Idem qui creat hominem ut homo sit, ipse operatur hominem, atque custodit ut etiam bonus, beatusque sit. Quapropter, qua locutione dicitur homo operari terram, quæ jam terra erat, ut ornata, atque fœcunda sit; ea locutione dicitur Deus operari hominem, qui jam homo erat, ut pius, sapiensque sit; eumque custodire, quod homo sua potestate in se, quam illius supra se delectatus, dominationemque ejus contemnens tutus esse non possit.* Verum hanc S. Augustini interpretationem excludit Hebraicus textus, quia Hebraice pronomen *illum,* quod Græce, et Latine ambiguam habet relationem ad hominem, et ad Paradisum, Hebraice ponitur in fœminino genere, et necessario conjungitur cum vocabulo Eden, seu *Paradiso,* quod Hebraice significat hortum. — Unde præfatorum verborum sensus est: posuit Deus Adam in Paradiso, ut ipse Adam sua opera, cura, et industria eum Paradisum *operaretur,* idest *excoleret,* varia scilicet opera exercendo, quæ ipsius loci culturam et ornatum concernerent: ipsumque *custodiret,* tum a feris, quæ extra Paradisum erant, inquit S. Basilius, tum ab ipsis animalibus, quæ erant in Paradiso, ne ejus decorem, et amœnitatem læderent aut inquinarent: unde S. Chrysostomus, Homil. 14. in *Genesim: Voluit Deus,* inquit, *parvam quamdam, et moderatam curam penes hominem esse tam in custodiendo, quam in excolendo. Nam omnis adhuc laboris expers erat cultura illa, et occupationis aliquid ei suppeditabat citra dolorem et ærumnam.* — Hanc autem operationem, et custodiam non fuisse laboriosam et molestam, sed facilem et jucundam, per quam videlicet varia sibi loca, vel ad habitandum, vel ad commode et cum voluptate deambulandum sibi stravissent, et concinnassent primi hominum parentes, eleganter aperit S. Augustinus, lib. 8. *De Genes. ad litt.,* cap. 8. ubi cum sibi objecisset, ante peccatum, Deum damnasse hominem ad laborem, et molestias agriculturæ, respondet: *Ita sane arbitraremur, nisi videremus cum tanta voluptate animi agricolare quosdam, ut eis magna pœna sit inde ad aliud avocari. Quidquid ergo deliciarum habet agricultura, tunc utique longe amplius erat quando nihil accidebat adversi, vel terra, vel cœlo. Non enim erat laboris af-*

fictio, sed exhilaratio voluntatis cum ea, quæ Deus creaverat, humani operis adjutorio lætius, feraciusque provenirent, unde Creator ipse uberius laudaretur, qui animæ in corpore animali constitutæ rationem dedisset operandi, ac facultatem quantum animæ volenti satis esset, non quantum invitum indigentia corporis cogeret. Quod enim majus, mirabiliusque spectaculum est, aut ubi magis cum rerum natura humana ratio quodammodo loqui potest, quam cum positis seminibus, plantatis surculis, translatis arbusculis, insitis malleolis, tamquam interrogaretur quæque vis radicis, et germinis, quid possit, quidve non possit: unde possit, unde non possit: quid in ea valeat humorum invisibilis, interiorque potentia, quid extrinsecus adhibita diligentia; inque ipsa consideratione perspicere, quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, etc.

Corollarium. — Ex *his collige* agriculturæ primo *antiquitatem:* cœpit enim cum homine et mundo, hæc enim prima homini, et in statu innocentiæ injuncta est, et post peccatum sola ei in pœnitentiam et pœnam indicta. Secundo *dignitatem*, tum quod a Deo sit instituta, et Adæ præcepta: tum quod Adam, a quo omnis nobilitas descendit, ejusque nobiliores posteri nempe Abel, Seth, Noë, Abraham, omnesque prisci viri celeberrimi, fuerint agricolæ. *Tertio* innocens exercitium; hæc enim præ aliis artibus homini innocenti in Paradiso commendata est tamquam nulli injuria, sed omnibus proficua: quod utique eleganter explicat Virgilius 2. Georg.

O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Agricolas! quibus ipsa procul discordibus armis;
Fundit humo facilem victum justissima tellus.

Et rursum:

Hanc olim vitam veteres coluere Sabini
Hanc Remus, et frater. Sic fortis Hetruria crevit;
Scilicet, et facta est rerum pulcherrima Roma.
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.

Audiendus pariter Cicero lib. *De Senectute*, ubi ait, nihil sibi tam regale videri, quam studium agriculturæ: *Omnium*, inquit, *rerum ex quibus aliquid exquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius.* Merito ergo ait S. Augustinus: *agricultura artium omnium innocentissima: hanc tamen impius damnare ausus fuit Faustus Manichæus;* quod diceret agricolas violare præceptum Dei, *non occides.* Hinc proceres illos Romanæ nobilitatis, et antiquitatis viros, ex agris ad imperia, et dictaturas accersiri mos fuit: quibus illi cum essent perfuncti, ad priores agriculturæ exercitationes revertebantur; seu, ut loquitur Valerius Maximus, *illi etiam prædivites, qui ab aratro accersebantur, ut consules fierent, voluptatis causa sterile, atque æstuosissimum Pupiniæ solum versabant, deliciarumque ignari, rastissimas glebas plurimo cum sudore dissipabant: imo vero quos pericula reipublicæ imperatores asserebant, angustia rei familiaris bubulcos fieri coëgit.*

QUÆSTIO SECUNDA.

QUALIS, ET QUANTA FUERIT PROTOPARENTUM IN STATU INNOCENTIÆ SAPIENTIA, ET SCIENTIA.

Notandum 1. Ex Hugone a S. Victore, lib. 1. *De Sacramentis,* par. 6. cap. 12. triplici cognitione primum hominem ab ipso suæ conditionis exordio eruditum fuisse: *Cognitione scilicet Creatoris sui, ut cognosceret, a quo factus erat. Secundo cognitione sui, ut cognosceret quid factum erat, et quid sibi faciendum erat. Tertio denique cognitione illius, quod secum factum erat, et quid sibi de illo, et in illo faciendum erat.* Qualis autem triplex hæc fuerit cognitio hic determinandum est.

Notandum 2. Ex Seraphico Bonaventura in 2. dist. 23. art. 2. qu. 3. quod quadruplex est genus cognoscendi Deum; videlicet per fidem, per contemplationem, per apparitionem, et per apertam visionem. *Primum* est gratiæ communis; *secundum* est gratiæ excellentis; *tertium* gratiæ specialis; et *quartum* gloriæ consummantis. Et sufficientia istorum modorum ita colligitur; omne enim quod cognoscitur, cognoscitur per aliquid præsens; si igitur Deus cognoscitur, necesse est quod per aliquid præsens intellectui cognoscatur. *Præsens* autem voco hoc secundum quod Augustinus vocat, quod præsens est intellectui ad videndum. Aut igitur cognosco Deum per hoc, quod est præsens mihi, aut per hoc, quod est præsens aliis. Si per hoc *quod est præsens aliis,* sic est cognitio *fidei;* quod enim Deus sit Trinus et Unus, hoc ego credo Dei Filio, qui hoc enarravit et prædicavit, et Spiritui S. qui hoc inspiravit. *Quod enim credimus debemus auctoritati,* sicut dicit Augustinus, *De Utilitate credendi,* cap. 11. Si autem cognosco Deum per hoc *quod est præsens mihi,* hoc potest esse tripliciter: aut per hoc quod est præsens mihi *in effectu proprio;* et tunc est *contemplatio;* quæ tanto est eminentior, quanto effectum divinæ gratiæ magis sentit in se homo, vel quanto etiam melius scit considerare Deum in exterioribus creaturis. Aut est præsens mihi *in signo* proprio; et sic est *apparitio,* sicut apparuit Deus Abrahæ in subjecta creatura, quæ ipsum Deum figuravit, et sicut Spiritus sanctus apparuit in columba. Aut est præsens Deus *in lumine suo, et in seipso;* et sic est cognitio, qua videtur Deus in vultu suo, sive facie ad faciem; et sic est *aperta visio,* quæ tota dicitur merces omnium meritorum. Primum igitur, et ultimum genus cognitionis statui innocentiæ non competebat. *Primum* quidem, propter cognitionem ænigmaticam, et propter hoc quod cognitio fidei ut plurimum est ex auditu. *Ultimum* vero ibi esse non poterat propter summam perfectionem: ideo homini non exhibebatur, sed potius in præmium promittebatur. Medii vero duo, scilicet *contemplationis,* et *apparitionis* utrique statui communia esse poterant: maxime cognitio contemplationis, quæ in utroque statu est: ibi tamen potissime vigebat, tum propter animæ puritatem, tum etiam propter carnis, et inferiorum virium subjectionem, quibus duobus ut plurimum anima caret in statu naturæ lapsæ; ideo non potest ad illum gradum contemplationis attingere. Hæc S. Bonaventura. Non facile tamen concederem Adamum non habuisse lumen fidei, siquidem fides est substantia rerum sperandarum, et totius æternæ salutis vertex, et cardo;

nisi forte velit Seraphicus Doctor, quod Adamus habuerit quidem habitum fidei; non vero actum circa ea quorum evidentem ac scientificam notitiam habebat.

Notandum 3. *Ex eodem ibidem qu.* 1. quod profectus in scientia, triplici via potest considerari: vel *a parte scibilium,* vel *a parte modorum cognoscendi,* vel *a parte majoris habilitationis in cognoscendo.* Secundum primum modum, cum quædam sint res quæ fiunt cursu naturali, vel mirabili: quædam quæ fiunt voluntario cursu; certum est quod in earum rerum cognitione quæ quidem cursu naturali fiunt, non profecisset Adam, quantum ad novi habitus acquisitionem: accepit enim (sicut dicit Hugo, et Magister in littera) ab exordio omnium rerum plenam notitiam. Proficere tamen potuisset quantum ad alium modum cognoscendi, et quantum ad majorem habitum sciendi. Quantum ad alium modum, proficere poterat, quia quod noverat simplici notitia, cognoscere poterat experientia: et quod noverat intellectu, cognoscere poterat et sensu. Proficere etiam poterat quantum ad majorem habilitationem, quia ex frequenti consideratione eorum quæ noverat, promptior fuisset, et paratior ad judicandum de his rebus quarum habebat cognitionem per habitum innatum. Etsi enim primus homo non haberet tarditatem hebetudinis, per aggravationem corporis mortalis, habebat tamen spiritus ejus quamdam minorem velocitatem per vegetationem corporis animalis: et sic in cognitione rerum naturalium Adam quodammodo minime stetisset. — In earum vero cognitione quæ fiunt cursu voluntario, et mirabili, sive supernaturali simpliciter, proficere potuisset: non solum quantum ad modum cognoscendi, sed etiam in acquirendo novam cognitionem. Nec mirum, quia ad hoc quod cognosceret divina mysteria indigebat superna illustratione: ad hoc vero quod cognosceret secreta alterius, indigebat ipsius directione. Nec talis profectus statui innocentiæ derogabat, cum etiam beati Angeli in cognitione divinorum mysteriorum, et humanorum secretorum proficiant: propter quod dicitur ad Ephesios 3. *Ut innotescat Principibus, et Potestatibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Hæc ille.

His ita prælibatis, restat hic determinandum qualis fuerit Adami sapientia et scientia, tum quantum ad res naturales, tum quantum ad supernaturales.

Conclusio prima. — Adamus in statu innocentiæ perfectissimam habuit rerum omnium naturalium scientiam, et certam ac evidentem cognitionem.

Probatur primo ex illo *Ecclesiastici,* c. 17. ubi de protoparentibus sic legimus: *Disciplina intellectus replevit illos: creavit illis scientiam spiritus: sensu implevit cor illorum, et bona ac mala ostendit eis;* quibus haud obscure quatuor principes Philosophiæ partes indigitantur. *Logica* quidem per *disciplinam intellectus,* quia illa tota est in tradendis regulis et præceptis, quibus intellectus instructus perfecte ratiocinatur: *Metaphysica* vero, per *scientiam spiritus,* quia circa nobilissimas entis species, Deum nempe, et Angelos versatur: *Physica* autem per quam *sensu implevit cor illorum,* idest animam eorum exornavit scientiis a rebus corporeis sensuum adminiculo excerptis: et per ul-

tima verba, aperte *Moralis* exprimitur, quia circa bonum, et malum cognoscendum intellectum dirigit, ut voluntas istud amplexetur, et hoc abhorreat.

Probatur item ratione triplici: *Prima quidem:* quæ Deus proxime et immediate producit, ea sunt perfectissima: sed Adamum solus Deus nullo causæ efficientis interveniente concursu creavit, tam secundum corpus quam secundum animam: utraque igitur parte perfectissimus a Deo creatus est. Ergo quemadmodum formatus est perfecto corpore, videlicet quantum ad integritatem ætatis, proceritatem staturæ, robur, et firmitatem virium, et potentiam generandi alios; ita haud dubium est eum fuisse creatum animo, et mente perfectum: adeoque cum naturalis perfectio mentis scientia sit, hanc habuit Adamus ab initio. — *Secunda ratio:* sicut Adamus humani generis secundum carnalem generationem sator, et parens futurus erat, idcirco creari eum oportuit ætate perfecta, et ad generandum idonea: cumque idem futurus esset primus Doctor Rectorque hominum, conveniens profecto fuit eum creari cum perfecta facultate docendi, et regendi alios homines: id autem sine scientia præstari non potest. Namque, ut scribit Aristoteles in primo, et secundo libro *Metaphysices, Signum scientis est posse alios docere: et quod est causa cur alia sint talia, ipsum maxime tale esse necesse est.* — *Tertia ratio:* si Adam creatus esset sine scientia, eamque paulatim studio, et opera comparare sibi debuisset, longo tempore in veritatis ignoratione versatus esset: ignorantia autem veritatis, et inscitia rerum quæ patent sensibus, admodum molesta et acerba fuisset homini sciendi cupidissimo: atqui nihil molesti vel acerbi in eo statu, vel animo, vel corpori accidisset: non igitur ignorans et inscius creatus est Adam. Etenim si diu ille fuisset ignorans, facile fuisset propter veritatis et rerum ignorationem, falsis eum assentiri opinionibus, et in absurdos errores prolabi; videlicet approbando falsa pro veris, aut vera pro falsis reprobando, quod, ut præclare dixit Augustinus, non est natura hominis conditi, sed pœna damnati.

Dices 1.: Adamus credidit serpentem, qui eum decepit, esse loquacem: ergo ejus naturam non agnoscebat, ac proinde non erat Philosophus. *Deinde,* credidit huic serpenti scientiam promittenti, et ut ipsam obtineret, impositum a Deo sibi mandatum infregit: ergo tunc scientiam non habebat. *Denique* post esum fructus vetiti Scriptura sacra testatur apertos fuisse Protoparentum oculos: non quidem oculos corporis, quia non erant cœci, sed oculos mentis, et cordis: ergo erant ignari, ignorantia enim cœcitas mentis vocitatur. — **Respondeo** *ad* 1. *et ad* 2., negando Adamum existimasse serpentes esse loquaces: sed credidit sub serpentina specie aliquem Angelum delitescere, qui vera sibi loqueretur, promittendo scientiam, non naturalem et philosophicam, quam perfectissime jam possidebat, sed supernaturalem, theologicam, et independentem, qualem scilicet Deus in se complectitur, ut constat ex illis verbis ore serpentino prolatis: *Eritis sicut Dii scientes bonum, et malum.* Quibus adde non Adamum, sed Evam a serpente fuisse deceptam. *Ad* 3. *dico* apertos fuisse mentis eorum oculos, non per alicujus novæ scientiæ infusionem, aut acquisitionem, sed per prioris usum, et experientiam; cognoverunt enim se nudatos et expoliatos omnibus dotibus et ornamentis innocentiæ, ac gratiæ

originalis, quibus in sua formatione ditati fuerant, expertique sunt rebellionem partis inferioris adversus superiorem, corporis videlicet adversus animam, quæ ante peccatum ipsis erat ignota.

Dices 2., cum Cajetano, explicante locum Moysis de impositione nominum ab Adamo facta: Adamus non habuit scientiam omnium rerum corporalium, siquidem evidenter non novit elementa, cælos, et sidera: nam cum hæc sint principes mundi partes, e quibus hic mundus coagmentatus, et integratus constat, eorum perfecta cognitio reservata est soli Deo, qui ait David Psalm. 146. *Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat:* unde sequitur rerum cælestium cognitionem soli Deo cognitam, adeoque non ipsi Adamo concessam. — **Nego antecedens**; primo namque falsum est cælorum et astrorum cognitionem soli Deo reservatam; siquidem Salomon, cap. 7. libri *Sapientiæ* de seipso ait: *Ipse dedit mihi horum quæ sunt scientiam rerum, ut sciam dispositiones orbis terrarum et virtutes elementorum, initium et consummationem et medietatem temporum, vicissitudinum permutationes et consummationes temporum, morum mutationes et divisiones temporum, anni cursus et stellarum dispositiones: naturas animalium et iras bestiarum, vim ventorum et cogitationes hominum, differentias virgultorum et virtutes radicum, et quæcumque sunt absconsa et improvisa didici; omnium enim Artifex docuit me sapientiam.* Quibus patet Salomoni concessam perfectam scientiam orbis terrarum elementorum, et stellarum, et omnium quæ abscondita sunt, et abstrusa: ergo multo magis Adamo. Nec verum est earum rerum perfectam cognitionem soli Deo sic reservatam esse ut eam Adamus obtinere non potuerit. *Nec refert,* quod Adamus nomina imposuerit tantum volatilibus, et terrestribus animantibus, non vero terræ, nec mari, nec cælis, et sideribus, quasi non habuerit eorum scientiam. Etenim perfectam habuit scientiam lapidum, metallorum, stirpium ac piscium, quibus tamen rebus eum nomina imposuisse nusquam legimus. — Observandum tamen tria excipienda esse ab hac generali rerum scientia quam in Adamo fuisse contendo: *Primo* quidem non cognovit omnia futura contingentia. *Secundo,* certo et evidenter non novit arcana et secreta cordium, hæc enim utraque cognitio etiam Angelos latet. *Tertio* denique, non habuit scientiam omnium præsentium individuorum cujuslibet speciei: non enim novit omnia individua piscium, nec omnem numerum arenæ, aut lapidum: hujusmodi enim cognitio nec pertinet ad perfectionem humani intellectus, neque conferebat ad perfectionem et felicitatem status innocentiæ.

Quæres: *An Adamus sapientia præcesserit ceteros homines?*

Affirmo: siquidem *primo* habuit majorem scientiæ amplitudinem; novit enim omnia naturalia, quod nulli adhuc concessum fuit. *Deinde* præstantiorem habuit modum sciendi; alii namque plurima norunt probabili tantum ratione, vel non ex causis, sed ex effectibus, vel non ostensiva demonstratione, sed ea solum, quæ ducit ad impossibile: Adamus vero perfectam cujusque rei, et ex propriis ejus causis cognitionem tenebat. *Tertio* denique firmiorem habuit scientiæ immobilitatem; non enim in statu innocentiæ deperdi potuisset scientia, neque per diuturnam cessationem ab actu, neque per corruptionem

interioris sensus, neque per oblivionem, ut in ceteris mortalibus interdum contingit. *Nec refert* quod Scriptura sacra Salomonem faciat sapientiorem omnibus hominibus qui eum antecesserant, quique post eum futuri erant: sic enim loquitur Deus Salomoni 3. *Regum*, cap. 3. *Dedi tibi cor sapiens, et intelligens, in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.* Inde namque non concluditur Salomonem fuisse Adamo sapientiorem; alioqui liceret inferre ipsum etiam antecessisse sapientia Christum Dominum, in quo reconditi sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ: quod utique nullus fidelis admiserit. Itaque præfata Scripturæ verba tantum significant vel quod Salomon fuerit sapientior iis omnibus qui studio, labore, et arte sibi sapientiam acquisierunt, in quorum numero Adamus non est censendus; vel quod fuerit sapientior omnibus, non quidem hominibus, sed Regibus, et principibus, ut ipsemet indicat sub finem primi capitis *Ecclesiastæ Ecce*, inquit, *magnus effectus sum, et præcessi omnes sapientia qui fuerunt ante me in Hierusalem:* vel denique sapientior dicitur iis omnibus, qui tunc temporis sapientes censebantur; quod utique significatur 3. *Regum*, cap. 4. his verbis: *Præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium, et Ægyptiorum, et erat sapientior cunctis hominibus: sapientior Ethan Ezreita, et Heman, et Chalcol, et Dorda filiis Mahol etc... Et disputavit super lignis a Cedro quæ est in Libano usque ad hyssopum quæ egreditur de pariete: et disseruit de jumentis, et volucribus, et reptilibus, et piscibus, et veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis.*

Conclusio secunda. — Revera Adamus in statu innocentiæ habuit cognitionem rerum supernaturalium.

Hæc sufficienter colligitur *tum* ex præcedenti Conclusione, qua probatum est eum fuisse conditum in statu perfectissimo quantum ad corpus et animam: adeoque necessum fuit eum habere cognitionem omnium præstantissimam, qualis est ea quæ de rebus supernaturalibus habetur; *tum* ex Articulo sequenti, quo probabitur eum fuisse formatum cum gratia gratum faciente, cujus quasi fundamentum est fides; *Impossibile* enim *est*, inquit, S. Paulus ad Hebræos 11., *sine fide placere Deo:* Fides vero est cognitio rerum supernaturalium; definitur enim ab eodem Apostolo, ibidem, *substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.*

Insuper hæc veritas ratione theologica suadetur: Adamus namque principalius propter finem supernaturalem, quam propter naturalem fuerat a Deo conditus: ergo quemadmodum ut finem suum naturalem consequeretur, a primordio concessa fuit ei scientia rerum naturalium, multo magis consentaneum fuit cognitione rerum supernaturalium, sive per fidem, sive per contemplationem ipsum instrui, quibus finem suum supernaturalem obtineret: concludendum igitur cum Hugone a S. Victore, lib. 1. *De sacramentis*, parte 6. cap. 14: *Cognovit ergo homo Creatorem suum: non ea cognitione quæ foris ex auditu solo percipitur, sed ea quæ potius intus per inspirationem ministratur. Non ea quidem qua Deus modo a credentibus absens fide quæritur: sed ea qua tunc per præsentiam contemplationis scienti manifestius cernebatur.*

Quarum autem rerum supernaturalium cognitionem adeptus fuerit, nobis incertum est. Probabile tamen videtur quinque genera rerum supernaturalium ab eo fuisse cognita: *Primo* quidem noverat præmia supernaturalia viris justis, et Deo sancte ac pie servientibus esse in cælis reposita; adeoque noverat *Deum ut remuneratorem* in ordine gloriæ ac beatitudinis æternæ. Nam, ut scribit S. Paulus ad Hebræos 11, *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, et inquirentibus se Remunerator sit.* Hinc sine dubio noverat se propter finem supernaturalem conditum, cum enim factus esset usu rationis et liberi arbitrii perfecte præditus, et potens ab initio bene vel male agendi, convenientissimum erat ultimum finem ejus statim ipsi notum fieri; ut sciret quo sua omnia, ac seipsum referre deberet. Inde novit etiam omnia media necessaria ad finem illum supernaturalem consequendum, qualia sunt gratia gratum faciens, tres virtutes Theologicæ, quæ non a nobis proficisci, nec propriis viribus comparari possunt, sed gratuito donari a Deo. — *Secundo,* conveniunt omnes pene Theologi, Adamum in statu innocentiæ distincte novisse *mysterium sanctissimæ Trinitatis,* ut affirmat S. Epiphanius initio libri *Adversus hæreses.* Et revera quidem; non enim consentaneum erat primum hominem, tantisque bonis, tum naturalibus, tum supernaturalibus cumulatum, Trinitatis mysterium ignorare; maxime cum hoc mysterium in ipsius Adami formatione indicatum fuerit his verbis: *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram:* et postmodum Deus ipse coram Adamo dixerit: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* — *Tertio,* novit etiam futuram *Filii Dei Incarnationem,* ut affirmat Doctor Subtilis, docens quod etsi Adamus non peccasset, nihilominus Filius Dei fuisset incarnandus. Addit S. Prosper in cap. 1. primæ partis *De promissionibus Dei, et prædictionibus,* etiam ipsi Adamo notam fuisse conjunctionem Christi cum Ecclesia: quod utique significavit Adamus ipse 2. *Genesis* de uxore proferens: *Propter hoc relinquet homo patrem, et matrem, et adhærebit uxori suæ:* quæ verba S. Paulus ad Ephesios, c. 5. conjunctioni Christi cum Ecclesia adaptat, subditque: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, et in Ecclesia.* — *Quarto,* etiam non est improbabile Adamum novisse Angelorum lapsum, qui propter superbiam cælo deturbati ad Tartara detrusi fuerunt: hæc namque cognitio Adamo multum proderat, tum ad humilitatem, tum ad observantiam Dei mandatorum, quo scilicet tam tremendum judicium declinare posset: quod utique significare videtur *Ecclesiasticus,* cap. 17. ubi inter varias dotes Protoparentibus a Deo concessas, etiam reponit, quod *judicia sua ostendit illis.* — *Quinto* denique, Adamus perfectam sui cognitionem habuit: nam, ut scribit Hugo Victorinus *loco laudato,* « congruum erat ut « homo a prima sua formatione perfectam sui cognitionem haberet, « quatenus et debitum obedientiæ suæ erga superiorem agnosceret, « et debitum providentiæ suæ erga inferiorem non ignoraret. Hoc si- « quidem erat semetipsum agnoscere: conditionem, et ordinem, et « debitum suum, sive supra se, sive in se, sive sub se, non ignorare: « intelligere qualis tactus esset, et qualiter incedere deberet, quid « agere, quid cavere similiter. Hoc totum erat semetipsum agnoscere. « Si horum cognitionem et discretionem homo non habuisset, seme-

« tipsum non cognovisset, neque prævaricationis horum postmodum ex-
« titisset reus, si prius ad eorum cognitionem non fuisset illuminatus.
« Si autem quæritur, utrum homo tunc a principio cognitionem eorum
« quæ circa ipsum ventura fuerunt habuerit, idest, lapsum, et ruinam
« suam præscierit, et cætera omnia mala, quæ primum in ipsum, po-
« stea per ipsum in omnes qui fuerunt ex ipso transierunt: et simi-
« liter utrum præscierit bona quæ habiturus fuisset, si in obedientia
« perstitisset; illud omnino probabile, et consequens esse videtur,
« quod ad institutionem, et formam recte vivendi spectabat magis, ut
« ei facienda indicerentur potius, quam ut futura prædicerentur. Illud
« namque et arbitrii libertatem, et obedientiæ puritatem minuere
« omnino videretur, si ipse homo ante meritum, futurorum præscius
« diceretur: quia nec bona sperare cum præscientia malorum po-
« tuisset, neque cum præscientia bonorum mala ventura timuisset.
« Propter hoc igitur magis conveniens judicatur, primum hominem
« eorum quidem, quæ facienda erant, scientiam, et præceptum acce-
« pisse: sed eorum quæ futura erant, præscientiam non habuisse, ut
« liberum ad utramque partem arbitrium staret. » Hæc Hugo. — Hoc ipsum confirmat S. Augustinus, lib. 11. *De Genesi ad litteram*, cap. 18. ubi de primo homine in Paradiso existente, inquirit: *Si futuri sui peccati præscius erat divinæque vindictæ, beatus unde esse unde poterat? Ergo erat in Paradiso non beatus. Si autem non erat futuri peccati sui præscius: ergo per hanc ignorantiam, aut ejusdem beatitudinis incertus; et quomodo jam vere beatus? aut falsa spe certus non scientia, et quomodo non stultus?* Respondet: *Sed tamen hominis adhuc in corpore animali constituti, cui obedienter viventi dandum adhuc esset Angelorum consortium, et mutatio corporis ex animali in spirituale, possumus intelligere beatam vitam secundum quemdam modum, etiamsi non erat, quales fuerunt quibus Apostolus dicit:* vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in Spiritu lenitatis, intendens teipsum, ne et tu tenteris. *Non absurde tamen nec improbe dicimus, beatos jam fuisse hoc ipso, quod spirituales essent, non corpore, sed etiam fidei spe gaudentes, in tribulatione patientes. Quanto magis ergo, et ampliori modo beatus erat homo in Paradiso ante peccatum, quamvis incertus futuri sui casus, qui spe ita gaudebat propter præmium futuræ commutationis, ut nulla esset tribulatio cui tolerandæ patientia militaret? Quamvis enim non vana præsumptione de incerto certus velut stultus, sed spe non infidelis, antequam apprehenderet illam vitam, ubi certissimus ipsius æternæ vitæ suæ futurus esset, posset exultare, quemadmodum scriptum est, cum tremore, et exultatione, multo abundantius in Paradiso quam sancti in his terris, beatus esset modo quodam inferiore quam in illa vita æterna sanctorum supercœlestium Angelorum, non tamen nullo.* — An autem cognitio rerum supernaturalium, et divinarum, quam in statu innocentiæ habuit Adam, fuerit sublimior, et clarior quam fides, licet interior fuerit, et obscurior, quam sit cognitio earumdem rerum per lumen gloriæ; ita ut lumen illud quod habuit Adam, medium quodammodo fuerit inter lumen fidei, et lumen gloriæ: affirmare videtur Hugo Victorinus *ibidem cap.* 14. dicens: sciendum tamen est, quod illam primam cognitionem hominis quam de Creatore suo habuit, sicut majorem, et certiorem illa cognitione,

quæ nunc in sola fide constat, veraciter dicimus: ita etiam illa, quæ postmodum in excellentia divinæ contemplationis manifeste revelabitur, minorem necesse est confiteamur. Cognovit ergo Creatorem suum homo, non tamen ita excellenter, sicut postea cognoscere debuisset, si perstitisset: sicut enim inobedientia hominis per subsequentem ignorantiam primæ cognitionis multum abstulit: sic eidem cognitioni si in obedientia homo perstitisset, per subsequentem revelationem plurimum addendum fuit. Hæc Hugo. Unde S. Bonaventura in 2. *dist.* 23. *qu.* 3. *art.* 2. *qu.* 3. ait, quod revera cognitio status innocentiæ media est inter cognitionem status gloriæ, et status miseriæ, sicut etiam locus Paradisi medius est inter hanc vallem miseriæ, et Patriam cælestem: et quemadmodum Paradisus terrestris plus se tenet cum terra quam cum Cælo, sic Adæ cognitio sive status innocentiæ, plus conformis est cognitioni status præsentis, quam futuri. Unde in solo statu gloriæ videbitur Deus immediate, et in sui substantia, ita quod nulla erit ibi obscuritas; in statu vero innocentiæ, et naturæ lapsæ videtur Deus mediante speculo, sed differenter; quia in statu innocentiæ videbatur Deus per speculum clarum: nulla enim erat in anima peccati nebula; in statu vero miseriæ videtur per speculum obscuratum per peccatum primi hominis, et ideo nunc videtur per speculum, et in ænigmate. Ænigma enim, sicut dicit S. Augustinus in lib. *De Trinit.*, est similitudo obscura. Hæc S. Bonaventura. — Hæc autem cognitio, quam Adamus habuit in statu innocentiæ, adeo sublimis et excellens fuit, ut rerum cælestium contemplatione recreatus, mens ejus in extasim plerumque ageretur: quod utique sancti Patres luculenter explicant, expendendo videlicet illa verba Genesis 2. *Immisit Dominus Deus soporem in Adam*, vel ut vertunt Septuaginta, *immisit extasim:* unde S. Augustinus *De Genesi ad litteram*, lib. 9. cap. 19. *Illa extasis*, inquit, *quam Deus immisit in Adam ut soporatus obdormiret, recte intelligitur ad hoc immissa, ut et ipsius mens per extasim particeps fieret, tamquam Angelicæ curiæ, et intrans in sanctuarium Dei intelligeret novissima: denique erigitans tamquam prophetiæ plenus, cum ad se adductam costam mulierem suam videret, eructavit continuo quod magnum Sacramentum commendat Apostolus:* Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea, etc. *quæ verba cum primi hominis fuisse Scriptura ipsa testetur, Dominus tamen in Evangelio Deum dixisse declaravit, ut hinc intelligeremus propter extasim, quæ præcesserat in Adam, hoc eum divinitus tamquam Prophetam dicere potuisse.*

QUÆSTIO TERTIA.

QUA RATIONE PROPAGATUM ESSET GENUS HUMANUM IN STATU INNOCENTIÆ.

Notandum 1. Nonnullos e sanctis Patribus existimasse, quod si perseverasset innocentiæ status, homines sine commixtione sexus nascerentur. Ejus imprimis sententiæ fuit S. Gregorius Nyssenus, in libro *De hominis opificio*, asserens c. 17. quod si non peccasset primus homo, nullus foret usus nuptiarum, nec multiplicati fuissent homines, ut nunc fit, per copulam carnalem; sed certa quadam, et ignota ratione

propagatum iri hominum genus, eo scilicet modo, quo multiplicatos Angelos esse credidit, *Si ab ea vitæ conditione,* inquit, *in qua Angelis æquales eramus, per peccatum non excidissemus, nihil neque nos ad multiplicationem nuptiis opus habuissemus: sed quæcumque tanta in Angelorum natura multiplicationis est ratio, quæ quidem neque verbis explicari, neque conjecturis hominum comprehendi potest, et est in illis tamen aliqua; eadem et in iis, qui paululum ab Angelis minorati sunt, hominibus valeret, quæ ad præfinitum usque voluntate Conditoris modum humani generis incrementa perduceret.* Eadem est opinio sancti Damasceni, lib. 2. cap. 30. affirmantis *hominum a seipsis propagationem, et successionem, ex condemnatione ad mortem propter transgressionem contigisse.* Quibus consona sunt quæ scribit sanctus Chrysostomus Homil. 18. in *Genesim*, explicans illa verba capitis quarti: *Adam cognovit uxorem suam.* Eorum autem potissima ratio fuit actus conjugalis turpitudo propter æstum libidinis, et corruptionem integritatis: quocirca

Notandum 2. Ex S. Bonaventura in 2. dist. 20. art. 1. quæst. 3. quod si perseverasset innocentiæ status, fuisset equidem delectatio in actu conjugali, moderata tamen, et mensurata, secundum quod eam valebat temperare ratio hominis: et ideo non erat tanta quanta est modo. « Nunc enim quia virtus illa maxime exivit rationis imperium, « dum ratio amisit originalis Justitiæ vinculum, et retinaculum, per « quod imperabat viribus inferioribus: ideo laxatis sibi habenis, toto « impetu, et conatu se præcipitat in delectabile sibi oblatum, non pro- « pter intensionem virtutis moventis, sed propter defectum virtutis re- « tardantis. Unde sicut equus lascivus rupto freno velocius currit, et « impetuosius, quam cum infrenatur et detinetur a suo sessore, licet « non habeat majorem virtutem, et sic in proposito intelligendum est se « habere. Et hoc est quod dicit Aug. *De Civit. Dei.* Nuptiæ illæ dignæ « felicitate Paradisi, si peccatum non fuisset, et diligendam prolem « gignerent, et pudendam libidinem non haberent. Et ideo concedendæ « sunt rationes ostendentes, quod non esset tunc tanta delectationis « intensio, quanta est nunc, cum modo tanta sit, ut modum et ordi- « nem debitum non observet. » Hæc Seraphicus Doctor.

Notandum 3. *Ex eodem qu.* 4. quod integritatis corruptio tria dicit: scilicet claustrorum apertionem, pœnalem passionem, et fœdam delectationem: *Primum* est naturæ: *Secundum* est pœnæ: *Tertium* vero est corruptionis vitiosæ, quæ tenet medium inter culpam, et pœnam. « Si igitur vir cognovisset uxorem in tempore naturæ institutæ, fuisset « ibi claustrorum apertio: non tamen fuisset ibi pœnalis passio, nec « fœda delectatio; quia vis generativa nec esset corrupta, nec esset « infecta: imo obedirent rationi illa membra, sicut dicit Augustinus, « sicut obediunt os, manus, et lingua. Unde sicut manus aperitur et « clauditur, et os aperitur et clauditur, nec est ibi passio vel pœna, « nec delectatio fœda, sic fuisset in natura instituta: nec turpius fuisset « tunc loqui de istis membris, quam sit loqui de aliis; nec enim turpe « est loqui propter hoc, quod natura horret, et erubescit actum illum « ratione fœditatis, quæ in ipso consistit; sed ratione annexæ intem- « perantis et inordinatæ delectationis. »

Conclusio prima. — Revera propagatum esset genus humanum in statu innocentiæ per commixtionem sexuum. Ita convenit numerosior sanctorum Patrum caterva, quibus visum est non alio modo, quam usitata conjunctione sexuum posteritatem Adami gignendam fuisse : absque tamen illo æstu libidinis, qui rationem antevertit. Unus præ cæteris sufficiat S. Augustinus, qui lib. 1. *contra Julianum*, cap. 1. ait : *Neque enim etiamsi natura humana primorum hominum peccato vitiata non esset, possent filii nisi de corporum commixtione generari ; sed ideo sub diaboli potestate sunt, qui de corporum commixtione nascuntur, antequam per Spiritum renascantur, quia per illam nascuntur concupiscentiam, qua caro concupiscit adversus spiritum, et adversum se cogit concupiscere spiritum.* Et lib. 2. *De peccato Originali*, c. 35. et 36. *Essent autem proculdubio*, inquit, *nuptiæ, etiam non præcedente peccato, quia neque ob aliam causam vivo adjutorium non alius vir, sed fœmina facta est. Et illa Dei verba*, crescite, et multiplicamini, *non est damnandorum prædictio peccatorum ; sed fœcundarum benedictio nuptiarum, etc. Si autem peccato non fuisset dehonestata natura, absit ut opinemur tales futuras fuisse nuptias in Paradiso, ut in eis ad prolem seminandam non natura voluntatis, sicut pes ad ambulandum, manus ad operandum, lingua ad loquendum ; sed æstu libidinis membra genitalia moverentur ; nec sicut nunc fit, virginitatis integritas ad concipiendos fœtus, vi turbidi vitiaretur ardoris : sed obsequeretur imperio tranquillissimæ charitatis. Et eo modo non esset dolor, et cruor virginis concumbentis, quomodo non esset etiam matris gemitus parientis.*

Probat hanc veritatem S. Bonaventura loco laudato quæst. 1. tum auctoritate Scripturæ, tum ratione. « Dicitur enim, inquit, homi- « nibus in statu innocentiæ, sicut scribitur, *Crescite, et multiplicamini,* « *et replete terram.* Et alius textus dicit, *Mulierem in adjutorium viri* « *esse factam.* Rationi etiam rectæ hoc consonat, quæ dicit, potentiam « generandi spectare ad completionem naturæ : usum vero generationis « ad complementum, et perfectionem civitatis supernæ; et quia in statu « Innocentiæ natura perfectior erat, quam in statu viæ : et si homo « stetisset, superna civitas suorum civium numerositate nequaquam « fraudata esset ; ponendum est quod homo in statu innocentiæ gene- « rare poterat, et genuisset; et quia nec vir per se, nec mulier per se « sufficisset ad generandum , ideo per commixtionem fieret conjunctio « unius ad alterum, et mutuum sibi præberent auxilium in procrea- « tione prolis ad multiplicandum genus humanum, et ideo si homo « stetisset, esset generatio, et sexuum commixtio. » — *Confirmatur* ex *Genesi* 2. Mulier facta est in adjutorium hominis: at non ad aliud sane, quam ad generationem prolis ; namque ad omnia alia, vel melius, vel certe non minus bene vir a viro juvari posset. *Deinde*, distinctio sexuum non est nisi propter generationem: sed in primaria sui conditione, distinctio fuit in humana specie, sicut in aliis : ergo si sexus distincti ad unum effectum non concurrunt nisi commisceantur, videtur quod si homo stetisset, vir, et mulier commixti essent. *Denique*, vir habuit vim generativam : sed planum est quod intra se prolem concipere non poterat ; cum nec haberet locum, in quo fœtus vegetaretur, nec viam per quam egrederetur : ergo videtur quod ut

generare posset, necessarium erat sibi cum muliere commisceri, et convenire.

Dices 1.: Sexuum commixtio turpitudinem infert: at in statu innocentiæ nulla fuisset inhonestas, nec turpitudo: ergo nec sexuum commixtio. — **Respondeo**: *distinguo majorem*: sexuum commixtio cum immoderato libidinis ardore, et effrenatis concupiscentiæ motibus, turpitudinem infert, concedo; ubi hæc non adsunt, nego. Turpitudo equidem, et fœditas, quæ in ipso generationis actu nunc inest, sentitur propter deformitatem libidinis, et sexuum immoderatam voluptatem, quam primi nostri parentes statim post peccatum, ut verbis utar Augustini, senserunt, erubuerunt, et se operuerunt. Verum hic ardor libidinis turpificans et deformans actum generationis, non fuisset in statu innocentiæ. Siquidem in eo animus fuisset omnino subjectus Deo; et pars inferior hominis perfecte subdita fuisset, et obediens rationi; ita ut qua facilitate, ac moderatione nunc movemus cætera membra corporis, pedes ad ambulandum, manus ad capiendum, os et linguam ad loquendum; eadem tunc facilitate in eo statu absque perturbatione rationis, sine ardore libidinis, et citra omnem fœditatem, movebat homo, regebat, et moderabatur ea membra corporis, quæ ad generandum natura comparavit.

Dices 2: Non potest esse generatio nisi ex decisione seminis: sed in statu innocentiæ non fuisset seminis decisio; semen enim est superfluum nutrimenti: ubicumque autem est superfluitas, ibi est vitiositas: sed in natura instituta non erat vitiositas: ergo nec superfluitas: igitur nec humor seminalis. *Deinde*, semen est superfluitas tertiæ digestionis: sed si homo stetisset, non esset in eo superfluitas secundæ digestionis, utpote stercus, et urina: ergo nec superfluitas tertiæ. Prima patet per Philosophum: secunda manifesta est, quia illæ superfluitates nunquam sunt sine fœditate, et ignominia: ergo si fœditas, et ignominia non sunt in homine nisi per culpam, nullo modo esset in eis superfluitas. — **Nego minorem**: et ad ejus probationem *respondeo* cum S. Bonaventura loco laudato quæst. 2. duplicem esse superfluitatem, nempe *residuitatis*, et *impuritatis*. Superfluitas residuitatis est in semine; et hæc superfluitas necessitatem non excludit, imo idem ipsum, quod necessarium est, est superfluum, sed necessarium speciei, superfluum individuo: necessarium virtuti generativæ, sed superfluum nutritivæ: et hæc superfluitas non repugnat bonitati et complexioni naturæ, quia non sonat in vitium, sed in complementum. — Est et alia superfluitas impuritatis, sicut stercus, et urina, defluxio rheumatis, missio sudoris, et consimilia, et hæc est in duplici differentia: quædam venit ex debilitate virtutis contentivæ et conservativæ, sicut sudor et rheuma, et talis non fuit in Adam, propterea quod virtutes naturales in ipso erant in suis operationibus efficaces; alia vero est, quæ venit ex nutrimenti impuritate, et hæc fuisset in Adam, qualis est superfluitas egestionis, et urinæ, quæ sunt propter separationem puri ab impuro; et illud quod purum et idoneum est, assumatur in alimentum, illud vero quod est minus idoneum ejiciatur exterius, licet non cum tanto fœtore et fœditate, sicut et hoc satis indicant vasa, et intestina, et foramina, quæ sunt homini a sua prima conditione naturaliter deputata. Hæc S. Bonaventura.

Dices 3: Fieri nequit prolis generatio absque corruptione signaculi, et integritatis virginalis: sed in statu innocentiæ nulla fuisset corruptio: ergo nec prolis generatio. — **Respondet S. Augustinus**, lib. 11. *De Civit. Dei*, cap. 26. *quod in tanta facilitate rerum, et felicitate hominum, absit ut suspicemur non potuisse prolem fieri sine libidinis morbo: sed eo voluntatis nutu moverentur illa membra quo cætera: et sine ardoris illecebroso stimulo, cum tranquillitate animi et corporis, nulla corruptione integritatis infunderetur gremio maritus uxoris: neque enim quia experientia probare non potest, ideo credendum non est; quando illas corporis partes non ageret turpidus calor, sed spontanea potestas, sicut opus esset, adhiberet; ita tunc potuisse utero conjugis salva integritate fœminei genitalis virile semen immitti: sicut nunc potest eadem integritate salva ex utero virginis fluxus menstrui cruoris emitti; eadem quippe via posset illud injici, qua hoc potest ejici, ut enim ad pariendum non doloris gemitus, sed maturitatis impulsus fœmineæ viscera relaxaret: sic ad fœtandum et concipiendum non libidinis appetitus, sed voluntarius usus naturam utramque conjungeret.* — *Respondeo* 2. Probabilius videri signaculum virginalis integritatis etiam tunc per actum generationis apertum iri. Modus enim quo nunc fit actus generationis per aperitionem vulvæ mulicbris naturalis est, quippe qui etiam in cæteris animalibus servetur. Excepto igitur ardore immoderatæ libidinis, et deformitate concupiscentiæ, quæ ex peccato ac privatione Justitiæ originalis actui generationis contigerunt, etiam hic modus fuisset in statu innocentiæ: quæ enim naturalia sunt homini non sunt mutata propter peccatum. *Deinde,* cur veremur dicere integritatem corporalem fœminæ ablatam iri tunc per actum generationis, cum non possimus inficiari eam corruptam iri in partu per egressum prolis ex utero? Nisi quis adeo excors, et amens sit, ut quod in beatissima Virgine eximium, et singulare fuit miraculum ut clauso utero Filium suum ederet, id omnibus fœminis in eo statu usitatum futurum fuisse opinetur. — *Addo,* sententiam S. Augustini explicari posse eo sensu, quo illam, usurpavit, et distinxit S. Bonaventura, ut observatum est in. 3. Notabili.

Quæres: *An si perseverasset innocentiæ status, soli nati fuissent homines, qui nunc electi sunt ad beatitudinem æternam?*

✳ " Negantem partem videtur asserere Angelicus Doctor 1. p. quæst. 100. a. 2. ubi respondendo ad auctoritatem petitam ex S. Gregorio Papa dicente quod si perseverasset innocentiæ status, soli prædestinati essent nasciturí, *Dicendum,* inquit, *quod si Adam non peccasset non generaret ex se filios gehennæ: ita scilicet, quod ab ipso peccatum contraherent, quod est causa gehennæ. Possent fieri filii gehennæ per liberum arbitrium peccando. Adjicit equidem: Vel si filii gehennæ non fierent per peccatum, hoc non esset per hoc quia essent in gratia confirmati, sed propter divinam providentiam, per quam a peccato conservarentur immunes.* Ubi vides in hac secunda parte responsionis indicare eos non esse peccaturos, nempe mortaliter ad gehennam, præservante eos Deo a peccato. Cum tamen ponat primo loco priorem responsionem negantem istam præservationem, dicendum magis inclinare ad eam sententiam.

Affirmantem vero sententiam tuetur Subtilis Doctor " ✳ in 2. dist. 20. qu. 2. « Dico, inquit, quod soli nunc electi fuissent in statu « innocentiæ nati; » idque probat primo auctoritate S. Gregorii 4. *Moralium* cap. 36. dicentis : « si parentem primum nulla peccati rubigo « corrupisset, nequaquam ex se filios gehennæ generaret, sed illi qui « nunc per Redemptorem salvandi sunt, soli ab illo electi nascerentur ; « cujus assertioni cum nulla ratio theologica, nullaque implicantia « repugnet, etiam ipsi fides non est deneganda. »

Probat. 2. *Doctor ratione theologica*, quia omnis ordinate volens finem aliquem et ea media quæ ad ejus consecutionem conducunt, prius vult media proximiora fini, quam remotiora : sed Deus est ordinate volens : ergo primo vult seipsum, vel bonitatem suam communicandam creaturæ tamquam finem ipsius ultimum : ergo pariter velle debet media, quæ proxime conferunt ad fruitionem suæ beatitudinis, et bonitatis. Atqui ex his mediis propinquior est electio hominis ad gloriam, quam quod producatur ab hoc vel illo homine, aut quod permittatur peccatum : ergo prius electio illa fit quam decernatur permissio peccati, aut nativitas illius hominis ab hoc vel illo homine ; adeoque hujusmodi parentes non poterunt variare determinandos, et eligendos ad beatitudinem a voluntate divina, quin iidem in numero nascantur. — Verum quoniam hæc Doctoris probatio solum potest intelligi de electione incompleta, et tantum designativa, non autem de electione absoluta, completa, et determinata, ut diximus demonstrando hominum prædestinationem efficacem fieri solum post prævisa merita, idcirco aliter censeo probandam esse S. Gregorii, necnon et Subtilis Doctoris assertionem. Illi soli tunc nati fuissent homines, qui prævidebantur in gratia finali ex hac vita migraturi : sed soli nunc electi tales sunt : ergo soli tunc fuissent nati. *Minor* constat : *Major* pariter, tum quia aperte fatetur S. Gregorius, quod si stetisset Adamus, nequaquam ex se filios gehennæ generasset ; ergo omnes tunc generandi erant in gratia finali ex hac vita migraturi : tum quia, ut probabitur infra, omnes Adami posteri, si ipse stetisset, post devictam ab ipsis primam peccandi tentationem, et occasionem, revera fuissent in gratia confirmati ; adeoque nullus eorum ex hoc mundo migrasset absque gratia sanctificante : tum denique quia licet aliqui peccassent, nihilominus de peccato pœnitere potuissent, et amissam gratiam sanctificantem per actum contritionis reparare, ac per ferventiorem charitatis actum debitas suo peccato pœnas luere ; imposterumque peccandi occasiones majori cum prudentia devitare, et firmiori animo repellere : ergo eorum nullus ex hac vita migrasset absque gratia sanctificante, sicque eorum nullus damnatus fuisset. — ✳ " Accedunt in confirmationem plures rationes probabiles et conjecturæ quas sic refert Franciscus Macedo a S. Augustino, collat. 6. diff. 1. sec. 4. *Prima* sumitur a conditione illius status, qui cum esset integritatis et innocentiæ, similis virginitati esse debebat : nempe aut manere integer, aut perire corruptus, non enim dabatur medium. *Secunda* a simili, seu potius ab opposito : per peccatum Adæ totus ille status funditus periit : igitur per illius innocentiam totus penitus, ac ex integro staret. *Tertia* a proportione inter propagationem naturæ et transfusionem justitiæ : quemadmodum enim ab uno parente tota natura traducta in posteros,

ita et justitia videbatur transfundenda, ita Deo ordinante, ut una alteri responderet. *Quarta* a pacto Dei cum homine: quod ejusmodi videtur fuisse, ut si Adam obediret, omnis ejus posteritas salvaretur; si secus, tota damnaretur, uti accidit per peccatum. *Quinta* a differentia hujus status a statu Redemptionis post peccatum: quia si in eo statu essent peccata mortalia privatorum esset Mediator et Redemptor necessarius, et gratia redemptionis necessariæ, quæ conditio est propria præsentis status naturæ lapsæ, non alterius. Unde sequitur ex absurdo. *Sexta,* scilicet confusione horum statuum, fieret enim ille status omnino similis statui nostro cum Redemptione et cum gratia Mediatoris, cum Sacramentis ac remediis peccatorum quæ non videntur sine gratia Redemptoris posse deleri: atque adeo consequenter esset in eo Christus passibilis, et gratia Crucis, vel quiddam simile. *Ita Macedo.* — His conjecturis auctoritate sua etiam suffragantur SS. Patres. Nam præter S. Gregorium Magnum jam laudatum, addit S. Anselmus, lib. 1. c. 18.: *Si primi parentes sic vixissent ut tentati non peccassent, ita confirmarentur cum omni propagine sua, ut ultra peccare non possent.* — Favet etiam S. Augustinus, lib. 14. *De Civit. Dei*, cap. 23. ubi quærens an in statu innocentiæ alii homines generandi essent a primis parentibus, objecto fore ex iis aliquos peccatores, ac proinde solos eos primos parentes justos remanere, contra affirmando sic ait: *Illud potius est credendum, quod sanctorum numerus quantus complendæ illi sufficit beatissimæ Civitati tantus existeret, et si nemo peccasset quantus nunc per Dei gratiam de multitudine colligitur peccatorum.* Similia habet lib. *De correptione et gratia*, cap. 10. " ✳ — An autem revera soli ipsi, qui de facto eliguntur ad gloriam, idest, iidem in individuo homines, qui nunc sunt ad beatitudinem æternam efficaciter destinati, perseverante innocentia nati fuissent, affirmare videtur Doctor ✳ " in 2. dist. 20. quæst. 2. n. 3. ubi ait: « Dico (sicut dictum est) quod idem « homo in numero, non solum quoad animam, sed etiam quoad corpus « organicum, potuit esse filius Adæ, et filius Abrahæ; et ex quo- « cumque istorum duorum fuisset, idem in numero fuisset, quia si « nihil substantiæ filii sit de substantia Patris, sed totum de menstruo, « ut vult Philosophus, *secundo De gen. animalium,* vel si ibi con- « currat semen viri cum isto semine mulieris, dico tamen quod eadem « materia ex qua iste generatur, quæ fuit in statu naturæ lapsæ sub « forma alimenti, talis potuit esse in statu innocentiæ, sub forma alia, « puta pomi, vel hujusmodi. » *Ita Doctor,* quibus verbis duo statuit, nimirum, quod iidem numero nati fuissent in statu innocentiæ qui jam sunt prædestinati; tametsi forte eosdem non habuissent parentes, quia, inquit, idem homo potest esse filius Adæ et Abrahæ, seu diversum habuisse patrem. In hoc enim homine individuo sunt duo, nempe forma et materia, scilicet anima et corpus. Anima autem non dependet a parentibus, sed creatur et infunditur a Deo; corpus vero formatur ex semine quod non est tam proprium unius, quin possit esse alterius, cum ex diversis alimentis idem semen possit generari. " ✳ — Verum in re tam dubia et incerta solum probabiliter licet opinari: sufficiat itaque cum ipso Doctore, et S. Gregorio constanter asserere, neminem eo in statu hominum fore damnandum, sed omnes futuros esse prædestinatos et salvos.

ARTICULUS TERTIUS.

DE EXIMIIS HOMINIS INNOCENTIS CORPORIS, ET ANIMÆ SUPERNATURALIBUS DOTIBUS.

Varias, easque præcellentes hominis innocentis supernaturales dotes fuisse constat, gloria namque, et honore ipsum Deus coronaverat, et constituerat super opera manuum suarum, inquit Regius Vates. *Gloria,* inquam, hoc est omnibus divinæ sapientiæ charismatibus illustraverat; *Honore* autem, quoniam virtutibus omnibus, et gratiis gratis datis ac gratum facientibus imbuerat: *Constituerat* denique *super opera manuum,* supremum ipsi in omnes animantes, et mundana quæque dominium conferens. Ita quod sapientia *doctorem*, gratia *justum,* et dominio totius orbis *Monarcham* effinxerat. Hunc autem felicem statum S. Bernardus in Sermone primo de *Annunciatione,* sic delineat: « Videre mihi videor, dilectissimi, quatuor virtu- « tibus hic amictum primum hominem ab ipso suæ creationis exordio, « et ut Propheta meminit *vestimento salutis indutum.* Etenim in his « quatuor illa salutis integritas: nec sine his omnibus potest constare « salus: præsertim cum nec possint esse virtutes si ab invicem sepa- « rentur. Acceperat ergo homo *Misericordiam,* custodem scilicet atque « pedissequam, ut ipsa præveniret, ipsa sequeretur eum, ipsaque pro- « tegeret, et conservaret ubique. Vides qualem nutritium contulit par- « vulo suo Deus, qualem dedit pedissequam homini recens orto.

« Sed erat illi necessarius etiam eruditor, tamquam ingenuæ, et « rationabili creaturæ, ut non sicut jumentum aliquod custodiretur, « sed tamquam parvulus educaretur. Cui sane magisterio nemo po- « terat aptior inveniri quam *Veritas* ipsa, quæ eum in agnitionem « summæ perduceret aliquando veritatis. Interim vero ne sapiens in- « veniretur ut malum faceret, essetque peccatum ei tamquam scienti « bonum, et minime facienti, *Justitiam* quoque qua regeretur accepit. « Adhuc autem ad *pacem* qua foveretur, et delectaretur, addidit manus « benignissima Creatoris Pacem utique duplicem, ut nec *intus pugna*, « nec *foris timores*, idest, nec caro concupisceret adversus spiritum, « nec esset ei creatura ulla formidini: nam et bestiis omnibus libere « imposuit nomina, et serpens ipse, qui violentia non præsumpsit, « fraude magis cum aggressus est. Quid huic deerat quem *miseri-* « *cordia* custodiebat, docebat *Veritas*, regebat *Justitia, Pax* fo- « vebat? » — Subdit autem qualiter homo, per peccatum his spoliatus fuerit. « Perdidit homo, inquit, *Justitiam* cum Eva serpentis, Adam « mulieris voci obedivit potius quam divinæ... Perdidit et *misericor-* « *diam,* cum sic exarsit Eva in concupiscentia sua, ut nec sibi, nec « viro, nec filiis parceret nascituris, simul omnes terribili maledicto, « et necessitati mortis addicens. Adam quoque indignationi divinæ « mulierem, pro qua peccaverat, objecit: quasi post tergum ejus vo- « lens declinare sagittam... Privata est etiam mulier *veritate:* primo « quidem male detorquens quod audierat, *morte morieris,* et dicens « *ne forte moriamur:* demum serpenti credens penitus abneganti, et « dicenti; *Nequaquam moriemini.* Privatus est et Adam *veritate,* ubi « eam confiteri erubuit, folia, hoc est, excusationum operimenta præ-

« tendens... *Pacem* quoque protinus amiserunt, quia *non est pax « impiis,* dicit Dominus. Nonne enim contrariam legem invenerant « in membris suis, quos de novo pudere cœperat nuditatis? *Timui « ego,* inquit, *eo quod nudus essem.* Non sic miser, non sic paulo ante « timebas! non quærebas folia, licet corpore nudus sicut et modo. »

His præmissis, tria maxime veniunt in hoc Articulo discutienda: *Primum,* quid et qualis fuerit Justitia originalis: *Secundum,* quæ et qualis fuerit Adamo, et Evæ concessa gratia: *Tertium,* quodnam fuerit dominium eorum in res corporeas, maxime vero animatas.

QUÆSTIO PRIMA.

QUÆ, ET QUALIS FUERIT PRIMORUM PARENTUM JUSTITIA ORIGINALIS.

Notandum 1. Varias esse inter principes Theologiæ Magistros de Justitia originali sententias, nam *Henricus Gandavensis quodlib.* 6. *qu.* 11. tradit Justitiam originalem fuisse quamdam naturalem rectitudinem humanæ voluntati insitam, per quam poterat ipsa voluntas appetitui sensitivo dominari, illumque ad nutum quo vellet flectere: cui rectitudini opponitur curvitas naturalis, et pronitas ad malum inflicta voluntati propter peccatum. Quod utique explicat exemplo virgæ, quæ primo est recta, deinde flectitur, et curvatur. *Confirmatque* ex eo quod si Justitia originalis non fuerit quidpiam pure naturale, non apparet qualiter homo per peccatum vulneratus fuerit in naturalibus, solum enim diceretur spoliatus donis gratuitis, si Justitia originalis, quam per peccatum amisit, fuisset quid supernaturale. — Verum hanc sententiam, ut falsam et improbabilem rejicit et impugnat Doctor in 2. dist. 29. n. 3; unde ceteri Theologi cum ipso Subtili Doctore consentiunt Justitiam originalem fuisse quid supernaturale. At dissentiunt invicem in illa explicanda. Primo namque plurimi Thomistæ cum Soto, lib. 1. *De Natura, et Gratia,* c. 5. existimant Justitiam originalem fuisse ipsammet gratiam sanctificantem primis Parentibus concessam, suasque in partes deducere nituntur S. Thomam 1. parte qu. 95. art. 1. et in 2. dist. 20. art. 1. Omnino oppositam sententiam tuentur S. Bonaventura in 2. dist. 29. art. 2. qu. 2. et Alensis 2. parte qu. 90. necnon et Cajetanus 1. parte qu. 95. conformiter explicans S. Thomam. Hi namque affirmant Justitiam originalem esse supernaturalem quamdam charitatem a charitate et gratia sanctificante omnino distinctam. Ceteri vero Theologi contendunt Justitiam originalem nec esse charitatem, et gratiam sanctificantem, nec quid unum ab eis diversum, sed quid aggregatum ex charitate simul, et aliis donis gratuitis primis Parentibus collatis, quibus nempe eorum voluntas perfectissime Deo, appetitus autem sensitivus voluntati subjiceretur, nec adversus eam rebellaret.

Notandum 2. Certissimum esse primos Parentes, quamdiu eorum innocentia viguit, non expertos fuisse rebellionem illam partis inferioris adversus superiorem, quæ solito *concupiscentia,* et *peccati fomes* nominatur. Idque colligitur *Primo,* ex illo *Eccles.* 7. *Deus fecit hominem rectum. Secundo,* ex Apostolo *ad Rom.* 7. ascribentem repugnan-

tiam carnis contra spiritum, et concupiscentiæ contra rationem, peccato tamquam causæ. *Tertio* a posteriori, quia Adam et Eva ante peccatum erant nudi, et non erubescebant; sed post peccatum cognoverunt se nudos, et statim se cooperuerunt, propter motus scilicet inordinatos quos tunc sentiebant, a quibus ante erant immunes. *Quarto*, auctoritate S. Augustini, et aliorum Patrum, qui ubique concupiscentiam ponunt tamquam effectum peccati originalis. Quæ doctrina est etiam multorum Conciliorum, et speciatim Conc. Tridentini sess. 5. *in decreto de peccato*, ubi dicit, *Concupiscentiam vocari quidem peccatum, non quia vere et proprie peccatum sit, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat.* — Hoc autem donum appellatur *Justitia*, quia erat naturalis perfectio totius hominis, omniumque facultatum ejus, optimaque dispositio et affectio omnium animæ potentiarum, et inter se, et in ordine ad suos cujusque actus, per quam scilicet Deus dicitur fecisse hominem rectum. *Originalis* porro nominatur, quod eam ab origine sua habuerint primi Parentes, et quod per originalem generationem ex Adamo transferenda erat in ejus posteros, non quidem virtute naturalis propagationis, et seminis, aut ullius causæ pure naturalis, sed proxime a Deo, non aliter quam ipsa naturalis anima ab ipso creatur statim ac corpus organicum ipsius suscipiendæ capax est.

Notandum 3. Quinque maxime Justitiæ originalis effectus posse distingui. *Primo* namque naturam humanam efficiebat integram; hoc est, suis facultatibus ad operandum expeditam; et omnibus, quæ naturaliter ei competunt, absolutam, et perfectam. *Secundo*, eam constituebat rectam, naturali scilicet ea rectitudine, ex qua oriebatur vehemens et prompta hominis ad omne bonum moralis propensio, et ab omni malo alienatio, et aversio, cujus rectitudinis defectu, qui propter peccatum accidit, induit homo quamdam animi curvitatem, et obliquitatem, toties in divinis litteris nominatam et exprobratam; quæ nihil aliud est quam naturalis quædam inclinatio animi ad bona creata, et caduca, et aversio a bonis æternis, et divinis. *Tertio*, ita vires omnes naturæ nostræ perficiebat ordinate, ut inferiores perfectissime subjicerentur, et obedirent superioribus, ac earum actiones nequaquam impedirent, nec retardarent, quin potius eas juvarent; superiores autem nulla tristitia in regendis ac moderandis inferioribus afficerentur. *Quarto*, hominem non modo omnis veri cognoscendi cupidissimum efficiebat; sed etiam omnium rerum, quæ naturaliter sciri possunt, perfectam cognitionem, et scientiam consequendi capacem præstabat, necnon ad omne bonum morale perficiendum, omneque malum, et vitium declinandum valentem, ac constantem reddebat. *Quinto* denique, præstabat homini felicitatem omnem naturaliter expetibilem: ita ut, inquit S. Augustinus, lib. 14. *De Civit. Dei*, c. 10. *Nullum bonum abesset homini, quod recta voluntas optare posset; nullumque malum adesset, quod hominis feliciter viventis carnem, vel animum offenderet.*

His ita prælibatis, determinandum est: *Primo*, quid fuerit Justitia originalis, an videlicet aliquid supernaturale, an vero pure naturale. *Secundo*, an fuerit aliqua supernaturalis qualitas, a charitate et gratia sanctificante distincta. *Tertio*, quonam in subjecto reposita fuerit, an in corpore, vel animo.

Conclusio prima. — JUSTITIA ORIGINALIS REVERA ERAT ALIQUID SUPERNATURALE. Hæc est contra Henricum, cujus opinionem ut falsam et improbabilem sic

Impugnat Doctor *laudato loco*. **Primo quidem**: si, ut vult Henricus, necessarium est quod per peccatum auferatur illa qualitas naturaliter rectificans, quatenus nimirum sit differentia inter hominem peccatorem, et hominem constitutum in puris naturalibus: si, inquam, hoc esset necessarium, sequeretur quod voluntas non posset peccare, nisi prius haberet ipsam rectitudinem naturalem: quia secundum ipsum, peccatum est corruptio ipsius rectitudinis: sed hoc est absurdum: tum quia voluntas ex se est libera ad conformandum se rectæ rationi, vel non conformandum: tum quia de facto peccat ulterius, dum jam est peccato inquinata; adeoque dum non habet illam rectitudinem: ergo ad peccandum non est necesse, quod tollatur illa qualitas rectificans. — *Confirmat* 1. Si Deus crearet voluntatem sine ista rectitudine, (ut revera potest; hæc enim, ut fatetur Henricus, est separabilis a voluntate, utpote ab ea realiter distincta) posset illa proculdubio, cum esset libera, elicere actum rectæ rationi, et legi divinæ, vel congruentem, vel discrepantem; et consequenter posset peccare: si enim potuit peccare primus homo, etiam Justitia originali instructus, multo magis peccare posset, si eam non haberet; nec enim illa compellebat ad non obediendum, imo ad obedientiam stimulabat, et adjuvabat: sed in tali casu non esset privatus rectitudine illa naturali per peccatum, quod committeret: ergo ad peccandum non est necesse, quod homo privetur tali qualitate naturali rectificante. — *Confirmat* 2. Si necessario deberet qualitas rectificans tolli per primum peccatum, etiam deberet tolli per secundum peccatum: sed hoc est falsum, quia non potest tolli per secundum, cum jam sublata fuerit per primum; quod autem non existit tolli nequit: ergo neque per primum debet tolli. Si igitur primum peccatum corrupit illam rectitudinem, ut vult Henricus, etiam secundum et tertium debebat corrumpere; quod utique est impossibile, cum illa per primum peccatum supponatur ablata.

Impugnat secundo: illa rebellio appetitus contra rationem itidem et æqualiter fuisset in homine creato in puris naturalibus: ergo illa non accidit ob privationem ullius rectitudinis naturalis. Probatur *antecedens:* naturale est omni appetitui ferri in suum proprium objectum: et si est appetitus non liber, naturale est ei summe, et quantum potest ferri; talis enim appetitus naturali pondere ducitur, et sicut non est in potestate ejus agere, vel non agere, ita nec tanta vel tanta potest esse intensio actus; sed agit quantum potest. Cum igitur appetitus sensitivus hominis, etiam in puris naturalibus, haberet proprium suum objectum delectabile, toto nisu tenderet in illud, et ea ratione impediret actum rationis: istæ enim potentiæ cum sint in una et eadem anima, propter hanc unitatem impediunt se mutuo in actibus suis intensis. Quare deberet tunc ratio reprimere, et cohibere impetum illum appetitus: quod sine aliqua ejus difficultate, et tristitia fieri non posset. Quamobrem ibi esset rebellio: hæc enim non est aliud quam inclinatio potentiæ inferioris ad suum objectum delectabile, et difficultas superioris potentiæ in refrænando illum appetitum.

Dices: Mortalitas, et rebellio partis sensitivæ contra rationem sunt effectus et pœnæ peccati: ergo si natura staret in puris naturalibus absque dono aliquo supernaturali, et absque peccato, nulla esset mortalitas, nec rebellio: et consequenter haberetur immortalitas, et concordia partis sensitivæ ad rationem: adeoque propter illam immortalitatem, et concordiam non est ponendum aliquod donum supernaturale, et consequenter Justitia originalis, quæ confert hos effectus immortalitatis, et concordiæ, non dicit aliquod donum supernaturale. — **Distinguit antecedens Doctor**, sunt pœnæ de facto, supposita collatione doni, per quod excluderentur, quo dono privabatur homo propter peccatum, concedit antecedens: absolute et simpliciter, aut considerata ipsa natura secundum se præcise, absque donis gratuite superadditis, negat antecedens: ut sic enim considerata natura, ipsius conditio esset morti subjici, et pati illam rebellionem, non minus quam est conditio naturalis canis mori, et lapidis descendere deorsum.

Dices 2.: Si Justitia originalis esset donum supernaturale: ergo peccatum originale esset tantum carentia istius doni supernaturalis, quia est tantum carentia Justitiæ originalis: sed hoc est absurdum; quia sic qui constitutus esset in puris naturalibus, esset æqualis conditionis cum habente peccatum originale, quandoquidem uterque careret omni dono supernaturali: sed absurdum est eos fore æqualis conditionis: sic enim uterque esset puniendus. — **Respondet ibidem Doctor**; quidquid sit de prima *consequentia,* negando *subsumptum* cum sua probatione; quia licet uterque esset æqualis quantum ad omnes perfectiones positivas naturales, et quantum ad carentiam omnis doni supernaturalis; tamen essent differentes in hoc, quod qui haberet peccatum originale haberet debitum morale fundatum in pacto divino inito cum primo homine habendæ Justitiæ originalis; constitutus autem in puris naturalibus non haberet tale debitum; unde in illo carentia doni supernaturalis, in quo consisteret Justitia originalis, esset privatio; in hoc autem non esset privatio, sed simplex carentia alicujus formæ, quam non teneretur habere.

Dices 3.: Voluntas in puris naturalibus est recta; non enim videtur aliqua curvitas pertinere ad naturam ejus, quia talis refunderetur in Deum, qui est illius auctor: ergo si absque aliquo supernaturali produceretur, haberet rectitudinem originalem; et consequenter Justitiam originalem: ergo Justitia originalis non involvit aliquid supernaturale. — **Respondeo** 1. cum Doctore, in voluntate, seu in homine posse considerari duplicem rectitudinem, et Justitiam originalem: unam quæ nihil aliud est quam facultas liberi arbitrii ad bene operandum, absque aliqua deordinatione peccati actualis aut habitualis: aliam quæ est aliquod donum inferens secum effectus concordiæ potentiæ inferioris sensitivæ ad superiorem rationalem, et immortalitatis, quam ab origine supponit habuisse primos Parentes de facto, et habituros eorum successores nisi peccarent. De priori rectitudine procedit argumentum, non de posteriori; unde concesso toto, quod nihil facit ad rem, *Respondeo* 2., cum eodem Doctore, distinguendo *antecedens:* rectitudine excludente peccatum quodcumque, concedo antecedens; rectitudine excludente rebellionem et mortalitatem, nego antecedens. Similiter distinguo *consequens:* rectitudinem originalem, et justitiam

excludentem curvitatem peccati, concedo consequentiam : excludentem rebellionem, et mortalitatem peccati, nego consequentiam. Distinguo etiam *ultimum consequens:* ergo Justitia originalis, hoc est rectitudo naturæ excludens peccatum, concedo consequentiam : hoc est illa, quæ tollit rebellionem, et mortalitatem, nego consequentiam.

Dices 1. : Ex sententia omnium Theologorum, homo propter peccatum Adæ non modo est spoliatus gratuitis donis, sed etiam vulneratus in naturalibus: ergo non solum perdidit rectitudinem supernaturalem, sed etiam naturalem sibi inditam, alioquin tantum diceretur spoliatus gratuitis. — **Respondeo**, quod homo dicatur *vulneratus in naturalibus,* non respectu naturæ humanæ consideratæ in puris naturalibus, sed prout condita fuit a Deo cum Justitia originali, quæ habebat vim rectificandi et perficiendi omnia naturalia in ordine ad omne bonum connaturale homini: qua justitia propter peccatum amissa, illa quoque perit perfectio potentiarum naturalium, eamque ob causam dicitur homo vulneratus in naturalibus. Si quis autem crearetur in puris naturalibus, non esset æqualis homini peccato originali infecto; nam quia hic debitor est Justitiæ originalis, quam accepit in Adam, ille vero nequaquam, propterea hic reus est, ille autem minime : et damnum non videndi Deum utrique contingens, uni est privatio, et pœna ob peccatum; alteri est mera negatio dignitatis ex conditione naturæ.

Conclusio secunda. — Justitia originalis distincta erat realiter, et diversa a Gratia sanctificante.

Hæc videtur esse genuina Doctoris Subtilis sententia in 2. dist. 29. num. 7. ubi ait: *Quod si Justitia originalis fuerit aliquod donum supernaturale, non tamen oportet, quod sit principium merendi. Se enim habet ad gratiam, quæ est principium meriti, sicut excedens, et excessum : excedens quidem, quia fini ultimo conjunxit firmius voluntatem, quam gratia : ita enim conjunxit secundum aliquos, quod non patiebatur secum aliquod peccatum veniale; Charitas autem compatitur. Vel secundum prædicta, saltem ita conjunxit, quod facilius, et delectabilius erat ei pati ab aliqua tristitia inferiori, quam alicui delectationi inferiori acquiescere, recedendo a delectatione finis. Istam facilitatem non facit gratia, cum qua stat pronitas ad malum, et difficultas ad bonum. Sed excedit gratia in hoc, quia ipsa conjungit fini, ut bono supernaturali, et supernaturaliter per meritum attingendo tale bonum : non sic istud donum, sed tantum conjungebat illi bono ut convenienti, et delectabili.*

Secundo, gratia gratum faciens perficit hominem in ordine ad finem supernaturalem, non autem in ordine ad finem naturalem, neque ad naturalem integritatem, et perfectionem hominis : hoc autem præstabat Justitia originalis; erant igitur dona diversa, et ad diversos fines, et status hominis pertinentia. Et quemadmodum per Justitiam originalem non perficiebatur homo supernaturaliter, quia erat donum naturæ ad complendam ejus integritatem, et perfectionem datum; ita gratia gratum faciens, quia est ordinis supernaturalis, et ad supernaturalem statum, et finem hominis, non habebat vim perficiendi hominem naturaliter, et in his quæ ad naturæ humanæ absolutionem per-

tinent: cumque possimus animo fingere, et cogitatione concipere hominem aliquem, secundum omnem naturæ, et potentiarum ejus integritatem et rectitudinem naturalem perfectum sine gratia supernaturali gratum faciente; ordo enim naturalis est diversus, nec per se dependens a supernaturali; consentaneum profecto est, rem diversam fuisse Justitiam originalem a gratia gratum faciente, nec repugnare ab ea separari posse.

Tertio denique si Justitia originalis non esset a gratia sanctificante distincta, sequeretur quod Adamo per pœnitentiam, et nobis per baptismum restitui debuisset illa originalis justitia: Adamus enim per pœnitentiam, gratiam quam per peccatum amiserat recuperavit; eaque per Sacramentum baptismi etiam baptizatis tribuitur: sed falsum consequens: ergo et illud unde sequitur.

Dices: Justitiæ originalis effectus erat subjicere appetitum sensitivum rationali, et animam Deo: sed hoc ipsum præstat gratia sanctificans, adeoque non videtur esse diversus habitus. — **Distinguo minorem**: idem præstat gratia sanctificans cum eadem facilitate qua justitia originalis, nego; cum aliqua repugnantia ex parte utriusque appetitus, concedo: itaque justitia originalis nedum animam Deo, et corpus animæ subjiciebat; sed etiam hanc præstabat subjectionem absque ulla reluctantia, imo cum summa complacentia, et delectatione utriusque partis subjectæ. Secus vero contingit in subjectione quæ fit per gratiam sanctificantem: siquidem hæc subjectio nonnisi summa cum difficultate impletur, quamquam enim Apostolus gratia sanctificante, eaque eximia illustratus fuisset, nihilominus gemebundus exclamabat: *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.*

Conclusio tertia. — Justitia originalis adæquate sumpta non erat unus, et simplex habitus; sed multiplex Dei donum, quo totus homo rectus, perfectus evaderet: adeoque non unicum, sed varium subjectum desiderabat. Ita Doctor *loco laudato n.* 4. ubi cum probasset necessarium fuisse homini donum aliquod supernaturale quo faciliter se retraheret a delectabilibus sensibilibus, et moderaretur appetitui sensitivo; rursus affirmat alia dona fuisse necessaria in appetitibus inferioribus, quibus delectabiliter moverentur a voluntate juxta rectam rationem, etiam quando sua delectabilia desererent. *Si dicatur*, inquit, *quod ipsa potentia inferior ex parte sui delectabiliter obediat rationi, tunc videtur, quod oporteat aliquid ponere in potentia inferiori, quo sic delectabiliter feratur in delectabile voluntatis; non enim videtur, quod ex natura illius potentiæ esset delectabiliter avelli a suo delectabili; nec etiam erat ex natura sua, in quantum est inferior voluntate, delectabiliter avelli a suo delectabili ab ipsa voluntate, quia iste ordo essentialis manet nunc, et tamen nunc non est talis delectatio: Oporteret enim ponere in singulis potentiis appetitivis inferioribus singula dona, ita quod quælibet per suum donum delectabiliter moveretur a voluntate, et ipsa voluntas per donum suum delectabiliter moveret se ad potentias inferiores, et si essent talia plura dona, potissimum tamen fuit justitia originalis, quæ fuit in voluntate.* — Quibus patet, quam perperam quidam Recentiores affirment

Doctorem asserere justitiam originalem unicum fuisse ac simplicem habitum, in sola voluntate collocandum. Fuit ergo justitia originalis complexio omnium habituum, quibus homo idoneus fiebat ad exercendas expedite et perfecte omnes actiones suæ naturæ convenientes. Quod autem non fuerit unicus et simplex habitus, inde patet, quod facultates animæ nostræ, aliæ sint incorporeæ atque immortales, ut mens, et voluntas: aliæ mortales et corporeæ, ut quæ ad animam sentientem et alentem pertinent: qui autem fieri potuit, ut unus numero habitus tot potentias non solum numero et specie, sed etiam genere distinctas perficeret, præsertim cum habitus distinguatur per actus, et actus per objecta? Nam in qua, obsecro, potentia unus ille habitus Justitiæ originalis fuisset? Si in *intellectu,* quomodo perfecisset voluntatem? Et quamvis in utraque facultate fuisset, quomodo tamen vires, et potentias animæ sentientis expeditas, et perfectas ad agendum convenienter judicio et imperio rationis facere potuisset? Non igitur erat unus habitus Justitia originalis, sed continebat omnes habitus, quibus ad integritatem, et rectitudinem hominis, omniumque facultatum ejus complendam opus est. — Itaque in *speculativo intellectu* continebat omnes scientias speculativas rerum omnium, quæ naturaliter sciri ab homine possunt, ut Metaphysicam, Physicam, omnesque disciplinas Mathematicas. — In *Intellectu practico* circa ea, quæ agenda sunt homini tam privatim, quam publice, exquisitissimam habebat prudentiam; artes quoque eas, quæ usum habent ingenuum, ac liberalem, et honestam oblectationem, ut est Agricultura, Musica, Architectura, Ars pingendi, ac fingendi. — In *voluntate* duo erant habitus: unus erga Deum, scilicet Religionis, quæ Deo ut supremo omnium rerum principio, et fini naturali, cultum, honoremque tam interiori veneratione animi, quam externis ritibus, et cæremoniis adhibet: alter erga proximum nempe Justitiæ, quæ in distributivam, et commutativam dividitur. — In *appetitu* vero *sensitivo,* qui duplex est, *irascibilis* et *concupiscibilis*, erant virtutes morales, quibus illi donantur, et rationi obedientes efficiuntur, nempe Temperantia et Fortitudo; naturale enim est ut potentiæ perficiantur per suos habitus: et hic est modus naturalis, quo potentiæ singulæ perficiuntur, ut idoneæ sint ad obeundas uti oportet functiones suas. Prædictos autem omnes habitus Justitia originalis continebat in gradu perfectissimo, et, ut vocant, heroico.

Quæres: *utrum in statu Innocentiæ appetitus sensitivus ita subjectus esset rationi, ut nunquam contra ipsius præscriptum insurgeret, nec ipsi repugnando, nec eam præveniendo?*

Respondet Doctor in 2. *dist.* 29. *num.* 4. hac in re nihil certi posse definiri: *Potest enim dici,* inquit, *quod si originalis Justitia in anima habuit illum effectum, facere scilicet perfectam tranquillitatem in anima quantum ad omnes potentias, ita quod natura inferior non inclinaretur contra judicium superioris, aut si inclinaretur quantum est ex se, posset tamen a superiore regulari et ordinari sine difficultate superioris, et sine tristitia inferioris: cum hoc non habuerit potentia facta in puris naturalibus, necesse est ipsam ponere donum supernaturale, quo sit ista tranquillitas in anima.* Deinde quærit: *sed num-*

quid ex hoc tollitur omnis rebellio, ut potentia inferior delectabiliter se retrahat a suo delectabili proprio? Respondeo, inquit, *si voluntas abstinet delectabiliter a condelectando potentiæ inferiori, totus homo delectabiliter abstinet a delectabili appetitus sensitivi inferioris: non autem totus homo cum tristitia abstinet, si vis illa inferior abstinet cum tristitia; hoc enim convenit homini simpliciter, quod ei convenit secundum potentiam superiorem, nec propter hoc ab eo negatur, etsi non conveniat ei secundum potentiam inferiorem.* Subdit autem: *nec forte necesse est ponere, quod nullus sensus appetitus potuit tunc tristari, et auditus audire turpe audibile, et utrumque potuit offendere appetitum sensitivum, sicut et conveniens sensibile delectare; sed voluntas tunc bene usa fuisset istis tristitiis, et delectabilibus appetituum inferiorum, ita quod non contristata fuisset immoderate ab appetitibus inferioribus, sicut bene usa fuisset delectabilibus eorum non immoderate condelectando.* Quibus Doctor in dubio relinquit quidnam sentiendum sit circa propositam quæstionem. — Crederem tamen probabilius esse in illo felici Justitiæ originalis statu ita fuisse motus appetitus sensitivi rationi subditos, ut numquam ipsi repugnarent, nec ipsam præcurrerent: alioqui nullum videretur discrimen inter statum innocentiæ, et naturæ integræ, ac inter statum naturæ lapsæ per Christi gratiam reparatæ. Hancque sententiam probat Apostolus *ad Rom.* 7. ubi rebellionem carnis adversus spiritum, maxime ex peccato natam affirmat. Docet etiam S. Augustinus, lib. 14. *De Civit. Dei,* cap. 19. ubi ait: *Motus appetitus ante peccatum in Paradiso vitiosi non erant. Non enim contra rectam voluntatem ad aliquid morebantur: unde necesse esset eos ratione tamquam frænis regentibus abstinere. Nam quod nunc ita moventur, et ab eis qui temperanter, et juste, et pie vivunt, alias facilius, alias difficilius, tamen cohibendo, et refrænando modificantur, non est utique sanitas ex natura, sed languor ex culpa.*

Rogabis: Qualiter factum fuisset, ut in illo statu voluntas rationalis naturaliter conjuncta appetitui sensitivo non alliceretur, et afficeretur ejus delectationibus, et ab illis seipsam abstineret, sine ulla difficultate aut molestia? — **Respondet** Doctor *ibidem,* id propterea accidisse, quia voluntas longe majori delectatione detinebatur circa objectum suum, quam erat delectatio sensibilis; delectabilius enim erat illi ultimo suo fini, et iis quæ ad finem illum ordinantur adhærere, quam oblectamentis sensuum perfrui.

QUÆSTIO SECUNDA.

QUALIS, ET QUANTA FUERIT GRATIA PRIMIS PARENTIBUS CONCESSA.

Nobilis hæc, et apud Theologos celebris quæstio tres maxime difficultates complectitur: *Primo* quidem ambigitur utrum Adamus in primo ortu suo, et ab ipso suæ creationis instanti gratiam sanctificantem habuerit, an vero postmodum eam acceperit. *Secundo,* an tanta fuerit ipsius gratia, ut omne prorsus peccatum etiam veniale excluderet. *Tertio,* an si Adamus semper stetisset innocens, omnes ejus posteri nati fuissent in gratia confirmati.

Notandum 1. Ex Seraphico Doctore in 2. *dist.* 24. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 3.

« Quod gratia dicitur esse perfectio naturæ, non solum quia adjuvat, « sed etiam quia defectum ejus excludit: unde in omni natura crea- « turæ rationalis est aliquis defectus naturalis, qui per gratiam habet « excludi, quantumcumque illa natura sit in genere creaturæ perfecta: « et ideo non sequitur, quod si aliquid convenit alicui per gratiam, « quod conveniat per naturam. Et si objiciatur, quod Deus potuit « dare naturæ, quod dedit gratiæ, dicendum quod natura non fuit « nata suscipere: sicut enim alia est natura operis moralis, alia operis « naturalis: nec proprietas operis moralis potest convenire operi natu- « rali, nisi naturale desineret esse naturale: non enim potest laus, et « vituperium, quæ est proprietas operis moralis, secundum quod huju- « smodi, competere operi naturali in quantum tale: ita a pari, nec pro- « prietas gratiæ convenire potest naturæ. » Hæc ille. Conveniunt autem omnes Theologiæ Principes Adamum habuisse gratiam sanctificantem ante suum lapsum; ita namque censent plurimi sancti Patres, quos refert Magister sententiarum in 2. dist. 29. hancque veritatem definiunt Concilia Arausicanum, et Tridentinum, hoc namque Sessione 5. in decreto *De peccato originali*, Canone 1. sic habet: *Si quis non confitetur primum hominem cum mandatum Domini in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, etc.; anathema sit.* Constat ergo Adamum habuisse sanctitatem, et justitiam ante lapsum, nemo namque deperdit quod non habet. At invicem pugnant Theologi in resolvendo utrum Adamus cum gratia sanctificante creatus fuerit; an autem eam post creationem exceperit. Priorem partem tuetur *S. Thomas* p. 1. qu. 95; posteriorem vero propugnant Hugo Victorinus, lib. 1. *De Sacram.* p. 6. Alexander Alensis p. 2. q. 91. S. Bonaventura, in 2. dist. 29. art. 2. qu. 2, necnon et Subtilis Doctor eadem distinctione num. 7.

Notandum 2. Ex eodem *ibidem art.* 3. *q.* 2. « quod efficacia meriti « principaliter ex tribus venit, videlicet ex difficultate operis, ex prom- « ptitudine voluntatis, et ex magnitudine charitatis. *Difficultas operis* « multum facit ad meritum: et adeo facit, ut homo qui est multo mi- « noris charitatis, quam Angelus, possit mereri ut perveniat ad subli- « mitatem angelicam, secundum quod colligitur ex illo, quod dicitur « de Joanne Baptista, *Qui minor est in regno Cœlorum major est eo.* « Non enim est dubitandum quin Joannes sit exaltatus ad ordines « excellentium Angelorum. Et tamen secundum statum viæ, minoris « charitatis erat quam aliquis eorum. *Promptitudo etiam voluntatis* « plurimum facit, sed voluntas prompta secundum illud quod habet « accepta est ad meritum: quantumque enim sit in homine gratia, « nisi sit voluntas gratiæ consentanea, numquam eliciet opera meri- « toria: et quanto magis voluntas gratiæ subjacet, et conformatur, « tanto magis homo in operibus meritoriis exercetur. *Magnitudo cha-* « *ritatis* est principalior inter omnia quæ faciunt ad meritum, quia se- « cundum illius quantitatem attenditur remuneratio præmii substan- « tialis. Pondus enim amoris est quod dat valorem operibus meritoriis. « Si igitur fiat comparatio efficaciæ merendi in donis gratuitis secun- « dum statum post lapsum, et secundum statum ante lapsum; respon- « deri potest, quod quantum ad primam conditionem, videlicet quantum « ad difficultatem, efficaciores sunt virtutes nunc, quam tunc fuerunt.

« Nunc enim magis impugnatur, et impugnando probatur, et exami-« natur virtus quam tunc, sicut patet in sanctis Martyribus. »

Notandum 3. Tria distingui posse genera peccati venialis : *Quoddam* enim accidit homini ex surreptione sensualitatis : *Alterum* provenit ex subito aliquo et indeliberato rationis motu, uti est primus motus infidelitatis, aut desperationis : hæc autem duo genera peccati venialis certum est in statum innocentiæ cadere non potuisse ; siquidem in eo sensualitas usque eo rationi erat subjecta, ut nec præverteret ejus imperium, nec moderationem detrectaret. Ratio autem ipsa sic erat affecta, et divino munere firmata, ut nullum in actum exiret nisi hominis consilio, deliberatione, et electione perfectum. Verum præter hæc duo genera peccati venialis, est *Tertium* quoddam, quod ex suo genere est veniale ob imperfectionem actus, et levitatem materiæ ; cujusmodi est verbum otiosum, et mendacium aut jocosum aut officiosum : quod genus peccati venialis contendit Doctor in 2. dist. 21. n. 3. in statu innocentiæ admitti posse. Reclamant autem Alensis 2. par. collat. 2. *De peccatis;* S. Thomas 1. 2. q. 89. art. 3.; S. Bonav. eadem distinctione art. 3. qu. 1. quamquam non neget contrariam sententiam esse probabilem ; affirmat tamen communiter eam a Doctoribus non approbari. *Et sane,* inquit, *ea opinio improbabilitatem habet, si quis attendat ad perfectionem status, et regulam rectitudinis, in qua erat Adam : a quo etiam cum nullum haberet impellens, cœire non poterat nisi contemnendo divinam justitiam, et fœdando suam innocentiam, et corrumpendo naturam suam : quæ omnia faciunt primam culpam Adæ, non venialem, sed mortalem fuisse, nec potuisse aliter esse. Et ideo est communis opinio quam hodie approbant Doctores, primum peccatum Adæ non veniale, sed mortale esse debuisse.*

Conclusio prima. — Probabilius est Adamum cum gratia sanctificante non fuisse creatum, sed ipsam post creationem suam dono accepisse. Ita præfati Doctores, maxime vero Subtilis, qui docet gratiam gratum facientem a justitia originali fuisse distinctam, et se habuisse ad eam sicut excedens ad excessum. Excedebat enim justitia originalis ipsam gratiam gratum facientem in quatuor rebus : etenim justitia originalis non modo rationem Deo subdebat, sed etiam sensum rationi, et corpus animæ : *deinde* promptius, delectabilius, et firmius conjungebat mentem cum Deo : *tum* non admittebat ullum peccatum, non tantum mortale, sed nec etiam veniale : *denique* faciebat hominem omne bonum morale prompte et jucunde et sine ulla interiori molestia operari. Gratia vero gratum faciens eo vincit et antecellit justitiam originalem, quod hominem excellentius jungit Deo, scilicet ut fini, et bono supernaturali, facitque hominem vere gratum, et amicum Deo, ejusque filium, et hæredem vitæ æternæ ; et ut is mereri queat etiam de condigno æternam vitam.

Hanc conclusionem probat Alensis noster loco laudato, ex eo quod manifestius exinde appareat *majestas potentiæ, decor sapientiæ, et ordo bonitatis divinæ ;* « ut, inquit, ratione primi laudaretur, ratione « secundi veneraretur, ratione tertii amaretur. Ad *laudem majestatis* « facit quod prius esset homo conditus secundum naturam, deinde in-« formatus per gratiam, ut in se cognosceret gratiam esse donum Dei,

« et illam a naturalibus distingueret, et distinguendo non suæ naturæ « attribueret, sed conditori Deo : et ex hoc gratias debitas Deo exsol- « veret : et sic divina opitulatio non inaniretur, sed gloria opitulanti « conferretur. Et hoc est quod vult August. *De gratia, et natura,* di- « cens: *Melius Dei causa agitur, cum et Creator, et Salvator cognosci- « tur, quam cum defensa velut sana viribusque integris creatura opi- « tulatione salvatoris inanitur.* Decor etiam sapientiæ manifestatur, per « hoc quod homo gradatim, et secundum progressum temporum ad « perfectionem perducitur : sapientis enim est singula secundum « temporis oportunitatem distinguere. Unde cum Deus simul posset « creaturas in esse producere, distinguere, et ordinare, maluit primo « in esse producere, et post distinguere, et tertio creare, ad suæ sa- « pientiæ manifestationem ; sic licet posset homini simul dare natu- « ram, gratiam, et gloriam, ut pulchritudo ordinis servaretur, maluit « primo facere hominem in statu naturæ bene institutæ ; et post ad- « dere donum gratiæ; deinde superaddere complementum gloriæ. *Ordo « etiam bonitatis* in hoc manifestatur : quia divina bonitas sic suam « bonitatem communicat rationali creaturæ, ut non tantum tribuat ei « effectum boni, sed etiam potentiam cooperandi quodammodo, ut sic « perfectius communicet se creaturæ hujusmodi. Et ideo sicut noluit « dare gloriam homini, quin præcederet in homine quodammodo me- « ritum condigni per usum gratiæ, opus enim charitatis omnia meretur « ex condigno, sic noluit gratiam dare, nisi præambulo merito congrui « per bonum usum naturæ, ut sic homo efficeretur gloriosior, et lau- « dabilior.

Hoc ipsum probat S. Bonav. eodem pene modo. « Ratio, inquit, « quare Dominus voluit post naturalia dare gratiam, cum posset dare « simul, sumitur ex triplici ordine, videlicet ab ordine sapientiæ, bo- « nitatis, et justitiæ. *Ordo sapientiæ* hoc requirebat, ut sicut esse gra- « tuitum est alterius generis, quam esse naturale, sic in diversis tem- « poribus homini conferretur : et sicut elementa mundi prius tempore « fuerunt creata, et distincta quam ornata, propter ordinem sapientiæ « commendandum, sic etiam fieret circa hominem, qui est minor mun- « dus. *Ordini etiam bonitatis* hoc competebat, hoc enim ordine dicitur « aliquid ordinari in suum finem ; tunc igitur gratia homini ordinate « datur, quando datur ei secundum quod est utilior, et fructuosior ; « tanto autem gratia Dei est nobis utilior et fructuosior, quanto pro « ea Deo gratiosiores existimus ; et ideo, sicut debuit dari, ut ex ipso « ordine dandi cognosceretur donum illud esse gratuitum, propterea « non fuit a creatione indita, sed naturæ jam perfectæ et constitutæ « fuit superinfusa. *Ordo etiam justitiæ* hoc requirebat; Deus enim se- « cundum legem communem requirit aliquam dispositionem, et præ- « parationem a parte nostra ad hoc quod infundat alicui gratiam, sive « in eo cui infundit, ut in adulto ; sive in alio adjuvante, secundum « quod contingit in parvulo : et ideo gratia non fuit homini concreata, « sed dilata fuit quousque homo per actum, et usum rationis quodam- « modo se disponeret ad illam suscipiendam, ut sic verificaretur illud « Augustini (*De verbis Apostoli* post medium) in primo homine, *qui « creavit te sine te, non justificabit te sine te.* Patet igitur quod mul- « tiplex ordo hoc exigebat, ut homo prius fieret in naturalibus quam

« in donis gratuitis ornaretur. » — *Confirmat* 1. Magis convenit gratia cum gloria, quam natura cum gratia : sed in homine gratia præcedit gloriam : ergo pari ratione, imo multo fortiori, natura præcessit tempore bonum gratiæ. — *Confirmat* 2. Per gratiam fit matrimonium inter Deum, et animam : sed lex matrimonii est ut non fiat absque mutuo consensu : ergo videtur quod nulli adulto gratia debeat dari, nisi præcedat consensus : si ergo Adam prius fuit, quam natura ejus consentire posset : ergo non habuit simul naturam et gratiam. — *Confirmat* 3. Donum gratiæ infructuosum est nisi a Deo esse præcognoscatur : nemo enim in se gratiam reservare potest, nisi pro illa Deo gratus existat : igitur si magis tenet rationem gratuiti quod est naturalibus superadditum, quam quod est naturaliter inditum, et donum gratiæ est mere gratuitum : ergo videtur quod non ab ipsa creatione, sed post, donum gratiæ fuerit homini collatum.

Objicies 1. Illud *Ecclesiastici* 7. *Fecit Deus hominem rectum:* rectitudo autem hominis quantum ad animam, de qua loquitur Scriptura, attenditur penes conversionem ad ultimum finem simpliciter, quæ est effectus gratiæ, et charitatis. Item *ad Ephesios* 4. Paulus sic loquitur: *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis ;* idest, *vera*, juxta phrasim Hebraicam. Quibus verbis secundum communem expositionem sanctorum Patrum, et Interpretum, docet Apostolus nos renovari per Christi merita ad justitiam illam, et sanctitatem supernaturalem, in qua initio fuimus in Adamo. Favet etiam Concilium Tridentinum Canone in 3. Notabili laudato. — **Respondeo**, has et similes auctoritates sic esse intelligendas, non quod Deus statim ut hominem condidit, virtute vestiverit et ornaverit ; sed quia tunc dispositum fecerit ad gratiam, et virtutes excipiendas, ut loquuntur Alensis et Seraphicus Doctor.

Objicies 2. Deus fecit hominem quantum ad ætatem perfectum, et quantum ad cognitionem ab exordio suæ conditionis : ergo pari ratione videtur quod fecerit eum perfectum quantum ad voluntatis rectitudinem : sed voluntatis rectitudo consistit in dono gratiæ ; ergo videtur quod donum gratiæ habuerit in initio suæ conditionis. *Confirmatur:* Deus alias creaturas corporeas in statu perfecto creavit, et arbores v. g. in ea magnitudine condidit, in qua fructus naturæ suæ proprios possent producere : ergo pariter conveniens fuit ut hominem in eo statu et perfectione crearet, in qua fructus meritorios vitæ æternæ, ad quam illum destinaverat producere posset ; subindeque ut gratia sanctificante, quæ est radix, et principium meriti vitæ æternæ, illum ornaret. — **Respondent Alensis, et Seraphicus Doctor**, quod non est simile de perfectione ætatis et cognitionis, ac de perfectione virtutis : perfectio enim ætatis et cognitionis, non tantum elongatur a perfectione naturæ, sicut perfectio gratiæ ; homo enim per vim naturæ sibi inditam potest pervenire ad perfectam ætatem, et potest proficere ad cognitionem : sed numquam per se potest homo acquirere perfectionem gratiæ ; imo requiritur necessario, quod infundatur a Domino. *Ad confirmationem* dicunt, quod non fuit ratio similis ceterarum creaturarum, ac hominis ; istarum enim non erat, nec debuit esse nisi unica perfectio, scilicet naturalis : hominis autem secundum animam

triplex, scilicet naturalis, gratiæ, et gloriæ: quæ debebant secundum temporis, et status opportunitatem distingui.

Dices 3: Deus creavit hominem ad imaginem, et similitudinem suam: sed, sicut exponit S. Augustinus, imago est in naturalibus, similitudo in gratuitis: ergo homo conditus fuit in naturalibus, et in gratuitis. — **Respondent iidem**, quod similitudo attenditur ibi in gratiis gratis datis: vel dicendum quod Deus dicitur fecisse hominem ad suam imaginem, et similitudinem, non quia statim cum dedit imaginem, simul etiam dederit similitudinem, sed quia alterum dedit, scilicet *imaginem*, et ad alterum habilem fecit, videlicet *ad similitudinem*, quam postmodum pro loco et tempore ei dedit; unde quantum est ex vi verborum, non potest concludi quod simul et semel fuerit in homine imago Dei et similitudo.

Conclusio secunda. — Perseverante statu innocentiæ homo peccare potuisset venialiter: adeoque primum Adæ peccatum potuit non esse mortale. Ita Doctor Subtilis loco laudato; hancque veritatem sic

Probat num. 1. *Rectitudo innocentiæ magis repugnat peccato mortali, quam veniali: sed si non obstante sua rectitudine, potuit peccare mortaliter; igitur multo magis potuit peccare venialiter, etiam ipso remanente in statu innocentiæ; aliter non videretur minus repugnare rectitudini innocentiæ peccatum veniale, quam mortale, si utrumque totaliter corrumperet. — Secundo, ab extremo in extremum non fit transitus nisi per medium: sed peccatum veniale medium est inter justitiam, et peccatum mortale: ergo, etc. — Tertio*, si homo peccare non potuisset venialiter in statu innocentiæ, maxime quia habebat aliquod donum intrinsecum incompatibile cum peccato veniali; sed hoc est falsum: ergo. Probatur *minor;* quia non potest assignari aliquod donum intrinsecum in illo statu magis incompatibile cum peccato veniali, quam sunt incompatibilia cum ipso dona *fidei, spei, charitatis*, ac virtutum moralium per se infusarum, si dentur tales virtutes morales, et acquisitarum: sed hæc dona non sunt incompatibilia cum peccato veniali, ut patet in sanctissimis viris, qui sine dubio possunt peccare venialiter, etiam sine jactura illorum donorum: ergo status innocentiæ, quantum ad dona omnia intrinseca, quæ includebat, poterat esse compatibilis cum peccato veniali. *Deinde*, justitia originalis non magis uniebat hominem cum Deo, quam præstantissima gratia gratum faciens, quæ conceditur viatoribus: sed quantacumque sit gratia gratum faciens, potest reperiri, et subsistere cum peccato veniali, ut fuit in Apostolis: ergo similiter justitia originalis cum peccato veniali potuit in Adamo subsistere.

Confirmat ex eo Poncius ibidem: *Dum*, inquit, *dicitur quod peccatum veniale tolleret statum innocentiæ, et summam rectitudinem ejus*, vel id intelligitur de innocentia et rectitudine quoad omnia quæ inclusit ille status, vel quoad aliqua, quibus consequenter ablatis non maneret integra rectitudo, et innocentia quæ erat antecedenter. Sed *primum* est manifeste falsum, quia peccatum veniale non deberet tollere fidem, spem, aut charitatem, nec gratiam sanctificantem, quæ involvuntur sine dubio in statu innocentiæ. *Secundum* pariter nequit

esse verum: nam id quod per peccatum veniale auferretur esset quid negativum, aut quid absolutum: si forent *negationes aliquæ,* certe non aliæ quam negatio ipsiusmet peccati venialis, quæ sine dubio potest esse de ratione innocentiæ, et rectitudinis; nam magis est innocens, et rectus, qui nullum habet peccatum, quam qui habet aliquod: sed quamvis peccatum veniale tolleret hanc partem innocentiæ et rectitudinis, non propterea desineret Adam esse simpliciter justus et innocens; nec sequeretur quod foret peccatum mortale, si hanc partem innocentiæ suæ, ac rectitudinis amitteret: ergo, etc. Si abstulisset *aliquid positivum,* maxime aliquid de intensione alicujus habitus, aut actus virtutis, quem eliceret, si non commisisset peccatum veniale, et cum quo peccatum veniale non esset compatibile: sed vel non diminueret aliquid de ullo habitu virtutis: vel si diminueret, non esset ipsi peccatum mortale illum diminuere, sicut nec nobis est peccatum mortale diminuere aliquid de intensione habitus virtuosi, si id faciamus peccando venialiter. Ergo peccatum veniale statum innocentiæ non everteret.

Confirmat 2. hanc veritatem ipsemet Doctor ibidem: Datur aliquis actus, qui ex genere suo, hoc est, ex parte materiæ levis, circa quam versatur, sit tantum peccatum veniale, quando nempe non intervenit præceptum superioris, quo prohibetur sub mortali; puta mendacium leve, et verbum otiosum: sed Deus non prohibuit omnes hujusmodi actus sub mortali Adamo, non enim reperiri potest talis prohibitio: ergo si Adamus talem actum fecisset, uti revera potuit; poterat enim verbum otiosum dicere, et cum uxore sua jocari: ergo in illo statu poterat peccare venialiter.

Dices 1: Omne peccatum est quædam hominis inordinatio: sed inordinatio quæcumque repugnabat summæ rectitudini, in qua secundum omnes suas partes, et facultates tam animæ, quam corporis homo innocens constituebatur: ergo eo in statu repugnabat etiam peccatum veniale. *Major* constat; *minor* probatur: illud repugnat rectitudini, quod eam destruit: at deordinatio peccati cujuscumque rectitudinem destruit: ergo, etc. — **Negat minorem Doctor** *ibidem n.* 4. Non enim, inquit, quodlibet peccatum corrupisset illam rectitudinem sive actualem, sive habitualem, quam haberet homo in statu innocentiæ, quæque concerneret illum statum, aut tamquam ipsius essentia, aut tamquam illius proprietas, aut accidens; etenim peccatum mortale longe magis repugnat innocentiæ et rectitudini, quam veniale quodlibet: hoc autem verum non esset, si veniale quodlibet illam rectitudinem æque excluderet, ac mortale. *Unde* quemadmodum cum scientia habituali potest stare opinio actualis, quia hæc duo invicem non repugnant, ita cum summa rectitudine habituali status innocentiæ consistere poterat peccatum veniale actuale. *Insuper* sicut cum præcellenti actu meritorio potest subsistere peccatum veniale vanæ gloriæ, nec hoc tolleret meritum illius actus, sic videtur quod cum summa rectitudine actuali, stare posset peccatum veniale.

Instabis: Hæc si vera essent, sequeretur quod etiam posset stare peccatum veniale cum statu beatitudinis; siquidem ex præfata responsione, veniale peccatum cum actu præstantissimæ charitatis, qualis est in Beatis, subsistere posset: sed *consequens* videtur erroneum:

ergo et *antecedens* ex quo sequitur. — **Respondet Doctor**, quod etsi Beatus ob suam libertatem forte peccare posset, loquendo de potentia physica; tamen actus ille non foret peccatum veniale, quia nempe Beatus habet præceptum de continuando semper actu beatifico, et de amando Deo quantum potest; non censeretur autem eum sic amare, si aliquatenus etiam leviter ipsum offenderet. *Responderi* potest etiam aliter, negando *sequelam:* quia nempe habet Beatus aliquid quo moraliter determinetur ad non peccandum venialiter, nimirum ipsam visionem et amorem beatificum, quibus ita suaviter et totis viribus in Deum fertur, ut nihil possit Deo repugnans et displicens admittere; similia autem non haberet homo innocens; adeoque non est paritas.

Dices 2.: Si homo in statu innocentiæ potuisset committere peccatum aliquod veniale, aut propter illud doluisset, aut nihil doluisset: si doluisset, dolor ipse, et tristitia pœna fuisset animi, et gaudio quo in eo statu usquequaque plenissimo fruebatur homo, contraria: si nihil doluisset, hoc ipsum ejus culpam aggravasset, et deteriorem hominem, graviorique dignum supplicio fecisset. *Confirmatur:* peccatum veniale per se malum est, pro quo scilicet evitando etiam quamtavis pœna corporis jure sit subeunda: hinc ubi admissum est, remorsum ingeminat conscientiæ, et pœnitentiam necessario habet annexam; hæc autem repugnant felicissimo statui innocentiæ; *Nihil enim erat,* ut scribit August., lib. 14. *De Civit. Dei*, cap. 10. *quod hominis in eo statu feliciter viventis carnem, animumque offenderet. Erat enim in eo tranquilla peccati deritatio, qua manente nullum omnino malum erat quod eum undecumque contristaret.* Et in ejusdem lib. cap. 26. *Summa,* inquit, *erat in carne sanitas, in animo tota tranquillitas: sicut in Paradiso nullus erat æstus, aut frigus: sic in ejus habitatore nulla ex cupiditate, vel timore, accedebat bonæ voluntatis offensio, nihil omnino triste, nihil erat inaniter lætum: gaudium enim perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat charitas ex corde puro, conscientia bona, et fide non ficta.* Quæ omnia, ut constat, repugnant statui innocentiæ; ergo ipsi pariter repugnabat peccatum veniale. — **Respondeo**, quod si homo innocens veniale peccatum admisisset, de ipso revera potuisset dolere, eo scilicet dolore, qui status felicitatem non inverteret, sed tantum aliquatenus minueret. Sicut enim posset per peccatum veniale charitatis fervorem, et innocentiæ puritatem aliquatenus imminuere, posset pariter sui status jucunditatem et felicitatem, etiam propria voluntate labefactare. Itaque fateor, quod in illo felici statu, nihil prorsus erat, quod animam, et carnem hominis offenderet, nisi in quantum ipsemet libere sibi hoc inesse vellet. Esset pariter in ipsius anima summa tranquillitas, quamdiu ipsemet leviter peccando eam non interturbaret: nec denique inanis ipsi inerat aliqua lætitia, quæ esset mortalis; bene tamen ipsi inesse poterat aliqua lætitia venialiter inanis, quam ipse pro libito potuisset admittere. Quibus facile fit satis auctoritati S. Augustini. Adde quod S. Augustinus loquatur solum de eo quod de facto contigit: verisimile namque est Adamum de facto non admisisse ullum peccatum veniale, ante mortalem suam prævaricationem: non autem loquitur S. Augustinus de eo quod contigisset, si diu perseverasset felix ille innocentiæ status.

Instabis: Magis repugnat felicitati status innocentiæ quævis culpa

etiam levissima, quam quæcumque pœna, aut infirmitas corporalis; quoniam illa majus est malum, majorque miseria: sed ex S. Augustino homo in statu innocentiæ nullam infirmitatem, nullamque corporis molestiam pateretur: *Neque enim,* inquit S. Augustinus, *esuriret, neque sitiret, neque in corpore, vel a corpore ullas molestias ullis ejus sensibus quidquam ingereret:* unde sicut spectabat ad divinam providentiam ita dirigere creaturas pro illo statu, ut nullæ homini nocerent, sic spectabat ad eamdem eum præservare a peccato veniali, quod longe majus malum esset. — **Distinguo antecedens:** Æque repugnabat ex parte status, concedo: ex parte hominis libere agentis, nego. Fateor ergo quod ex parte status innocentiæ tam repugnabat offensio et tristitia animæ, quam molestia corporis, si nempe homo utpote summa libertate donatus, suo fidelissime semper adhæsisset auctori per amorem, et contemplationem: at cum per libertatem suam voluntarie excedere, aut deficere potuisset leviter in aliquibus, etiam et leviter peccare posset, adeoque levem corporis ac animæ molestiam et offensam libere incurrere. Unde in forma *distinguo minorem:* homo in eo statu non sentiret ullam molestiam corporis, nisi quam ipsemet sibi libere procuraret, concedo: non sentiret ullam quam voluntarie, et ex libito sibi procuraret, nego. Unde ad S. August. dico, quod in eo statu homo non esuriret, neque alias corporis molestias pateretur, præter leves, quas nempe ipsemet pro voluntate sua experiri, et pati vellet. Hinc spectabat ad providentiam divinam eas ab homine innocente molestias arcere, quas ipsemet non vellet ex libertate sua incurrere; non vero illas, quas pro libito vellet experiri: quapropter neganda est *consequentia:* quemadmodum enim non spectabat ad providentiam Dei ab eo removere molestias corporales, quas pro libito vellet assumere, ita nec spectabat ad illam præpedire, ne homo innocens aliquod veniale peccatum admitteret, quod ipse pro voluntate sua committere optaret.

Dices 3: Primo hominis innocentis peccato debetur pœna, non alia certe quam mors: at mors non debetur pro peccato veniali, sed mortali: ergo primum hominis innocentis peccatum necessario debuit esse mortale, adeoque non potuit esse veniale. — **Negat majorem Doctor;** posset enim illi peccato commisso non correspondere aliqua pœna corporis, sed animi displicentia de ejus admissione: posset etiam illud veniale expungi per actum ferventiorem charitatis, et majorem adhibitum conatum in divino obsequio complendo. Vel denique si aliqua pœna corporea plectendum fuisset, non opus erat ut illa esset mors: animæ namque separatio a corpore in pœnam cessit propter ipsius animæ separationem a Deo per peccatum mortale. Cum ergo per veniale anima non fuisset a Deo sejuncta, nec etiam erat plectenda morte corporali, sed tantum aliqua levi pœna animæ, vel corporis, quæ ipsi felicissimo statui non repugnaret.

Dices 4: In illo felici statu facultates superiores essent perfecte in Deum ordinatæ: ergo non esset ulla obliquitas in inferioribus: sed per peccatum veniale fit obliquitas: ergo hoc in illo statu non esset præmittendum. Probatur prima consequentia: obliquitas nequit esse in inferioribus quin prius fuerit in superioribus: at in superioribus nequit esse ulla obliquitas, quamdiu sunt perfecte ordinatæ: ergo, etc. — **Respondet Doctor** num. 4. *Quod non omnis deordinatio in virtute*

superiori est peccatum mortale; nam levis motus per surreptionem de opinione aliqua circa articulos fidei, est deordinatio in portione, vel in virtute superiori, nam potest esse circa tale objectum, quod non potest considerari nisi per virtutes superiores, ut Deum esse trinum, et unum, *et tamen non omnis motus levis est ibi peccatum mortale: licet in superiori virtute sit gravius peccatum, quam in inferiori:* ubi per portionem superiorem intelligit voluntatem, et intellectum, quatenus feruntur in Deum: per inferiorem vero easdem facultates, ut respiciunt alia.

✻ "Objicit 5. ex Thomistis Macedo noster: Illud peccatum veniale, *vel* esset per subreptionem, *vel* per suggestionem, *vel* per deliberationem, *vel* per passionem: nullo modo ex his esset: ergo nullum esset. *Major* patet a partium distributione. *Minor* ita probatur per partes: *Primo* per subreptionem non esset, quia subreptio provenit ex fomite appetitus et sensus, qui nullus foret in eo statu. *Secundo* per suggestionem non esset, quia diabolus non suggereret per tentationem quod noverat posse stare cum integritate illius status in opinione Scoti, sed id quod cum illo non posset consistere; ac proinde suggereret peccatum mortale, non veniale. Per deliberationem non esset, quia cum voluntas esset recta et conjuncta ultimo fini, non admitteret levem deordinationem ab eo, quam facile vitare poterat, cum intellectus eam ut incompossibilem repræsentaret; nec utilem, nec delectabilem proponere posset, cum sola vehemens et quæ mortalem culpam induceret delectatio, illam posset rectam et inhærentem Deo voluntatem avertere. Per passionem non posset, quia cum nulla foret pugna, nec dissidium inter partes animæ, non erat unde passio sive perturbatio existeret. Ex qua enumeratione fit, ut omne veniale peccatum ab eo statu excluderetur. *Hæc ille.* — **Respondet** ipsemet revera quidem in eo statu non potuisse peccari venialiter per suggestionem concupiscentiæ, bene vero per suggestionem diaboli, qui potuisset hominem tentare leviter et inducere in aliquid quod non esset omnimode conforme divinæ ordinationi. Potuisset etiam peccare venialiter per deliberationem, puta ex levi delectatione quam percepisset videndo rem pulchram, audiendo sonum gratum, gustando cibum suavem, complacendo leviter sibi in propria perfectione, et ista non referendo ad Deum ut finem ultimum; etenim ex levitate materiæ peccatum illud, aliunde grave, potuisset esse veniale. Certe quicumque serio attenderit quam facile peccatum veniale admittatur, non ibit inficias multis modis illud posse abrepere." ✻

Dices 6: Si homo in statu innocentiæ posset aliquod peccatum veniale committere, v. g. mendacium jocosum proferre, sequeretur quod ex illo actuali mendacio aliquoties repetito posset generari habitus mentiendi: sed ejusmodi habitus repugnat cum statu justitiæ originalis: ergo et potentia ad peccandum venialiter, sive ex imperfecta deliberatione, sive ex objecto, sive ex parvitate materiæ. Sequela *majoris* est evidens; si enim possit homo in justitia originali aliquod peccatum veniale semel committere, poterit et ipsum iterum atque iterum committere; nulla enim ratio disparitatis assignari potest; ex actibus namque repetitis generatur habitus. *Minor* vero suadetur: habitus vitiosus, qualis est qui produceretur ex prædictis actibus, cum ex natura sua inclinet voluntatem ad malum, et ex consequenti inferat in ea

difficultatem aliquam in evitatione peccati, et in prosecutione boni, repugnat evidenter perfectioni, et felicitati status innocentiæ: ergo, etc. — **Nego sequelam majoris**; homo namque in statu innocentiæ constitutus, si quod veniale peccatum admitteret, tamen ob perfectam charitatem, qua in Deum flagraret, nedum illud per ardentiorem charitatis actum elueret, sed etiam ita ob illius venialis admissionem sibi displiceret, ut omnem curam, omnemque diligentiam impenderet, quatenus imposterum similem lapsum declinaret, adeoque timendum non esset, quod ex admisso semel veniali peccato, iteratis ejusdem actibus generaretur vitiosus habitus.

✻ " Dices 7: Peccatum illud veniale in illo statu esset vel remissibile, vel irremissibile: at neutrum dici potest: ergo nullum esset. Patet *major* quoad secundam partem; non enim est ratio cur peccatum ex natura sua veniale, censeretur venia et remissione indignum. Prima pars etiam est evidens; si enim esset remissibile, maxime per aliquod remedium, puta per sacramentum, vel sacrificium, vel bonum aliquod opus. At in eo statu innocentiæ sacramenta et sacrificia non videntur convenientia, utpote cum sint instituta in remedium infirmitatis et supplementum defectus creaturæ: at in eo statu nullus esset defectus. Similiter bona opera non sunt expiatoria peccati venialis, nisi quatenus satisfactoria sunt: in illo autem statu nulla esset satisfactio, quæ non impenditur nisi propter injuriam illatam; hæc autem injuriæ irrogatio erga Deum non esset culpa venialis, sed mortalis. Igitur etc. — **Respondeo**: peccatum illud fore quidem remissibile per ferventiores actus charitatis, vel per sacramenta instituenda, non quidem ad reparandam, sed ad augendam gratiam; necnon et per sacrificia quæ in Dei honorem ejusque cultum summum et eximium potuissent institui. Accedit ad horum confirmationem quod revera Adamus prius videatur peccasse venialiter quam mortaliter, ut pluribi docet S. Augustinus, præsertim lib. *De Gen. ad litt.*, cap. 5.: *Nec arbitrandum est*, inquit, *quod esset hominem dejecturus, nisi præcessisset in anima hominis quædam elatio comprimenda*. Ubi vox *dejecturus* significat Adamum nondum e statu innocentiæ, seu gratiæ corruisse. Vox autem *elatio* significat præcedentem animi tumorem cui aliqua culpa inerat, nondum quidem mortalis, sed venialis; ex qua tamen diabolus conjecit quod si tentaretur, gravius peccaret. Jam ergo antequam peccaret mortaliter per transgressionem præcepti, peccaverat Adam per levem et venialem culpam elationis. Quod si dicas hanc fuisse peccatum mortale: contra non erat dejecturus diabolus hominem, cum jam ipse dejectus esset, nimirum per peccatum mortale superbiæ. — Addit c. ultimo, quod ante violationem præcepti de non comedendo fructu scientiæ boni et mali, jam peccaverat Adam ex nimio affectu erga uxorem. *Adamus*, inquit, *noluit* eam contristari quam credebat posse sine suo solatio contabescere, si ab ejus alienaretur animo, et omnino illa interire discordia. Non quidem carnis victus concupiscentia, quam nondum senserat in resistente lege membrorum legi mentis suæ, sed amicabili quadam benevolentia. „ ✻

Conclusio tertia. — Si Adamus innocens stetisset, ipsius Posteri confirmati fuissent in gratia sanctificante: Non quidem

AB INITIO SUÆ NATIVITATIS, SED UBI VICISSENT, AC SUPERASSENT PRIMO EIS INGRUENTEM TENTATIONEM. Hæc est Doctoris in 2. dist. 20. quæst. 1. ubi distinguit duplicem confirmationem: *Unam*, qua tollitur *posse peccare*, etiam venialiter: *aliam*, qua tollitur *de facto peccare*. — *Prima* solum comprehensoribus et beatis convenit: *Non posse enim peccare*, inquit, *non potest competere viatori, alioquin esset contradictio, quia certitudo de beatitudine est maxima beatitudinis pars; non posse autem peccare fuisset tunc scibile a quolibet, sicut et modo posse peccare nobis est certum.* Hæc autem certitudo infallibilis de beatitudine soli comprehensori competere potest. *Insuper* viatoris hominis voluntas in statu innocentiæ non esset plene satiata per bonum aliquod sensibile; adeoque non ita determinata esset ad aliquod objectum, quin posset desiderare aliud etiam prohibitum; subindeque posset peccare, et sic non esset confirmata in gratia. *Denique* quandiu in objecto voluntatis viatoris est defectus boni, potest voluntas viatoris deficere a rectitudine volendo illud, non secundum debitam circumstantiam; sed quamdiu homo est viator, ipsius voluntas non potest conjungi objecto, in quo est omnis boni ratio: igitur quamdiu viator est, potest deficere a rectitudine: et per consequens posset peccare; adeoque nullus viator ita confirmari potest in gratia, ut peccandi potentiam infallibilem excludat. — *Posterior autem confirmatio in gratia* hominibus in statu innocentiæ competere potuisset; ita nempe ut numquam peccassent, nec consequenter perdidissent justitiam, propter specialem scilicet divinæ providentiæ assistentiam, quæ peccandi occasiones arceret: *Dico*, inquit Doctor n. 3., *quod si mere viator posset esse confirmatus, et fuissent filii in statu innocentiæ in justitia sic confirmati, scilicet postquam primam tentationem vicissent, sicut pater primus fuisset confirmatus si primæ tentationi restitisset in ista justitia, quam tunc recepisset pro filiis... quia omnes illam habuissent, et in ipsa confirmati fuissent, qui primæ tentationi restitissent.*

Quibus Doctor tria edocet: *Primo*, quod Adæ posteri potuissent in gratia confirmari: *Secundo*, quod non fuissent ita confirmati ratione status innocentiæ, neque per hæreditariam transfusionem Justitiæ patrum in filios; *Tertio*, quod de facto solum confirmarentur in gratia statim ac primam tentationem vicissent. — *Primum* constat, illudque aperte edocet S. Anselmus lib. 1. *Cur Deus homo* cap. 38. *In illa Justitia*, inquit, *in qua erant primi homines constituti, videtur quod si vicissent ut non peccarent tentati, ita confirmarentur cum omni propagatione sua, ut peccare ultra non possent: quemadmodum quia victi peccaverunt, sic infirmati sunt, ut quantum in ipsis est, sine peccato esse non possent.* Ratione pariter idipsum constat: plures enim etiam post lapsum Deus confirmavit in gratia, ut constat de Apostolis, et eximiis aliis Sanctis: ergo multo magis confirmasset Adæ posteros si justitiam servassent; facile namque est Deo, in omni occasione, in qua possent peccare, ipsis concedere gratiam efficacem, qua mediante non peccarent, quamvis absolute et simpliciter possent peccare in omni tali occasione. *Deinde*, facile est Deo ita res divina providentia ordinare, ut homini non occurreret ulla gravis tentatio, quam non posset homo vincere, ita quod quamvis peccare posset, tamen de facto nusquam peccaret, propter divinam illam assistentiam. — *Secundum* etiam con-

stat, nempe quod *filii Adæ non fuissent confirmati in gratia ratione status innocentiæ, nec jure hæreditatis; Cum enim*, inquit Doctor, *illa Justitia sit donum supernaturale, ex mera liberalitate divina esset datum proli, sicut fuit datum Parenti, qui si primæ tentationi restitisset, in illa justitia confirmatus fuisset, quia nusquam illam peccando amisisset.* Demum inquirens fuisset-ne filius confirmatus ab exordio suæ nativitatis? Respondet: *Dico quod non, quia filius non recepisset perfectiorem justitiam, quam pater: sed pater potuit eam perdere, et perdidit: ergo et filius: nec etiam illa justitia necessitabat eos ad bene agendum.* Quasi diceret: filii Adam non deberent nasci melioris conditionis, quam ipse Adam fuit in prima sua conditione: sed hic non habuit donum confirmationis pro primo instanti suæ formationis, neque ante primam tentationem, ut patet ex lapsu ipsius: ergo neque filii ejus nascerentur cum tali confirmatione. *Majorem probat Doctor:* filii non deberent nasci melioris conditionis, quam Adam, nisi quatenus Adam hoc ipsis mereretur, sicut nunc nascuntur pejoris conditionis, quia ipse peccato suo meritus est, ut sic nascerentur: sed Adam non meritus fuisset illis hoc beneficium, etiam si ipse non peccasset: ergo quamvis eo peccante nascantur nunc pejoris conditionis, non deberent tamen eo non peccante nasci melioris conditionis. *Probatur minor,* quia meritum Adæ non fuit tantum quantum Christi; nec debet dici, quod Adam plus mereretur sua perseverantia filiis suis, quam Christus meritus est illis, cujus per applicationem Sacramentorum, v. g. Baptismi, vel Pœnitentiæ, meritus est collationem gratiæ: sed Christus his non meretur donum confirmationis statim conferendum: ergo neque Adam illud meritus fuisset suis filiis. *Confirmatur*, quia non debet tribui meritum Adamo respectu præmii conferendi suis posteris, nisi constet ex ratione vel auctoritate quod habuerit tale meritum: sed non constat ulla ratione aut auctoritate quod habuerit meritum respectu doni confirmationis conferendi suis posteris, adeoque hoc ipsum non est asserendum. — *Tertium* autem, nempe, quod *devicta prima tentatione posteri Adæ fuissent in gratia confirmati*, sic probat Doctor: secundum S. Anselmum, si primi Parentes sic vicissent, ut primo tentati non peccassent, ita confirmati fuissent, ut ultra peccare non possent: ergo idem dicendum de filiis; tum a paritate rationis; tum quia alias absque ullo suo demerito proprio, aut alieno, essent pejoris conditionis quantum ad hoc, quam Adam, quod utique absque fundamento non est asserendum. — Quod autem addit S. Anselmus *Protoparentes fore confirmatos cum omni progenie sua, ut ultra peccare non possent;* sensus esse potest, non quod si Adam non peccasset, eo ipso ipsius filii essent in gratia confirmati, sicut et ipse esset: sed quod futurum esset, ut filii post devictam a se primam tentationem fuissent confirmati, sicut et ipse confirmatus fuisset, si revera primam tentationem superasset.

Dices 1: Si perseverasset innocentiæ status, nulli nati fuissent reprobi, ut ipsemet docet Doctor, necnon et S. Gregorius 4. *Moralium:* ergo nullus ex ejus posteris posset peccare; et consequenter omnes nascerentur confirmati in gratia, non solum ante primam tentationem devictam, sed etiam ab ipso suæ nativitatis exordio. — **Negat primam consequentiam** Doctor: tum quia, quamvis Adami posteri possent peccare, et forte etiam revera mortaliter peccassent, exinde non seque-

retur eos fore reprobos; possent enim per contritionem amissam gratiam recuperare, posset et Deus ex liberalitate et misericordia instituere remedia pro expiandis illis peccatis, sicut et plura post lapsum instituit; ita quod tandem in statu innocentiæ finaliter perseverarent, donec in Cælum traducerentur.

Dices 2: Meritum bonum longe efficacius et potentius est malo, ac peccato: sed peccatum Adæ fuit causa, ut filii ejus peccatores nascerentur: ergo bonum ipsius meritum esset causa ut nascerentur justi, et in gratia confirmati. — **Respondet Doctor** *primo distinguendo majorem:* meritum bonum est efficacius malo, quatenus per conversionem bonam efficacius Deo reconciliamur, quam plurima mala antecedentia efficacia fuerant ad impediendam illam reconciliationem, concedit *majorem:* quatenus bonum posset magis deservire ad justificationem aliorum, quam malum ad eorum inquinationem, negat. — *Respondet* 2. *negando consequentiam;* quia sicut malum Adæ non fuit causa cur ejus posteri essent confirmati in malo, sed solum cur nascantur mali; ita bonum ipsius meritum non deberet esse causa cur nascerentur confirmati in bono, sed sufficeret quod esset causa cur nascerentur boni.

Dices 3: Quando unum oppositum est causa alicujus effectus sibi similis, aliud oppositum similiter erit causa alterius effectus sibi similis: sed injustitia Adæ est causa cur filii nascantur injusti: ergo justitia ipsius si adfuisset esset causa cur justi nascerentur. — **Negat majorem Doctor**, si universaliter intelligatur; quamvis enim peccato intemperantiæ v. gr. posset quis perdere beatitudinem æternam, non inde sequitur, quod actu temperantiæ possit ipsam beatitudinem consequi. Vel, ut inquit Doctor, qualitas corporalis potest generare qualitatem corpoream, ut calor calorem; non tamen inde sequitur, quod qualitas incorporea ipsi opposita possit etiam qualitatem incorpoream producere; incorporea enim qualitas immediate a solo Deo producitur.

Dices 4: Adæ posteri ante superatam primam tentationem habuissent idem donum supernaturale ad repugnandum peccato, quod eis fuisset concessum post devictam tentationem: ergo etiam antea fuissent in gratia confirmati. Patet *consequentia:* Probatur *antecedens:* donum confirmationis, de quo agitur, nihil aliud est, quam illud divinum beneficium, quo posset caveri peccatum, quoties sese offerret peccandi occasio: sed hujusmodi donum haberent homines ante devictam primam tentationem, ex hypothesi quod ipsam vicissent; non enim potuissent ipsam vincere propriis naturæ viribus; adeoque opus habebant aliquo supernaturali dono, quo vegetiores fierent ad repugnandum peccati occasionibus: ergo revera ante devictam tentationem habuissent idem donum confirmationis quod postea. — **Nego antecedens**, et ad ejus probationem dico, quod illud donum confirmationis non fuisset divinum beneficium quodcumque, quo caveri posset peccatum; sed fuisset illud auxilium, quod ex natura sua vim infallibilem haberet. voluntatem moraliter removendi a peccato, quamvis physice, propter innatam suam libertatem peccare potuisset. Quod quidem donum ipsi Adamo non fuit concessum ab instanti suæ formationis; alioquin non fuisset lapsus: nec consequenter concedendum foret ipsius posteris, etiamsi ipse stetisset; non enim melior debuit esse conditio filiorum,

quam parentum. Unde quamvis ante peccatum, Adamus habuerit aliquod divinum beneficium, quo mediante poterat non peccare: tamen illud beneficium cælitus concessum non removebat ex se infallibiliter ejus voluntatem ab occasione peccandi; siquidem de facto tentationi succubuit: adeoque illud beneficium divinum non erat donum confirmationis, sed tantum auxilium sufficiens ad superandam tentationem, qua devicta ipsi collatum fuisset donum aliquod supernaturale efficacius et potentius, quo posset repugnare peccato.

QUÆSTIO TERTIA.

AN, ET QUALE HOMO INNOCENS DOMINIUM HABEBAT IN ANIMANTES, ET ALIOS HOMINES.

Notandum 1. Moysem, postquam dixerat hominem esse factum *ad imaginem Dei*, proxime addidisse: *et præsit piscibus Maris, et volatilibus Cœli, et bestiis, universæque terræ, omnique reptili, quod moretur in terra*. Quibus indicat datum fuisse homini dominatum, et imperium in omnes animantes: siquidem convenientissimum erat, ut quem Deus fecerat sui similem dignitate naturæ, etiam dominandi auctoritate, potestateque similem sui faceret: dignitas enim potentiæ præsidio destituta, velut inermis et infirma paulatim vilescit. Deinde hoc uno maxime argumento declarare voluit Moyses hominem esse factum ad imaginem Dei, quod sicut Deus toti mundo præsidet atque imperat, ita quasi Dei Vicarius homo cunctis animalibus præest ac dominatur. Hinc conveniunt omnes Sancti Patres et Doctores Theologi, hominis in brutas animantes imperium fuisse generale: solus reclamare videtur Theodoretus, qui qu. 20. in *Genes.* arbitratur ingentes illos pisces, quos vocamus *Cetos* et *Balenas* non esse factos propter hominem, nec ejus imperio subjectos. *Animadvertendum est*, inquit, *non universa animalia propter hominem creata esse, sed ea demum, quibus dominari dicitur: nempe pisces Maris, volucres Cœli, et pecora terræ: fortasse etiam, et reptilia terræ propter necessarium usum Pharmacorum, quæ ex illis conficiuntur, non tamen facta sunt propter hominem Cete illa grandia, et feræ terrestres... Non igitur dominatur homo Cete illis grandibus, neque bestiis, quæ fortasse ab initio non propter ipsum creata sunt.* Verum hanc ipsius Theodoreti sententiam, ut minus veram, improbant cæteri sancti Patres.

Notandum 2. Quatuor modis effici posse ut animal, quantumvis sævum, et truculentum, sub hominis potestatem et usum redigatur: *Primo* quidem per arcanos quosdam modos, qui certis quibusdam verbis, et carminibus constant, appellanturque *incantationes*, ut maxime contingit in Serpentibus: hinc aspidem laudat Regius vates, quod *obturet aures suas, ne audiat voces incantantis. Secundo*, commutando solum, et variationem consueti victus: si enim Leones in regiones præfrigidas transferantur, et molliori, meliorique cibo alantur, atque saginentur, paulatim ferocitatem remittunt, roburque, et animi ardorem deponunt, fiuntque in dies minus validi. *Tertio*, per beneficium: animalia enim suam rabiem et ferocitatem exuunt adversus eos, a quibus curantur, aluntur, et benigne tractantur, quibus non modo nihil nocent, sed cum illis etiam ludunt familiariter, eisque

blandiuntur; quinimo ab illis se verberari patiuntur; cujus rei exempla in Leonibus, et Elephantis permulta, miraque commemorat Plinius lib. 8. *Quarto* denique, arte, et industria non solum animalia coguntur parere homini, sed ei quoque ad verba, singulosque nutus morem gerere, et imperata facere docentur: hinc Picæ, et Psittaci etiam humana verba proferre, aliæque aves plurimæ cantilenas etiam personare discunt.

Notandum 3. Duplex hominis in homines esse dominium: unum quidem *servile*, aliud autem *civile*, ac *liberale*. Primum quidem in servos voluntarie ac spe mercedis, aut coacte et per violentiam dominis imperantibus subjectos; alterum vero in liberos, qui sponte sua unum aliquem, vel multos elegerunt, a quo, vel a quibus secundum præscriptas leges regerentur, atque gubernarentur. Duplex autem inter hæc duo genera dominandi animadvertere licet discrimen, siquidem imperium in servos coactum et violentum est, atque idcirco involuntarium et acerbum; in liberos autem voluntarium et jucundum est, utpote ab illis utilitatis suæ causa voluntarie electum et assumptum. Imperium præterea in servos, totum cedit et refertur ad bonum et emolumentum dominantis; quapropter non potest non esse onerosum et odiosum subditis: est enim contra naturalem hominis appetitum, ut quidquid agit et laborat, non in suam, sed in alterius utilitatem cedat. Imperium vero in liberos refertur non ab bonum dominantis, sed subditorum, vel potius ad bonum publicum et commune. An autem alterutrum, aut utrumque ex illis imperiis viguisset in statu innocentiæ, hic est determinandum.

Conclusio prima. — Non solum in statu innocentiæ homo habuit imperium in omnes brutas animantes; sed etiam post lapsum, minori licet auctoritate, illud obtinet. Hæc conclusio duas habet partes, quarum

Prima aperte traditur in Scriptura sacra, non solum illis verbis *Genesis*, cap. 1. v. 26. in primo Notabili laudatis, sed etiam alibi sæpe. Sic Psalmo 8. *Gloria, et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Et libro *Ecclesiast.*, cap. 17. ubi describitur qualis a Deo creatus sit homo, et inter alia legimus: *Dedit illi potestatem eorum, quæ sunt super terram, posuit timorem illius super omnem carnem, et dominatus est bestiarum et volatilium, etc.* Quod utique confirmare, ac comprobare voluit Deus, cum adduxit cunctas animantes ad Adamum, ut his omnibus et singulis nomina imponeret, hoc facto velut Adamo tradens possessionem ejus dominii, quod habebat in animalia, efficiensque ut cunctæ animantes suum quæque nomen ab Adamo accipientes, ei quodammodo subjectionem, obedientiam, et servitutem sponderent, ut facere solent milites, et servi: quoties enim, vel Duci, vel Hero sese subdunt, ab eo nomen accipiunt, quo a cæteris Commilitonibus distinguantur, ut hoc nomine evocati ad obsequium fiant promptiores.

Hoc ipsum etiam ratio naturalis suadet; rectituto enim ordinis naturalis, et optima divinæ providentiæ administratio et ordinatio id postulat, ut quæ imperfectiora sunt subjiciantur superioribus, et inferiora a superioribus regantur et pendeant: sic Elementa, et Mixta

cedunt in usum alimenti stirpium; stirpes nutrimento sunt animalibus, et utraque hominibus. Itaque cum homo brutis antecellat, illaque prudentia ac ratione careant, congruum fuit, ut per homines regerentur, atque hanc ob causam homo procreatus a natura est nudus et inermis, omniumque rerum inops, quod ad eum vestiendum, armandum, instruendum, ornandumque, et animalia, et res quæcumque corporeæ a Deo conditæ sunt ipsique subditæ.

Probatur etiam secunda pars, nempe quod *dominium istud in animantes, etiam post lapsum in homine perseveraverit:* siquidem post diluvium, *Genes.* 9. Deus Noe et filiis ejus dixit: *Terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terræ, et super omnes volucres Cœli, cum universis, quæ moventur super terram: omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt:* unde S. Ambrosius, lib. 6. *Exameron: Videbatur,* inquit, *Elephantis nihil habere natura procerius, atque robustius; nihil terribilius Leone, nihil sævius Tygride: Verum hæc serviunt homini, et naturam suam humana institutione deponunt; obliviscuntur, quod nata sunt; induuntur, quod jubentur. Quid multa? Docentur ut parvuli, serviunt ut famuli, adjuvantur ut infirmi, verberantur ut timidi, corriguntur ut subditi: in mores transeunt nostros, quoniam motus proprios perdiderunt.* Fateor equidem longe dispar esse imperium hominis in animantes post lapsum, ab eo quod in statu innocentiæ obtinebat; tunc enim plenissimus erat et amplissimus hujus dominationis usus, minimeque laboriosus ac difficilis: nam nec quantum ad hominem ullum erat impedimentum et difficultas, neque ulla in animalibus repugnantia. Unde nonnulli Theologi docent in statu innocentiæ animalia subjecta et obedientia fuisse homini, ut erat in ipso homine pars inferior superiori subdita; sicut igitur tunc ratio plenissime atque omnino dominabatur sensibus et affectibus, ita dominabatur animalibus homo. — Verum post lapsum valde imminutum est illud imperium, quantum ad usum et executionem, nam et paucis animalium imperare possumus, nec his sine magno labore imperamus. Unde Hugo a S. Victore annotationibus in *Genesim*, explicans illa verba, *præsit piscibus maris*, ait: *Dominari debuit homo omnibus: sed per peccatum amisit dominium, et in maximis, et in minimis: retinuit tamen dominatum in mediis ad consolationem. In maximis, ut in Leonibus, perdidit dominium, ut cognosceret se amisisse dignitatem propriam: in minimis amisit, ut in Pulicibus, Muscis, ad cognoscendum suam vilitatem.* Nihilominus etiam post peccatum, hominibus innocentia et sanctitate conspicuis animalia quæque ferocia et stupida exacte paruerunt. *Eliseo* namque 4. *Regum,* cap. 2. paruere Ursi in ultionem puerorum, qui eum contumeliose calvum appellaverant: et *Daniel* cap. 6. familiariter, nedum innoxie cum famelicis Leonibus multos dies versatus est. Etiam legimus de *Seraphico Patre Francisco,* et *S. Antonio Paduano* ipsos pisces, aves, atque alias quasdam animantes pro libito advocasse, et ad audiendum divinum verbum, quamdiu voluerunt, ad audientiam continuisse. Cæteri vero homines, etsi nonnulla cum difficultate, nihilominus etiam post lapsum animalibus quibusque imperant, industria sua, et animi sagacitate belluas suo subdunt moderamine, et eis ad usum et consuetudinem utuntur, ut constat de Leonibus, Lupis, necnon et Piscibus, quæ vel venatione,

vel piscatione capiuntur, et in hominis usum ceduut. — Hoc utique mirum in modum expendit S. Basilius, Homilia 10. in *Genesim* ubi de potestate, quæ homini data est in pisces verba faciens, illam colligit ex eo quod et pisces ad hominis umbram timeant, et piscatione in ejus usum cedant. *Ecqua tandem ratione internoscemus*, ait, *inaugurari imperio in pisces?* Respondet: *siquidem tecum reputaveris, ut illos vel umbra tui corporis exterruerit, cum in stagno natantibus obtulisti te quamlibet obscure videndum. Quis tanta cum auctoritate suam moderatur familiam Herus; ut turbatis aliquando rebus domi, his si inopinus accesserit, tranquillitatem nullo suo tribuat negotio, cunctaque in ordinem pro cujusque decoro restituat, et sua solius dominantis præsentia redintegret, ac permittat; ut uno quovis conspecto homine Creatura omnis aquatica in aliam se figuram habitumve transmutet? Non jam illi constat liberioris vitæ, et exercitii ratio; non item jam secundum superficiem maris, aut stagnantis aquæ natando ausit proludere. Delphin, tametsi præ natalibus magnanimitatem spiret Rege quolibet non indignam, dicto ocius, hominem si contempletur proprius sibi assistere, fugitans subpudescit ac veretur;* deinde subdens modum quo capiuntur Ceti, et Balænæ, concludit: *Homo per opulentiam, ac præditem vim rationis, principatu in quævis animantia donatus, quasi facinorosos, ac refugos servos, et pessime morigeros ad officium, obedientiamque revocat. Quid proinde nulla placabili lenitate ei cicurantur, hos vel ipsa necessitate adigit suo ut famulentur, et serviant Imperatori. His sane argumentis elucescit ab ipso Opifice vim in cætera imperandi insertam esse, et prærogatam homini ubivis gentium constituto.*

Conclusio secunda. — In statu innocentiæ alii homines præfuissent aliis: non quidem dominatione servili, sed civili: quæ scilicet nihil violenti, involuntarii, et acerbi mixtum habuisset.

Probatur *primo* quidem, quia hoc imperium maxime confert ad rectam, et sapientem humani generis inclinationem, rectius etenim res omnes componuntur, ubi unus alteri obtemperat, quam ubi quisque pro suo nutu, et arbitratu suam voluntatem implet; hinc enim lites, hinc dissidia, et jurgia originem habent. *Deinde,* in statu innocentiæ pater habuisset auctoritatem in filios, iique suis parentibus obtemperassent, adeoque imperium civile, et liberum ipsi statui non repugnabat. *Denique*, si hæc civilis dominatio innocentiæ statui repugnasset, maxime propter hominis summam integritatem, et libertatem: sed hæc cum ipso imperio civili non pugnabat; siquidem nulla major libertas, nullaque perfectior rectitudo, quam in beatis Angelis; at inter eos est ipsa civilis dominatio: superiores enim inferioribus imperant: adeoque potiori jure homines innocentes potuissent imperare aliis, eo scilicet imperio, quo justos viros aliis imperare docet S. Augustinus lib. 19. *De Civitate Dei*, c. 14. *Non enim*, inquit, *justi dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi; nec principiandi superbia, sed providendi misericordia. Hoc naturalis ordo præscribit, ita Deus hominem condidit.*

Rogabis: Cur igitur Deus non dixit: *Dominamini hominibus*, sicut dixit *Dominamini piscibus maris? etc.* — **Respondeo**, id congrue factum, quia videlicet imperium in animalia convenit cuilibet homini,

ea ratione ut homo ad imaginem Dei creatus est, cunctisque hominibus æqualiter competit: at vero imperium aliorum hominum in alios homines non cuique homini convenit, sed quibusdam tantum certis hominibus: nec illis convenit qua homines sunt, sed propter eorum dignitatis, vel prudentiæ, vel probitatis excellentiam.

Dices: Mulier non fuit sub potestate viri reducta nisi in pœnam peccati, dixit enim Deus, cap. 3. *Genesis*, v. 16. mulieri prævaricatrici pœnam indicens inter alia: *sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui:* ergo in statu innocentiæ nulla erat viri in mulierem dominatio, nullaque mulieris ad hominem subjectio. — **Respondeo**, subjectionem mulieris in statu innocentiæ longe diversam fuisse ab ea, qua post lapsum sub viri potestate redacta fuit; tunc enim illa subjectio fuisset mulieri voluntaria et jucunda, atque omnis expers molestiæ: tum quod vir nihil imperasset mulieri, nisi rectum et honestum, idque magna cum æquitate et benevolentia: mulier autem cum sponte sua amasset quidquid rectum et æquum esset, et quidquid a se fieri ratio postulasset, haud dubie voluntarie et libenter quæ sibi fuissent imperata executioni demandasset; tum etiam quod mulier a viro se originem ducere cogitans, ipsique a Deo datam in adjutorium, gratulanti animo implevisset id omne quod a viro demandatum fuisset, ut suam nempe ei gratitudinem et directionem testaretur, et debitum auxilium præstaret. Secus autem accidit post lapsum, hæc enim subjectio mulieris sub viri potestate involuntaria est et acerba; idque duabus de causis: tum quod sæpe mariti durius quam par est cum uxoribus agunt, eis præter bonum et æquum imperantes: tum etiam quod mulieres, corrupta natura, depravataque voluntate, vel propter naturalem quamdam levitatem ingenii et iracundiam animi ægre ferunt regi se a viro, ejusque imperio esse subditas. Porro hæc pravitas et perversitas, tam imperantis viri, quam mulieris obedientis, ex peccato nata est, et illa molestia, quam subjectio habet annexam, revera pœna est peccati inflicta mulieri: adeoque merito jure dixit: *Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.* — Hæc omnia luculenter explicat S. Augustinus, lib. 11 *De Genesi ad litteram* cap. 37. ubi sic scribit: *Videndum est*, inquit, *quemadmodum proprie possit accipi illud quod mulieri dictum est:* et ad virum conversio tua, et ipse dominabitur tui; *neque enim et ante peccatum aliter fuisse decet credere, nisi ut vir mulieri dominaretur, et ad eum ipsa serviendo converteretur. Sed recte accipi potest, hanc servitutem significatam, quæ cujusdam conditionis est potius, quam dilectionis: ut etiam ipsa talis servitus, qua homines hominibus postea servire cœperunt, de pœna peccati reperiatur exorta. Dixit quidem Paulus:* per charitatem servite invicem, ad Galatas 5. sed. 1. ad Timot. 2. *Mulierem dominari in virum, non permittit Apostolus: hoc enim viro potius Dei sententia detulit, et maritum habere dominum meruit mulieris, non natura, sed culpa.* Intellige de dominio servili; non autem de civili; supra namque dixit etiam ante peccatum mulierem fuisse viro subditam, dilectione potius quam conditione. — Observat autem Rupertus lib. 3. *De Operibus Trinitatis*, cap. 21. gravioris esse dominationis uxorem viro tamquam domino subjici, quam esse sub potestate viri, *Nam*, inquit, *et secundum romanas leges, sub viri potestate est mulier, antequam in*

manum viri conveniat: sub potestate, inquam, viri, *veruntamen non tamquam* domini, *sed tamquam tutoris; ita ut sine auctoritate ejus testamentum illi facere non liceat. Quæ autem in manum viri convenit, multo magis quamdiu vixerit vir, testamentum illi sine viro facere non licebit; unde, et* capite diminuta dicitur mulier, quæ in manum viri convenit. *Adeo apud gentiles quoque, qui hanc scripturam non legerant, vel hujus veri Dei præcepta non observabant, hæc lex naturaliter valuit, quam Dominus naturæ imposuit dicens mulieri*: sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.

* " **Corollarium.** — Ex his omnibus manifestum fit hominem a Deo primitus bonum esse conditum; ac subinde inane prorsus ac impium esse Saturnini aliorumque deinde hæreticorum commentum de duobus hominum generibus, quorum alii sint natura boni, alii vero mali ac perversi. Quem errorem vehementissime S. Irenæus lib. 1. *adversus hæreses*, cap. 12. eumque profligat ex eo quod viderit Deus cuncta quæ fecerat, et illa velut optima probaverit. *Insuper*, si bonitas et malitia hominibus insit a natura, inde fieret quod nec mali vituperium ac supplicium, nec boni laudem ac præmium mererentur. *Deinde*, prophetarum adhortationes et consilia, necnon et Christi Domini præcepta ac promissa irrisoria essent et inania, nisi homini cuilibet liberum esset malum vitare, bonum vero persequi et amplecti. « Si autem, *inquit* « *S. Irenæus*, naturaliter quidam boni, quidam vero mali facti fuissent; « neque hi laudabiles essent quia boni sunt, tales enim facti fuerant: « sed neque illi vituperabiles, et ipsi enim tales fuerant instituti. Sed « quoniam omnes ejusdem sunt naturæ, et potentes retinere, et operari « bonum, et potentes rursum amittere id et non facere; juste etiam « apud homines sensatos, quanto magis apud Deum, alii quidem lau- « dantur, et dignum percipiunt testimonium electionis bonæ et perse- « verantiæ: alii vero accusantur et dignum percipiunt damnum, eo « quod justum et bonum reprobaverint? Et ideo prophetæ quidem hor- « tabantur homines justitiam agere, bonum quoque operari; quia in « nobis fit hoc, et propter multam negligentiam in oblivionem incide- « rimus, et consilio egeamus bono; propter quod et bonus præstabit « bonum consilium per prophetas. » Deinde subjungens plurima Christi Domini in Evangelio oracula et Apostoli monita, quibus homines ab bonum hortatur et a malo deterret, colligit: *Si igitur non in nobis esset facere hæc, aut non facere, quam causam habet Apostolus, et multo prius ipse Dominus, consilium dare, quædam quidem facere, a quibusdam vero abstinere?* — Videndus etiam ea de re Theodoretus, serm. 5. *De natura hominis*, ubi plurimis Scripturæ textibus luculenter probat nullos homines esse natura malos, sed cuilibet esse liberum bonum sectari et malum aversari.

Dices: Qui sunt natura filii iræ sunt etiam natura mali, Deus enim nonnisi perversis irascitur: sed ex Apostolo omnes homines sunt natura filii iræ, ait enim ad Ephesios 2: eramus natura filii iræ sicut cæteri. — **Respondeo** primo, verba ista errori Saturnini non suffragari, neque enim duplex conotant hominum genus, quorum unum bonum sit, aliud vero malum, sed omnes prorsus Deo infensos significat. — Secundo, dico homines esse natura filios iræ non ex perversa natura a Deo condita.

sed ex natura per peccatum primi parentis vitiata et per humanam generationem propagata, ut luculenter exponit S. Augustinus, serm. 14. *De verbis Apostoli*, ubi hæc eadem verba exponens, ait: *Non accusamus naturam. Naturæ auctor Deus est. A Deo bona est instituta natura: sed per malam voluntatem a serpente vitiata est. Ideo quod fuit in Adam culpæ, non naturæ, nobis propagatis factum est jam naturæ. Ab hoc vitio naturæ, cum quo nascitur homo, non liberat, nisi qui natus est sine vitio.*

Instabis: Qui sunt filii diaboli sunt ex natura sua et non solum per propagationem criminis hæreditarii mali: sed quidam homines sunt filii diaboli, igitur quidam sunt natura mali. — **Distinguo majorem** cum S. Augustino eodem serm. 14. *De verbis Apostoli*, cap. 15: si sint filii diaboli ratione generationis, concedo; si tantum ratione imitationis, nego. Porro impii homines dicuntur filii diaboli solum per imitationem, non vero per originem. *Dicitur quidem*, inquit S. Augustinus, *pater tuus, quem fueris imitatus.* Quod confirmat ex verbis Apostoli: *Filioli mei, quos iterum parturio etc.* In quo vero consistat hic partus, declarat idem Apostolus cum ait: *Fratres imitatores mei estote.* Unde addit S. Augustinus: *Propter istam imitationem dicitur impiis: vos a patre diabolo estis. Nam constat in catholica fide, quod diabolus nec generavit nostram naturam, nec condidit: sola in illo seductio est præcedentis, imitatio consequentis.*

Adjicies: Qui ex naturæ impetu rapitur in malum, etiam nolens, est revera natura malus, ut Apostolus ipse ad Romanos 7. v. 15. testatur: *Non quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio; jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum;* igitur etc. — **Distinguo majorem**: qui ita rapitur et inducitur in malum, ut nullatenus resistere valeat, concedo; secus, nego. Porro nullus adeo vehementer, sive ex concupiscentia intrinseca, sive ex tentatione externa, impellitur in malum, quin ex libertate et adjutorio Dei ab eo possit resilire. Unde idem Apostolus cum subjecisset: *Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Respondet: *gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.*

Instabis: Idem Apostolus statim ibidem adjicit: *Igitur ego ipse mente servio legi Dei; carne autem legi peccati.* Itaque sunt aliqui homines qui ex carnis impetu, ac proinde ex natura rapiuntur in malum, etiam non obstante auxilio divino. — **Respondeo**, malum illud, seu legem peccati de qua loquitur Apostolus, non esse simpliciter malum aliquod; lex enim illa peccati nihil aliud est quam concupiscentiæ irritatio ac stimulus, qui ex natura sua ac per se non sunt mali, nec formaliter peccatum, ut satis superque supra probatum est. " ✳

DISPUTATIO TERTIA.

DE STATU NATURÆ LAPSÆ.

« Nemo est qui nesciat, inquit S. Chrysostomus Ser. 32. qui est « *de lapsu hominis*, in principio hominem sic a Deo plasmatum, ut « instrueretur prudentia, consilio firmaretur, rationis capax divina « providentia redderetur. Instrueretur inquam *prudentia*, qua hostis « calliditatem vitaret: *consilio*, quo salutaria ac recta perquireret:

« *ratione*, qua Deo genitori parendum esse cognosceret: etenim Do-
« minus Deus videns hominem quem fecerat innocentem, instruxit,
« monuit, et armavit; quippe qui cum diabolo fuerat pugnaturus,
« velut quibusdam armis, hoc est, prudentia, consilio, ratione fuerat
« instruendus. *Post pauca*: Stabat Adam inter uxorem et diabolum:
« inter Evam et hostem, inter mulierem et serpentem: diabolus per-
« suadet ut noceat, Eva consentit ut pereat: diabolus mulierem astutia
« fallendi circumvenit, mulier incauta serpentinum virus accepit, et
« diabolus quod per se non potuit, per uxorem Adam protoplastum
« circumvenit; Adam vero per uxorem invenit interitum, quam a Deo
« acceperat in auxilium. Proh Dolor! prospera in contraria cedunt,
« utilia perniciem operantur. Denique plus Adam domesticis, quam
« inimicis jaculis læditur, plus proprio quam hostili ense perimitur,
« plus mulieris quam externo gladio vulneratur. » Eo autem magis nobis lugendus est ille primi Parentis in peccatum lapsus, quod non ipsi tantum, vel multis gentibus calamitosus, sed cunctis hominibus quot sunt, quot erunt, quotque adhuc fuerunt, exitiosus. *Sicut enim*, inquit Apostolus ad Romanos 5. *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Inde nostrum quisque cum mellifluo Bernardo aut quolibet alio Auctore *Meditationum*, cap. 2. gemebunda voce dicere potest: *Secundum exteriorem hominem de parentibus illis venio, qui me ante fecerunt damnatum quam natum; peccatores peccatorem in peccato suo genuerunt, et de peccato nutrierunt: miseri miserum, in hanc lucis miseriam induxerunt.* Funestus enim ille parentum lapsus, omnium miseriarum et malorum lernam induxit et aperuit, quibus jam inde ab illo tempore omne genus hominum misere afficitur et conflictatur. Recto igitur ordine procedit nostra theologica exercitatio, ut qui ridente, et ad corporis et animæ oblectationem suaviter spirante verno et autumnali tempore, terrestris Paradisi delicias, et summam in eo degentis primi hominis felicitatem delineavimus ac delibavimus; jam ingruentibus hyemis procellis, et ad pœnitentiam stimulante sævioris tempestatis bruma, luctuosum pristinæ illius felicitatis exitum, lapsum dico primorum hominum, revolvamus ac lugeamus. — Ut autem inter densissimam peccatorum caliginem excurrentes, nobis theologicæ nostræ methodi lux affulgeat, et veluti præferat facem, hanc Disputationem sicut et præcedentes, tres in Articulos distribuemus, totidem Sectionibus dividendos: quorum *primus* dæmonis tentationes et insidias, Adami et Evæ cum ipso conflictum, ac tandem funestum eorum lapsum et excidium: *Secundus* peccatum in omnes Adami posteros ex vitiata propagatione et origine derivatum: *Tertius* varias peccati personalis species et distributiones referet et explicabit. *Primus* aperiet qualiter persona corrupit naturam: *Secundus*, qualiter natura personam inficit: *Tertius*, quomodo persona seipsam vitiat et pervertit.

ARTICULUS PRIMUS.

DE TENTATIONE, LAPSU, ET PŒNA PRIMORUM PARENTUM.

Merito dixit virorum patientissimus *militiam esse vitam hominis super terram;* vix enim primi hominum parentes diem salutaverant, cum diabolus eorum felicitati et innocentiæ insidiatus lethale ipsis bellum indixit. « Videns enim diabolus, inquit *Magister sententiarum,* « dist. 21, hominem per obedientiæ humilitatem posse ascendere, « unde ipse per superbiam corruerat, invidit ei: et qui prius per su- « perbiam diabolus fuerat, idest deorsum lapsus, zelo invidiæ factus « est Satan, idest adversarius. Unde, et mulierem tentavit in qua « minus, quam in viro rationem vigere novit: ejus enim malitia ad « tentandam virtutem timida, humanam naturam in ea parte ubi de- « bilior videbatur aggressa est: ut si forte illic aliquatenus prævaleret, « postmodum fiducialius ad alteram, quæ robustior fuit, pulsandam, « vel potius subvertendam ascenderet. » — Hujus itaque virulenti, ac veternosi hominum adversarii cum Protoparentibus conflictum hoc in Articulo referendum et delineandum aggredimur: quod utique tribus in Sectionibus subsequentibus planum fiet: quarum *prima* tentatoris instrumentum, motivum, et conflictum aperiet: *Secunda* legis Protoparentibus impositæ cautionem, transgressionem, et ultionem referet: *Tertia* denique inflictam eis et eorum posteris a Deo pœnam propter ipsorum perduellionem exponet.

SECTIO PRIMA.

DE TENTATIONE PRIMORUM PARENTUM.

Tria maxime veniunt hac in Sectione discutienda: *Primum,* quale fuerit tentatoris instrumentum: *Secundum,* quo motivo ad tentandum ductus fuerit: *Tertium,* quam in tentatione fraudem ac versutiam usurpaverit, quemque ordinem servaverit, quo facilius Protoparentes impugnaret et expugnaret.

QUÆSTIO PRIMA.

QUONAM INSTRUMENTO DIABOLUS USUS FUERIT AD PRIMOS PARENTES TENTANDOS.

Notandum 1. Moysem rerum divinarum et humanarum primarium interpretem, diaboli cum Protoparentibus congressum delineasse c. 3. *Genesis,* his verbis: *Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus etc.* Vel ut vertunt Septuaginta, *serpens erat prudentissimus bestiarum, quæ erant super terram:* vel ut habet Chaldaicus, *serpens erat sapientior cunctis bestiis agri:* quibus verbis tria maxime significantur: *Primo* quidem diabolum serpente tamquam instrumento usum fuisse ad primos homines adoriendos et decipiendos. *Secundo,* quod ipsum serpentem dæmon afflaverit, et sese ipsius corpori infuderit, quatenus per os et linguam bestiæ, velut per organum voces emitteret, et cum prima muliere col-

loqueretur. Unde S. Augustinus, lib. 11. *De Civit.*, c. 11. scribit: *Diabolus colubram in Paradiso corporali, animal scilicet lubricum, et tortuosis anfractibus mobile, et operi suo congruum, per quem loqueretur, elegit: eoque per angelicam præsentiam, præstantioremque naturam spiritali nequitiæ sibi subjecto, et tamquam instrumento abutens fallaciam sermocinatus est fœminæ. Tertio* denique serpens ille dicitur *callidior cunctis bestiis terræ*; quibus designatur eum verum fuisse, et non larvatum serpentem, quippe qui cum aliis bestiis terrenis conteratur, alias enim omnino claudicaret, et prorsus absona foret illa comparatio.

Notandum 2. Quod etsi diabolus hujus lugendæ tentationis unicus fuerit architectus: nihilominus Moyses tentatorem, non diabolum, sed serpentem prudenter appellavit; nempe, ut omnem occasionem idololatriæ Judaico populo, rudis quidem, et crassioris genii adimeret: cum enim non defuerint hæretici, qui existimantes omnem boni et mali notitiam primis parentibus fuisse a serpente suggestam, ipsum pro Numine habuerint et coluerint, quocirca *Ophithæ* fuerunt appellati: etiam forte non defuissent ex Judæis, qui diabolum natura spirituali præditum, pro numine habuissent; utpote qui sua prudentia, etiam repugnante Deo, Protoparentes suas in partes deduxisset, ut docte observat Anastasius Synaita lib. 10. *Exameron. Si quæris*, inquit, *cur non nude, hoc Deus tunc est locutus, sed pro* diabolo *nominavit* serpentem; *aperte dicit, quod cum mala et libidinosa gente loquens, noluit aperire Israeli, neque quæ ad Angelos spectant, neque quæ ad Satanam, qui conculcavit Evam, ne eum colerent et adorarent tamquam Deo fortiorem, ut qui potuisset sua prudentia protoplastos a Deo ad se pertrahere.* — ✳ " Aliam rationem subjicit Severianus Gabalitanus episcopus, orat. 6, nempe quod Moyses rudiori stilo et populari narratione res gestas initio mundi referre susceperit, quia non modo indoctum vulgus de rebus abditis eruendum suscipiebat; sed illa erat nascentis et adhuc puerilis Ecclesiæ ætas quæ nondum altiorem doctrinam capere poterat. Nihil itaque absurdi, si lacte pascebat eos qui pro illo tempore velut infantes erant. Simili præcautione usus est Apostolus, 2. ad Cor. c. 11, cum virgines alloquens scribit: *Timeo autem ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri.* Unde Severianus: *Paulus quidem*, ait, *tamquam fidelis minister et sacrarum Scripturarum custos, dictionem non invertit, sed sententiam indicavit.* At quis sub serpente latebat eumque afflabat manifestavit Christus cum Judæos alloquens, *Joan.* 8. dixit eos oriundos ex patre diabolo qui *homicida erat ab initio;* quod videlicet universum humanum genus in primo parente lethaliter vulneraverit, et in peccati mortem induxerit. " ✳

Notandum 3. Ex Seraphico Bonaventura in 2. dist. 20. art. 1. q. 2. quod ille modus tentandi non fuit in diabolica electione, sicut dicit S. Augustinus, lib. 11. *de Genesi*, c. 3, sed etiam ex divina permissione: non enim licuit diabolo tentare omni modo, quo vellet, et posset; sed eo modo, quo Dominus permitteret: concessit autem divina sapientia (quæ omnia ordinat, et gubernat, et permittit) quod diabolus tentaret hominem in effigie animalis bruti, et non cujuscumque, sed serpentis: sic enim exigebat congruentia ordinis. « Quod enim

« homo tentaretur a diabolo in effigie bruti animalis congruum erat; « tum respectu operis; tum respectu finis; tum etiam respectu divini « judicii. 1. *Respectu operis,* quia homo natus est inclinari ad bonum ut « nunc maxime ex parte sensibili, et brutali, et ideo congruum erat « ipsum tentari in effigie animalis bruti. 2. *Respectu finis intenti* « similiter congruum erat, quia ad hoc ordinabatur tentatio, ut homo « efficeretur similis animali bruto, cum contempto bono incommutabili, « adhæreret bono commutabili, et ibi quiesceret: et ideo ad hoc in- « sinuandum, in specie animalis bruti debuit tentari. 3. *Respectu di-* « *vini Judicii* etiam congruum fuit, quoniam Dominus justus et fidelis « non permittit hominem tentari ultra quam possit: et ideo sic pa- « titur diabolum in tentatione latere, ut nihilominus possit ab homine « deprehendi, et ideo non passus est, quod diabolus hominem ten- « taret omnino in specie consimili, nempe in specie vel effigie hu- « mana, sed potius brutali. » His ita præmissis, duo sunt hic maxime resolvenda: *Primum*, quare serpentem in instrumentum tentationis diabolus assumpserit: *Secundum*, quare eo usus fuerit in ea tentatione.

Conclusio prima. — Diabolus serpentem pro sua tentationis instrumento ex divina permissione congrue assumpsit.

Hanc veritatem probat Seraphicus Doctor laudato loco, triplici ratione: *Primo* quidem, inquit, *ratione operis:* « quia enim tentatio « fiebat, et suggestionis ingressus, quæ intrat ad cor ad modum ser- « pentis, et ibi virus peccati diffundit, ex quo homo habet spiritualiter « mori, ideo ut exterior effigies operi responderet interiori, congruum « fuit hominem a diabolo tentari in effigie serpentis, cujus est serpere, « et venenum diffundere, et diffundendo hominem interimere. — 2. *Re-* « *spectu etiam finis* intenti congruum erat: quia enim intendebat dia- « bolus faciem hominis, et caput, et superiorem mentem convertere « deorsum, et totum prosternere, et sic prosternendo ad malum finem « deducere, proponendo sibi præmium aliquod delectabile, ideo per- « missus est tentare in serpente, qui secundum totum corpus suum « habet terræ in suo incessu adhærere. — 3. *Congruum etiam erat re-* « *spectu divini judicii:* quia enim ex illa tentatione divino judicio « inter tentatum et tentantem debebat inimicitia exoriri, ideo tentatio « hominis in serpente debuit fieri, quem post lapsum maxime exhor- « ret, et qui maxime sua calliditate insidiatur, ut hominem lædat ». Hæc S. Bonaventura. — *Non autem debemus opinari,* inquit S. Augustinus lib. 11. *De Genesi ad litteram, quod serpentem sibi per quem tentaret, persuaderetque peccatum diabolus elegerit: sed cum esset in illo propter perversam et invidam voluntatem, decipiendi cupiditas: nonnisi per illud animal potuit, per quod posse permissus est: nocendi enim voluntas potest esse a suo quoque animo prava; non est autem potestas nisi a Deo, et hoc abdita, altaque justitia, quoniam non est iniquitas apud Deum.* Docet autem Magister sententiarum dist. 21. quod si permissus fuisset dæmon, forte venisset libentius in forma columbæ: *Diabolus enim,* inquit, *habet cupiditatem nocendi, facultatem autem nonnisi quæ datur, vel ad subvertenda et perdenda vasa iræ, vel ad humilianda seu probanda vasa misericordiæ.* Non permisit

autem Deus, inquit Lyranus noster, hominem tentari per diabolum in specie gratiosa, et nobili, per quam posset facilius decipi ; sed magis in specie horribili in qua fallacia dæmonis citius poterat deprehendi ; seu, ut inquit Moyses Bar-Cepha, lib. *De Parad.*, cap. 27, non alio permissus est diabolus ad fallendam mulierem abuti animali ; tum ut sic appareret vilitas, et abjectio dæmonis : tum etiam ut tortuosi et maligni animalis aspectu, facilius Eva fraudem deprehenderet. Addit Thomas Angelus in *Genes.* idcirco Deum permisisse diabolo tentare in specie serpentis, ut per hoc, quod est animal turpe et venenosum, posset Eva aliqualiter deprehendere dolum ipsius ; ut tentatio scilicet esset minus violenta, et si caderet, esset Eva minus excusabilis. Unde Deus videtur hoc pacto etiam suæ providentiæ consuluisse, ne postea mulier in peccatum collapsa causaretur gravem aliquam violentiam, cui non facile restitisset, impellente ad facinus animali alio, vel corporis mole, vel oris formositate ad fallendum, incitandumque potentiore ; totamque subinde sui delicti causam in Deum, non tanto, ac tam valido hosti obsistendo refunderet.

Dices : Quanto tentatio est occultior, tanto est ad decipiendum efficacior : ergo congruentius videbatur hominem tentari aliqua spirituali tentatione, quam in corporea specie, quo scilicet melius probaretur ipsius in Deum observantia. *Insuper*, tanto efficacior est tentatio, quanto tentans est in suggerendo affabilior : sed tentatio, et locutio, quæ facta fuisset in assumpta specie, et effigie humana longe fuisset affabilior, quam quæ facta est per serpentem : ergo hæc videtur minus congruere intentioni tentatoris. *Denique*, quanto majorem tentans induit speciem sanctitatis, tanto magis prævalet in tentando : sed plurima sunt animalia, quæ magis suis proprietatibus sanctitatem prætendunt quam serpens, puta columba, v. gr. et agnus : ergo videtur quod ipsa animalia debuerit diabolus tentator assumere. — **Respondeo**. has equidem formas forte diabolum assumpturum fuisse, si ipsi fuisset a Deo permissum ; nihil enim nisi permissus moliri potuit : cur autem Deus in alia, quam in serpentina specie tentationem fieri non permiserit, jam diximus ; nempe ut levior foret tentatio, et a tentatore illa serpentina species mulierem facilius avocaret.

Conclusio secunda. — Revera diabolus serpentis corpori infusus fuit, et per os, et linguam bestiæ velut per organum humanas voces edidit. Ita S. Augustinus lib. 14., *De Civitate Dei*, cap. 11. necnon, et lib. 11. *De Genesi ad litteram*, cap. 27. ubi ait: *Diabolus in serpente ipse locutus est, utens eo velut organo, movensque ejus naturam eo modo, quo vere ille movere, et moveri illa potuit ad exprimendos verborum sonos, et signa corporalia, per quæ mulier suadentis intelligeret voluntatem. In ipsa vero muliere, quia illa rationalis creatura erat, quæ motu suo posset uti ad verba facienda, non ipse locutus est, sed ejus operatio, atque persuasio, quamvis occulto instinctu adjuraret interius, quod exterius egerat per serpentem.* Arbitror itaque serpentem per illos blandiculos motus, et quasdam quasi gesticulationes, et girationes dulcicolas, sed veneno et interitu fœdas, interius commovente dæmone, in familiaritatem mulieris irrepsisse, secque primo intuendum objecisse. Conveniunt omnes pene sacri Inter-

pretes serpentem illud, quo tamquam instrumento diabolus usus est, variegatæ suæ pellis pulchritudine mulierem ad sui aspectum pellexisse, ut illam facilius ad colloquium induceret. Cum autem varia sint serpentium genera, cujus fuerit ille a dæmone assumptus multa somniant: quid enim in re tam incerta, et ab omni humana conjectura longissime remota, cujus ne vestigium quidem ullum expressit Moyses, ausit quis pro certo affirmare? Rentur tamen aliqui fuisse basiliscum: sed minus congrue videntur conjicere: fœdissimus enim aspectus, et afflatus pestilentissimus hujus serpentis non invitarent Evam ad colloquium, sed potius averterent: de illo enim Plinius, lib. 8. cap. 21. scribit: *Basiliscum Cyrenaica generat Provincia, duorum non amplius digitorum magnitudine, candida in capite macula, ut quodam diademata insignem: sybilo omnes fugat serpentes, nec flexu multiplici, ut reliqua corpus impellit: sed celsus, et rectus a medio incedens, necat frutices non contactos modo, verum et afflatos, exurit herbas, et rumpit saxa, etc.* — Conjiciunt aliqui fuisse *Scytalem*, illius nimirum pulchritudine, et magnitudine ducti: *Scytale enim*, inquit Solinus, cap. 30., *tanta præfulget tergi varietate, ut notarum gratia videntes retardet, et quoniam reptando pigrior est, quod assequi nequit, miraculo sui capiat stupentes.* Hanc Solini descriptionem confirmat Delrio ad primum versum capitis tertii Genesis, ubi testatur se aliquando vidisse spolium unius Scytalis; quod quidem erat septempedale, totum artificio naturæ pulcherrimæ variegatum, auri splendore, et argenti nitore radians. — Asserit Rupertus serpentem a dæmone assumptum, fuisse unum ex illis, qui faciem virgineæ similem præferre dicuntur: at hujusmodi serpentem in orbe visum aliquando fuisse, tamquam anilem fabulam, merito ridet Lyranus noster. Unde existimarem satius dicendum, serpentem illum fuisse nostrum vulgarem anguem, vel colubrum, cujus natura est, quod sit sanguineus, lactis avidus, cortice intectus, tergi varietate præfulgens, notarum cærulearum gratia videntes retardans. Cur autem serpens ille dicatur *callidior*, vel *prudentior*, vel *sapientior*, cunctis bestiis terræ, rationem profert S. Augustinus lib. 11. *De Genesi ad litteram*, cap. 2. *Translato enim verbo*, inquit, *dictum est*, prudentissimus, *vel sicut plures latini codices habent*, sapientissimus, *non proprio sensu quo in bonum accipi solet sapientia, vel Dei, vel Angelorum, vel animæ rationalis: tamquam si sapientes apes etiam, formicasque dicamus, propter opera velut imitantia sapientiam. Quamquam iste serpens non irrationali anima sua, sed alieno jam spiritu, idest, diabolico, posset sapientissimus dici omnium bestiarum. Quantumlibet enim prævaricatores Angelis supernis sedibus suæ perversitatis, et superbiæ merito dejecti sint; natura tamen excellentiores sunt omnibus bestiis, propter rationis eminentiam. Quid ergo mirum, si suo instinctu diabolus jam implens serpentem, eique spiritum suum miscens, eo more quo Vates dæmonium implere solet, sapientissimum eum reddiderat omnium bestiarum secundum animam vivam, irrationalemque virentium? Abusione quippe nominis ita* sapientia *dicitur in malo, quemadmodum in bono* astutia: *cum proprie, magisque usitate in latina dumtaxat lingua* sapientes *laudabiliter appellentur:* astuti *autem male cordati intelligantur.*

QUÆSTIO SECUNDA.

QUONAM MOTIVO DUCTUS FUERIT DIABOLUS UT PROTOPARENTES NOSTROS TENTARET.

Notandum 1. Quod etsi diabolus vitiis omnibus, quorum substantia creata spiritualis capax est, inficiatur; qua de causa Apostolus ad Ephesios 6. dæmones appellat *spiritualia nequitiæ in cœlestibus:* nihilominus tribus maxime peccatorum motibus agitatur. Percellitur enim potissimum *superbia, ira, et invidia;* superbia quidem: *Omne* enim *sublime videt*, inquit Job cap. 41. *Ipse est Rex super universos filios superbiæ:* hinc de dæmonibus maxime intelligendum venit illud Psalmi 73. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Ira pariter; est enim leo rugiens, et quærens quem devoret, inquit S. Petrus: unde Christus Dominus Joannis 8. Phariseos alloquens ait: *Vos ex Patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere, ille homicida erat ab initio:* quapropter recte monuit S. Joannes Apocalypsis 21. *Væ terræ, et mari, quia descendit diabolus ad vos habens magnum iram.* Invidia denique, nam inquit Sapiens cap. 2. *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum.* — Quæritur autem quonam ex illis motibus ductus fuerit dæmon, ut primos parentes impugnaret et expugnaret.

Notandum 2. Ex Hugone a S. Victore *in Annotationibus in Matthæum*, cap. 3. et 4. « Quod *superbia* est amor propriæ excellentiæ; « *invidia* est livor alienæ felicitatis; *ira* est irrationabilis perturbatio « mentis.... Per *superbiam* bonum ad proprietatem amatur: superbus « enim gaudet se habere quod alius non habet; vel ut habeat quod « alius non habet: propterea igitur, quia excellentiam ad proprietatem « amat, odit communionem, et nascitur invidia filia superbiæ. *Invidia* « quippe odium est felicitatis alienæ, quæ de superbia nascitur; non « enim tibi displicere poterat id alium habere, nisi quod tu prius solus « habere voluisti: propterea lædit te, et gravis est tibi aliena felicitas, « quia in ea tibi tuus ostenditur defectus, et ex ea argueris non esse, « quod vel esse gaudebas, vel concupieras ut esses. In *superbia* igitur « injuste delectaris: in invidia juste cruciaris: in superbia perverse « tibi placet, quod tu es; in invidia inique tibi displicet, quod alius « est.... In hoc nonnihil justitiæ invidia habere cognoscitur, quod qui « injuste agit, juste punitur. Post hanc sequitur *ira*, hoc est irratio- « nabilis perturbatio mentis, quæ ira dicitur, cum malum illatum pati « dedignaris, idcoque turbaris impatientia agitatus, quia non substines « adversitatem. Est autem bona ira, qua dedignaris malum facere: « mala vero, qua dedignaris malum pati: illa respuit culpam, ista « non suscipit justitiam: propter hoc mala ira ex adversitate occur- « rente turbatur, et impatientia quietem mentis exagitat: neque stare « jam vult animus ad tolerantiam pœnæ, quæ justa est, quemadmo- « dum prius stare noluit per continentiam culpæ, quæ injusta est. « Auget enim miseriam, dum cruciatum carnis suscipit ad dolorem « mentis. »

Notandum 3. Trium præfatorum vitiorum invidiam esse magis cruciativam, et afflictivam: unde recte monet S. Bernardus, tractatu *De interiori domo*, cap. 33. *Tristius invidia nihil est, quæ protinus ipsum*

auctorem torquet, discruciatque suum. Omnino igitur fugienda est, et execranda : quoniam in illa Deus offenditur, proximus lœditur, animus affligitur: Invidia etenim semper torquet possessoris sui animum, quamvis sæpe lædere non possit suum, erga quem sœvit, proximum. Quapropter S. Augustinus lib. *De disciplina Christiana*, cap. 1. invidiam *vitium diabolicum* appellat, *Avertat*, inquit, *Deus invidiæ pestem ab animis omnium, nedum Christianorum ; vitium enim diabolicum est, quo solo diabolus reus est, et inexplicabiliter reus : non enim dicitur diabolo ut damnetur, quia adulterium commisisti, furtum fecisti, vitam alienam rapuisti : sed quia homini stanti, tu lapsus continuo invidisti.* His ita prælibatis, sit

Conclusio unica. — Diabolus duobus maxime vitiis motus est ad tentandum hominem in Paradiso superbia videlicet, et invidia. Hæc est Seraphici Doctoris in 2. dist. 20. q. 1. ubi ait : mens diaboli ab his duobus vitiis possessa, videlicet superbia et invidia, videns hominem in statu quo poterat cadere sub diabolicam potestatem, et in quo poterat ascendere ad supernam felicitatem ex qua ipse ceciderat. ex superbia motus est, et ex invidia, ut ipsum a superna felicitate impediret. Superbia quidem fuit motivum primum, invidia vero proximum et immediatum : esto enim quod non posset dominium super hominem acquirere, adhuc studuisset ipsum a Paradisi gaudiis impedire. Hæc Seraphicus Doctor. Quod mirum in modum expendit. et confirmat S. Augustinus, lib. 11. *De Genesi ad litteram*, cap. 14. *Nonnulli*, inquit, *dicunt ipsum ei casum a supernis sedibus accidisse, quod inviderit homini facto ad imaginem Dei; porro hæc invidia sequitur superbiam, non præcedit : non enim causa superbiendi est invidentia : sed causa invidendi est superbia. Cum igitur superbia sit amor excellentiæ propriæ ; invidia vero sit odium felicitatis alienæ, quod inde nascatur satis in promptu est : amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quod ei coæquantur : vel inferioribus, ne sibi coæquentur ; vel superioribus, quod eis non coæquetur : superbiendo igitur invidus, non invidendo superbus est.* — Qua autem de causa diabolus homini inviderit, varii varia proferunt. Sanctus namque Bernardus arbitratur hujus diabolicæ in homines invidiæ fomitem subjecisse cognitionem illam, quam Deo revelante dæmon acceperat, Verbum divinum fore incarnandum, ut Deus homo, hominum simul, ac Angelorum caput esset. — Sunt qui arbitrentur propterea diabolum homini invidisse, quod Deus ipsum constituerit totius mundi Monarcham. Ita censet Anastasius Synaita cap. 4. *Cum igitur Deus*, inquit, *aspectabilem hunc mundum fabricaret, hoc est Cœlum, ac Terram, quæque terra continentur, arbitrabatur diabolus, ut quidam Doctorum ait, se a Deo constitutum iri Regem ac Dominum aspectabilis Creaturæ. Postquam autem productum Adamum vidit, et a Deo collatum ipsi terrenarum omnium rerum dominatum, ægre hoc ferens, et invidens homini, decepit ipsum.* Huic sententia subscribit Tertullianus, lib. *De Patientia*, cap. 5. tametsi impatientiæ hoc ascribat, quod invidiæ ceteri : *Igitur*, inquit, *natales impatientiæ in ipso diabolo deprehendo, jam tunc eum Dominum Deum universa opera, quæ fecisset imagini suæ, idest homini, subjecisse impatienter tulit : nec enim do-*

luisset, si substinuisset: nec invidisset homini, si non doluisset. Ideo decepit eum, quia inviderat; inviderat autem, quia doluerat: doluerat, quia patienter utique non tulerat, etc. Quæ omnia eleganter expendit Prudentius in *Hamartigenia*, ubi docet diabolum invidia in recenter creatum hominem exarsisse:

Arsit enim scintilla odii de fomite zeli,
Et dolor ingenium subitus constavit iniquum.
Viderat argillam, simulacrum et fructile statu
Concaluisse Dei: Dominum quoque conditione,
Qui cunctum proprio regeret moderamine Mundum.
Impositum naturæ Soli, pelagique, polique,
Ut famulans homini locupletem fundere partum
Nosset, et effusum terreno addicere Regi:
Instavit fermento animi stomachante tumorem
Bestia, deque acidis vim traxit acerba medullis.

Affirmant alii, et quidem, ut mihi videtur, rectius, dæmonem idcirco invidia in hominem exarsisse, quod videret eum in Cælum, unde ipse dejectus est, deducendum esse. Quod egregie explicat S. Ambrosius lib. *De Paradiso*, c. 12. ubi expendens illud Sapientiæ 2. *Invidia diaboli mors introivit in Orbem terrarum*, ait: *Invidiæ autem causa beatitudo hominis in Paradiso positi; et ideo quoniam ipse diabolus acceptam gratiam tenere non potuit, invidit homini, eo quod figuratus e limo, ut incola Paradisi esset, electus est. Considerabat enim diabolus, quod ipse, qui fuerat superioris naturæ, in hæc sæcularia et mundana ceciderat: homo autem inferioris naturæ sperabat æterna. Hoc est ergo quod invidet, dicens: Iste inferior adipiscetur, quod ego servare non potui? De terrenis migrabit ad Cælum, cum ego de Cælo lapsus in terram sim? Multas vias habeo quibus hominem decipere possim: de limo factus est, terra ei mater est, corruptibilibus involutus est: etsi anima superioris naturæ, tamen et ipsa lapsui potest esse obnoxia, in corporis carcere constituta, quando ego lapsum vitare non potui.* — Ita subscribit S. Gregorius Papa in lib. *Pastoralis*, par. 3. c. 11. similiter expendens eadem verba Sapientiæ: *Invidia autem diaboli, etc. Quia enim*, inquit, *ipse malignus spiritus adversarius noster Cælum perdidit, condito ad hoc homini invidit, et damnationem suam perditus adhuc alios perdendo cumulavit.* Illis pariter concinit S. Augustinus, lib. 10. *Confessionum*, c. 36. *Instat*, inquit, *adversarius veræ beatitudini nostræ: ubique spargens in laqueis*, euge, euge, *ut dum aride colligimus, incaute capiamur... atque isto modo sui similes factos secum habeat, non ad concordiam charitatis, sed ad consortium supplicii.* — ✻ "Eleganter ista omnia describit Alcimus Avitus Viennensis episcopus, lib. 2. *Poëmatum*, ubi dæmonis in homines recens conditos livorem et invidiam describit in hunc modum:

Vidit ut iste novos homines in sede quieta
Ducere felicem nullo discrimine vitam,
Lege sub accepta Domino famulari Orbis,
Subjectisque frui placida inter gaudia rebus:

Commorit subitum zeli scintilla vaporem,
Excrevitque calens in sæva incendia livor.
Vicinus tunc forte fuit, quo concidit alto,
Lapsus, et innexam traxit per prona catervam.
Hoc recolens, casumque premens in corde recentem,
Plus doluit periisse sibi quod possidet alter.
Tunc mixtus cum felle pudor sic pectore questus
Explicat, et tali suspiria voce relaxat.
Pro dolor, hoc nobis subitum consurgere plasma,
Invisumque genus nostra crevisse ruina!
Me celsum virtus habuit, nunc ecce rejectus
Pellor, et angelico limus succedit honori,
Cœlum terra tenet, vili compage levata
Regnat humus, nobisque perit translata potestas.
Non tamen in totum periit: pars magna retentat
Nec differre juvat: jam nunc certamine blando
Congrediar, dum prima salus, experta nec ullos
Simplicitas ignara dolos, ad tela patebit.
Et melius soli capientur fraude, priusquam
Fœcundam mittant æterna in sæcula prolem.
Immortale nihil terra prodire sinendum est,
Fons generis pereat, capitis dejectio victi
Semen mortis erit: pariat discrimina leti
Vitæ principium: cuncti feriantur in uno:
Non faciet vinum radix occisa cacumen.
Hæc mihi dejecto tandem solatia restant,
Si nequeo clausos iterum conscendere cœlos,
His quoque claudentur: levius cecidisse putandum est,
Si nova perdatur simili substantia casu,
Si comes excidii subeat consortia pœnæ,
Et quos prævideo nobiscum dividat ignes.
Sed ne difficilis fallendi causa putetur,
Hæc monstranda via est, dudum quam sponte
Cucurrit in pronum lapsus: quæ me jactantia regno
Depulit, hæc hominem Paradisi limine pellet.
Sic ait, et vocem gemitus clausere dolentis." ✳

Dices 1: Invidia est respectu boni, quod invidens potest acquirere: sed diabolus non poterat æternam beatitudinem adipisci: ergo propter illius adeptionem homini non invidebat. — **Nego majorem:** quia, ut inquit Seraphicus Doctor *loco laudato, ad secundum,* non solum invidet aliquis illud quod potest obtinere; sed etiam illud quod natus est habere, quamvis non possit; sicut truncatus, et cæcus invidet aliis visum, et progressum. Licet autem diabolus non possit ad beatitudinem pervenire, ad eam tamen naturalem habet inclinationem, idcirco invidet eis, qui ad eam obtinendam destinantur.

Objicies 2. Invidia est respectu boni, quod desideratur; nullus enim invidet alicui propter aliquid, nisi quia illud amat, et cupit: sed diabolus non cupiebat mandatis Dei obedire, nec ad supernam

patriam ascendere, nec amicus Dei fieri; siquidem in desperationem lapsus est: ergo hac de causa homini non poterat invidere. — **Respondet ibidem Seraphicus Doctor**, quod invidia non solum est respectu boni desiderati, sed etiam respectu ejus boni cujus obtentu minuitur bonum desideratum, vel æstimatur minui: cum autem diabolus propter superbiam efferri, et sublimari desideraret, ideo per exaltationem hominis suum bonum impediri existimabat, et ideo invidit, et ex invidia oppugnavit primos Parentes.

Instabis: Invidia, ut dictum est, non est nisi respectu ejus, quod natum est diminuere bonum proprium: sed beatitudinis acquisitio nullius bonum potest diminuere: ergo non potest esse motivum invidiæ. — **Respondeo** quod etsi hominis beatificatio et exaltatio revera non minuat alicujus bonum, tamen secundum æstimationem factam (inquit Seraphicus Doctor ibidem) credi potuit illam hominis glorificationem esse boni a dæmone desiderati diminutivam, et ex illa falsa æstimatione oriri potuit invidia: affectiones enim non tantum oriuntur ex judiciis certis, sed etiam ex suspicationibus, et æstimationibus falsis.

QUÆSTIO TERTIA.

QUIS FUERIT SERPENTINÆ TENTATIONIS PROGRESSUS ET ORDO.

Notandum 1. Ex Hugone a S. Victore *Annotatione in lib. 4. Reg. cap.* 14. quatuor generatim esse tentationem modos: « Primo enim, « inquit, tentatio est *levis, sed occulta,* quando videlicet aliquis le- « viter tentatur, et tamen nondum intelligit, an malum sit illud, de « quo tentatur: v. g. quando aliquis de officio, sive prælatione leviter « tentatur, levis tentatio est et occulta, quia nescit an sibi expe- « diat id quod desiderat. *Alia est tentatio levis, sed manifesta,* quando « aliquis leviter, sed manifeste de malo tentatur: v. g. quando ali- « quis de fornicatione leviter tentatur: tentatio levis est, quia leviter « tentatur, et manifesta, quia manifeste de malo est. *Alia est gravis « tentatio, et occulta,* quando aliquis graviter tentatur, et tamen non « novit, an noxium sit sibi illud, de quo tentatur: v. gr. quando « aliquis de prælatione, vel aliquo ministerio graviter tentatur; gravis « est tentatio, quia graviter tentatur: occulta vero dum nescit, quod « ibi lateat diabolica fraus, ad hoc enim diabolus de exaltatione ten- « tat, ut per exaltationem magis corruat ad damnationem. *Alia de- « nique est tentatio gravis, et manifesta,* quando aliquis graviter, et « manifeste de malo tentatur: v. g. quando aliquis de fornicatione « graviter tentatur, tentatio gravis est, quia graviter tentatur; et ma- « nifesta, quia manifeste de malo est. Quos omnes tentationis modos « Psalmista bene designat, ubi dicit Psalmo 90. *Non timebis a timore « nocturno: a sagitta volante per diem: a negotio perambulante in te- « nebris: ab incursu, et dæmonio meridiano:* tentatio enim levis, sed « occulta, timor est nocturnus: tentatio levis, et manifesta, sagitta « volans in die: tentatio gravis, et occulta, negotium perambulans « in tenebris: tentatio autem gravis, et manifesta, incursus, et dæmo- « nium meridianum ».

Notandum 2. Ex Seraphico Doctore in 2. dist. 21. ad dubium 3. « Tentationem quinque modis considerari posse: scilicet quantum ad « motivum, quantum ad instrumentum, quantum ad effectum, quan- « tum ad gradum, et quantum ad modum. *Primo quidem, quantum « ad motivum* considerari potest, vel generaliter, vel specialiter. Si « generaliter, sic tentatio dividitur in eam, quæ est *ab hoste*, et *a « carne*, et *a mundo*, ut dicitur in quadam Sequentia: *Mundus, caro, « dæmonia, diversa movent prælia.* Si specialiter, ita quod motivum « dicatur non solum id quod movet per modum objecti, sed etiam « quod inducit et excitat per modum impulsivi, sic recte dividitur « tentatio in eam quæ est *ab hoste*, et in eam quæ est *a carne*, quo- « niam utrumque ad malum incendit. — Similiter *quantum ad instru- « mentum*, tentatio considerari potest dupliciter: *Primo* quidem ge- « neraliter, et sic est illa divisio S. Gregorii, nempe quod tentatio « quædam est *per vitia*, quædam *per flagella:* secundo specialiter, et « sic est illa divisio tentationis, quam ponit glossa super illud, *omnem « escam abominata est, etc.* ubi dicitur quod quadruplex est tentatio: « quarum *prima* est error, sive nescientia viæ veritatis: *secunda*, « difficultas vincendarum concupiscentiarum: *tertia*, tædium boni: « *quarta*, tempestas sæculi. — Tertio modo, scilicet *quantum ad effe- « ctum*, consideratur pariter tentatio, vel generaliter, et sic est duplex: « alia nempe *diabolica*, alia *humana:* quarum prima terminatur ad « mortale peccatum: secunda vero, vel ad nullum, vel solum ad ve- « niale, ut habet glossa super illud: *Tentatio vos non apprehendat, etc.* « Si specialiter, sic est illa divisio S. Augustini dicentis lib. *De Do- « ctrina Christiana*, quod diabolus tentat, *aut rexando carnem, aut « vulnerando naturalia, aut expoliando gratuita.* — Si autem conside- « retur tentatio *quantum ad gradum*, fieri etiam potest dupliciter: si « generaliter, tentatio alia est exterior, alia interior: si specialiter « tentatio perficitur tripliciter, nempe suggestione, delectatione, et « consensu, ut inquit S. Gregorius super illud Jacobi: *Unusquisque « tentatur a concupiscentia, etc.* — *Denique* si consideretur tentatio *quan- « tum ad modum tentandi*, hæc consideratio fieri potest vel genera- « liter, vel specialiter. *Si generaliter*, id fit, vel explicite, vel impli- « cite. *Si implicite*, sic sunt quatuor gradus tentationis supra assignati « ab Hugone. Si autem *explicite*, sic est illa quam ponit S. Bernardus « per septem membra: quarum *prima est importuna*, scilicet quæ « procaciter insistit. *Secunda dubia*, scilicet quæ animum dubietatis « nebula involvit. *Tertia est subita*, scilicet quæ judicium rationis « prævenit. *Quarta occulta*, quæ scilicet deliberationis ordinem præ- « terfugit. *Quinta violenta*, quæ vires nostras transcendit. *Sexta frau- « dulenta*, quæ scilicet animum seducit. *Septima perplexa*, quæ variis « vitiis impedit. Si autem consideretur specialiter tentatio, prout con- « trahitur ad tentationem diaboli, sic modi ejus possunt dupliciter « assignari: vel implicite, et sic dividit S. Augustinus dicens in quo- « dam sermone, quod diabolus tentat ut *Leo*, tentat ut *Draco:* vel « explicite, et sic illa divisio Gregorii super Job, ubi ait: *Fideli fa- « mulo Dominus cunctas hostis callidi machinationes insinuat*, sci- « licet, *quod opprimendo rapit, insidiando circumvenit, minando ter- « ret, suadendo blanditur, desperando frangit, promittendo decipit.* »

Notandum 3. Quod etsi Eva recens a Deo formata, divinis gratiæ donis, et humanæ sapientiæ muneribus illustrata fuerit, necnon et instituta mundi sublunaris Regina, animantium princeps, mater futura totius generis humani, supernorum Angelorum æmula, Cælique, ac sempiternæ fruitionis Dei candidata: nihilominus longe minor fuit ejus perfectio quam Adami, ad eam namque non pertinebat habere certissimam, et perfectissimam omnium animalium, omniumque proprietatum, virtutum, et facultatum eorum scientiam: sed habere cognitionem rerum agendarum, et eorum, quæ spectant ad rei familiaris administrationem, et ad officia omnia, quæ erga maritum, et liberos tractanda et perficienda erant: inde mirum non est, quod serpentem secum loquentem non obstupuerit; nam, ut docent SS. Bonaventura, et Thomas in 2. dist. 21. existimare potuit spiritum aliquem Angelicum in serpente latitantem sibi esse benevolum, suæque utilitati bene consulere. Vel quia recens condita nesciebat facultatem loquendi nulli animali naturaliter esse datam: nam et novitas rerum, et inexperientia ipsius Evæ, et quod perfectio conditionis muliebris perfectam omnium rerum naturalium scientiam minime deposceret, ejus nescientiæ causa fuit. Cur autem dæmon in serpente latitans Evam prius quam Adamum impugnaverit, quave arte illam expugnaverit, hic est determinandum.

Conclusio prima. — Sagaci ad decipiendum malitia diabolus primo mulierem tentavit, ut ea expugnata facilius Adamum impugnaret, et dejiceret.

Hæc patet evidenter ex Scriptura sacra, constatque aperte ex Moysis narratione, qua refert *Gen.* 3. Evæ cum serpente colloquium, subditque: *Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile, et tulit de fructu illius, et comedit, deditque viro suo.* Unde *Ecclesiast.* cap. 25. scriptum est: *A muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur.* Tentavit autem dæmon prius Evam, quam Adamum, quod eam nosset *primo,* faciliorem ad credendum, *secundo* infirmiorem ad resistendum; *tertio* ad causam procliviorem. Hoc autem ei notum erat ex imbecilliori et ignobiliori constitutione corporis, et natura sexus, ex minori præstantia et perfectione donorum naturalium, et quia fœminam Deus propter virum fecerat; ipsum autem Adamum sciebat in omnibus rebus instructiorem esse, firmioremque ad resistendum: unde existimavit quod persuasa et decepta muliere, per eam facile Adamum ad peccatum impelleret.

Hanc veritatem luculenter explicant sancti Patres, imprimis S. Augustinus lib. 11. *De Civit. Dei,* cap. 11. *A fœmina,* inquit, *parte scilicet inferiore illius humanæ copulæ incepit, ut gradatim perveniret ad totum, non existimans virum facile credulum, nec errando posse decipi; sed dum alieno cedit errori.* Hinc S. Ambrosius Sermone 15. in Psalmum 118. docet diabolo visum esse quod amor mulieris fortior esset ad virilem animum subruendum, quam propria sua venena, et diabolici insultus: *Serpens ille callidus, et astutus,* inquit, *ad consuendas nequitiæ suæ artes, fœmineis magis illecebris, quam suis commisit venenis. Itaque fœmina virum, quem serpens tentare non est*

ausus, molli quadam, et conciliatricula amatoriæ sedulitatis affectione traduxit. Subscribit Odo lib. 3. Moralium in Job; ubi innuere videtur tentationem per fœminam vehementiorem esse, quam per diabolum; loquens enim de tentatione Job a muliere facta, postquam a dæmone tentatus fuerat, ait: *Antiquus hostis humanum genus duobus modis tentare consuevit, ut videlicet corda stantium, aut tribulationibus frangat, aut persuasionibus molliat: in utrisque ergo contra beatum Job se vehementer exercuit; nam Patrifamilias intulit damna rerum; victusque ad subtilia tentandi argumenta convertitur: cor igitur mulieris tenuit, et quasi scalam quod ad cor viri ascendere posset, invenit.*

Idipsum probat Seraphicus Doctor in. 2. *dist.* 21. *qu.* 3. duplici ratione; quarum « *prima* petitur ex parte sapientiæ Dei: *secunda* ex « parte astutiæ diaboli. Prima, inquam, *ex parte sapientiæ Dei:* Do- « minus enim tali ordine permisit diabolum tentare; *tum* propter viri « exercitationem; *tum* etiam ne mulier haberet excusationem; *tum* « etiam propter eruditionem nostram. *Propter viri exercitationem*, quia « ipse adeo fortis erat, et spirituali mente præditus, quod non solum « poterat resistere serpentis tentationi, sed etiam suggestioni mulieris; « et ideo fortiori tentatione permissus est tentari. *Propter mulieris vero « removendam excusationem* primo debuit ab ipsa tentatio incipere: « nam si vir primo peccasset, cum vir sit caput mulieris, et domi- « netur ei, non esset multum mirandum, si mulier ei consentiret, « imo magnum haberet excusationis colorem. *Propter nostram eruditionem* etiam hoc permissum est: in illo enim modo tentandi sen- « sibili cognoscimus nos modum et progressum tentationis invisibilis; « et sicut ille a serpente venit ad virum mediante muliere; sic iste a « sensualitate pervenit ad superiorem portionem rationis mediante in- « feriori. » *Ex parte similiter astutiæ diaboli* potest sumi ratio: « Dia- « bolus attendebat mulierem esse 1. minoris sapientiæ. 2. debilioris « constantiæ. 3. importunioris adhærentiæ. *Quia minoris sapientiæ*, « erat facilior ad seducendum; et ideo diabolus seductor per eam vo- « luit sibi facere transitum ad virum. *Quia debilioris constantiæ*, fa- « cilior erat ad pervertendum: et ideo diabolus expugnator aggressus « est hominis civitatem ex ea parte, ex qua erat aditus minus mu- « nitus. *Quia vero importunioris erat adhærentiæ*, cogitavit diabolus « quod si ipsa primo vinceretur, non quiesceret, quousque perverteret « virum: unde dicitur de muliere, quod *laqueus est venatorum, et sa- « genator ejus, vincula sunt manus illius.* Propterea diabolus astutus « impulsor incepit a sexu fœmineo. Et sic patet quod, sicut dicit Scri- « ptura, per omnem modum congruum fuit tentationem incipi a mu- « liere: tum quia hoc diaboli astutia expectabat: tum quia hoc divina « providentia disponebat. » Hæc Seraphicus Doctor.

Dices 1: Non majorem habebat Eva pronitatem ad peccandum, quam Adamus; siquidem pari cum ipso donabatur innocentia, gratia et sapientia; nec in ea sensitivus appetitus adversus animam repugnabat: ergo facilius non erat dæmoni Evam tentando expugnare, quam Adamum: nulla igitur apparet ratio cur dæmon potius mulierem, quam virum tentare debuerit. — **Respondeo**, equidem Evam non habuisse majorem ad peccandum pronitatem, quam Adamus; non tamen æqualem cum eo stabilitatem, et firmitatem obtinebat; *Quamvis*

enim non haberet curvationem in effectu, nec deceptionem in aspectu, inquit Seraphicus Doctor, *facilius tamen poterat cadere quam vir, in quo et natura erat fortior, et gratia creditur fuisse abundantior.*

Dices 2: Majus est dedecus, ac vituperium vinci a muliere, quam a viro, et longe gloriosius est virum vincere quam mulierem: cum ergo diabolus affectu superbiente gloriam avidissime expetat, congruentius videbatur, ut virum prius impugnandum quam mulierem adoriretur. — **Respondeo**, equidem nobiliorem esse partam victoriam de viro quam de muliere: verum laudabilius est mulierem luctando superare, quam virum impugnando, succumbere: quoniam autem diabolus timendum habebat, ne si tentationem suam ordiretur a viro, ipsum constanter sibi repugnantem expertus esset, ideo sagaci cautela, et malitia judicavit satius incipiendam tentationem a muliere, quam victu faciliorem judicabat.

Dices 3: Audacis ac generosi animi est fortiores impugnando aggredi: sed diabolus est audacissimus, et procacissimus, maximeque de suis viribus præsumens: non debuit ergo mulierem, sed virum, utpote uxore sua longe fortiorem, adoriri. — **Respondeo**, *Majorem* esse veram, cum generoso animo, et aperta pugna quis adversarium impetit; non autem ubi pugnatur magis astutia quam audacia: diabolus autem non tantum est audax, et procax, inquit Seraphicus Doctor, imo etiam astutus, et fallax: et ideo in tentando non est aggressus viam difficiliorem, sed potius efficaciorem; adeoque debiliorem partem prius censuit impugnandam, ut ea devicta, fortiorem minori negotio expugnaret.

Quæres: *Cur Deus permiserit primos Parentes a dæmone tentari, quos noverat tentatione dejiciendos?*

Respondet S. Augustinus, lib. 11. *De Genesi ad litteram,* cap. 6. ideireo Deum permisisse, *Quia,* inquit, *per tentationem probatur, et exercetur virtus, et est palma gloriosior, non consensisse tentatum, quam non potuisse tentari. Cum etiam ipsi qui deserto Creatore eunt post tentatorem, magis magisque tentent eos, qui in Verbo Dei permanent, præbeantque illis contra cupiditatem devitationis exemplum, et incutiant contra superbiam timorem pium. Unde dicit Apostolus:* intendens teipsum ne et tu tenteris: *Mirum est enim quantum ista humilitas, qua subdimur Creatori, ne tamquam ejus adjutorio non egentes, de nostris viribus præsumamus, per Scripturas omnes divinas cura continua omnibus commendatur. Cum ergo etiam per injustos justi, ac per impios pii proficiunt, frustra dicitur: Non crearet Deus quos præsciebat bonis profuturos, ut et utiles eorum bonis voluntatibus exercendis admonendisque nascantur, et juste pro sua mala voluntate puniantur.*

Quæres 2: *Quomodo serpens accesserit ad Evam: utrum nempe in Paradiso, an extra Paradisum?*

Respondet Rupertus lib. 3. *De operibus Trinitatis,* cap. 2. serpentem extra Paradisum fuisse; *Erat enim,* inquit, *Paradisus propria hominis habitatio, ei pro magna gratia Creatoris data, boni operis, et diligentissimæ custodiæ conditione interposita; nam si serpentibus com-*

munis erat Paradisus, sequitur ut et Lupis, atque Leonibus, ceterisque bestiis non caruerit ille deliciarum locus: et ideo non tantæ beatitudinis existimandus fuerit, ut merito Paradisus voluptatis *appellaretur, et ab ipso Deo plantatus fuisse diceretur. Non igitur serpens, præsertim a diabolo corporaliter invadente possessus, in Paradiso fuit: sed mulier corporis, et vultu vaga, dum incontinenter deambulat, forte prospectans qualis extra Paradisum mundus esset, et dum serpens utpote astutus, dulcedini terræ illius propius, et ambitiosius inhiat, locus diabolo datus est, et occasio breviter porrecta, unde tentaret Evam.* Hæc Rupertus. — Verum reclamat communis fere omnium sanctorum Patrum, ac Theologorum sententia, et satis aperte indicare videtur ipsa Moysis narratio serpentem illum fuisse intra locum Paradisi, utpote qui cum Eva de arbore scientiæ boni, et mali præsente, et in prospectu fuerit confabulatus.

Quæres 3: *Quomodo ipsum serpentis cum muliere colloquium non fuerit notum Adamo?*

Respondeo forte Evam recenter formatam ab Adamo recessisse, et per hortum excurrisse, eo scilicet tempore, quo Adamus ipse cælestium orbium aspectu, totiusque naturæ consideratione, aut ipsius rerum omnium Creatoris Dei contemplatione totus detineretur, nec proinde mulierem sibi a Deo traditam, ut pastorem, et maritum decebat, sedulo curaret et contineret. Quo experimento docentur aliæ conjuges facile a viris non recedere, ne forte in serpentes et tentatores incidant. Unde prudenter non minus, quam pie S. Gregorius Nazianzenus ad Olimpiadem scripsit: *Externa negotia viro committe; noli pedem tuum limine crebro efferre, ne ad publicos ludos, turbamque inconditam proficisci: hinc enim pudor verecundis etiam excutitur, oculusque oculis jungitur, pudoris autem jactura flagitiorum omnium certissima est parens. Domus tibi urbis, ac nemorum instar sit; ne aspectus tui copiam aliis facias, quam propinquis, iisque gravibus et honestis, et sacerdoti, ac senectuti juventute præstantiori; imo nec in piorum virorum, quos tamen maritus tuus a domo sua non arceat, conspectum prodeas, quamvis alioqui eos charos habeas, honoreque prosequaris. Quid enim tantum utilitatis afferre potest, quantum probus maritus, si in eo solum amorem defixeris? Cura etiam, ut ad hominum aspectum erubescas, oculos cæcos, superciliumque humi depressum habens. Hoc tibi insuper summo studio cavendum, ne lingua tua præcipiti, atque effrænato impetu feratur: tacere præstat, quando loqui utile est; quam loqui cum tempus indecoro, atque inhonesto sermone silentium indicit.* Utinam hæc prima mulier observasset, ut nec pedem extra mariti conspectum efferret, nec incaute cum serpente sermonem instituere! utinam, nec sui videndi copiam serpenti faceret, nec serpentem ipsa videret! ab aspectu enim ad sermonem, a sermone ad inobedientiam, et ab inobedientia ad interitum funesto gressu processit.

SECTIO SECUNDA.

DE PRIMARIÆ LEGIS IMPOSITIONE, TRANSGRESSIONE, ET VINDICTA.

Statim ac Deus Protoparentes formavit, et in Paradiso constituit, ut eorum observantiam probaret, hanc eis legem indixit, Adamum alloquens *Genes.* cap. 2. *Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni, et mali ne comedas: in quacumque enim die comederis, morte morieris.* Quam utique legem omnium legum fontem, et velut matricem eleganter Tertullianus appellat, libro *adversus Judæos* c. 1. *Primordialis,* inquit, *lex est enim data Adæ, et Evæ in Paradiso, quasi* matrix omnium præceptorum Dei: *Si enim Deum suum dilexissent, contra præceptum ejus non fecissent: Si proximum diligerent, idest semetipsos, persuasioni serpenti non credidissent, atque ita in semetipsos homicidium non commisissent, excidendo de immortalitate, faciendo contra Dei præceptum: furto quoque abstinuissent, et de fructu arboris clam non degustassent, nec a conspectu Domini sub arbore delitescere gestissent, nec falsum asseverante diabolo, participes efficerentur, credendo ei quod similes Deo essent futuri; atque ita nec Deum offendissent, ut patrem, qui eos de limo terræ, velut ex utero matris figuraverat. Si alienum non concupissent, de fructu illicito non gustassent. Igitur hac generali, et primordiali Dei lege, quam in arboris fructu observari Deus sanxerat, omnia præcepta legis posterioris specialiter indita fuisse cognoscimus, quæ suis temporibus edita germinaverunt: ejusdem est enim postea docere legem, qui ante præmiserat præceptum, quoniam et ipsius est erudire postea, qui ante justos formare instituerat. Quid enim mirum si is auget disciplinam, qui instituit? si is perficit, qui cœpit?* De hac itaque primordiali, et omnium matrice lege agendum est in præsenti sectione: resolvendumque *primo,* qua de causa Deus legem primis Parentibus præscripserit: *Secundo,* qualiter divinam hanc legem fuerint transgressi: *Tertio,* quam grave peccatum hæc transgressio fuerit.

QUÆSTIO PRIMA.

QUA DE CAUSA DEUS LEGEM PRÆSCRIPSERIT PROTOPARENTIBUS NON EDENDI EX FRUCTU ARBORIS SCIENTIÆ BONI ET MALI.

Notandum 1. Quinque genera divinarum legum assignari posse. Prima quidem est *Lex naturalis,* quam Deus cunctis hominibus simul cum ipsa natura indidit, quæ quidem innato cunctis hominibus rationis lumine innotescit, omnesque pariter obligat: cujus quidem legis generalia præcepta sunt, aliquod supremum Numen esse colendum, nec alteri faciendum, quod quisque sibi fieri non vult. Secunda est *Lex supernaturalis* fidei, spei, et charitatis, cunctos quidem homines, et omni tempore simpliciter obligans, non tamen naturali modo, sed supernaturali Dei munere, et gratia hominibus data. Tertia fuit *Lex Mosaica,* quam Deus non omnibus, sed uni tantum genti Hebræorum tulit: cujus videlicet observantia cetera gentes minime obligabantur.

Loquor autem de lege Moysis, quantum ad cæremonialia et judicialia ejus præcepta. Quarta *Lex divina* non quidem omni tempore, nec simpliciter obligans, sed tantum ex institutione Dei post Evangelii promulgationem omnes gentes obstringens, qualis est lex suscipiendi baptismi. Quinta est *Lex privata*, quam Deus uni aut alteri, paucisve hominibus imposuit: et hujus generis fuit ea lex, qua Deus interdixit Adæ esum illius arboris scientiæ boni et mali, hac enim lege certum est adstrictos fuisse primos hominum Parentes.

Notandum 2. Quod etsi præceptum non comedendi ex fructu arboris scientiæ boni et mali soli Adæ videatur datum; nihilominus etiam Evæ injunctum fuit. Quapropter Eva serpentem alloquens *Gen.* 3. ait: *De fructu lignorum quæ sunt in Paradiso, vescimur; de fructu vero ligni, quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus*, etc. Fatetur ergo sibi et marito præceptum illud fuisse a Deo impositum. — Tripliciter autem cogitari potest mandatum illud utrique Parenti fuisse injunctum: vel quia uterque Deum præcipientem et prohibentem audivit; vel quia primo datum fuit illud præceptum Adamo, et per eum significatum Evæ; vel denique, quia primum fuerat intimatum Adamo, postmodum autem ipsi et uxori fuerit denuntiatum. Secundum modum sibi magis probari affirmat S. Augustinus lib. 8. *De Genesi ad litteram*, cap. 17. idque consonare videtur narrationi divinæ Scripturæ, quæ, ubi retulit hominem fuisse a Deo positum in Paradiso, statim subjicit, ipsi impositum fuisse hoc præceptum, deinde formationem Evæ commemorat, quibus significari videtur præceptum hoc Adamo fuisse impositum, priusquam Eva formaretur. — Censent nihilominus aliqui, simul utrique Parenti datum fuisse illud præceptum, idque significari videtur in Versione 70. Interpretum, quæ ubi Vulgata nostra præceptum illud refert in numero singulari, per pluralem numerum illud effert, scribens: *Ne comedatis, morte moriemini:* idque demonstrari videtur capite 1. *Genesis*, ubi narrat Moyses, Deum Adamo et Evæ dixisse: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, etc. ut sint vobis in escam.* Ex quo sic licet arguere: quando Deus hæc illis dixit, vel jam datum erat præceptum de non edendo fructu arboris scientiæ boni et mali, vel non. *Non primum*, alioquin per hæc posteriora verba, quibus permittit esum omnium fructuum, et olerum absque ulla restrictione, Deus visus fuisset abrogare priorem legem de non edendo fructu arboris scientiæ boni et mali. *Si secundum*, ergo jam condita erat Eva quando præceptum hoc datum fuit: adeoque utrique Parenti simul potuit significari. Idcirco autem solius Adæ, cui datum fuerat præceptum, nomen expressit Moyses, juxta Vulgatam nostram editionem, quia nempe soli Adamo principaliter datum fuerat, utpote cum ex ejus præcepti observantia, aut transgressione pendebat conservatio, vel jactura acceptæ felicitatis, tam pro ipso Adamo, quam pro ejus posteris.

Notandum 3. Conveniens fuisse ut præceptum primis Parentibus impositum, partim esset observatu difficile, partim vero facile. *Difficile* quidem, ut idoneam bene merendi de Deo materiam homini subministraret: *facile* vero esse oportuit, ne si nimis fuisset arduum et durum, tristitiam atque molestiam attulisset homini, quod utique felicissimo innocentiæ statui minime congruebat. — *Difficultas* autem

hujus præcepti in duobus maxime versabatur: *Primo,* quod prohibitio de non edendo ex illa arbore, minuere videbatur hominis libertatem, et imperium in corporea quæque: *Secundo* ex eo quod per ipsum interdictum vetabatur homini esus ex arbore maxime spectabili, visuque pulcherrima, ad cujus fructum concupiscendum plurimis illiciis hominis animus rapiebatur, eoque difficilior videbatur ejus arboris abstinentia, quo majori suæ pulchritudinis illectu hominis appetitum provocabat. — *Facilitas* autem illius præcepti ex tribus constabat: *Primo* quidem, quia unius dumtaxat arboris esus prohibebatur, cum aliunde haberet homo facultatem edendi ex aliis omnibus arboribus, quibus hortus ille deliciarum consitus et refertus erat. *Deinde* facilitas ejus interdicti servandi apparet ex eo, quod cæteræ arbores, ex quibus edendi facultas licebat, cum illa interdicta arbore, aut æqualis erant pulchritudinis, suavitatis, et utilitatis; imo etiam longe præstantioris; siquidem melior erat, atque præstantior *arbor vitæ* concessa homini, vel certe mox concedenda. *Tertio* denique hujus præcepti levitas, et facilitas apparet ex comparatione probationis Adæ cum tentatione, ac probatione, vel Abrahæ, vel Jobi, vel Martyrum. — Quanto autem facilior fuit hujus præcepti observatio, tanto gravior, et inexcusabilior fuit ejus transgressio, ut eleganter expendit et exponit S. Augustinus, lib. 14. *De Civit. Dei*, cap. 15. *Quisquis,* inquit, *damnationem Adæ, vel nimiam, vel injustam putat, metiri profecto nescit, quanta fuerit iniquitas in peccando, ubi tanta erat non peccandi facilitas. Sicut enim Abrahæ non immerito magna obedientia prædicatur, quia ut occideret filium res difficillima est imperata: ita et in Paradiso tanto major inobedientia fuit, quanto id quod præceptum est, nullius difficultatis fuit. Et sicut obedientia secundi hominis eo prædicabilior fuit, quo factus est obediens usque ad mortem: ita inobedientia primi hominis eo detestabilior fuit, quo factus est inobediens usque ad mortem.* — ✻ " Hujus legis æquitatem et facilem observantiam sic describit Alcimus Avitus supra laudatus his versibus:

Interea primi, Summus quos junxerat Auctor,
In paradisiaca ponuntur sede parentes.
Tum Rector tali proponit præmia lege:
O summum factoris opus, quos sola creavit
Nostra manus, nasci cum cætera voce juberem,
Aspicitis quanto pulcherrimus ubere lucus,
Per multas famuletur opes? Hæc cuncta dabuntur
Ad vestros sine fine cibos, hinc esca petatur:
Sumite concessas fruges, et carpite poma.
Hic operis dulci studio secura quiescat
Deliciisque fruens longævo in tempore vita.
Est tamen in medio nemoris quam cernitis arbor,
Notitiam recti pravique in germine portans:
Hujus ab accessu vetitum restringere tactum
Nec vos forte premat temeraria discere cura
Quod Doctor prohibet: melius nescire beatis
Quod quæsisse nocet: testor quem fecimus orbem,
Quod si quis vetitum præsumpserit arbore pomum,

Audax commissum mortis discrimine pendet.
Non immensa loquor, facilis custodia recti est,
Servator vitam, finem temerator habebit. " ✻

His ita præmissis, tria supersunt in præsenti Quæstione resolvenda: *Primum*, quæ sit legis impositæ primis Parentibus ratio, seu qua de causa Deus legem eis imposuerit: *Secundum*, quæ sit ejusdem legis cautio, hoc est quid illa vetabat: *Tertium* tandem, quæ sit illius legis sanctio, seu quas pœnas illa transgressoribus portendebat. Quæ tria sequentibus in Conclusionibus enucleabuntur.

Conclusio prima. — Varias hujus interdicti causas proferunt sancti Patres, quarum aliquæ minus probandæ videntur.

Primo quidem improbanda videtur Theophili Antiocheni in *secundo ad Autholycum*, ubi affirmat, idcirco prohibitum fuisse esum illius arboris, quod Adamus, cum adhuc esset infans, et ignarus, utilitatem illius arboris nondum percipiebat: *Porro*, inquit, *per id tempus Adamus adhuc infans erat; et idcirco ad illam cognitionem capiendam minus idoneus. Nam et parvulus cum primum natus est, nondum pane vesci potest, sed prius lacte alitur: deinde progressu ætatis ad solidiorem cibum pervenit: hujusmodi ergo quiddam Adamo contigisset.* Verum hæc illa ratio minime probari potest; siquidem supra demonstravimus eximia sapientia, et tum sui, tum rerum cæterarum notitia Adamum fuisse donatum ab ipso suæ formationis exordio.

Præstat itaque imprimis audire Tertullianum, libro 2. *contra Marcionem*, scribentem, idcirco fuisse primis Parentibus legem a Deo præscriptam, ut probe, justeque viverent. *Neque enim*, inquit, *ad vivendum solummodo produxerat hominem, ut non ad recte vivendum, in respectu scilicet Dei, legisque ejus. Igitur vivere quidem ille ipsi præstiterat facto in animam vivam; recte vero vivere demandarat admonito in legis obsequium.* — S. Chrysostomus, Homilia 16. in *Genesim*, affirmat primarium illius divini mandati finem hunc fructum fuisse, ut se Deo ac Domino subjectum, et obnoxium esse homo sentiret; neque suo sibi jure et arbitrio vivendum, sed alienæ potestati et imperio parendum. *Parvo illo præcepto*, inquit, *suum in ipsum dominatum ei voluit ostendere.* Quod utique eleganti similitudine mox explicat. *Quemadmodum*, ait, *munificus aliquis dominus ædes amplas, et magnificas cuipiam fruendas concedens, non justum illarum pretium, sed ejus exiguam particulam vult accipere, ut et sibi dominii jus integrum servet, et usuarius iste certo sciat non se ædis esse dominum, sed illius beneficio ac liberalitate utendam se eam accepisse, sic Dominus noster, cum quidquid aspectabile est, homini commisisset, eique tum in Paradiso domicilium, tum ejus delicias ad fructum animi tribuisset; ne paulatim animo transversum abreptus, ista ipsa, quæ oculis cernuntur, per se, ac temere esse crederet, et supra dignitatis suæ modulum de seipso sentiret, unius illi usum arboris interdixit.* — Ipsi concinit S. Augustinus, lib. 8. *De Genesi ad litteram*, cap. 13. *Denique*, inquit, *a peccante nihil aliud appetitum est, nisi non esse sub dominatione Dei, quando illud admissum est, in quo, ne admitteretur, sola deberet jussio dominantis attendi. Quæ si sola attenderetur, quid*

aliud quam Dei voluntas attenderetur? Dominus quidem cur jusserit, viderit; faciendum est a serviente quod jussit, et tunc forte videndum est a promerente, cur jusserit. Sed tamen ut causam jussionis hujus non diutius requiramus, si hæc ipsa magna est utilitas homini, quod Deo servit, jubendo Deus utile facit quicquid jubere voluerit, de quo metuendum non est, ne jubere quod inutile est possit. Nec fieri potest ut voluntas propria non grandi ruinæ pondere super hominem cadat, si eam voluntati superioris extollendo præponat. Hoc expertus est homo contemnens præceptum Dei, et hoc experimento didicit, quid interest inter bonum, *et* malum, bonum *scilicet obedientiæ,* malum *autem inobedientiæ, idest superbiæ, et contumaciæ, perversæ imitationis Dei, et noxiæ libertatis.* — Hoc ipsum egregie commendat Enarratione in Psal. 70. ubi Deum, et Adamum invicem colloquentes inducit: *Homo,* inquit, *positus sub præcepto audivit a Domino Deo:* Noli tangere. *Quid? Hanc arborem. Quid est enim illa arbor? Si bona est, quare non tango? Si mala est, quid facit in Paradiso? Prorsus ideo est in Paradiso, quia bona est, sed nolo tangas. Quare non tango? Quia obedientem te volo, non contradicentem servum. . . . Serve, audi prius Domini jussum, et tunc jubentis disce consilium: Bona est arbor, nolo tangas. Quare? quia Dominus sum, et servus es: hæc tota causa est. Si parva est, dedignaris esse servus: quid autem tibi expedit nisi esse sub Domino? quomodo eris sub Domino, nisi fueris sub præcepto?* — S. Cyrillus Alexandrinus hunc scopum tradendæ legis fuisse docet, ut homo obnoxium se esse alteri cognosceret, et ne tot bonarum rerum, ac voluptatum affluentia insolentem illum faceret. Cui subscribit Basilius Seleuciensis, Oratione 2. *De Adamo: Ut cum prohibentem intelligis,* inquit, *largitorem una noveris: atque unius subtractio, ejus tibi recordationem suggerat, a quo omnia.* Concinit et Procopius in *Commentario* ad hunc locum: *Cum vellet,* inquit, *Deus hominem reddere immortalem, ne suæ, vel propriæ virtuti, id beneficium acceptum ferret, in hunc modum egit; voluit ut gratias haberet ei, a quo non solum quod sit, sed quod bene sit acceperit. Huic etiam destinavit præsentem vitam ut palæstram, et quasi doctrinam futuræ vitæ.* — Sanctus autem Augustinus solius obedientiæ probandæ gratia præceptum illud Adamo datum esse confirmat: indeque quantum sit inobedientiæ malum esse cognitum, quod cum mala, noxiaque per se arbor illa non esset, nullum aliud in ejus degustando fructu præterquam inobedientiæ malum extitit. *Nec potuit,* inquit, *melius, et diligentius commendari, quantum malum sit sola* inobedientia, *cum ideo reus iniquitatis factus est homo, quia eam rem tetigit contra prohibitionem, quam si non prohibitus tetigisset, non utique peccasset.* Inde lib. 14. *De Civitate Dei,* cap. 12. scribit: *Si quis movetur, ut dixi* (nempe cur prævaricatione Adami tantopere fuerit corrupta humana natura) *non ideo debet existimare leve ac parvum fuisse illud commissum, quia in esca factum est; non quidem mala, et noxia, nisi quia prohibita: neque enim quidquam mali Deus in illo tantæ felicitatis loco crearet, atque plantaret: sed* obedientia *commendata est in præcepto; quæ virtus in creatura rationali* mater *quodammodo est omnium,* custosque virtutum. *Quandoquidem sic facta est, ut ei subditum esse sit utile: perniciosum autem suam, non ejus a quo creata est, facere voluntatem. Hoc itaque de uno cibi*

genere non edendo, ubi aliorum tanta copia subjacebat, tam leve præceptum ad observandum, tam breve ad memoria retinendum; ubi præsertim nondum voluntati cupiditas resistebat, quod de pœna transgressionis subsequutum est, tanto majore injustitia violatum est, quanto faciliore posset observantia custodiri. Addit libro 1. *contra Adversarium legis, et Prophetarum,* capite 14. ab ejus arboris cibo prohibitum fuisse primum hominem, *Ut obedientia commendaretur, quæ maxima est virtus, et ut sic dixerim,* omnium origo, materque virtutum, *in ea natura, cui sic datum est arbitrium liberæ voluntatis, ut eam tamen necesse sit vivere sub potestate melioris.*

* " Hic prætereunda non est impia Porphyrii aliorumque christianæ Religionis impugnatorum cavillatio et argutatio quam dæmone suggerente sic efformabant ; Fructus illius arboris scientiæ ex se aut bonus erat, aut malus: si bonus, cur interdictus? si malus, cur a Deo bono et optimo conditus? Cui sophismati occurrens Severianus Gabalitanus, Orat. 6. respondet fructum illum revera ex natura sua optimum fuisse, nec malum futurum nisi ex eventu, et esu contra interdictum et voluntatem Dei: appellatam autem illam *arborem scientiæ boni et mali,* quod hominis bonum aut malum, nimirum felicitatis ipsius continuatio aut jactura inde esset oriunda; quod his exemplis illustrat Severianus: « Vocatus est in deserto fons unus aquæ, Psalm. 80. 6. « aquæ contradictionis: *Probavi te apud aquam contradictionis.* Num « ergo ejusmodi aquæ indoles erat, ut populum ad contradicendum « ferret? Cur ergo Moyses illa potatus, Deo non contradixit? Quemad- « modum igitur vocata est aqua contradictionis, non quod naturam « ejuscemodi haberet, sed ejus rei causa, quæ in illa accidit. Quia « enim populus ibi contradixit, idcirco aqua contradictionis vocata « fuit. *Rursus,* vidit Jacob Deum, quoad homini videre concessum est, « et vocat nomen loci: *species Dei.* Locus speciem Dei aut formam « non habebat; sed quia illi ibi contigerat, ab ea locum appellavit. « Alius locus *pax Dei* appellatus est. Apparente Angelo Gedeoni, ti- « more correptus est, et ait: *heu me, heu me, moriar: vidi enim An- « gelum Dei.* Cui Angelus: *pax tibi; ne timeas. Et ædificavit,* inquit, « *Gedeon altare,* et vocavit illud: *pax Dei.* Quemadmodum igitur ara, « sive altare ipsum pacem non habebat, sed pacis quæ contigerat ac « data fuerat signum erat; sicut item aqua non habebat contradictio- « nem, sed ex eo quod in illa evenerat, sic vocata est: ita et lignum « scientiam non habebat, sed quia quisquis peccat, in notitiam venit « eorum quæ peccat, nomen illud accepit. Ut rursus sub exemplo lo- « quar, dum quandoque per loca latronibus infesta iter agimus, moris « est dicere: tremenda sunt ista loca. Num rogo locus timorem habet? « Sed propter insidentes ibi latrones ita loquimur. Ad eum etiam mo- « dum, arbor non ea erat indole ut lethiferam ipsa scientiam præsta- « ret, sed ab Adam in illa tragœdia et peccato nomen accepit ». " *

Conclusio secunda. — Solus Esus de fructu arboris scientiæ boni, et mali, non autem ejus visus, aut tactus a Deo fuit primis Parentibus interdictus.

Hoc constat ex cap. 2. *Genesis,* ubi Deus Adamo *præcepit dicens: Ex omni ligno Paradisi comede; de ligno autem scientiæ boni, et mali*

ne comedas. Quibus verbis solus esus, non autem visus, aut tactus cavetur, et prohibetur. Nec refert, quod Eva serpentem alloquens *Genesis* 3. dixerit: *De fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso, vescimur: de fructu vero ligni, quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, et ne tangeremus illud*. Fatentur enim sacri Interpretes illud, *ne tangeremus*, fuisse additum ab Eva, quo magis exaggeraret præcepti gravitatem: jam enim ipsi, persuasione serpentis interius corruptæ, præceptum illud displicere cœperat. *Sicut*, inquit Cajetanus, *mulier prohibita a marito ne domum exeat: respondet: mihi non licet per maritum meum extra cubiculum pedem efferre: exaggerans videlicet displicens sibi præceptum mariti: ita Eva exaggerando divinum præceptum dixit non esse sibi licitum tangere fructum illius arboris.* — Itaque jam vere diabolus in mulieris animum irrepserat: *Primo* quidem excitando in ea cupiditatem vanissimæ libertatis: *Secundo* inspirando illi tædium, et odium istius præcepti, quo factum est ut mulier in falsam ejus præcepti exaggerationem proruperit. Unde perite observat Rupertus lib. 3. *De Trinitate*, cap. 5. Evam tribus modis pervertisse Dei verba, quibus divinum mandatum præscripserat; primo quidem per *additionem*, cum dixit *ne tangeremus*: secundo per *diminutionem*, cum inquit, *ne forte moriamur*, adjunxit enim de suo illud *forte*, quod utique Deus non dixerat: tertio denique per *mutationem*, cum ait: *ex ligno quod est in medio Paradisi*: nam Deus dixerat *ex ligno scientiæ boni, et mali*; in medio namque Paradisi erat etiam arbor vitæ, homini non interdicta. Hinc congrue ait Cajetanus: colligitur quod diabolicum venenum in affectum simul, et intellectum mulieris irrepserat: in affectum quidem, per displicentiam præcepti, unde statim prodiit exaggeratio vinculi, et obligationis ejus: in intellectum vero per hæsitationem futuræ pœnæ, unde prodiit adverbium illud, *ne forte*. — Fateor tamen nonnullos ex sanctis Patribus, cum legem istam referunt, etiam tactum vetitum includere. Sic Gregorius Nazianzenus Oratione 38. *Lex*, inquit, *præceptum erat, tum quibus arboribus utendum illi erat, tum quam minime tangere oporteret*. Hoc ipsum probare videtur S. Augustinus in Psalmum 70. in præcedenti Conclusione laudatus, numero 7. Confirmat etiam S. Alcimus Avitus in libro *De initio mundi*, ubi ista duo *comedere*, et *tangere* pro eodem accipit: dum ita Deum præcipientem facit:

Hujus ab accessu vetitum restringite tactum.

Et mox fœminam respondentem serpenti introducit:

Hæc sola est nemoris medii, quam perspicis, arbor
Interdicta cibis: hæc tantum tangere nobis
Poma, nefas.

Unde quidam putant revera tactum, et esum illius fructus fuisse interdictum Adamo; sed prius a Moyse fuisse prætermissum, et demum in colloquio mulieris cum serpente fuisse repositum; sic opinatur Eugubinus: consentaneum tamen non est existimare Moysem illud Dei præceptum, ut fuit, integrum non retulisse, nec enim Deus cum de

violato præcepto hominem objurgavit, de tactu eum, sed tantum de esu increpavit.

Sunt qui arbitrentur soli Adamo primum a Deo præscriptam fuisse legem, quam referens ad Evam addidit etiam prohibitum fuisse illius fructus tactum, quo majorem Evæ cautionem injiceret, ac longius eam a periculo violandæ legis averteret, ut observat S. Ambrosius cap. 12. libri *De Paradiso : Plerique putant*, inquit, *hoc vitium non esse mulieris, sed Adæ fuisse ; ista Adam dixisse mulieri, dum eam vellet facere cautiorem ut adderet mandasse Deum : neque* tangetis ex eo. *Habemus enim quia Adam, non Eva, mandatum acceperit a Deo, nondum enim mulier formata fuerat.* Verum satius dicendum arbitror eum ipso S. Ambrosio ibidem supra illud : *Non tangetis Deus non dixerat, sed non edetis : sed tamen lapsus incipit esse principium. Nam quæ addidit, vel superfluum addidit, vel addendo de proprio, semiplenum intellexit Dei esse mandatum. Docet igitur nos præsentis series lectionis, neque detrahere aliquid divinis debere mandatis, neque addere.*

Conclusio tertia. — Pœna sancita a Deo ob violationem prædicti mandati fuit denuntiata mors, non solum animæ, sed etiam corporis. Hæc Conclusio tres partes complectitur: *Primo* quod mors fuerit denuntiata in vindictam violati præcepti : *Secundo*, quod non solum illa comminatio intelligenda sit de spirituali morte animæ : *Tertio*, quod maxime accipiatur pro morte corporis.

Primum patet ex 2. cap. *Genesis*, ubi Deus prohibendo esum fructus vetiti, dixit Adamo : *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris :* quibus verbis Deus Adamo denuntiavit certissimum mortis exitium, inquit Pererius lib. 4. cap. 4., volens scilicet eum illiusmodi minis, et pœnæ periculo, velut quodam fræno, cohibere. Tribus enim maxime rebus permoventur homines ad observandas leges sibi latas: *Primo* Legislatoris amore, ac reverentia, cujus præceptis, ob magna beneficia ab eo accepta, vel ob excellentem ejus sapientiam, auctoritatemque, et legitimum in eos imperium, debere se obedientiam agnoscunt : *Deinde*, præmiorum spe, quæ parentibus legi promissa sunt : *Denique*, metu suppliciorum, quibus prævaricatores, et violatores legum subjiciendi, et plectendi sunt : atque hoc postremum expressum est illis verbis: *In quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Majorem enim vim ad commovendos animos nostros habet metus quam spes, comminatio pœnæ quam mercedis promissio, dolor denique quam voluptas. — Cur autem pœnas inferni multo graviores, magisque timendas, quam mortem ipsam, non fuerit Deus Adamo comminatus, triplex ratio reddi potest : *Prima*, quod mortis timor vehementius hominem afficiat quam metus inferni, propterea quod ille sensibus, et affectu humano percipiatur, hic vero sola fide, et revelatione constet. *Deinde* eam pœnam Deus voluit proponere Adamo, quam si præceptum violasset, necessario tam ipse, quam ejus posteri subiissent ; tametsi postea ille resipisceret, et peccati sui pœnitens ad Dei gratiam rediret : hujusmodi autem pœna fuit mors corporis, quam nec Adamus, nec ullus ex ejus posteris vitare potuerunt ; pœnas autem inferni tam ipsi primi Parentes, quam plurimi ex ejus posteris effugiunt. *Tertiam* denique rationem profert S. Augustinus lib. 13. *De Civitate Dei*, cap. 23.

nempe quod promissio felicitatis æternæ, et comminatio suppliciorum inferni aperte revelanda erat tantum in novo Testamento. *Propterea*, inquit, *comminatus Adamo Deus mortem, de secunda morte nihil dixit, quia occultam esse voluit propter dispensationem testamenti novi, ubi secunda mors apertissime declaratur, ut prius ista mors prima, quæ communis est omnibus ponderetur ex illo venisse peccato, quod in uno commune factum est omnibus: mors vero secunda non utique communis est omnibus, propter eos qui secundum propositum vocati sunt sancti... quos a secunda morte per Mediatorem Dei gratia liberavit.*

Patet etiam secunda pars, nempe quod illa comminatio *de morte animæ* possit interpretari: *Duæ enim sunt vitæ*, ait S. Augustinus in Psalmum 70., *una corporis: altera animæ: sicut vita corporis anima; sic vita animæ Deus. Quomodo si anima deserat, moritur corpus: sic anima moritur, si deserat Deus.* De hac itaque morte animæ intelligendam esse prædictam Dei comminationem probat S. Gregorius Papa lib. 6. *Epistola* 31. *Si enim Adæ, qui primus peccavit*, inquit, *anima in peccato mortua non est; quomodo de ligno vetito ei dictum est:* in quacumque die comederitis ex eo, morte moriemini? *Et ecce comedit Adam et Eva de ligno vetito, et tamen in carne sua ultra nongentos annos postmodum vixerunt. Constat itaque, quia in carne non est mortuus. Si ergo in anima mortuus non est, falsam sententiam de illo protulit Deus, qui dixit: quia, qua die comederet, moreretur.* Ipsi adstipulantur Origenes, Homilia 15. in *Genesim*; Rupertus lib. 2. *De victoria verbi Dei*, cap. 2., et plures alii, qui mortem animæ Deum interminatum fuisse credunt. — Verum, non solam mortem animæ illis verbis fuisse designatam exinde constat, quod peccatum non pœnæ inflictio censendum sit, sed illius pœnæ demeritum; quippe pœna est ejusmodi, quam contra legem facienti judex ipse, non sibi reus imponit: sed mortem animæ, seu peccatum citra judicis voluntatem sibi quisque conciscit; adeoque mors animæ non unice, nec præcipue illis verbis fuit significata. Quod utique confirmatur ex Concilio Tridentino, *Sess.* 5. *Canone* 1., ubi anathema dicitur ei, qui asseruerit Adamum per peccatum non amisisse sanctitatem, et justitiam; incurrisseque per offensam prævaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei; atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus. Distinguit ergo mortem animæ, amissionemque justitiæ ab ipsa morte, quam Deus fuerat comminatus.

Idcirco probatur tertia pars, nempe quod mors illa denuntiata fuerit præcipue mors corporis; quam utique eo ipso die, quo peccavit, passus est Adamus; non quod revera mortuus fuerit, sed quod mortalitati fuerit addictus. Licet enim ex constitutione suæ naturæ mortalis esset; tamen ratione doni justitiæ originalis nusquam de facto, si illam servasset, mortuus fuisset; ea autem deperdita, statim mortalitati fuit subjectus, *Eo quippe die*, inquit S. Augustinus, lib. 13. *De civitate Dei*, cap. 23., *mutata in deterius est, vitiataque natura, atque a ligno vitæ separatione justissima, mortis in eis etiam corporalis necessitas facta est: cum qua nos necessitate nati sumus. Propter quod Apostolus non ait: corpus quidem moriturum est propter peccatum: sed ait quidem: mortuum est propter peccatum.* Sic in libro nono *De Genesi ad litteram*, cap. 10. ubi eodem utitur Apostoli testimonio, et

lethalem quemdam veluti morbum invasisse humana corpora dicit: *Mox ubi præceptum transgressi sunt,* ait, *eorum membris velut aliqua ægritudo lethalis, mors ipsa concepta est, etc. Quid enim aliud, non dicam nati, sed omnino concepti, nisi ægritudinem quamdam inchoamus, qua sumus sine dubio morituri? Nec enim tam necesse est cum ipso morbo mori, qui hydropicus, vel dissentericus, vel elephantiosus factus fuerit, quam eum, qui hoc corpus habere cœperit, in quo omnes homines natura sunt filii iræ: quia hoc non fecit, nisi pœna peccati.* — De hoc pariter audiendus est Chrysostomus Homilia 16. in *Genesim. Quamvis,* inquit, *multorum annorum spatio vixerint, tamen ex quo audierunt illud,* terra es, et in terram redibis, *et sententiam mortis acceperunt, mortales facti sunt: atque ex eo tempore illos esse mortuos aliquis merito dixerit. Hoc vero Scriptura significans ita dixit:* quacumque die comederitis, et morte moriemini. *Quasi diceret: sententiam hanc accipietis, ut mortales deinceps sitis: ut enim in humanis judiciis, postquam in reum pronunciata sententia est, ut ei caput amputetur, isque mox in carcerem adducitur; licet diu ibi maneat, nihilo melius jam mortuis, extinctisque deget, utpote jam sententia ipsa mortuus, eodem modo et illi ab ea ipsa die, ex qua sententia in eos mortalitatis edita est, etsi longo tempore superstites fuerunt, sententia ipsa jam mortui sunt.* — Vel dicendum cum S. Augustino lib. 13. *De Civitate Dei,* cap. 12., Deum *mortis* vocabulo, significasse omnem mortem, quæ potest homini accidere, hoc est, tam animæ, quam corporis; tam temporalem, quam æternam: *Cum ergo requiritur,* inquit, *quam mortem Deus primis hominibus fuerit comminatus, si a Deo mandatum transgrederentur acceptum, nec obedientiam custodirent, utrum animæ, vel corporis, an totius hominis, an illam, quæ secunda dicitur: Respondendum est, omnes: prima enim constat ex duabus, secunda ex omnibus tota. Sicut enim universa terra ex multis terris, et universa Ecclesia ex multis constat Ecclesiis, sic universa mors ex omnibus: quoniam prima constat ex duabus; una animæ, altera corporis: ut sit prima totius hominis mors, cum anima sine Deo, et sine corpore ad tempus pœnas luit: secunda vero ubi anima sine Deo cum corpore pœnas æternas luit. Quando ergo dixit primo illi homini, quem in Paradiso constituerat; de cibo vetito quocumque die ederitis ex eo, morte moriemini; non tantum primæ mortis partem priorem, ubi anima privatur Deo, nec tantum posteriorem, ubi corpus privatur anima; nec solum ipsam totam primam, ubi anima, et a Deo, et a corpore separata punitur, sed quidquid mortis est usque ad novissimam, quæ secunda dicitur, et qua nulla est posterior, comminatio illa complexa est.* Quibus verbis S. Augustinus quadruplicem mortem distinguit; *unam* animæ et ad tempus, quando anima peccando separatur a Deo; *alteram* corporis, et ad tempus, quando separatur anima a corpore per obitum: *Tertiam,* quæ utramque complectitur, nempe separationem animæ a Deo, et a corpore, ut fit in morte reproborum: *Quartam* denique, qua post diem judicii anima, et corpus separabuntur a Deo, quæ mors *secunda et novissima* appellatur.

QUÆSTIO SECUNDA.

QUONAM MORTALI PECCATO DIVINAM LEGEM SIBI PRÆSCRIPTAM ADAMUS, ET EVA PRIMARIO FUERINT TRANSGRESSI.

Notandum 1. Quod etsi Adamus, et Eva unius dumtaxat divini mandati violati rei fuerint, hæc tamen transgressio varia peccata admixta habuisse videtur. Imprimis enim quintuplici crimine Eva rea extitit, ut colligere licet ex illis verbis *Genesis*, cap. 3. *Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile, et tulit de fructu illius, et comedit, deditque viro suo.* Vidit, inquam, in quo apparet in Eva quædam *iners otiositas*: qua scilicet a rebus divinis contemplandis abducta, vagis oculis, et Paradisi septa, et quæ erant extra Paradisum lustrabat. Unde merito eam carpit S. Bernardus in tractatu *De gradibus humilitatis. Te*, inquit, *intenta ad aliud latenter interim in cor tuum serpens illabitur, blande alloquitur, blanditiis rationem, mendaciis timorem compescit*: nequaquam *inquiens* morieris. *Auget curam dum incitat gulam; acuit curiositatem, dum suggerit cupiditatem: offert tandem prohibitum, et aufert concessum: porrigit pomum, et surripit Paradisum: haurit virus peritura, et perituros paritura: perit salus, non destitit partus: nascimur, morimur: ideoque nascimur morituri, quia prius morimur nasciturі.* — *Secundum* Evæ vitium fuit quædam *inanis curiositas*: *vidit* enim, inquit sacer Textus, *quod lignum esset pulchrum oculis*, illud videlicet curiosius quam par erat oculis lustrando. *Tertium* fuit *titillans voluptas*, videndo nempe quod bonum esset lignum ad vescendum. *Quartum* fuit quædam vanitas, *cidit* enim quod *lignum esset aspectu delectabile*, seu ut Hebræa et Græca sonant, *ad intelligendum* seu *contemplandum desiderabile*: quo videlicet intellexit esum illius fructus posse conducere ad scientiæ et contemplationis divinæ participationem et assecutionem. *Quintum* denique fuit nimia quædam in virum suum *crudelitas*: qua nempe illum in partem criminis pellexit: ubi enim manducato fructu vidit se divinis innocentiæ charismatibus spoliatam et destitutam, præsensitque se brevi ejiciendam e Paradiso; ne sola foret misera, et palabunda, virum suum in partem criminis deduxit, deditque viro suo, qui comedit.

Notandum 2. Ex Seraphico Doctore in 2. *dist.* 22. *articulo* 1. *quæstione* 1. « Aliter Evæ peccata posse detegi, et assignari, nempe « superbiam, avaritiam, et gulam: nam, inquit, *superbia* non est aliud, « quam immoderatus appetitus excellentiæ; *avaritia* non est aliud, « quam immoderatus appetitus sufficientiæ: *gula* non est aliud quam « immoderatus appetitus cibi et potus reficientis suaviter. Conside- « rans igitur diabolus, hanc esse viam ad præcipitandam mulierem « in culpam, primo promisit dignitatis excellentiam: *Eritis sicut Dii.* « Secundo subjungitur cognitionis abundantia: *Scientes bonum, et « malum.* Postremo prætendit suavitatis experientiam, cum ostendit « *lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave.* Quoniam igitur mu- « lier diabolicæ suggestioni consensit; ideo primo in appetendo esse « sicut Deus, fuit superbia: deinde in appetendo scire bonum et

« malum quod non oportebat, et scire plus quam oportebat, fuit ava-
« ritia. Postremo in experiendo suavitatem ligni vetiti, fuit gula; et
« in hoc fuit transgressionis rea, et culpa inobedientiæ involuta. Et
« sic patet quod peccatum mulieris inchoatum fuit in superbia, pro-
« gressum habuit in avaritia, consummationem habuit in gula. Patet
« etiam quod inordinata fuit quantum ad triplicem potentiam, scilicet
« quantum ad irascibilem, dum appetiit alta; quantum ad rationalem,
« dum appetiit scire occulta; quantum ad concupiscibilem, dum vo-
« luit degustare suavia. Unde ex illo peccato pullulaverunt radices
« omnium peccatorum. »

Notandum 3. In actu peccaminoso, quo Adamus perduellis extitit, plures etiam apparere diversorum peccatorum circumstantias. *Primo* quidem *immoderata erga suam uxorem complacentia*, et inordinatus amor, quibus divinum sprevit mandatum, ut uxori ad esum fructus vetiti suadenti obtemperaret. *Secundo*, improba quædam aviditas, et *pestifera curiositas* experiendi quidnam lateret in eo fructu quem ipsi Deus tantopere interdixerat, quidque eo gustato consecuturum esset. *Tertio* fuit quædam dubitatio de veritate divinæ interminationis : cum enim vidisset Evam gustato fructu vetito non esse mortuam, dubius extitit circa intelligentiam illorum Dei verborum ; *in quacumque die comederis, morte morieris :* utrum videlicet illa verba definitivam sententiam, an tantum comminatoriam continerent. *Quarto* fuit peccatum *inobedientiæ;* nam comedendo fructum sibi a Deo interdictum, inobediens fuit; quocirca S. Paulus ad Romanos 5. disputans de peccato Adami, non aliud videtur agnoscere quam inobedientam, *Sicut*, inquit, *per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi ; ita et per unius obeditionem, justi constituuntur multi.* Quintum denique Adami peccatum fuit *gulæ :* cernens enim pulchritudinem pomi, et audiens ex uxore illud esse suavissimi saporis, esum illius flagrantissime desideravit. Unde Tertullianus, libro adversus Physicos, capite 3. eleganter ait : *Acceperat Adam a Deo legem non gustandi de arbore agnitionis boni, et mali, moriturus si gustasset... Nec jam capiens quæ erant spiritus, facilius ventri, quam Deo cessit : pabulo potius, quam præcepto annuit, salutem gula vendidit. Manducavit denique, et periit, salvus alioquin, si uni arbusculæ jejunare maluisset. Teneo igitur a primordio homicidam gulam tormentis, atque suppliciis inediæ puniendam.* His ita præmissis, resolvendum est in præsenti Quæstione, quonam ex illis peccatis maxime primi Parentes divinam sibi præscriptam legem transgressi sint.

Conclusio prima. — Primum Evæ peccatum mortale videtur fuisse inordinatus sui ipsius amor, quo superbo animo divinam excellentiam appetiit, fecitque fidem dæmoni per Serpentem promittenti : eritis sicut Dii, scientes bonum, et malum.

Colligitur ex S. Augustino, lib. 14. *De Civitate Dei*, cap. 13., ubi scribit : *In occulto autem mali esse cœperunt, ut in apertam inobedientiam laberentur; non enim ad malum opus perveniretur, nisi præcessisset mala voluntas. Porro malæ voluntatis initium quod potuit esse, nisi superbia? Initium enim omnis peccati superbia. Quid est autem superbia, nisi perversæ celsitudinis appetitus? Perversa enim celsitudo*

est, deserto eo, cui debet animus inhærere, principio, sibi quodammodo fieri, atque esse principium. Hoc fit cum sibi nimis placet, cum ab illo bono immutabili deficit, quod ei magis placere debuit, quam ipse sibi. Spontaneus est ipse defectus: quoniam si voluntas in amore superioris, et immutabilis boni, a quo illustrabatur ut videret, et accendebatur ut amaret, stabilis permaneret, non inde ad sibi placendum averteretur, et ex hoc tenebresceret, et frigesceret, ut vel illa verum crederet dixisse serpentem; vel ille Dei mandato uxoris præponeret voluntatem, putaretque se venialiter transgressorem esse præcepti, si vitæ suæ sociam non desereret in societate peccati. Non ergo malum opus factum est, idest illa transgressio, ut cibo prohibito vescerentur, nisi ab eis qui mali jam erant. Quibus verbis S. Augustinus tria maxime observat: *Primo* quidem, esum fructus vetiti non fuisse primarium Evæ, et Adami peccatum, sed prius eos esse interius vitiatos, quam in apertum scelus prosilirent. Quod utique confirmat scribens: « Manifesto ergo, apertoque peccato, ubi factum est quod Deus fieri « prohibuerat, diabolus hominem non cœpisset, nisi jam ille sibi pla- « cere cœpisset: hinc enim, et delectavit quod dictum est, *Eritis sicut* « *Dii.* » *Secundo,* quod illa interior depravatio facta fuerit per internam complacentiam in suis perfectionibus. *Tertio,* quod ex illa complacentia prosilierint in affectum superbiæ, factumque fuerit, ut Eva divinam scientiam æmulata fuerit: hinc secutus est vetiti fructus esus, et aperta impositæ legis transgressio.

Hanc conclusionem probat Doctor in 2. distinctione 21. qu. 2. num. 20. ostendendo nempe quod primum peccatum mortale, tum Evæ, tum Adami non fuerit actus formalis superbiæ: etenim si desiderium illud, quo Eva appetivit similitudinem Dei, fuisset superbia, maxime fuisset illa species superbiæ, quæ dicitur præsumptio: sed hoc falsum est, præsumptio enim est amor concupiscentiæ, quo quis cupit præcellere aliis, eisque præesse: sed hunc amorem præcedit inordinata complacentia in suis perfectionibus; nemo namque aliis præesse desiderat, nisi quia se digniorem, et præcellentem existimat: ergo, etc. — *Confirmatur:* quia secundum omnes, superbia proprie dicta est amor propriæ excellentiæ, quo quis cupit, aut vult aliquam præeminentiam, aut supra se, aut supra alios. *Supra se* quidem, si desideret perfectiones suas haberi pro præstantioribus, quam revera sint; aut si renuit habere illam subjectionem ad alterum, quam habere tenetur. *Supra alios* vero, si cæteris præeminere cupiat ultra debitum suum statum. Sed certum est quod Evæ primarium peccatum nullum ex his affectibus habuit; prius enim in propriis suis perfectionibus inordinate complacuit, quam illam divinæ scientiæ similitudinem concupisceret, et indebitam sibi perfectionem ambiret: ergo revera primum ipsius peccatum non fuit formalis actus superbiæ, sed nimia complacentia in suis perfectionibus, et sui ipsius amor inordinatus; ex quo, tamquam ex vitiata radice, superbia germinavit. Hæc evidentius aperiet

Conclusio secunda. — Primum Adami mortale peccatum fuit inordinatus amor suæ uxoris. Hæc est Doctoris in 2. *distinctione* 21. *qu.* 2. *num.* 2. Probatque, quia primum peccatum Adæ non fuit amor concupiscentiæ, quia hic præsupponit amorem amicitiæ; et

quidem inordinatum, si amor concupiscentiæ fuerit inordinatus: ergo primum Adami peccatum fuit amor amicitiæ, vel sui, vel alterius. *Subsumit:* sed peccatum illud non fuit ex immoderato amore sui, sicut fuit primum peccatum Angeli: Angelus enim cum per essentiam suam intelligat se primo, inde fit quod prius se cognoscat et amet quam alia: homo autem cum prius intelligat alia quam se, quia nihil intelligit nisi dependenter a phantasmatibus; inde prius amat alia amore amicitiæ, quam se. *Fateor* tamen hanc probationem non multum urgere secundum principia Doctoris; contendit enim Doctor quod homo in statu innocentiæ non dependeret in cognoscendo a phantasmatibus; et sic tam seipsum primo, quam alia objecta intelligere posset. *Deinde,* licet Adamus prius cognovisset alia quam se, certum est, quod etiam seipsum cognovit: sed non oportuit ipsum peccare quando primo cognovit alia; nec est verisimile quod peccaverit inordinate amando Evam statim ac illam cognovit: ergo cum potuerit se cognoscere antequam Evam inordinate diligeret, etiam potuit seipsum antea inordinate amare. *Denique,* si quid urgeret hic discursus, æque probaret quod Eva etiam prius peccasset inordinato amore alterius, quod militat in ipsummet Doctorem. — *Dicerem* itaque cum Poncio, mentem Doctoris esse, primum Adami peccatum fuisse inordinatum amorem uxoris: non quod etiam non potuerit esse amor inordinatus sui ipsius; sed quia cum potuerit aliud objectum amare inordinate, nec constet quod ita se prius amaverit, inferendum est, quod prius inordinate dilexerit aliud objectum quam seipsum.

Probatur itaque conclusio: Potuit Adam inordinato amore suam uxorem prosequi prius quam se, et quantum colligi potest ex Scriptura, de facto prius inordinate amavit uxorem quam seipsum: ergo dicendum est quod primum ipsius peccatum fuerit inordinatus uxoris amor. *Probatur antecedens quoad secundam partem:* constat enim ex Scriptura quod Adamus divinum sibi præscriptum mandatum non fuerit transgressus, antequam Eva ipsum ad esum fructus vetiti alliceret: sed omnino verisimile est quod tantum nefas non admitteret, nisi propter inordinatum uxoris amorem: ergo, etc. — *Confirmatur* ex S. Augustino, lib. 14. *De Civitate Dei*, cap. 11. *Credendum est*, inquit, *illum virum suæ fœminæ, uni unum, hominem homini, conjugem conjugi, ad Dei legem transgrediendam, non tamquam verum loquenti credidisse seductum, sed sociali necessitudine paruisse.* Addit lib. 11. *De Genesi ad litteram*, cap. 12: *Noluit Adam Evam contristare, quam credebat posse sine suo solatio contabescere, si ab ejus alienaretur animo, et omnino illa interire discordia: non quidem carnis victus concupiscentia, quam nondum in membris suis senserat, sed amicali quadam benevolentia, qua plerumque fit ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus; quod cum facere non debuisse, divinæ sententiæ justus exitus indicavit.* — Constat itaque ex S. Augustino primum peccatum Adæ fuisse inordinatum uxoris amorem, non quidem concupiscentiæ, quæ nedum excitata fuerat in membris ejus, sed amicitiæ, seu benevolentiæ conjugalis: eam enim summo amore diligebat, 1. *quod* esset, propter eximia corporis et animi ornamenta, summe amabilis: 2. *quod* unica esset mulier in toto terrarum orbe; quod sua esset uxor, ex qua prolem susceperus, totumque genus hominum propa-

gaturus esset, 2. *quod* sibi a Deo in sociam data esset: *denique quod* sua esset ex carne ossibusque suis formata. Itaque ne delicias suas contristaret, parvipendit præceptum Dei, et de fructu ligni vetiti, quem ipsi Eva obtulerat, comedit.

Reponunt Thomistæ ex illis S. Augustini sententiis recte quidem inferri, quod Adamus prius quam comederet, amaverit inordinate uxorem; non tamen quod primum peccatum fuerit amor ille: siquidem aliis in locis sæpius affirmat Adamum superbiendo peccavisse, appetendo videlicet Divinitatem. Sic in Psalmum 68. tractans illa verba, *Quæ non rapui tunc exolvebam*, ait, *primos Parentes rapere voluisse Divinitatem, et perdidisse felicitatem.* Idem docet Bernardus serm. 1. *De Adventu* his verbis: *Audistis, fratres, quid hac nocte lectum est in Isaia, dicente Domino:* principes tui infideles, *vel ut alia translatio habet*, inobedientes, socii furum. *Revera enim principes nostri, Adam et Eva principia nostræ propaginis inobedientes, et socii furum, quod Filii Dei est, serpentis, imo diaboli serpente consilio subripere tentant.* — **Contra**, qua ratione explicant præfatos S. Augustini contextus a nobis laudatos, eadem ratione reponere possumus ex allatis ab eis S. Augustini sententiis colligi posse, quod Adamus commiserit quidem peccatum superbiæ ante comestionem; quamvis illud peccatum non fuerit primum peccatum ipsius, sed amor inordinatus, quo semel admisso superbire potuit. Quod utique quadrat ipsius S. Augustini sententiæ: alioqui non satis apte diceret quod Adamus, non carnali concupiscentia, sed amicabili benevolentia compulsus peccavit. Quamvis enim simul cum superbia hæc benevolentia concurreret ad ipsum inducendum, tamen si superbia præcessit, potius lapsus ascribendus esset superbiæ, quam benevolentiæ illi: quare de superbia potius deberet facere mentionem, quam de illa benevolentia. Unde quia primo de hac fecit mentionem assignans causam transgressionis, verisimilius est, quod existimaverit Augustinus primum peccatum fuisse amorem illum inordinatum benevolentiæ erga uxorem. Unde quando vel ipsemet S. Augustinus, vel ceteri sancti Patres affirmant Adamum superbiendo peccavisse, non sequitur quod primum illius peccatum fuerit superbia: imo, ut dixi, quandoquidem non admittatur peccavisse superbia, antequam res fuerit ipsi proposita a muliere, et quandoquidem diabolus ipse non fuerit ausus ipsum tentare antequam deciperet mulierem; signum est quod nec a muliere etiam induci potuerit ad peccandum isto motivo, nisi prius peccasset eamdem inordinate amando, quo peccato commisso, facile alia peccata persuaderi poterant. — *Confirmat* hæc Seraphicus Doctor in 2. *dist.* 21. *art.* 1. *qu.* 2: si Adamus superbiendo primo peccavisset, maxime quia appetiit similitudinem Dei: sed ita non est: si enim, inquit, Adamus appetiit esse sicut Deus: aut ergo suggerente muliere, aut suggerente serpente. Non suggerente serpente, quia ipse Adam non conqueritur de serpente, sed de muliere: *Mulier quam dedisti mihi etc.* Si suggerente muliere: ergo sicut mulier decepta fuit a serpente, ita vir a muliere. Sicut igitur mulier dixit: *Serpens seduxit me:* ita vir dixisset: *Mulier decepit me:* at hoc non dixit, sed dixit: *Mulier dedit mihi etc.* Quod si tu dicas, quod ita fuit quamvis Scriptura non exprimat, hoc simpliciter apparet improbabile: nam si mulier dixisset: comede, quia eris sicut Deus, cum ipsa come-

disset, et absque dubio non esset sicut Deus, nulla ratione videtur probabile quod vir ei credidisset.

Quæres 1 : *an primi Parentes etiam in hæresim lapsi, fidei jacturam fecerint?*

Respondeo plures ex sanctis Patribus idipsum affirmare. Imprimis vero Tertullianus lib. 2. *Adversus Marcionem* cap. 12. constanter ait: *Illud ipsum Adæ delictum quis dubitabit hæresim pronuntiare, quod per electionem suæ potius quam divinæ sententiæ admisit? nisi quod Adam numquam figulo suo dixit: non prudenter definxisti me: confessus est seductionem, non occultavit seductricem: rudis admodum hæreticus fuit.* Hoc ipsum indicat S. Ambrosius, Epistola 33. ad Marcellinam sororem, in qua Deum inducit sic Adamum alloquentem : *Agnoscis te nudum quia bona indumenta fidei perdidisti.* Ipsis adstipulatur S. Augustinus libr. 14. *De Civitate Dei*, cap. 17. *Hoc itaque cognoverunt*, inquit, *quod felicius ignorarent, si Deo credentes, et obedientes non committerent quod eos cogeret experiri infidelitas, et inobedientia quid nocerent etc.* Denique hoc ipsum diserte affirmat S. Prosper *ad capitula Genuensium*, dub. 3. *Quid est*, inquit, *quod ei naturæ solam fidem non cult esse præreptam, quam nisi primam Adam amisisset, ceteris bonis omnibus non careret? Credendo enim Adam diabolo, non credidit Deo.* Et intra : *Quomodo fides in Adam perdita in quoquam filiorum ejus inveniretur, nisi eam idem Spiritus, qui omnia in omnibus operatur, infunderet?* Et libro contra Collatorem cap. 9. *Perdidit Adam fidem, perdidit continentiam, perdidit charitatem.* Eis omnibus subscribit S. Fulgentius lib. 2. *De Incarnatione et gratia Christi*, c. 22. ubi de Adamo ait: *Perdidit fidem, perdens fidem perdidit divinam protectionem, scriptum est enim: Qui non credit Deo, non protegetur ab eo.* — *Confirmatur* hæc responsio ab illis omnibus SS. Patribus, qui Adamum fuisse deceptum affirmant. Sic S. Ignatius Martyr in Epistola ad Trallianos, *Diabolus*, inquit, *per Evam seduxit Adam Patrem generis nostri.* Irenæus lib. 3. *Adversus hæres.* cap. 35. *Ab altero*, inquit, *seductus fuit sub occasione immortalitatis, statim timore corripitur, et absconditur etc.* Hilarius, Canone 3. in Matthæum : *Serpens Adam pellexerat, et errorem fallendo traduxerat.* Epiphan. *Contra hæreses*, num. 38. disputans, *Ipse*, inquit, *diabolus per mendacium decepit Evam et Adam, alia pro aliis dicens, et amicitiam cum Creatore ostendens, cum dixit:* eritis sicut Dii, et nequaquam moriemini. Augustinus in Psalmum 68. explanans illa verba : quæ non rapui, tunc exolvebam ; *Quis*, ait, *rapuit? Adam. Quis rapuit primum? ille ipse qui seduxit Adam. Quomodo rapuit diabolus? Ponam sedem meam ad Aquilonem, et ero similis Altissimo. Usurpavit sibi quod non acceperat, et ipso calice superbiæ suæ ei, quem decipere volebat, propinavit,* Gustate, inquit, et eritis sicut Dii: *Rapere voluerunt Divinitatem, perdiderunt felicitatem.* Subscribit S. Leo, serm. *De Nativitate Domini: Gloriabatur*, ait, *diabolus sua fraude deceptum hominem divinis caruisse muneribus: et immortalitatis dote nudatum duram mortis subiisse sententiam.* Et Sermone 4. *Homo primus quia invido, et deceptori temere atque infeliciter credidit, et superbiæ consiliis acquiescens propositum honoris augmentum occupare maluit, quam mereri.*

Dices: Ille non est censendus infidelis et hæreticus, qui veritati sibi divinitus revelatæ pertinaci animo peccando non adversatur: at nec Adamus, nec Eva peccando divinitus sibi revelatæ veritati pertinaciter adversati sunt: ergo, etc. *Major* patet, hæresis enim est error fidei contrarius, simul cum pertinacia. Unde S. Augustinus Epist. 162. ait: *Si qui falsam, ac perversam sententiam nulla pertinaci animositate defendant, et parati sint corrigi, et tota sollicitudine quærant veritatem, non sunt inter hæreticos deputandi.* Et lib. 4. *De Baptismo contra Donatistas,* cap. 16. assignans differentiam inter duos homines credentes eumdem errorem, sed cum hoc discrimine, ut unus sit in Ecclesia, alius extra Ecclesiam, et ab hæreticis baptizatus, sic loquitur: *Constituamus duos aliquos isto modo: v. g. unum horum sentire de Christo, quod Photinus opinatus est, et in ejus hæresi baptizari extra Ecclesiæ Catholicæ communionem; alium vero hoc idem sentire, sed in Catholica Ecclesia Baptizari existimantem ipsam esse Catholicam fidem: istum nondum hæreticum dico, nisi manifestata sibi fidei Catholicæ doctrina resistere maluerit:* at nec Adamus, nec Eva fuerunt in peccato pertinaces, nec divinæ reprehensioni rebelles; imo suum uterque peccatum excusavit, ille veram sociam, illa serpentem patrati criminis instigatorem accusando: ergo, etc. — **Distinguo majorem**: si non adversatur veritati cum pertinacia, quando veritas cui adversatur, ipsi non constat, nec certus est eam fuisse a Deo revelatam, non est censendus hæreticus, concedo: secus, nego. At primis hominum Parentibus constabat apertissime Deum ipsis mortem fuisse comminatum, si de fructu vetitæ arboris comederent: ergo fidem dantes diabolo dicenti: *Nequaquam moriemini etc.* consequens est ut eam denegaverint illi, qui dixerat: *De ligno scientiæ boni, et mali ne comedas, quacumque enim hora comederis, morte morieris.* — Verum hæc equidem de muliere vera esse non abnuo: at induci non possum ut credam Adamum fidei jacturam fecisse; ipse namque nec serpentem falsa promittentem audivit, nec fuit seductus, ut testatur S. Paulus, ut infra constabit. Imo Seraphicus Doctor in 2. dist. 22. qu. 1. negat etiam Evam fuisse in hæresim lapsam: respondens enim *ad primum* ait: non est concedendum mulierem peccato infidelitatis peccasse, nisi infidelitas accipiatur valde large. Quod ergo objicitur, quod mulier dixit: *forte*, dici potest quod, forte est ibi nota eventus, non dubitationis: sed quia Magister dicit expresse, quod nota est dubitationis, ideo potest aliter dici, quod revera mulier non dubitavit verum esse, quod Dominus dixerat: sed de hoc dubitavit, videlicet qualiter Dominus intelligebat; utrum scilicet intelligeret de morte corporali, vel spirituali, vel alio quocumque modo: et illa dubitatio nec fuit pœna, nec culpa; sed quædam nescientia, quæ diabolo tentanti præbuit viam.

Quæres 2: *Qualiter intelligendum sit illud S. Pauli* 1. *ad Timotheum,* cap. 2. Adam primus formatus est, deinde Eva: et Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit?

Respondeo, varias esse hujus sententiæ interpretationes. *Primo* namque dicunt aliqui cum S. Hieronymo, lib. 1. contra Jovinianum, et Chrysostomo in explicatione ejus loci, Adam dici a Paulo non esse deceptum, quia non est seductus a serpente sicut Eva, non enim pec-

cavit Adam seductus a serpente, sed indulgens voluntati, et cupiditati Evæ. *Non est par Adam, et Eva,* inquit Chrysostomus, *ille seductus est a muliere, quæ data ei fuerat a Deo, et generis societate conjuncta: hæc autem decepta est a bestia, quæ servituti hominis fuerat addicta. Paulus igitur in comparatione mulieris, dicit non esse Adam deceptum; illa namque ab irrationali animante seducta est: hic autem a libera muliere.* Docent nonnulli cum S. Augustino, lib. 11. *De Genesi ad litteram,* capite ultimo, Adam idcirco dici non fuisse seductum, quia non fuit in causa cur mulier peccaret, *Neque frustra est,* inquit S. Augustinus, *quod Apostolus ait,* Adam primus formatus est, mulier autem seducta in prævaricatione facta est, *idest, ut per illam etiam vir prævaricaretur. Nam et ipsum dicit* prævaricatorem, *ubi ait:* in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri: *seductum tamen negat. Nam et interrogatus non ait,* mulier quam dedisti mihi seduxit me, *et manducavi, sed* ipsa mihi, *inquit,* dedit de ligno, et manducavi: *Illa vero,* serpens, *inquit,* seduxit me. *Ita Salomon tantæ sapientiæ numquidnam credendum est, quod in simulacrorum cultu credidit esse aliquid utilitatis? Sed mulierum amori ad hoc malum trahenti resistere non valuit, faciens quod sciebat non esse faciendum, ne suas, quibus deperibat, atque diffluebat mortiferas delicias contristaret. Ita et Adam postquam de ligno prohibito seducta mulier manducavit, eique dedit, ut simul ederent, noluit eam contristare, quam credebat posse sine suo solatio contabescere, si ab ejus alienaretur animo, et omnino ab illa interire discordia.*

QUÆSTIO TERTIA.

QUALIS, ET QUANTA FUERIT PECCATI PRIMORUM PARENTUM GRAVITAS.

Notandum 1. Peccati gravitatem colligi posse *vel* ex ipsa specie peccati: sic adulterium gravius est simplici fornicatione; *vel* ex intensione affectus peccantis, ut si quis vehementiori studio, et intensiori affectu rapiatur ad peccandum; *vel* ex effectu peccati, idest, damno quod peccatum consequitur; sic homicidium gravius est furto: *vel* ex variis circumstantiis peccato adjunctis, quæ gravitatem ejus amplificant, ut sunt qualitas personæ, locus, tempus, et id genus alia. Certum est autem, quod si attendatur species peccati primorum Parentum, illud non fuit omnium gravissimum; gravius enim fuisset si peccassent per blasphemiam, infidelitatem, aut per contemptum, vel odium Dei. Nec dubitanter dixerim, Judam, et omnes hæresiarchas, puta Arium, Lutherum, Calvinum etc. secundum speciem peccati, gravius peccasse quam Adamum: peccavit enim is contra legem positivam; illi vero simul contra positivam, et naturalem: ille violavit præceptum de re indifferenti; hi vero de re per se mala. Aliunde ergo inquirenda est primorum parentum peccati gravitas, quo censeatur omnium peccatorum gravissimum.

Notandum 2. Ex Seraphico Bonaventura in 2. dist. 21. art. 3. q. 3. quod tribus modis dicitur unum peccatum esse gravius altero: aut propter majorem libidinem: aut propter majorem ingratitudinem: aut propter majorem corruptionem. Si primum attendatur, certum est

quod peccatum Adæ nec fuit maximum simpliciter, nec maximum omnium peccatorum humanorum; ex majori enim libidine diabolus peccavit; et etiam multi filii Adæ ex majori libidine peccant quam peccaverit primus Parens. Si vero secundo modo dicatur peccatum majus, scilicet quantum ad ingratitudinem, sic etiam peccatum Adæ non fuit maximum simpliciter; quia diabolus ex majori ingratitudine peccavit, cum plura bona in sua creatione perceperit, et de sublimiori statu lapsus fuerit: fuit tamen maximum omnium humanorum, quia in nobiliori statu, et altiori erat, quam aliquis posteriorum suorum, qui lapsus fuerit in peccatum. Restat ergo videndum, an illud peccatum Adæ fuerit maximum ratione læsionis.

Notandum 3. Quod etsi Cajetanus explicans illa verba *Genesis*, cap. 3. *Tulit mulier de fructu arboris, et comedit*, affirmet primum Evæ peccatum fuisse minimum, tum ex radice, hoc est affectu libertatis; tum ex ratione peccandi, appetitus scilicet similitudinis divinæ; tum ex re appetita, quæ fuit scientia boni, et mali; tum ex specie actus exterioris, qui fuit comedere fructum pulchrum oculis, et ad vescendum suavem; tum ex causa peccandi, nimirum seductione serpentis; tum denique ex conditione peccantis, quia mulier erat, adeoque sexus infirmioris ad repugnandum diabolo: nihilominus si peccata utriusque parentis invicem conferantur, certum est quod Evæ peccatum longe gravius fuit secundum aliquid peccato Adami, ut constabit.

Duo itaque hac in Quæstione sunt resolvenda: *Primum*, an et quomodo peccatum utriusque primi Parentis fuerit omnium peccatorum humanorum gravissimum: *Secundum*, quisnam, Adamus, an Eva, gravius peccaverit.

Conclusio prima. — Peccatum primorum Parentum non fuit omnium humanorum gravissimum ratione malitiæ intrinsecæ, sed solum ratione læsionis, et ingratitudinis. Hæc est communis inter Theologos, eamque sic

Probat Doctor Subtilis in 2. dist. 22. qu. 2. n. 3: gravitas peccati colligitur vel ex eo quod opponatur intensiori seu perfectiori bonitati, vel ex eo quod sit contra bonitatem magis necessariam, hoc est, contra illam quæ præcipitur pluribus præceptis: sed ex neutro capite peccatum primorum Parentum fuit gravius omnibus peccatis humanis. *Non quidem ex eo quod opponatur perfectiori bonitati:* cum enim perfectio amoris divini præstantior sit quam obedientia; major enim omnium virtutum est charitas; propterea gravius est odisse Deum, quam non obedire ipsi. *Non etiam ex eo quod sit contra bonitatem magis necessariam*, aut præceptam pluribus præceptis, quia nempe unicum violaverunt præceptum sibi præscriptum de non edendo fructu vetito: peccata autem, inquit Doctor, quæ fiunt ab Adami posteris contra decem præcepta Decalogi, sunt peccata contra quæ præcipiuntur pluribus præceptis, et quæ servanda sunt ex lege naturæ: ergo illud peccatum non fuit omnium gravissimum.

Probat 2. Peccatum Adami fuit maxime amor inordinatus suæ uxoris: sed amor ille per se non erat contrarius præcepto de diligendo Deo, quod est maximum, nisi ea ratione, qua cetera peccata

opponuntur isti præcepto: nec etiam est contra secundum præceptum de diligendo proximo, tam aperte, quam est odium proximi: quis enim dubitat gravius esse proximum odio habere, quam ipsum diligere cum excessu? Ergo, etc. — *Confirmatur:* blasphemia gravius est peccatum quantum ad speciem intrinsecam, quam amor inordinatus, quo Adam dilexit Evam, et quam esus fructus prohibiti: siquidem illa est contra præceptum legis naturæ, et primæ tabulæ, quo præcipitur Deus amandus et honorandus: hoc vero fuit tantum contra præceptum positivum obedientiæ et dilectionis proximi: ergo sequitur peccatum Adami minus grave fuisse, quam plurima peccata posterorum; meritoque infert Doctor ibidem, quod si Adam damnatus fuisset propter illa peccata, minorem pœnam fuisset, quam plures damnati.

Hanc veritatem probat Seraphicus Doctor quadruplici ratione: *Primo,* minus est peccatum remissibile, quam irremissibile: sed peccatum illud fuit remissibile, ut supra probatum est: multa autem peccata sunt irremissibilia: ergo, etc. *Secundo,* gravius est peccatum, quod nullo modo est excusabile, quam quod aliquam habet excusationem: sed peccatum Parentum primorum aliquam habet excusationem, in hoc quod factum est ad alienam instigationem: peccatum autem in Spiritum sanctum colorem excusationis non habet: ergo peccatum illud non fuit gravissimum peccatum. *Tertio,* tanto gravius est peccatum, quanto ex majori libidine procedit: sed in primis Parentibus regnavit minima libido, et voluntatis improbitas, cum eorum natura esset munda et sana: ergo videtur, quod illa transgressio ex inobedientia non fuerit maxima. *Quarto,* gravius est peccatum, quod est contra naturam, et rationem, et institutionem divinam, quam quod solum est contra divinum mandatum: sed peccatum primorum Parentum, quod ex illa tentatione secutum est, nec fuit omnino contra naturam, nec contra rationem, sed solum contra divinam institutionem; nam nec natura, nec ratio per se dictabat de illo ligno non esse edendum. Multa autem sunt peccata, quæ sunt contra naturam, et rationem, et institutionem divinam, quæ nos appellamus peccata contra naturam: ergo non videtur, quod illa primorum Parentum transgressio omnium peccatorum fuit maxima.

Probatur secunda pars, nempe quod illud primorum Parentum peccatum gravissimum fuerit ratione læsionis, et damni ex eo sequentis: major enim læsio, inquit Seraphicus Doctor, attendi potest, vel intensive, vel extensive. *Intensive* loquendo peccatum Adæ non fuit equidem maximæ læsionis; quia non depravavit voluntatem suam, sicut multa peccata depravant. *Extensive* vero loquendo, peccatum illud maximæ læsionis fuit, quia nullum peccatum est, quod tot personis nocuerit, et in tot pertranseat sicut illud peccatum, quod perpetratum fuit; ex tentatione primaria enim damnum illud non fuit solum ipsis peccantibus proprium, sed etiam commune universo generi humano: illi enim primi Parentes suo casu, et ruina omnes posteros suos, quotquot deinceps fuerunt, futurique sunt, in peccati et mortis exitium pertraxerunt. Quapropter S. Paulus maximum hoc damnum ponderans cap. 5. ad Romanos, ait: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors: et ita in*

homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Gravissimum itaque fuit illud peccatum, si penses damnum ex eo consecutum, idest jacturam tantorum bonorum numquam deinceps recuperandorum, et tot, tantorumque malorum necessitatem, quam peccatum illud in universum genus humanum induxit. — Aggravat etiam peccatum Adami, quod sapientia, et gratia Dei excelleret, nullamque haberet ad malum proclivitatem: quamobrem tanto fuit major ejus in peccando iniquitas, quanto major erat in eo non peccandi facilitas: unde S. Augustinus, lib. 11. *De Civitate Dei,* cap. 15. *Si quis damnationem Adami, vel nimiam, vel injustam putat, metiri profecto nescit quanta fuerit iniquitas in peccando, ubi tanta erat non peccandi facilitas.* Quod utique eleganter declarat ex contrario, scilicet ex comparatione obedientiæ Christi Domini; *Sicut,* inquit, *obedientia Christi eo prædicabilior fuit, quia factus est obediens usque ad mortem: ita inobedientia primi hominis fuit detestabilior, quia factus est inobediens usque ad mortem. Ubi enim magna est inobedientiæ pœna proposita, et res a Creatore facilis imperata: quisnam satis explicet quantum malum sit non obedire in re facili, et tantæ potestatis imperio, et tanto terrenti supplicio?* ✻ " Accedit etiam ad gravitatem peccati utriusque primi parentis, quod mulier primum, deinde maritus contra Deum insurrexerint. Vere enim se contra Deum extulerunt, cum honore sibi divinitus collato, tanta præstantia non contenti, plus optarunt scire quam fas erat, ut Deo pares forent. Ubi etiam se prodit monstruosa ingratitudo: ad similitudinem Dei facti erant, hoc parum videtur nisi accedat æqualitas. Jam non est quod in extenuando Adæ et uxoris peccato, frustra non minus quam præpostere laborent sinistri et pravi homines. Neque enim leve delictum, sed detestabile scelus est apostasia, qua se homo Conditoris sui imperio subducit, imo eum rejicit et abnegat. Adde quod non simplex apostasia fuit, sed cum atrocibus in Deum ipsum contumeliis et probris conjuncta. Deum mendacii accusat Satan, et invidiæ et malignitatis: tam fœdæ et execrandæ calumniæ subscribunt. Tandem contempto Dei mandato, non modo suæ indulgent libidini, sed diabolo se mancipant. Si quis brevius malit, infidelitas ambitioni januam aperuit. Ambitio vero contumaciæ fuit mater, ut homines abjecto Dei metu, jugum excuterent. Hac ratione docet S. Paulus, inobedientia Adæ peccatum intrasse mundum. Inde tamen non sequitur illud fuisse peccatorum omnium gravissimum. " ✻

Objicies 1. Ideo peccatum est grave, quia bonum adimit: ergo quod præstantius bonum adimit, gravius est: sed peccatum Adæ majus bonum ademit quam ullum aliud; dum ademit justitiam originalem a se, et posteris: ergo est maximum peccatum. — **Distinguit primum consequens Doctor**: quod magis adimit de bono ex natura sua intrinseca, concedit consequentiam: quod magis adimit de bono demeritorie, negat consequentiam: et similiter distinguit subsumptum: peccatum Adæ ademit justitiam originalem, ex natura sua intrinseca, negat: demeritorie, concedit; et negat secundam consequentiam. Itaque gravitas peccati desumenda ex bono, quod per illud adimitur, non debet attendi quomodocumque, quia de facto omnia peccata mortalia auferunt gratiam habitualem, et jus ad beatitudinem; adeoque hac ratione peccata essent æqualia: sed considerari debent illa bona, quæ

per peccatum adimuntur secundum specialem incompatibilitatem, quam habent cum ipsis peccatis, v. g. quia odium Dei habet ex sua ratione particulari incompossibilitatem cum amore Dei; non vero cum amore creaturæ, nec cum amore temperantiæ, et quia intemperantia ex sua ratione particulari habet incompossibilitatem cum amore temperantiæ: hinc gravitas odii, et intemperantiæ desumi debet ex his bonis, quibus ex particulari sua ratione opponuntur: et hoc supposito, quandoquidem majus bonum sit amor Dei, quam amor temperantiæ, propterea majoris gravitatis censeri debet odium Dei, quam intemperantia.

Objicies 2. Pœna correspondet culpæ: sed peccato Adæ maxima pœna fuit inflicta; nimirum mors sua, et posterorum: ergo erat maximum. — **Distinguit majorem idem Doctor**: ita ut non infligatur pœna major. quam possit merito infligi pro culpa, concedit; ita ut non possit aliquando fieri, ut major infligatur pro peccato non majori, negat *majorem*: et concessa *minore*, neganda est consequentia. Solum ergo potest colligi gravitas peccati ob gravitatem pœnæ, quando tanta pœna infligitur ob unum peccatum, quanta non posset juste infligi ob alterum peccatum: non fuit autem tanta pœna inflicta ob peccatum Adæ, quanta non posset infligi propter aliqua peccata, quæ et ipsemet committere posset. et alii etiam homines. Seu, ut loquitur Doctor, « peccatum illud est majus, cui debetur major pœna: dummodo illa « pœna sit formaliter punitio illius culpæ: sic autem peccato Adæ « non debebatur maxima pœna. Imo si ipse damnatus fuisset pro illo « peccato, non fuisset ita graviter punitus pro isto peccato, sicut « multi alii. Et cum dicis, quod mors infligebatur sibi pro illo pec- « cato, quæ est maxima pœna; dico quod non dicebatur immortalis « ante culpam per aliqua intrinseca, quæ postea fuissent corrupta per « peccatum: sed per gratuita sibi collata. Videmus autem aliquando, « quod ex parva culpa subtrahuntur maxima beneficia, licet pro illa « non infligatur maxima pœna, imo modica. ».

Conclusio secunda. — Peccatum Evæ secundum speciem intrinsecam gravius fuit peccato Adami: secundum autem quasdam circumstantias, gravius fuit peccatum Adami, quam peccatum Evæ. Hæc est communis quoad utramque partem contra Cajetanum supra, et Bellarminum, lib. 3. *De amissione gratiæ. Primam partem* sua sententia firmat S. Chrysost. Epist. 3. *ad Olympiadem*, in qua ait: *Et quidem usque eo gravius est, scilicet Evæ peccatum, ut collatum cum Adami peccato, ne peccatum quidem existimetur, quia vir non est seductus, sed mulier, quæ in fraudem impulsa fuit, ac Dei legem violavit, et sibi ac marito venenatum poculum temperavit.*

Probat hanc veritatem Doctor Subtilis in 2. dist 21. qu. 1. n. 4. quia Eva peccavit appetendo æqualitatem aliquam cum Deo in scientia bŏni, et mali: sic autem non peccavit Adam: sed gravius erat peccatum tantæ ambitionis, quam peccatum effectus inordinati, quo amavit Adam uxorem. *Deinde* Eva induxit virum ad peccandum, quod etiam certe gravissimum erat peccatum, quod non fuit commissum ab Adamo, nec aliquod æquivalens: ergo gravius peccavit Eva. Quod si etiam Adamus ambiret æqualitatem illam cum Deo, sicut Eva fecit, adhuc

ratione scandali hujus ab Eva commissi deberet dici simpliciter gravius peccasse, quam Adam. Nam, ut ait S. Ambrosius, libro *De Paradiso*, c. 21. *Mulieris*, inquit, *prior error inventus est: viro enim mulier, non mulieri vir, auctor fuit erroris.* Unde et Paulus ait : *Adam non est deceptus, mulier autem decepta in prævaricatione fuit.* — ✳ " Qualiter vero Eva maritum suum convenerit, et ad esum fructus vetiti sollicitaverit, perbelle explicat Alcimus Avitus, Poëmate 2 :

Ignarus facti diversa parte revertens
Adam, diffusi lætus per gramina campi
Conjugis amplexus atque oscula casta petebat.
Occurrit mulier, cui tunc audacia primum
Flabat fœmineos animosa in corda furores.
Et sic orsa loqui, gemesum namque gerebat
Asservans misero pomum exitiale marito.
Sume cibum dulcis vitali ex germine conjux,
Quod similem Summo faciet te forte tonanti
Numinibusque parem. Non hoc tibi esca donum
Sed jam docta fero. Primus mea viscera gustus
Attigit, audaci dissolvens pacta periclo.
Crede libens, mentem scelus est dubitasse virilem
Quod mulier potui præcedere forte timebas
Saltem consequere, atque animos attolle jacentes.
Lumina cur flectis? cur prospera vota moraris?
Venturoque diu tempus furaris honori?
Hæc effata dabat victuræ fercula mortis,
Intereunte anima lethum dum crimina pascunt.
Accipit infelix malesuadi verba susurri
Inflexosque retro dejecit ad ultima sensus.
Non illum trepidi concussit cura pavoris,
Nec quantum gustu cunctata est femina primo,
Sed sequitur velox, miseræque ex conjugis ore
Constanter rapit inconstans dotale venenum. " ✳

Secundam partem probat Doctor *ibidem*, nempe quod peccatum Adami, secundum quasdam circumstantias, gravius fuit peccato Evæ : « Peccatum enim, inquit, potest aggravari ex circumstantia accidentali, propter excellentiam personæ, et dignitatem, quæ ex hoc magis « debet præcavere peccatum. *Item* propter fortitudinem, et possibilitatem resistendi. Ideo dicit Magister in littera, quod quia Adam exteriori tentatione pulsatus cecidit, tanto gravius plectendus erat, « quanto leviori impulsu erat prostratus. Tentatio enim carnis difficilius vincitur: quia de nostro contra nos roboratur : quia igitur « Adam fuit circumspectior, et nobilior, et fortior ad resistendum, ideo « per accidens suum peccatum fuit majus. *Denique* tradita fuit Adæ « justitia originalis tamquam digniori, et circumspectiori, et fortiori, « ita quod si eam perderet, pro se, et tota sua posteritate perderet. « Non sic autem fuit tradita mulieri, ideo Adæ peccatum accidentaliter fuit gravius peccato Evæ : formaliter tamen per se mere, et « præcise in se peccatum Evæ fuit gravius. »

Hoc ipsum probat Seraphicus Doctor in 2. dist. 21. qu. 3. « Peccatum, inquit, potest dici gravius altero tribus modis: videlicet in« gratitudine, libidine, et consequenti corruptione. Si igitur loquamur « de majori gravitate *quantum ad ingratitudinem*, gravius peccavit « vir, quam mulier; pro eo quod abundantiora dona suscepit; et ideo « cum beneficiorum oblitus, benefactorem suum contempsit, et offendit, « magis ingratus fuit, et in sui ingratitudine majori culpabilior extitit. » Si autem loquamur de majoritate *quantum ad libidinem*, sic amplius peccavit mulier quam vir; pro eo quod magis improba voluntate peccavit, dum concupivit Deo assimilari, et ardentius appetiit, dum credidit hoc se obtinere posse, quod diabolus ei suggessit; et ideo propter voluntatem magis improbam mulier peccavit ex majori libidine, et quantum ad hoc culpabilior viro fuit. — Si autem loquamur de majoritate culpæ *quantum ad corruptionem consequentem*, distinguendum est; quia aliquid potest dici corrumpere dupliciter: aut per modum *causæ*, aut per modum *occasionis*. Si *per modum causæ*, quia peccatum viri fuit causa transfusionis peccati in posteros, et ita corrupit se, et alios, major consecuta est ex peccato viri corruptio, et quantum ad hoc, culpa viri dicitur fuisse gravior: si vero *per modum occasionis*, quia peccatum mulieris fuit occasio peccati viri, et ita per consequens omnium aliorum, hoc modo mulier potest dici ceteros corrupisse, non solum posteros, sed etiam virum suum. Unde non solum peccavit in se, sed etiam in proximum; et quantum ad hoc dici potest in muliere gravius fuisse peccatum.

Per hanc *distinctionem* responderi potest ad rationes, quæ ad utramque partem adducuntur, pro eo quod secundum diversa membra hujus distinctionis procedunt. — Aliter posset dici, et quasi in idem cedit, quod peccatum potest dici gravius altero, aut pensatis conditionibus ex parte peccantis, aut ex parte peccati. Si pensemus gravitatem *ex parte peccantis*, gravius peccasse dicitur vir, quam mulier, tum propter donorum præcellentiam, tum propter status præsidentiam; quia mulieri quodammodo prælatus erat. Si autem pensentur conditiones *ex parte peccati*, gravius peccavit mulier, quam vir, tum propter impietatem in Deum; tum propter iniquitatem in proximum; Deum enim sua ambitione inhonoravit, et proximum suggestione sua dejecit.

SECTIO TERTIA.

DE PŒNA PRIMIS PARENTIBUS OB EORUM PERDUELLIONEM IRROGATA.

Statim ac sibi præscriptam a Deo Legem violaverunt primi hominum Parentes, vindicatum est in noxios, et ultionum Dominus in perduelles animadvertit. Audiverunt enim illi, ut refert sacer Textus *Genesis* 3. vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem: ad cujus auditum cum tremuli sese abdidissent, et tandem evocati coram tremendo Judice comparuissent; divinam interminationem senserunt, et in sui admissi criminis ultionem variis pœnis, ac plagis fuerunt affecti. Quæ ut innotescant evidentius, triplici ordine referendæ sunt: quædam enim specialiter soli Evæ: quædam

soli Adamo; aliæ vero utrique fuerunt communiter irrogatæ: quas in sequentibus Quæstionibus referemus, et expendemus.

QUÆSTIO PRIMA.

QUIBUSNAM SPECIALIBUS PŒNIS PRIMI PARENTES IN SUI REATUS VINDICTAM FUERUNT AFFECTI.

Notandum 1. Quod etsi nulla hic de divina in serpentem Protoparentum tentatorem animadversione fiat mentio, revera tamen Deus in ipsum, priusquam in Adamum, et Evam, animadvertit his verbis *Genesis* capit. 3. versu 14. *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia: super pectus tuum gradieris, et terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te, et mulierem, et semen tuum, et semen illius: Ipsa conteret caput tuum: et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Quibus verbis quinque referuntur serpenti irrogatæ in suæ tentationis vindictam pœnæ: *Prima* quidem est divinæ maledictionis in eum fulminatio: *Quia*, inquit S. Chrysostomus Hom. 17., *tali malitia ministrasti, ut impostura illa opere compleretur, malum consilium offerendo; propterea quia te in his ut instrumento es usus, perpetuam pœnam impono, ut per ea quæ tibi fiunt, futuri homines eruditantur, non accedendum ad diaboli consilia, neque illius fraudes accipiendas, ut ne in easdem incidant pœnas. Secunda* est gressus super pectus: non quod revera ante tentationem serpens rectus incederet, ut quidam arbitrantur: sed quod ille gressus, qui prius erat naturalis, ipsi etiam injunctus est in pœnam: sicut mors, quæ prius erat naturalis homini ante peccatum, homo enim naturaliter mortalis est, verum eximio et admirabili beneficio Deus in statu innocentiæ mortem ab homine propulsabat et arcebat, ita ut si numquam homo peccasset, numquam mortuus fuisset: propter peccatum autem spoliatus homo justitia originali, et illa singulari protectione Dei destitutus, suæque permissus naturæ, in mortem incurrit: ita voluit Deus supplicium esse serpenti, quod prius erat natura. *Tertia* est inimicitia inter ipsum, et mulierem, necnon et semen ipsius, idest, genus humanum, quibus serpentes odiosi sunt, et aversandi, ita ut ad eorum conspectum post illam divinam interminationem, hominum quilibet contremiscat, et fugiat: quod utique annotat S. Damascenus, lib. 2. *De Fide orthodoxa*, c. 10. *Serpens*, ait, *plus ceteris animalibus familiaris erat homini, ad ipsum frequenter accedens, eique placidis motibus corporis blandiens: unde per ipsum princeps mali diabolus primis nostris Parentibus impietatis suæ venenum instillavit.* Sunt qui putent aspectum serpentis nonnisi post peccatum primi hominis, et maledictionem istius serpentis, cœpisse homini esse horrificum, ac terrificum, post illa scilicet Dei verba: *Inimicitias ponam inter te*, etc. *Quarta* est ipsius serpentis a muliere contritio; experientia namque constat, inquit Rupertus, quod si mulier planta nuda dentem serpentis prævenerit, et caput ejus presserit, statim cum capite totum corpus perire, quamvis, si ejus caput gladio appetatur, vel malleo, difficile ita conteri possit, ut totum corpus enecetur. Fateor tamen his verbis præsignari Christi Domini, ac Beatæ Virginis Conceptionem, qua dæmonis caput conterendum, hoc est originale peccatum eliminandum et extirpandum erat.

Notandum 2. Varia fuisse SS. Patrum placita circa pœnas illas serpenti irrogatas, num videlicet naturali an mystico serpenti, seu diabolo fuerint denuntiatæ; plurimi namque cum S. Augustino libro *De Genes. ad litteram*, cap. 36. arbitrantur ea maledicta, quæ Deus in serpentem dixit, non ad verum serpentem tentationis organum, sed ad diabolum illius artificem pertinere: ita quod præfata omnia verba metaphorice sint accipienda: dæmon enim revera dicitur *maledictus inter bestias terræ*, quia damnatus est æternis pœnis; et quidquid in bestiis corporaliter cernitur obscœnum, fraudulentum, aut truculentum, id multo magis in dæmone spiritualiter reperitur. *Super pectus, et ventrem graditur dæmon*, quia duabus viis adoritur seducere homines, per superbiam scilicet, quæ figuratur pectore, et per libidinem, quæ adumbratur ventre. *Terram comedit omnibus diebus vitæ suæ:* nam, inquit S. Gregorius 101. *Antiquus hostis terram comedit, quia peccatores quosque in ventrem suæ malitiæ abscondit, isque hominum perditionem desiderans, quodammodo reficitur, dum pravis eorum operationibus delectatur: illud autem, cunctis diebus vitæ tuæ, designat omne tempus hujus vitæ usque ad consummationem sæculi, quo tempore permissum est dæmoni homines tentare, decipere ac perdere; quod ille pro vita, et magna voluptate habet, quamobrem dæmones rogabant Christum, ne mitteret eos in abyssum, et alii dicebant ei:* Venisti huc ante tempus torquere nos. — Nihilominus verius dicendum arbitror, maledictionem illam, et pœnam vere pertinuisse ad ipsum serpentem; licet ipse nullum patrasset scelus, sed ejus flagitii auctor fuisset diabolus; nec serpens libero polleret arbitrio, quasi in potestate ejus fuisset vel dare se, vel non dare diabolo ad scelus illud exequendum. Hinc quæ prius erant naturalia serpenti, cesserunt in pœnam: quibus etiam ipse dæmon, qui serpente usus fuerat tamquam instrumento, ad ipsius serpentis pœnam dolore quateretur; velut si quis musicum instrumentum infringat, quo afficiat dolore eum, qui illo ad canendum utebatur; aut equum abscissis pedibus prosternat, ut sessori noceat; vel navem subvertat, ut qui ea vehitur, naufragio pereat: ita Deus maledictis ferivit serpentem, quo diabolum, qui per eum locutus fuerat, dolore angeret: quemadmodum etiam legionem dæmonum afflixit, porcos perdendo.

Notandum 3. Quod etsi mors præcipua fuerit pœna primis Parentibus, et eorum posteris ob ipsorum perduellionem, a Deo irrogata; nihilominus hic ejus pœnæ nullam mentionem faciendam existimo: supra namque dictum est mortem ipsam fuisse homini naturalem, nec cessisse in hominis supplicium, nisi per substractionem justitiæ originalis; quo factum est, ut licet mors sit homini naturalis, tamen in ejus peccati pœnam et vindictam ipsi contigisse in sacris Litteris testatum reperiamus, quemadmodum arcus cælestis fuerat quidem ante diluvium, fitque naturaliter; Deus tamen eum numquam imposterum futuri diluvii signum esse voluit. Cæteræ ergo speciales Adamo, et Evæ præscriptæ pœnæ hic supersunt discutiendæ.

Conclusio prima. — Triplex Evæ, et fœminis ejus posteris a Deo pœna fuit injuncta, nempe ærumnarum multiplicatio in multitudine conceptuum, dolor in partu, et subjectio

SUB POTESTATE VIRI. **Hæc colligitur** ex cap. 3. *Genesis* v. 16. ubi legimus : *Mulieri quoque dixit : Multiplicabo ærumnas tuas, et conceptus tuos : in dolore paries filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.*

Tres autem hujus divinæ sententiæ in sexum fœmineum pœnas sic expendit Rupertus lib. 3. *De Trinitate*, cap. 22. « Triplici, autem « pœna punitur mulier, inquit, quia triplo majus fuit peccatum ejus « quam Adami. *Primo*, quia credendo serpenti plusquam Deo, seducta « est. *Deinde*, quia ligni vetiti pulchritudinem et suavitatem delecta- « biliter concupivit : *Tertio*, quia non contenta transgressione propria, « virum quoque ad transgressionem induxit : merito igitur triplici pec- « cato triplex vindicta, præter communem sibi cum viro mortem, red- « dita est. Nam quia serpenti credidit dicenti : *Eritis sicut Dii :* juste « ipsa contra hoc, quod Deus vivorum est, et non mortuorum, non vi- « vorum sed mortuorum mater esse meruit, dicente Deo : *Multiplicabo « conceptus tuos.* Omnes enim conceptus ejus anima et corpore in « peccato moriuntur, et nemo eorum vivit, nisi vivificetur per Chri- « stum. Item quia visa illius arboris pulchritudine intemperanter fru- « ctum ejus expetivit, pro illo visus delectamento contrarius redditur « uteri dolor. *In dolore*, inquit, *paries.* Tertio, quia virum importu- « nitate mulicbri ad comedendum illexit, idcirco *Sub viri potestate*, « inquit, *eris, et ipse dominabitur tui.* Ita pro seductione, conceptuum « multiplicitas ; pro gulæ oblectamento, uteri dolor ; pro temerario « imperio, et scandalo quod viro exhibuit, servitutis viri pœna red- « dita est. Vel, ut inquit S. Chrysost. Homilia 17. in *Genes.*, quia abusa « es honoris dignitate, subjicio te viro : quia relicto eo, cui dignitati « par, et cujus naturæ particeps, et propter quem formata es, fami- « liaritatem cum serpente mala illa bestia habere, et accipere consi- « lium voluisti, propterea posthac illi te subjicio, et illum dominum « tuum assero, ut illius scilicet dominium agnoscas. »

Hoc ipsum luculenter expendit noster Alensis quæst. 105. art. 9. *Ponuntur*, inquit, *tres pœnæ ex parte mulieris :* 1. *multiplicatio ærumnarum in multitudine conceptuum :* 2. *dolor in partu :* 3. *subjectio sub potestate viri. Est enim triplex vis animæ, cognoscitiva, rationalis, et sensibilis : quantum ad rationalem sumitur pœna subjectionis : quantum ad sensibilem duplex pœna : una secundum multitudinem, cum dicit* multiplicabo ærumnas : *altera secundum ægritudinem, cum dicit :* in dolore paries. *Vel aliter : Individuum ad duo tendit : ad conservationem sui secundum tempus determinatum : ad conservationem speciei simpliciter : Mulier vero dicitur sexus passivi. Juxta autem utramque contrahit ex peccato pœnam : nam juxta actum generationis, qui est ad conservationem speciei, duplicem pœnam trahit ; in portando fœtum, et parturiendo, quorum unum pertinet ad progressum, alterum ad consummationem, in initio vero est electio, et ibi videtur esse sine pœna : et forsasse hoc voluit designare sub nomine* conceptus : *vel hoc tacuit propter delectationem, in qua non videtur esse pœna. Ex parte vero actus, qui est ad conservationem individui, cum bonum sit libertas faciendi, quod sibi est expediens ; malum per oppositum est servitus, subesse scilicet alterius dominationi necessario, hæc est illa pœna, quæ designatur cum dicitur ;* sub potestate viri eris. — « His adjicit Se-

verianus Gabalorum episcopus: mulierem triplici pœna mulctatam, *primo*, quod non obstante molestia partus virum diligere teneatur. *Secundo*, quod ipsa potissimum filiorum procreationis et educationis anxietates ferat; tristatur enim pariendo, animi anxia est educando; ubi puer grandis fit, anxia est ne demens et vecors sit. Cum peregre fuerit, ne mori, ne ægrotare, ne æruinna ac dolore versari contigerit. Hoc vir non habet. Quamvis enim etiam pater sollicitus sit, non sic tamen ut mater, sed ipse se consolatur, dicens, homo est, novit sibi suisque rebus præesse, nec justo anxius curis discruciatur. Quid ita? Quod non audierit: *in tristitiis paries filios*. *Tertium* denique divinæ in mulierem animadversionis genus est quod ipsi amplius docere sit interdictum. « Novum (inquit Severianus) vindictæ genus: tristis « experientia est. Cum dolores partus mulierem apprehenderint, ne in « ipsis quidem laboribus virum respuit. Non dicit: utinam nec nuptiæ « essent! Utinam non esset liberorum procreatio! Non sinit Deus, ubi « etiam periculum fecit, odisse eam virum. Nec eam latet quid illi « acciderit, ac quid sustinuerit, et tamen virum diligit. Ideirco, *in « tristitiis paries filios, et ad virum tuum conversio, aut, et ipse do- « minabitur tui*. Quia jam male illius dominata es, ac tuæ voluntatis « servus effectus est, ordinem solvo: Ipse dominus sit qui non est se- « ductus. Ideirco ait Paulus: *Mulieri autem docere non permitto, neque « dominari in virum*. Male enim primum docuit in paradiso; neque « dominari in virum, male enim dominata est. Hoc ergo sensu jubet « Paulus mulierem non docere; ab ea scilicet quæ in paradiso evene- « runt, non nos cavillamur. Audi ipsum loquentem: *Mulieri autem « docere non permitto, neque dominari in virum*. Et ut ostendat ista « statuere primi reatus causa, subdit: *Adamus enim non est seductus: « mulier vero seducta est in prævaricatione*. » " ✻

Objicies 1. Multiplicatio prolis magnum est bonum, magnumque parentum gaudium, futura etiam, si homo non peccasset in Paradiso, et in statu innocentiæ; igitur ea mulieri pro scelere admisso tamquam ingens quoddam malum pœnæ loco non denunciatur. — *Nego consequentiam:* multiplicatio enim conceptus, ut recte observat Pererius lib. 6. in *Genesim*, cap. 3., quatuor ob causas intelligitur post peccatum esse pœna mulieris, et magnum quoddam malum. *Primum*, quoniam multi conceptus priusquam ad maturitatem, et perfectionem veniant, per abortum in utero matris intereunt. *Deinde*, quia multi generantur partium corporis vel mole, vel numero, vel figura, vel situ, vel ex imbecillitate, et deformitate, vel sensuum vitio, vel animi, et rationis defectu depravati atque monstruosi: quod maximo dolori est parentibus. *Præterea* eorum qui generantur, pauci sunt electi, et prædestinati, plerique vero propter eorum flagitia æternis suppliciis destinati. *His accedit*, multitudinem prolis plerumque, vel ob Parentum paupertatem, cui educandæ non sufficiunt, vel propter flagitiosam, et probrosam filiorum vitam, vel propter miserrimos casus, et exitus acerbissimum Parentibus tormentum, et infortunium esse solere. Unde Rupertus lib. 3. *De Trinit.*, cap. 22. *Non est*, inquit, *multiplicatio benedictionis, sed damnationis; non gratiæ, sed iræ; non clementiæ, sed vindictæ. Unde non dixit tantum*, multiplicabo conceptus tuos, *sed*

insuper addidit, et ærumnas tuas: *mulier quippe quanto fœcundior, tanto ærumnosior.*

Objicies 2. Subjectio mulieris ad virum etiam stabat cum innocentia; mulier enim a viro suam ducens originem, ab eo necessario pendebat, ut a principio suæ formationis: ergo hæc subjectio non fuit ei in suæ perduellionis pœnam a Deo irrogata. — **Distinguo antecedens**: subjectio voluntaria, et jucunda, concedo; involuntaria, et ærumnosa, nego: fuisset quidem mulier in statu innocentiæ sub viri potestate, verum non coacte, nec moleste, nullaque voluntatis repugnantia: cum enim mulier esset integro animo, rectaque mente, nonnisi quod erat honestum, et rectum expendens, libens gaudensque sub imperio viri fuisset: quia id voluntati divinæ, rationique consentaneum esse intelligebat: imperium quoque viri fuisset plenum æquitatis, atque charitatis, nec uxor habita esset ut serva, et ancilla, sed ut charissima vitæ socia, et consiliorum atque officiorum mariti particeps, et ad generationem prolis atque educationem adjutrix. Post peccatum autem gravis pœna est mulieri subesse viro: tum ob ingenii muliebris levitatem, atque vanitatem, animique superbiam iniquo animo maritum sibi præesse ferentis: tum etiam quia plerumque viri uxores suas superbe, iracunde, et aspere tractantes, imperium eis suum onerosum, acerbum, et odiosum faciunt. Unde eleganter S. Ambrosius in Exhortatione ad virginitatem, affirmat mulieres nuptas pretio servitutem suam comparare: *Quæ nupserit*, inquit, *ad servitutem sua pecunia venditur; meliore conditione mancipia, quam conjugia comparantur: in illis meritum emitur servitutis; in istis pretium ad servitutem additur; nupta venalis auro gravatur, auro æstimatur.*

Conclusio secunda. — Triplici maxime pœna mulctatus fuit Adamus ob suam prævaricationem; nimirum maledictione terræ in ipsius laboribus, ejusdem spinarum et tribulorum germinatione: et victus parcitate, et labore. **Hæc aperte** constant ex 3. cap. *Genesis*, v. 17. 18. et 19. ubi Deus Adamum sic alloquitur: *Quia audisti vocem uxoris tuæ, et comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, spinas, et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terræ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris.*

Hujus conclusionis veritatem, et prætatam Dei in Adamum animadversionem sic expendit Alensis noster supra laudatus: *Illis*, inquit, *divinæ Scripturæ verbis, distinguuntur hominis pœnæ tum in vita, tum in morte. In vita quidem quantum ad initium, quantum ad progressum, et quantum ad consummationem. Quantum ad initium, cum dicitur:* Maledicta terra in opere tuo, *etc. Quantum ad progressum, cum dicitur:* Spinas, et tribulos germinabit tibi. *Quantum ad consummationem, cum dicitur: comedes herbas terræ: et*, In sudore vultus tui vesceris pane tuo. *In primo apparet laborandi difficultas in terræ cultura; in secundo ejusdem infructuositas cum dicitur:* Spinas, et tribulos: *In tertio victus parcitas.* Pœna vero, quæ respicit mortem, duplex est pariter, nempe moriendi necessitas, et incineratio: primum desi-

gnatur his verbis : *Donec revertaris in terram, de qua sumptus es.* Secundum vero denotatur sequentibus : *Pulvis es, et in pulverem reverteris.* — *Advertendum* autem Deum non maledixisse Adamo, sicut maledixerat serpenti; *Tum* quod prius ipsum sua benedictione veluti consecraverat: *Tum* quod per agendam pœnitentiam gratiam sanctificantem erat Adamus iterum adepturus; *Tum denique* quod Christus Dominus naturam humanam aliquando erat assumpturus. Licet autem nihil terra peccaverit, ipsa tamen divina maledictione feritur, non quidem absolute et simpliciter, sed respective ad hominem; idcirco Adamo dicit Deus : *Maledicta terra in opere tuo:* hoc est, ut explicat Rupertus, *Laboriosa sit tibi operatori, vel cultori. Quia*, inquit Hugo Victorinus, *non ferret sponte per se fructum unde vivas; vel quia non respondebit tibi aliquando secundum opus tuum:* qui sensus verior apparet; sicut enim in sacris Litteris Dei benedictio significat copiam, et abundantiam bonorum; ita maledictio bonorum inopiam et sterilitatem, ac malorum et miseriarum redundantiam. — Homo itaque propter peccatum expertus est terram sibi maledictam, utpote qui ante suavi quodam exercitio, non autem laborioso studio et cultu feracem atque abundantem sibi reddere poterat tellurem, sentit eam anathemate percussam; hoc est, rerum utilium sterilem, noxiarum et inutilium fœcundam, et quæ ad victum necessaria sunt homini, non sine grandi labore, multisque hominis sudoribus proferentem. — *Maledicta* autem fuit terra potius, quam aqua, aut aliud elementum : « Vel quia, « inquit Alensis, mediante fructu ex terra oriundo peccavit Adam »: vel, ait Alcuinus, terræ maledicitur, non aquis; quia homo de fructu terræ contra vetitum manducavit, non de aquis bibit: et quia in aquis erat peccatum abluendum de fructu terræ contractum, nimirum respectum habuit Dominus ad sacrum Baptisma, in quo delicta veteris Adami submersa funditus abluuntur.

Rogabis : An per istam Dei maledictionem dempta fuerit, aut saltem diminuta telluris fœcunditas, inductaque sterilitas. — **Respondeo**, probabilius videri eodem plane statu terram semper extitisse: ceterum homo perdurante innocentiæ felicitate in Paradiso habitasset, cujus erat solum fœcundissimum atque amœnissimum: insuper minor homini tunc foret indigentia, et consequenter minorem operam ruri colendo impendisset, cælestes influentiæ opportunius, clementius, certiusque satæ, cultæque telluri adfuisset: at post peccatum ejectus homo est ex illo felicissimo Paradisi solo; deinde sparsi per orbem mortales in varias ac multo dissimiles terrarum portiones dilapsi, aliud macrum et jejunum, aliud arenosum, aliud glabrum, aliud pestilens, aliud noxiis fœcundum, infœcundum utilibus plantis invenerunt solum, coactique sunt immensis laboribus ac sudoribus alimenta sibi ex tellure comparare; maxime vero cum cælestes impressiones, uti nunc fit sæpe numero, aut non opitulentur agricultoribus, aut culta ipsa prorsus evertant.

Rogabis 2 : An revera spinæ, et tribuli extiterint ante hominis peccatum. — **Respondeo**, plures e sacris Interpretibus, cum Rabbano, arbitrari ante peccatum, nec arbores infructiferas, nec herbas inutiles, ac noxias, nec spinas, tribulosque enascituros fuisse; sed in supplicium peccati, et in perpetuam admonitionem homini futuram, e terra

prorupisse. *Quapropter spinæ*, ait, *et tribuli monent hominem, ut avertatur a peccatis, herbæ venenosæ ad pœnam, et exercitationem mortalium creatæ sunt, quia mortales propter peccatum facti sumus; per infructuosas arbores insultatur hominibus, ut intelligant quam sit erubescendum, sine fructu bonorum operum esse in agro Dei, hoc est in Ecclesia: et ut timeant ne deserat illos Deus, quia et ipsi in agris suis infructuosas arbores deserunt, nec aliquam culturam eis adhibent.* Sic ille. S. Basilius Homilia 5. in *Hexamer.* similiter philosophatur, *Rosa*, inquiens, *tunc spinis carebat, postea vero pulchritudini floris adjunctæ sunt spinæ, ut nos voluptatis inde capiendæ oblectamento propinquo, afficiamur dolore recordatione delicti; causa cujus factum est, ut spinas, ut tribulos tellus huic addicta condemnationi nobis præferret.* Sic Basil. quem secutus Procopius ita loquitur ad cap. 1. *A primordio creationis rosa nullis spinis erat aspera. Postea demum ejus pulchritudini accessere asperi illi aculei: ut dum ejus suavi odore fruimur, et delectamur, oppositam quoque sentiamus tristitiam, recordantes peccati, ob quod terra condemnatione prostrata est, ut nobis spinas, sentes, tribulosque pariat.* — Verius tamen dicendum arbitror, terram revera spinas, et tribulos ante peccatum produxisse; tamen hæc germinatio homini tunc non fuisset pœnalis, sed animalibus his utentibus utilis, et jucunda, vel ad terræ ornatum, vel ad elevandum hominem ad laudem Dei, multiplici creaturarum genere: nunc autem est pœnalis, quia productionem seminum utilium impediunt, et eorum loco pluries enascuntur.

* " Hic prætereundum non est ludicrum, verius dicam impium Judæorum commentum, qui asserunt Adamum post admissum scelus, per centum et triginta annos ab Eva fuisse separatum, et excommunicatum, et illum cum dæmone fœmina, nimirum, Lilit concubuisse; Evam vero cum dæmone masculo, et ex illis Adamum et Evam liberos suscepisse. In Talmud hæc occurrunt, referente Salom Jarchio: *Dixerat Rabbi Jeremias filius Eliezaris omnibus istis annis quibus fuit Adam in anathemate excommunicationis, genuit spiritus, et dæmonas, et spectra nocturna, sicut dicitur; et vixit Adam centum et triginta annos, et genuit liberos in imagine et similitudine sua, quod docet quod ad illud usque tempus non genuerat ad similitudinem suam.* Sed alios liberos susceperat, dæmonas nimirum, et spectra nocturna. Hoc etiam patet ex Bereschit Rabba section. 20. et 29.: *Omnibus centum et triginta annis quando fuit separata Eva ab Adamo, fuerunt spiritus masculini incalescentes ab ea, qui concubuerunt cum ea, ipsaque pariebat ab illis. Et spiritus fœminæ incaluerunt ab Adamo et pariebant ex illo. Illud est quod in Scriptura legitur: Cum perverse egerit, castigabo eum virga hominum, et plagis filiorum hominum.* Absurda sane et omnino impia sacrorum Psalmistæ verborum expositio. Itaque cum Judæi vanis semper ac fabulosis traditionibus occupati et inescati crederent dæmones ac generari posse et aliquos esse filios *Lilit*, hoc est noctis ac tenebrarum, mirum non est quod Apostoli filios Ecclesiæ dixerint non esse filios tenebrarum, sed lucis; sic 1. Thess. V. 5.: *Omnes enim vos filii lucis estis, et filii diei: non sumus noctis, neque tenebrarum.* Qua etiam allusione Simon Magus dicitur primogenitus Satanæ apud Ignatium, Marcion primogenitus

diaboli, apud Irenæum et Eusebium, et is qui negat Christum in carne venisse a S. Polycarpo dicitur antichristus et primogenitus diaboli. " ✳

QUÆSTIO SECUNDA.

QUID PRIMIS PARENTIBUS CONTIGERIT POST DIVINAM IN EOS ANIMADVERSIONEM.

Notandum 1. Quod statim ac Deus primos Parentes ob admissum scelus increpavit, et utrumque specialibus pœnis addixit, subdit Moyses ipsum eos e Paradiso ejecisse; *Emisit*, inquit *eum*, nempe Adamum, *de Paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est:* quibus supremus Judex reos illos a loco voluptatis deturbavit, ne si in eo persisterent, vescerentur de ligno vitæ, viverentque in æternum: *Alienandi enim erant a vita jam morituri*, ait S. Augustinus: unde Procopius, *Pulsus est*, inquit, *homo secundum præcepti tenorem a Paradiso, qui suscipiebat viventes, morientes.* Hinc S. Bernardus sermone 1. in *Festo omnium Sanctorum: Miseri*, ait, *Adam et Eva, qui conversi in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis; dum confessionis mundationem fugiunt, immundo remanent corde, et a facie Domini ejiciuntur sicut excommunicati: Non solum quia vetitum comederunt: sed quod male confessi pœnitentiam non egerunt, ablegavit illos Dominus a vitæ ligno, et delitiarum horto.* Tria itaque maxime veniunt hic discutienda, *Primum*, quanto tempore Adamus, et Eva in Paradiso steterint. *Secundum*, quanam in patria post suam ejectionem e Paradiso degerint. *Tertium*, an salutari sua pœnitentia in Dei gratiam, et benevolentiam fuerint postmodum restituti.

Notandum 2. Percelebrem quidem esse concertationem inter Doctores, quanto tempore perstiterint primi Parentes in Paradiso terrestri. Res plane difficilis explicatu; quis enim, ubi nulla mentio fit a sacro Scriptore, pro certo quidquam audeat affirmare? Soli conjecturæ locus est impræsentiarum, ✳ " quia revelatio divina hac in re deest, nec quidquam ex Scriptura Sacra circa hanc controversiam definiendam certo potest elici. Unde itum est in varias opiniones, et assertiones. Kabbalistarum quidem sententia, nemini sano accepta, fert viginti annis in eo statu Adamum mansisse, quia nemo capax sit damnationis, quin totidem annorum sit: id quod per gematriam ridicule colligunt ex verbo *fuit.* cap. 3. *Genes.*, vers. 22. Sed et omni ratione caret, quod alii triginta et tribus annis mansionem definiunt, quia totidem annos Christus vixerit: alii quadraginta diebus, quia totidem Christus in eremo jejunarit; quis nos docuit in ejusmodi circumstantiis Adamum cum Christo comparare? Irenæus, Cyrillus et Epiphanius, ac hos secuti plurimi arbitrantur non ultra sex horas in statu innocentiæ Adamum fuisse. Eodem enim die, inquiunt, nempe sexto, hora creatum tertia: lapsum hora sexta: expulsum hora nona, quod similiter ex analogia cum Christo confirmant. Sicut Christus in exordio diei sextæ passionis ante tribunal raptus, sputis sordidissimis fœdatus est, ita de luto formatum Adamum. Sicut hora tertia Christus accepta mortis sententia Hierosolymis ad supplicium ductus: sic Adamum eadem in Paradisum. Sicut inter sextam et nonam Christus suas manus in cruce extendit: sic hora sexta Adamum et Evam manum

ad decerpendum extendisse fructum. Sicut denique hora nona Christus in cruce expiravit et latro Paradisum ingressus est, ita eadem hora Adamum fuisse ex Paradiso ejectum. Idem fere sentit Patricides Arabs : expulsos eos hora nona diei veneris in montem quemdam Indiæ. Sed et Ibn-Fora Jacobita in scripto apologetico quod Patricidi opposuit similia habet, referente Holhingero, Smegmat. *Oriental.* lib. 1. pag. 209. — In hac autem sententiarum diversitate quid certo statuatur non occurrit. Verisimilius tamen augurari mihi videntur qui Adamum plus uno die solido in Paradiso stetisse innocentem opinantur. Hoc enim Moyses non obscure indicat cap. 2. *Gen.*, v. 3. cum ait Deum quievisse die septimo et illum sanctificasse, homine adhuc in Paradiso existente ; sanctificatio enim illa quid fuit aliud quam præceptum homini datum de illo die sanctificando? Igitur homo die septimo nondum peccaverat, totus enim ille dies haud dubie sanctificatus est. Accedit quod ait Josephus lib. 1. *Antiquitatum judaïcarum,* cap. 2. : *Adamum naturam interpretari cœpisse post septimam diem,* dum videlicet adductis coram eo cunctis animantibus nomina singulis imposuit juxta cujusque naturam : sive enim singula animalia reipsa coram Adamo convocaverit Deus, sive hæc adductio facta fuerit per visionem intellectualem, ut vult Cajetanus, certum est ex serie Judaïcæ Moyse illam nominum impositionem ab Adamo factam esse dum adhuc esset innocens et in Paradiso consisteret ; subindeque verisimile est Adamum ad minus per integram diem in Paradiso innocentem stetisse. " ✻

Notandum 3. Tria hac in re ancipiti videri certa : *Primum* quidem. Adamum, et Evam non ita diuturno tempore in Paradiso stetisse ; credibile enim est dæmonem, quem invidia humanæ felicitatis urebat. et flagrantissima cupiditas deturbandi hominem ex illo felici statu vehementer instigabat, diu tenere se non potuisse, quin hominem oppugnare adoriretur, et per dolum, ac fraudem circumvenire conaretur. *Secundum* est quod eodem die, quo peccaverunt, e Paradiso fuerunt deturbati : hoc nempe indicat Moysis narratio ; refert enim post peccatum illos erubuisse ob nuditatem corporis, ad eamque velandam fecisse sibi subligacula, et audita Dei voce, pudore simul et timore perculsos in medium sese Paradisi nemus abdidisse, indeque jussu Dei egressos fuisse, ab eo increpatos, et e Paradiso exterminatos. Nec sane locus ille Paradisi propter hominem innocentem constitutus. reorum conveniens erat habitaculum. Adde quod si longiori tempore mansissent, periculum erat ne commiscerentur, cum jam mutua exarsissent libidine : cum tamen S. Augustinus, et alii Patres, virgines illos e Paradiso recessisse summo consensu prodant. *Tertium* denique quod certum videtur, est ipsos fuisse e Paradiso exterminatos sub finem ejus diei, quo peccaverunt, hoc est ante solis occasum : etenim refert Moyses Deum apparuisse, et tonantem vocem emisisse ad auram post meridiem, idest sub vesperam, nam eo tempore ventus spirare solet, præsertim zephirus : maxime vero in locis maritimis. His ita prælibatis, sit :

Conclusio prima. — Probabilius est Adamum, et Evam. non tantum uno die moratos fuisse in Paradiso.

Hæc est communior inter sanctos Patres ; eamque sua sententia

firmat S. Augustinus, lib. 11. *De Genesi,* cap. 31. et lib. 2. *De peccatorum meritis, et remissione* cap. 21. nam cum ait: *Primos Parentes ante peccatum usos fuisse ceteris Paradisi fructibus,* satis innuit, plus uno die eos in Paradiso mansisse. Clarius idem significat S. Gregorius lib. 4. *Dialogorum,* cap. 1. his verbis: *In Paradiso assueverat homo verbis Dei, et beatorum Angelorum spiritibus, cordis munditia, ac celsitudine visionis interesse.*

Probat hanc veritatem Pererius quæst. 2. in 3. cap. *Genesis,* ex eo quod non consentaneum videatur tam multa, et varia, quæ inter creationem Adami, et ejectionem ejus narrantur facta, intra unum diem coarctari. Etenim sexto die, *primum* quidem creata sunt animalia terrestria: *postea* vero creatus est homo extra Paradisum. *Deinde* in Paradisum introductus, accepit præceptum a Deo, abstinendi ab arbore scientiæ boni, et mali. *Post hæc* ducta sunt ed eum animalia, quorum singulis, considerata cujusque eorum vi, et natura, congruentia imposita ab eo sunt nomina. *Cumque* in eis nullum ei reperiretur idoneum ad societatem vitæ, prolisque generationem adjutorium, ex Adami altissimo somno sopiti latere formata est Eva. *Adhuc* nudi versabantur ambo in Paradiso sine ullo, aut nuditatis suæ pudore, aut externi incommodi, vel molestiæ perpessione. *Post hæc* consecutus est sermo inter serpentem, et Evam ultro citroque habitus, scilicet, ut credibile est, multo longior, quam a Moyse commemoretur. Eva porro serpentis decepta promissis, arborem vetitam adivit; ejusque curiose spectata, et considerata pulchritudine, decerpsit fructum, comedit, perrexit ad virum, et suis blanditiis eum pellexit ad comedendum. *Quo facto* cum eos protinus suæ nuditatis puderet, ad eam tegendam fecere sibi subligacula, auditaque Dei ad eos venientis voce, sese in medium Paradisi locum densissimis opacum arboribus abdiderunt: unde jussu Dei egressi, uterque separatim ab eo interrogati, puniti tandem e Paradiso ejecti sunt. Tantam igitur hanc rerum molem respuit animus credere in unam diem commode includi potuisse. Hæc ille. — *Confirmatur* hæc veritas ex ipsamet Scriptura sacra: si enim tam exiguum tempus inter creationem Adami, et Evæ, ac serpentis tentationem interfluxisset; nulla erat ratio cur serpens diceret Evæ: *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno Paradisi?* Hoc enim argumentum est serpentem observasse eos ex omnium arborum fructibus edere solitos, præter unum arboris scientiæ boni, et mali fructum, a quo religiose videbat eos sese abstinere, quod utique Eva confirmasse videtur dum serpenti respondit: *De fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso, vescimur, etc.* Quid est enim *vescimur,* nisi vesci solemus? quamquam non me lateat Hebraice legi *vescemur,* in futuro tempore. — Unde non incongrue quidam conjectantur illos in Paradiso stetisse per octo dies, et octavo die, quam fuerant creati, hoc est Feria sexta hebdomadæ secundæ, profligatos ex horto; nam spatium octo dierum sufficiens fuit experiendæ aliquantulum ejus status felicitatis, et Paradisi voluptatis degustandæ. Idque consonat eis, quæ sancti Patres edocent, nempe Adamum eodem die creatum, et lapsum, eodem, inquam, non numero, sed hebdomadæ, nempe sexto recurrente. — Habet pariter consonantiam cum eo, quod secundus Adamus, Christus nempe, pro expiando primi Adami crimine pertulit, etenim

sexta die Adamus est creatus, et e Paradiso ejectus; eadem quoque die passus est Christus, suoque sanguine cœlestis Paradisi januas Adamo, et posteris reseravit. 2. In ejus diei exordio, ille fuit ex luto formatus; hic idem ad tribunal raptus, et sordidissimis fœdatus sputis. 3. Hora ejus diei tertia inductus est Adamus in Paradisum; et Christus tertia hora, mortis accepta sententia, urbe Jerosolyma eductus est ad supplicium. 4. Inter sextam, et nonam horam Adamus, et Eva protenderunt manus ad excipiendum fructum, qui nobis mortem intulit; hoc ipso tempore Christus manus extendit in Cruce, sanguinem fudit, et mortem obiit, quæ nobis vitam æternam conciliaret. *Denique* ad auram illius diei Deus ejecit Adamum, et Evam vetiti fructus latrones e Paradiso terrestri; Christus autem Latronem pœnitentem in cælestem Paradisum eodem tempore, sicut promiserat, induxit.

Conclusio secunda. — Credibilius est Adamum, et Evam e Paradiso detrusos, illam terræ plagam incoluisse, quæ postmodum Judæa et Palestina dicta est. Ita ex vetustissima Hebræorum traditione affirmat *S. Basilius* in 5. cap. Ezechielis dicens: *Obtinuit fama quædam in Ecclesia memoriam conservatam non scripto proditam, quæ et talis est, quod prima utique Judæa hominem habebat incolam, nimirum Adam, simul atque excidit delitiis Paradisi, in hac terra collocatum, ad mitigandam jacturam bonorum quibus fuerat exutus.* — Idem affirmat Rupertus lib. 3. cap. 31. et ex eo Tostatus, et uterque ex S. Hieronymo, contendentes Adamum in Judæa commoratum fuisse, ibique sepultum. Addi potest eorum auctoritas, qui referunt agrum Damascenum, qui interpretatur sanguinis mixtio, sic nominatum, quod in eo primum cruente fusus fuerit humanus sanguis, dum nempe ibi innocens Abel a fratricida Caino fuit trucidatus.

Confirmatur hæc veritas: Ibi degisse dicendus est Adamus dum viveret, ubi post mortem fuit tumulatus: sed tumulatus fuit in Palæstina: ergo in ea vixit. *Major constat*, nam ut Christus Dominus in Evangelio loquitur, *ubi ceciderit arbor, ibi manebit*, quibus verbis non solum eumdem fore animarum statum post mortem, qualis in morte fuerit, sed etiam designat corpora eadem in plaga esse tumulanda, in qua fuerunt extincta. *Adde quod* tunc temporis nondum mos inoleverat apud Magnates, specialem sibi sepulturæ locum seligendi, in quem, si longius abessent morientes, eorum corpora essent deportanda. *Probatur minor* ex communi Judæorum traditione a pluribus Sanctis Patribus firmata, Adamum in Monte Calvario, a Cranio, seu Calvaria ipsius ita nominato, fuisse tumulatum, in quo post tria annorum millia Dominus noster Jesus Christus crucifixus est; ut qui primus peccati fuerat auctor, primus etiam peccati medicinæ salutaris vim reciperet. Ita præ cæteris sentit Tertullianus in carmine contra Marcionem, sic scribens:

Golgotha, locus est capitis, Calvaria quondam
Lingua paterna prior, sic illum nomine dixit:
Hic hominem primum suscepimus esse sepultum:
Hic patitur Christus, pio sanguine terra madescit:
Patris Adæ, ut veteris possit cum sanguine Christi
Commixtus, stillantis aquæ virtute lavari.

Ipsi subscribunt S. Cyprianus, sermone *De resurrectione Christi : Nos*, inquit, *ad Christum pertinentes, cujus sanguine conspersa creditur Adami Calvaria, qui sub loco ubi Crux Domini fixa est, humatus traditur ab Antiquis.* Origenes tractatu 35. in Matthæum : *Venit ad me traditio quædam, quod corpus Adæ primi hominis sepultum est, ubi crucifixus est Christus, ut sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificentur, ut in loco illo, qui dicitur* Calvariæ locus, *idest* locus capitis, *caput humani generis resurrectionem inveniat cum populo universo per resurrectionem Domini Salvatoris, qui ibi passus est, etc.* S. Chrysostomus Homil. 24. in 19. caput Joannis : *Exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locus, ubi quidam dicunt Adam, et mortuum, et sepultum esse, et Jesum, ubi mors dominata est, ibidem trophæum erexisse per Crucem, quam tulit contra mortis tyrannidem.* S. Augustinus, sermone 71. *De tempore : Etiam hoc Antiquorum relatione refertur, quod et Adam, primus homo in ipso loco, ubi Crux fixa est, fuerit aliquando sepultus : et ideo* Calvariæ locum *dictum esse, quia caput humani generis ibi dicitur esse sepultum. Et vere, Fratres, non incongrue creditur, quia ibi erectus sit medicus ubi jacebat ægrotus ; et dignum erat, ut ubi occiderat humana superbia, ibi se inclinaret divina misericordia : et sanguis ille pretiosus etiam corporaliter dum dignatur pulverem antiqui peccatoris stillando contingere, redemisse credatur.* Imo et Hieronymus ipse, licet aliter sentire videatur in Epitaphio S. Paulæ, tamen scribens nomine Paulæ, et Eustochii ad S. Marcellam Epistola 17. ait, *In hac urbe, imo in hoc tunc loco, et habitasse dicitur et mortuus Adam, unde et locus in quo crucifixus est Dominus noster, Calvaria appellatur ; scilicet quod ibi sit antiqui hominis Calvaria condita ; ut secundi Adam, idest Christi, sanguis de Cruce stillans, primi Adam, et jacentis Protoplasti peccata dilueret.*

Objicies ex Josue 14. *Nomen Hebron ante vocabatur Cariath-arbe, Adam maximus inter Enacim ibi situs est.* Hinc S. Hieronymus in Epithaphium S. Paulæ ; *Cariath-arbe,* inquit, *idem est ac civitas virorum quatuor, Abraham, Isaac, Jacob, et Adam magni, quem ibi conditum, juxta librum Jesu Nave Hebræi autumant ; licet plerique quartum putent Caleb, cujus latere memoria monstratur.* Ergo Adamus in Hebron fuit tumulatus. — *Secundo,* cum diluvio plures deportati fuerint terrarum aggeres, montesque plurimi hinc inde distracti ; verisimile est pariter diruta fuisse mortuorum sepulchra omnia, ac proinde ipsorum ossa disjecta ac dissipata. Quonam itaque modo factum est, ut Adami ossa in Golgotha perseveraverint ita integra, ut postmodum ibidem ejus Cranium inveniretur? — **Respondeo** *ad primum ;* nomen *Adam* non semper esse proprium primo Parenti, sed cuilibet homini concessum, ut constat ex his verbis *Genesis* 6. *Masculum, et fœminam creavit eos, et benedixit illis, et vocavit nomen eorum Adam :* ac proinde ibi tribuitur cuidam homini, cui peculiare nomen erat *Arbe,* qui sicut legitur *ibidem* cap. 15. versu 13. erat Pater Enac Gigantis ; cum aut Arbe fuerit statura major, vel dignitate præcellentior suis filiis, qui cap. 13. *Numerorum* dicuntur monstra quædam de genere Giganteo, is Arbe merito dicitur inter Enacim maximus. *Ad secundum* dico falsum esse diluvio omnes deportatos montes in eisque locata sepulchra fuisse dissipata ; plures enim steterunt inconcussi montes, puta montes Armeniæ, in quibus

Arca Noe stetit. — *Confirmatur iterum* ex iis, quæ refert Moyses Barcepha lib. *De Paradiso*, cap. 11. ex *Jacobo Orrohaita*, nempe Noe habitasse in terra Jebus, atque in regione Sodomorum, ibique plantasse illas Cedros, ex quibus Arcam construxit: quam Arcam cum esset una cum liberis suis conscensurus impendente diluvio, secum in eam intulisse ossa Adami; eaque deinde post diluvium Arca egressum suis filiis distribuisse, prout orbem terrarum inter illos habitandum partiebatur, v. g. *Calvariam* Adami dedisse primogenito suo Sem, et terram assignasse ei Judæam, atque ita posteritatem Sem, cum in Judæam, seu suam hæreditatem venisset, illam Adæ Calvariam, quæ sibi de illius ossibus ex paterna distributione obvenerat, in Adæ sepulchro, quod alioquin jam tum illic extabat, reposuisse. Constat itaque ante diluvium Adamum in Palæstina fuisse tumulatum.

Conclusio tertia. — CERTUM EST ADAMUM, ET EVAM SUA JUGI PŒNITENTIA DIVINAM IN GRATIAM ET BENEVOLENTIAM FUISSE RESTITUTOS.

Patet hujus Conclusionis veritas ex libro *Sapientiæ* cap. 10. ubi legimus: *Illum, qui primus formatus est a Deo Pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit, et eduxit illum a delicto suo, etc.* Unde S. Augustinus in Epistola 99., quæ est ad Evodium, sic ait: *De illo quidem primo homine Patre generis humani, quod Christus cum descendit ad inferos, inde eum liberaverit, Ecclesia fere tota consentit, quod eam non inaniter credidisse credendum est, undecumque hoc traditum sit, etiamsi canonicarum Scripturarum hinc expressa non proferatur auctoritas. Quamquam illud, quod in* lib. *Sapientiæ* capit. 10. *scriptum est;* hæc *(nempe Sapientia divina)* illum, qui primus factus est a Deo, Patrem orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit. et eduxit illum a delicto suo; et dedit ei virtutem continendi omnia: *Hoc inquam, quod ibi scriptum est, magis pro hac sententia, quam pro ullo alio intellectu facere videatur.* Sic Augustinus. Nec refert, quod Rupertus lib. 3. cap. 33. hanc veritatem in dubium revocet, affirmetque Sapientiæ librum non esse canonicum: mirum enim est virum aliunde doctissimum ignorasse librum Sapientiæ multis ante suam ætatem sæculis inter canonicas Scripturas fuisse repositum, ut videre est in Conciliis Carthaginensi, et Laodiceno. Adde quod ipsi adversentur omnes SS. Patres, qui verbis ac scriptis pugnaverunt in *Tatianum*, S. Justini Martyris quemdam discipulum, postmodum Encratitarum hæreticorum infelicem Parentem, cujus ex præcipuis erroribus unus erat, Protoparentes æternis urgeri suppliciis, propterea quod nec admissi criminis pœnitentiam egissent, nec veniam fuissent assecuti, ut legere est apud S. Epiphanium Hæresi 46. et S. Augustinum libro *De hæresibus* cap. 25.; sed maxime apud S. Irenæum lib. 3. cap. 31. qui pluribus momentis præfatum Tatianum impugnat, et nostram Conclusionem propugnat.

Probatur ratione, quod in divinam gratiam restituti fuerint primi Parentes: *Primo* quidem, quia Deus non maledixit Adamo nec Evæ, sicut maledixerat serpenti; quod certe indicium est eorum salutem non fuisse desperatam, sicut desperata erat diaboli in serpente latentis restituenda salus: seu, ut loquitur Tertullianus lib. 3. *Adversus Mar-*

cionem cap. 25., *Ideo nec maledixit ipsum Adam, et Evam ut restitutionis candidatos, etc. Secundo,* quia Adamus, et Eva induerunt se asperis perizomatis ex foliis ficulneis quasi sacco, et cilicio, *Ut invidiam perditionis humanæ omni satisfactionis habitu expiarent*, inquit Tertullianus, libro *De cultu fœminarum. Tertio*, quia Deus non videretur, nec recte diceretur bonus Pastor ovem centesimam, quæ perierat, quærens et inveniens, si primus homo, qui per eam deperditam ovem significabatur, salvus non esset. *Quarto* denique, gloriari posset diabolus se a Christo minime victum et exarmatum, si primi Parentes, quos ipse vicerat, a peccatis, et cruciatibus non fuissent per pœnitentiam soluti ac liberati. *Quintam* rationem adjiciunt alii Patres cum S. Epiphanio supra laudato, ex eo quod sepultus fuerit Adamus in eo loco, ubi Christus crucifixus est; nempe, ut qui primus peccati fuerat auctor, primus etiam salutaris medicinæ fieret particeps, ut supra dictum est.

Quæres: quid significetur per ista verba *Genesis* 3. versu 14. *Collocavit* (Dominus) *ante Paradisum voluptatis Cherubim, et flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ?*

Respondeo 1. Varios de Cherubinis istis Paradisi Custodibus varia sentire. Theodoretus arbitratur qu. 40. in *Genesim, Cherubim* non significare virtutes quasdam invisibiles, seu cælestem aliquem spiritum Angelicum, sed potentem quamdam et terribilem visionem, et formam; perinde ac si quædam animalia in ingressu Paradisi collocasset, quibus inde Adam arceretur. Gravius exorbitat Jacobus Chyus in expositione Symboli a se edita, ubi ait, statua illa cum igneo gladio ad custodiam Paradisi, quam Moyses Cherubim appellavit, non erat Angelicus spiritus, sed virile quoddam simulacrum horribili forma, larvaque circumtectum, quod Deus ad incutiendum terrorem primis Parentibus præ foribus Paradisi collocaverat; more agricolarum, qui in satis, et hortis ligneos palos defigunt, laceris humanarum vestium pannis indutos, ut eo terriculamenti genere aves a seminum, atque frugum pastu deterreant. *Verum* Cherubim Paradisi Custodes fuisse Angelicas quasdam revera virtutes, et supernos cælestesque Spiritus, plerique sanctorum Patrum affirmant. Sanctus Chrysostomus Homilia 18. in *Genesim*, inquit: *Præcepit Deus ut virtutes illæ Cherubim custodirent viam ligni vitæ.* Et in Sermone *De Ascensione: Et Angeli, et Archangeli de nostris dolebant suppliciis; et quando puniebamur, ipsi quoque nimia tristitia tenebantur: Et Cherubim licet Paradisum custodirent, tamen de nostris suppliciis tristabantur, et Cherubim meruerunt quidem custodire Paradisum, sed dolebant honorem custodiæ.* Sanctus Augustinus lib. 11. *De Genesi*, c. 40.: *Et ordinavit Cherubim, et flammeam romphæam, quæ vertitur, custodire viam ligni vitæ. Hoc per cælestes utique potestates etiam in Paradiso visibili factum esse credendum est, ut per angelicum ministerium esset illic ignea quædam custodia.* S. Gennadius Constantinopolitanus Episcopus in Græca Catena *Genes.* 3. *Cherubim Potestates sunt ex his quæ dicuntur incorporeæ, ut visu non manifestæ. Eæ cum ad custodiam Paradisi eligerentur conformasse gladios dicuntur, qui ipso aspectu ignei viderentur, semperque mobiles,*

atque ita Adam ab ingressu excluderent. Licet autem ordinarie quidem non mittantur Angeli ex superioribus ordinibus, sed solum ex inferioribus, extraordinarie tamen aliquando, etsi raro, mitti quoque supremos Angelos, etiam Cherubinos et Seraphinos docent cum Doctore Subtili in 2. distinct. 10. Durandus, et Gabriel. Adeoque juxta hanc sententiam, quæ est cum primis probabilis, facile dici potest Cherubinos appositos Custodiæ Paradisi, fuisse beatos Spiritus secundi ordinis primæ Hierarchiæ: et tunc solum missos in Scriptura legi, quod res illa singularis esset, et ardua. — *Respondeo secundo*, per flammeum gladium quosdam intellexisse a Moyse indicatam *Torridam Zonam*, quæ ob vehementiam caloris arceat homines ab ingressu Paradisi, ultra quam, vel in qua sub æquinoctiali sit conditus, ut illuc propter fervorem præusti cinguli penetrare non possint. Istud indicat Tertullianus *Apologet.* cap. 17. *Et si Paradisum nominamus maceri a quadam igneæ illius Zonæ a notitia orbis communis segregatum.* Et S. Avitus lib. *De Genesi*, cap. 2. idem innuit, ita canens de Protoplastis Paradiso exactis:

Dejectosque procul sacratis dimovet hortis,
. . . . . medioque eliminat igne
In quo perceleri Cherubim evolvitur æstu,
Dum calidus defervet apex, flammasque volutat,

Opinati sunt alii flammeum gladium esse *murum quemdam ignis*, vel ibi ex terra erumpentis, ut in Ætna Siciliæ, Vesuvio monte, novi orbis Vulcanis, vel adeo aliunde allati, aut de novo ibidem creati, quo Paradisus toto ambitu, et ab omni parte veluti impenetrabili septo esset circumvallatus. Ita sensisse visus est Lactantius Firmianus lib. 2. *Divinarum instit.*, cap. 13. sic dicens: *Deus ejecit hominem de Paradiso, ipsumque Paradisum igni circumvallavit, ne homo posset accedere.* — Verum hanc interpretationem magis allegoricam, quam historicam esse apparet. Ad Historiæ igitur veritatem simplicissimam arbitror, ut Cherubim veri Angeli in humana specie Custodes appositi sunt; ita quoque flammeum gladium revera fuisse igneam aliquam flammam instar prægrandis romphææ, vel speciem gladii, aut laminæ ferri orbitæ atque fulgentis: utrumque enim historice accipiendum, ut cetera omnia antecedentia cum eodem tenore, et ductu verborum enarrentur, consensus eruditorum docet, nec tutum est aliter sentire. — Scite autem observavit Pererius cum aliis, quod sicut plures fuerunt Cherubini (siquidem *Cherubim* a Moyse positum, Hebraice plurale est) ita quoque plures fuisse flammeos gladios certum videtur; et unumquemque Cherubim suum habuisse flammeum gladium horrificum, ac præfulgentem. Nec his obest quod Scriptura *Cherubim* plurali forma, et *flammeum gladium* singulariter ponat: nam usu sermonis Hebraici interdum plurali singulare adjungitur. Sic *Genes.* 47. 3. *Pastor ovium servi tui sumus*, idest singulus quisque ex servis tuis. Isaiæ 59. 12. *Peccata nostra respondebit nobis*, hoc est, unumquodque peccatorum nostrorum. Sic hoc loco concordant Cherubim, et flammeus gladius, ut significetur unumquemque e Cherubinis suum gladium habuisse.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE PECCATO ORIGINALI AB ADAMO IN OMNES EJUS POSTEROS GRASSANTE.

Adamus revera *Princeps noster, principium generis, et delicti*, ait mellifluus Bernardus: primus enim ille hominum Sator ac Parens, fœdam peccati colluvionem vitiata propagine in universum genus humanum una cum deviante natura derivavit, et induxit; nam, inquit Apostolus, *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors; ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Rom. 5. Recto igitur gradu procedit nostra Theologica dissertatio, dum post evulgatum Protoparentum scelus, et divinam in eos animadversionem expressam, ad detegenda cæterorum hominum peccata devolvitur; maxime vero peccatorum omnium caput, quod idcirco *Originale* dicitur; vel quia cæterorum est fons et origo; vel quia *origine ipsa*, naturali scilicet generatione in nos transfunditur; vel, quod convenientius dicendum arbitror, quia a primo hominum Parente, et origine ortum duxerit, et tamquam ex virulento fonte et vitiata radice in omnes posteros fuerit derivatum. Qua de causa Ignatius *Antiquam impietatem:* Irenæus *Chirographum, quod scripsit Adam*, S. Chrysostomus, *Radicale peccatum:* Cyprianus, *contagium mortis antiquæ:* Dionysius, *Habitum dissimilitudinis a Deo homini ingenitum:* alii vero *Hæreditariam maculam, antiquam labem, mortis Chirographum, et notam irregularitatis, quam omnis ex Adamo propagatus contrahens illegitimus fit ad suscipiendum et obtinendum sacrum ordinem Angelorum,* ut belle loquitur noster Maironius. — Quam autem necessaria sit, quantique ponderis et momenti præsentis controversiæ determinatio, inde liquet, quod ex peccati originalis assertione plurium fidei Articulorum cognitio eruatur et firmetur; nam, inquit S. Augustinus, lib. 1. *contra Julianum*, cap. 6., *Alia sunt in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atque optimi regulæ Catholicæ defensores salva fidei compage non consonant, et alius alio de una re melius aliquid dicit, et verius. Hoc autem, unde nunc agimus, ad ipsa fidei pertinet fundamenta. Quisquis in Christiana fide vult labefactare, quod scriptum est*, per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum, sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur, *Totum quod in Christum credimus auferre molitur.* Hinc in libro *De peccato originali*, cum c. 23. proposuisset varias quæstiones, quæ absque erroris et hæresis periculo utrinque ventilari possunt et agitari, tandem concludit, cap. 24.: *Sed in causa duorum hominum, quorum per unum venundati sumus sub peccato, per alterum redimimur a peccatis: per unum præcipitati sumus in mortem, per alterum liberamur ad vitam: quorum ille nos in se perdidit faciendo voluntatem suam, non ejus a quo factus est; iste nos in se salvos fecit, non faciendo voluntatem suam, sed ejus a quo missus est; in horum ergo duorum hominum causa, proprie fides Christiana consistit.*

Totis itaque viribus enitendum est in dirimenda ac elucidanda præsentis controversiæ materia, quod utique ut congruenti ordine exe-

quamur, quinque sequentes subjicimus Quæstiones: quarum *Prima* aperiet, an sit originale peccatum. *Secunda,* quid sit. *Tertia,* quomodo traducatur. *Quarta,* quas ærumnas et calamitates in universum humanum genus induxerit. *Quinta,* quibus pœnis, post hanc vitam, puniatur.

QUÆSTIO PRIMA.

QUIBUS MOMENTIS PROBARI POSSIT ORIGINALIS PECCATI EXISTENTIA.

Gravissima certe, et quæ Ecclesiam diu direque vexavit, præsens Quæstio; varii namque pridem extiterunt, et etiamnum existunt Hæretici, qui in meridiana luce cæcutientes, affirmant nullum a Protoparentibus hominum in posteros esse revera transfusum crimen, quod origine, et propagine contrahatur, quæ ut appareant evidentius,

Notandum 1. Quod etsi plurimi existiment Carpocratem primarium fuisse originalis peccati impugnatorem, concors tamen est aliorum sententia hujusce cœnosi fontis, et erroris primum reseratorem fuisse Rufinum, qui, ut Cælestius fassus est, coram Patribus Concilii Carthaginensis, docuit nullam esse Parentibus in parvulos peccati traductionem. Nam, ut refert S. Augustinus, libro *De peccato originali,* cap. 3. ubi exscribit acta præfati Concilii, cum interrogatus fuisset Cælestius, an dixisset, *Quod peccatum Adæ ipsi soli obfuerit, et non generi humano;* respondissetque se de traduce peccati esse dubium, quia nonnullos Catholicos Presbyteros id negantes audiverat: rursum a Paulino Diacono interrogatus, quinam essent illi: respondit *Sanctus Presbyter Rufinus Romæ, qui mansit cum S. Pammachio. Ego audivi illum dicentem quia tradux peccati non sit.* Ab eo itaque Rufino hunc errorem, sicut et alios, Pelagium hausisse verisimile fit, ut quod ille clanculum, hic palam evulgaret. Licet enim Pelagius coram Patribus Synodi Palæstinæ Anathema dixerit in eos qui tenent, *Quod Adæ peccatum ipsum solum læserit, et non genus humanum:* et quod *Infantes in eo statu sint, in quo Adam fuit ante prævaricationem,* ut refert S. Augustinus pluribi, maxime in libro *De peccato originali,* cap. 12. hæc tamen dixit, ait idem cap. 13., *Ut Catholica Synodus falleretur, ne norus hæreticus damnaretur.* Nam, ut subdit cap. 15., cum Pelagii discipuli ab eo quærerent, cur tale Anathema dixisset; respondit ideo se illa objecta damnasse, quia, ut ipse dicit, *Non tantum primo homini, sed etiam humano generi primum illud obfuisse peccatum: non propagine, sed exemplo,* idest, inquit S. Aug., *non quod ex illo fluxerit aliquod vitium, quia ex illo propagati sunt, sed quod eum primum peccantem imitati sunt, quia postea peccaverunt,* qua astutia, ait c. 61., *tanto Judices fefellit occultius, quanto exposuit ita versutius.* Verum, inquit ibidem S. Augustinus c. 2. *Cælestius in hoc extitit errore liberior, usque adeo, ut neque in Episcopali judicio apud Carthaginem damnare voluerit eos, qui dicunt quod peccatum Adæ ipsum solum læserit, et non genus humanum: et quod infantes, qui nascuntur, in eo statu sint, in quo Adam fuit ante prævaricationem: Et in urbe Roma in libello suo, quem beatissimo Papæ Zozimo dedit, id asseverarit expressius,* quod parvulorum neminem obstringat originale pec-

catum. Quem utique errorem omnium acerrime defendit Julianus, multis hac de re libris adversus S. Augustinum exscriptis, ut plenius infra demonstrabitur.

Notandum 2. Pelagianorum errores circa præsentem controversiam, his maxime quinque propositionibus contineri: quarum *Prima* affirmabant Adamum sibi soli nocuisse, nec per suum crimen humanam naturam, aut posteros suos labefactasse: *Secunda*, parvulos nullam in sua propagine contrahere culpam, et pœnam ex parte Adami: *Tertia*, baptismum non esse necessarium hominibus ad remissionem peccatorum, sed solum ut ipsi in Christo renascantur, et ad regnum Cælorum jus hæreditarium obtineant; unde solito dicebat Pelagius, *Sine baptismo parvuli morientes, quo non eant, scio: quo eant, nescio: idest*, inquit S. Augustinus præfata verba referens lib. *De peccato originali*, cap. 21. *Non ire in regnum Cælorum scio, quo vero eant se nescire dicebat: quia dicere non audebat in mortem illos ire perpetuam, quos et hic nihil mali commisisse sentiebat, et originale traxisse peccatum non consentiebat: Quarta*, morbos, mortem, et cæteras naturæ nostræ calamitates, et angustias asserebant non esse effectus peccati originalis, sed solos defectus, et necessitates humanæ naturæ: *Quinta* denique, docebant concupiscentiam, sive carnis adversus spiritum rebellionem, nec esse malum pœnæ, nec malum culpæ; sed ipsius naturæ bonum, ac conveniens, et necessarium ad generis humani propagationem incentivum, quod in Adamo etiam in statu innocentiæ ante peccatum vigebat.

Notandum 3. Has omnes erroneas sententias pridem sepultas, denuo ex tenebrarum abysso in lucem revocatas fuisse posterioribus sæculis per varios errores. Nam Anabaptistæ docuerunt idcirco parvulos non esse baptizandos, non solum quia prius erant docendi quam regenerandi, sed etiam quia nulla peccati macula fœdabantur. Ipsis præiverant *Armenii*, et *Albigenses*, ut testatur S. Antoninus in *Summa Theologica parte* 4. *titulo* 12.; Necnon et *Albanenses*, ut docent Alphonsus a Castro, Bernardus Luthenburgensis, et Prateolus: quos Hæreticos immerito cum Albigensibus confundit Sanderus Hæresi 151. nam Albanenses vigebant tempore Leonis Tertii Pontificis, et Constantini Sexti Imperatoris circa Annum Domini 796.; Albigenses vero tempore Innocentii Tertii Pontificis, et Friderici Secundi Imperatoris. His præluserat *Petrus Abaillardus*, is enim, ut scribit S. Bernardus Epist. 108. non recte sensit de peccato originis, docebat enim, ut idem refert Epistola 109., Christum non venisse in mundum, nec passum, et mortuum esse, nisi ut nos verbo, et exemplo doceret ac instrueret. Inde colligit S. Bernardus, Abaillardum censuisse, quod Adamus nobis nonnisi pravo ad peccandum exemplo nocuerit, et quod infantes, qui institutionis, et exemplorum capaces non sunt, nec in Adam perierint, neque per Christum vocentur. Quantum vero ad pœnas, et calamitates naturales ex originali peccato oriundas, plurimi Novatores fatentur quidem eas ex Adami peccato oriri; nullum tamen in ejus posteris crimen supponere. Ita censuit Zuinglius, Jacobus Faber in *Commentario*, cap. 5. ad Rom. et in *Apologia* pro iisdem commentariis; ubi docet nihil nos ex Adam trahere, nisi obligationem ad mortem. Idem pariter censuit Erasmus, uti pluribus probat Suarez cap. 2. *De peccato originali*. —

✳ "Eumdem pestilentissimum errorem nostris hisce diebus instaurare nituntur Sociniani, qui ut gratiam Christi, ejusque meritum et satisfactionem evacuent, impie oblatrant sanguinem ipsius in cruce fusum nihil quidquam conducere ad expiationem peccati originalis, quod, inquiunt, nullum est, et inane prorsus commentum. Ut itaque eorum impietati occurramus, pro viribus propugnanda est et confirmanda sequens" ✳

Conclusio unica. — Revera existit peccatum originale, seu quod communicatur per originem, et naturalem propagationem, ab Adamo primo Parente, veluti totius humani generis capite commissum, indeque ad posteros quasi in membra transfusum. Hæc est de fide, et probatur variis momentis, quæ ut evidentiora, et efficaciora appareant, placet ea sub sequentibus Paragraphis sigillatim proponere, et expendere.

§ 1. — **Probatur peccatum originale apertis sacræ Scripturæ oraculis.** — **Primo** quidem ex illo *Genesis* 17. *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit;* ac per hoc, inquit S. Augustinus, lib. 16. *De Civit. Dei,* cap. 27. *Quia circumcisio signum regenerationis fuit, non immerito parvulum propter Originale peccatum quo primum Dei dissipatum est testamentum, generatio disperdet, nisi regeneratio liberet.* Nam, ut idem ait lib. *De pecc. Originali,* c. 30. *Hujus tam horribilis pœnæ justitia si quæratur, nonne istorum,* Pelagianorum, *omnis de libero arbitrio, et laudabili sanitate, et puritate naturæ, quantumlibet arguta sit argumentatio, repercussa, et confracta dissilit? Quid enim mali, quæso, parvulus propria voluntate commisit, ut alio negligente, et eum non circumcidente, ipse damnetur damnatione tam severa, ut pereat anima illa de populo suo?* Subdit cap. 31. *Unde ergo recte Infans illa perditione punitur, nisi quia pertinet ad massam perditionis, et juste intelligitur ex Adam natus, antiquî debiti obligatione damnatus, nisi inde fuerit non secundum debitum, sed secundum gratiam liberatus?* — **Secundo.** idem constat ex illo Psalmi 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Necnon ex illo *Job.* 14. ubi juxta versionem 70. legimus: *Nemo mundus a sorde, nec Infans cujus est unius diei vita super terram.* Quo certe nihil illustrius pro hac veritate comprobanda; nam si mundus a sorde nemo est, nec Infans unius diei, profecto aliquod peccatum est, quod ipsa naturali propagatione contrahitur. Nequè ab hac versione discrepat Vulgata, dum vertit: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* Etenim si solus Deus potest hominem de immundo conceptum semine mundum facere, consequens est, quod ab ipsa conceptione homo sit immundus immunditia peccati; tum quia soli Deo tribuitur, quod ab ea possit mundare: tum etiam quia loquitur de sorde, ratione cujus homo deducendus est ad judicium, ut constat ex verbis præcedentibus: *et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, et adducere eum tecum in judicium?* Utroque præfato testimonio Jobi, et Davidis utuntur Hieronymus, et Augustinus ad peccatum Originale comprobandum. Hieronymus quidem in illa verba Jobi, *Hic versiculus,* inquit, *totius generis humani*

casum exponit; sicut in Job, nec si unius diei sit super terram potest esse mundus a sorde peccati. Concipitur autem, et nascitur in Originali peccato, quod ex Adam trahitur, sed baptismo per gratiam Dei purificatur. Psalmistæ vero versum ita expendit S. Augustinus: *Quid est, quod se dicit in iniquitate conceptum, nisi quia trahitur iniquitas ex Adam? Etiam ipsum vinculum mortis cum ipsa iniquitate concretum est, nemo nascitur nisi trahens pœnam, trahens meritum pœnæ.* — **Tertio** maxime probatur hæc veritas ex illo ad Romanos 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors: et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Ex quibus hoc deduci potest argumentum: per unum hominem intravit in hunc mundum peccatum quoddam, quod omnes homines peccatores, et per hoc morti obnoxios fecit: at hujusmodi peccatum non potest esse actuale, idest, actuali voluntate commissum, cum etiam infantes morti sint obnoxii, et sæpe sæpius moriantur antequam quidquam boni, vel mali propria voluntate egerint: igitur peccatum illud, per quod obnoxii fiunt morti, necessario debet esse origine ipsa contractum. *Confirmatur* ex verbis sequentibus; subdit enim Apostolus: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem justi constituentur multi,* proprie scilicet peccatores, sicut proprie justi, *ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam in vitam æternam per Jesum Christum Dominum nostrum.* Nec movere debet quod Apostolus dixerit, *multi*, quasi non omnes peccatores constituantur; tum quia per multos intelliguntur omnes qui nascuntur ex Adamo, qui vere sunt multi; non enim infrequens est in Scriptura, ut *omnes* per *multos* significentur, quod probat S. Augustinus, *Ex Genesis*, cap. 17. et 22. in quorum primo Deus dixit Abrahamo: *Patrem multarum gentium constitui te;* in secundo vero: *benedicentur in semine tuo omnes gentes:* quibus verbis, inquit S. August. *easdem omnes multas, et easdem multas omnes esse monstratum est: ita etiam cum dictum est, per unum in omnes transisse peccatum, et postea per unius inobedientiam peccatores constitutos multos, ipsi sunt multi qui et omnes.* Tum quia non omnes simpliciter ex Adamo constituti sunt peccatores; siquidem nec Eva, nec Christus, nec beata Virgo Adami peccato fuerunt inquinati.

Reponebant 1. Pelagiani ad illud Apostoli testimonium, revera quidem peccatum per unum hominem intrasse in mundum, non propagatione, sed imitatione; ita quod primus Parens viam peccandi posteris aperuerit, suoque exemplo ad peccandum eos pellexerit. — **Verum** huic evasioni ita aditum præcludit S. Augustinus, lib. *De peccatorum meritis, et remissione,* cap. 9. *Si Apostolus*, inquit, *peccatum illud commemorare voluisset, quod in hunc mundum non propagatione, sed imitatione intraverit, ejus principem non Adam, sed diabolum diceret, de quo scriptum est primæ Joan. 3. ab initio diabolus peccat, de quo etiam legitur in lib. Sapientiæ 2. Invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum: Nam quoniam ista mors sic a diabolo venit in homines, non quod ab illo fuerint propagati, sed quod eum fuerint imitati, continuo subjunxit: imitantur autem eum qui sunt ex parte ejus. Proinde Apostolus cum illud peccatum, ac mortem commemora-*

ret, quæ ab uno in omnes propagatione transiisset, eum principem posuit, a quo propagatio generis humani sumpsit exordium. — Deinde Apostolus non solum adultos, sed etiam parvulos comprehendit; cum etiam parvuli morti sint obnoxii, quam per peccatum intrasse, esseque pœnam, et effectum illius, docet universim affirmans: *et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt:* at in parvulos Adæ peccatum non pertransiit per imitationem, siquidem ante rationis usum non possunt ipsum peccando imitari: ergo fatendum est Apostolum non loqui de transitu peccati per imitationem, sed per propagationem. — *Denique* S. Paulus affirmat peccatum Adæ ita traduci ad posteros, sicut Christi justitia ad regeneratos: *Sicut ergo,* inquit ibidem S. Augustinus, *ille, in quo omnes vivificabuntur, præterquam quod se ad justitiam exemplum imitantibus præbuit, dat etiam sui spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit et parvulis: sic et ille in quo omnes moriuntur, præterquam quod eis, qui præceptum Domini voluntate transgrediuntur, imitationis exemplum est, occulta etiam labe carnalis concupiscentiæ suæ labificavit in se omnes de sua stirpe venientes.*

Reponebant 2. Per peccatum quidem hic significare Apostolum illud peccatum, quod origine contrahitur, non tamen proprie, sed metonymice esse locutum; ita ut ejus fuerit sensus, quod per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, hoc est, peccante uno homine morbus quidam, et pronitas ad peccandum, mortalitas, et aliæ ærumnæ in mundum intrarunt: hos enim peccati effectus, peccatum metonymice nominavit Apostolus: ita explicat Zuinglius ad hunc locum. — **Contra**, præfatis verbis Apostolus manifeste distinguit peccatum ab ipsius pœna, cujusmodi est mors: asserit utrumque per unum hominem, Adamum scilicet, in hunc mundum intrasse; et merito quidem; nam si per peccatum ipsius pœnam intelligeret cum dicit: peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, sensus esset, quod mors in hunc mundum intravit, et per mortem mors; quæ certe locutio omnino foret absurda. *Adde quod*, licet metonymice interdum peccatum pro pœna peccati accipiatur in Scriptura, quo sensu concupiscentiam peccatum appellat Apostolus; nusquam tamen Scriptura affirmat peccare, aut peccatorem esse quempiam propter solam causam, vel pœnam peccati: hic vero diserte pronunciat Apostolus *In quo omnes peccaverunt.*

Reponebant denique, peccatum in illis Apostoli verbis non significare peccatum originale filiorum Adam, sed eorum peccatum actuale, quod per unum hominem dicitur introisse in mundum, quia tum primum cœpit esse peccatum in mundo, quando fuit in Adamo, qui erat pars mundi. Ita etiam explicat Zuinglius l. *De Baptismo.* — **Contra**, si hæc interpretatio haberet locum, sequeretur quod non per unum hominem, sed per unum Angelum peccatum in hunc mundum intraverit, siquidem Angelus prius mundi pars extitit, et peccavit, quam homo. Si vero de mundo corporali, et de corporeis ejus partibus intelligendum esse Apostolum dicat Zuinglius, adhuc verum non erit, quod ait Apostolus, peccatum per unum hominem in hunc mundum intrasse: prius enim peccavit Eva quam Adamus, et ipsa peccante peccatum in hunc mundum intravit: ergo non loquitur Apostolus de ipso solo peccato

actualis primi Parentis in hunc mundum ingresso, sed etiam de ejus transfusione ad posteros, non per imitationem, sed per propagationem. — ✻ " *Denique* eamdem veritatem insinuat Apostolus ex illo ad *Ephesios*, cap. 2.: *Eramus natura filii iræ sicut et cæteri*, hoc est ex nostræ naturæ primordiis, sive ex conceptione et nativitate nostra, iræ Dei et vindictæ eramus obnoxii. At nemo est iræ Dei ac vindictæ obnoxius nisi propter peccatum : igitur revera peccatum primi parentis ex ejus propagatione hæreditamus.

Reponebat Julianus Pelagianorum patronus Apostoli effatum ex vi sermonis et textus græci sic verti posse : *Eramus prorsus filii iræ.* Et revera S. Hieronymus hanc interpretationem non rejicit, quamvis alteram magis probet ac sequatur. — **Sed** eam in qua habetur *naturæ* esse anteponendam probat S. Augustinus ex summo latinorum omnium codicum consensu : *Nonne*, inquit, *hinc admoneri debuisti, antiquam contra vos defendi catholicam fidem : quia non fere invenitur latinus codex, si non a vobis nunc incipiat emendari, vel potius in mendum mutari, ubi non* naturæ *sit scriptum? Quod utique cavere debuit Interpretum antiquitas, nisi etiam fidei hæc esset antiquitas, cui vestra cœpit resistere novitas.* (Lib. 6. *Contra Julianum*, cap. 10). " ✻

§. II. — **Eadem veritas probatur ex Conciliis.** — **Primo** quidem ex Concilio Palæstino, in quo proscripta fuit, et damnata Pelagiana Hæresis, a Cœlestio Pelagii discipulo jam evulgata ; recensitis enim omnibus articulis quibus continebantur omnes Pelagii, et Cœlestii errores, quorum præcipuos refert Sanctus Augustinus lib. *De Gestis Pelagii*, cap. 18. et 35. interrogatus Pelagius a Patribus Synodi quid de iis sentiret, ait: *Anathematizo illos qui sic tenent, aut aliquando tenuerunt :* quibus tamen verbis lusit nimiam Patrum credulitatem, imo et etiam ipsum S. Augustinum qui, ut ait in lib. *De peccato originali*, cap. 14. *Illa responsione Pelagii totam istam Quæstionem consumptam esse gaudebam ; confessusque mihi apertissime videbatur, esse in parvulis originale peccatum ; Anathema dicendo iis, qui peccato Adæ ipsum solum, non etiam genus humanum crederent læsum, et in eo statu opinarentur esse parvulos, in quo ille homo primus ante prævaricationem fuit. Sed postea cum legissem quatuor ejus libros, et invenissem hominem adhuc contra Catholicam fidem de parvulis sentientem, plus mirari cœpi, tam impudens in Ecclesiastico judicio, et de tanta Quæstione mendacium.... in eisdem quippe libris, et contra peccatum ex Adam in parvulos transitum loquitur, et de gestis Palæstinæ Synodi gloriatur; ubi eos qui sic tenent veraciter damnasse putatus est, et absolutionem fallendo furatus est.* — **Secundo**, eadem veritas definita est in Concilio Milevitano secundo sub Innocentio primo, in quo Canone 2. hæc *De peccato originali*, sententia traditur. *Placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam contrahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur : unde sit consequens, ut in eis forma Baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit.* — **Tertio**, idem definivit Concilium Arausicanum secundum sub Felice quarto *Contra Semipelagianos, et Massilienses*, in quo Canone 2. definitur: *Si quis soli Adæ prævaricationem suam, et non ejus propagini asserit nocuisse, aut certe mortem*

tantum corporis, quæ pœna est peccati, non autem etiam peccatum, quod est mors animæ, per unum hominem in omne genus humanum transiisse testatur, injustitiam Deo dabit contradicens Apostolo dicenti: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. — **Quarto**, idem determinatum fuit in Concilio Florentino in decreto Eugenii Quarti Summi Pontificis, quo definitur, *Illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.* — **Quinto** denique hoc ipsum omnium clarissime determinavit Concilium Tridentin. Sess. 5. Canone 2. et sequentibus; ubi ad verbum repetit, et innovat decreta Concilii Milevitani et Arausicani, ita scribens: *Si quis Adæ prævaricationem suam, et non ejus propagini asserit nocuisse etc.* Et Can. 3: *Si quis hoc Adæ peccatum quod origine unum est, et propagatione, non imitatione transfusum in hominibus, inest unicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, etc. anathema sit.*

§ III. – **Probatur idipsum auctoritate SS. Patrum.** — Constantissima apud SS. Patres, concorsque fuit semper de peccati Adami in posteros transfusione sententia: nam ait S. August. lib. 3. *De peccatorum meritis, et remissione*, cap. 7. *Ab initio usque ad præsens tempus, quo ista novitas orta est: hoc de originali peccato apud Ecclesiæ fidem tanta constantia custoditum fuit, ut ab eis qui dominica tractarent eloquia, magis certissimum proferretur ad alia refulanda, quam id tamquam falsum refutari ab aliquo tentaretur.* Quod utique plurimis probat SS. Patrum sententiis, quas ipsemet selegit, et protulit S. Augustinus, ut videre est in lib. 1. *adversus Julianum*, cap. 3. et 7.

Proferri potest in primis S. Dionysius Areopagita lib. *De Ecclesiastica Hierarchia*, cap. 3. ubi peccatum primi hominis toti naturæ humanæ adscribit, non tantum secundum pœnam, sed etiam penes culpam: *Humanam*, inquit, *naturam initio stolide a divinis beneficiis prolapsam, obnoxiæ passionibus variis vita suscepit, et mortis corruptibilis finis. Quippe perniciosa illa a vera bonitate defectio, et sacræ in Paradisi legis prævaricationem, quæ sponte sua blande mulcentibus, atque infestis adversarii fraudibus sedes vitale excusserat jugum, his quæ sunt divinis bonis contraria tradidit.* Quibus docet, humanam naturam idcirco caruisse divinis beneficiis sibi in prima formatione collatis, quia a Deo voluntarie deficiens fraudibus Satanæ vitale jugum excussit. — **Secundo**, prodit S. Ignatius, qui in Epistola ad Trallianos ita loquitur: *Vos ergo succinti mansuetudine, imitatores estote passionum Christi, et dilectionis ejus, qua dilexit nos, dans semetipsum pro nobis ut nos sanguine suo mundaret ab antiqua impietate.* — **Tertio**, S. Justinus Martyr, qui in dialogo cum Triphone ait: *Ad amnem eum non ideo venisse pro comperto habemus, quod vel baptismi lavatione, vel spiritus in specie columbæ adventu opus ei fuerit, sicut nec nasci, et crucifigi propter functionis hujusmodi indigentium sustinuit: sed humani generis causa, quod pravam per Adam in mortem, et fraudem seductionem serpentis considerat, ut interim propriam pro se maligne agentis ejusque culpam taceam.* — **Quarto**, Irenæus Lugdunensis

Episcopus lib. 5. cap. 17. *Delevit,* inquit, *Chirographum debiti nostri, affigens illud cruci: uti quemadmodum per lignum facti sumus debitores Deo, per lignum accipiamus debiti remissionem.* Et cap. 19. *Quemadmodum,* inquit, *adstrictum est morti genus humanum per Virginem, salvatur per Virginem, æqua lance disposita, virginalis inobedientia per virginalem obedientiam; adhuc enim protoplasti peccato per corruptionem Primogeniti emendationem accipiente, serpentis prudentia devicta per simplicitatem columbæ, vinculis illis resoluti sumus per quæ alligati eramus morti.* Ex quibus S. Augustinus lib. 1. *contra Julianum,* cap. 3. sic eum compellat: *Vides ne antiquum hominem Dei, quid de antiqua serpentis plaga sentiat? Quid de similitudine carnis peccati, per quam sanatur plaga serpentis in carne peccati? Quid de protoplasti peccato per quod obligati fueramus?* — **Quinto,** Tertullianus in lib. *De Anima,* cap. 5. sic habet: *Omnis anima, quæ est usque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur: tamdiu immunda quamdiu recenseatur: peccatrix autem, quia immunda.* ✳ " Et libro *De habitu muliebri,* cap. 1.: *Ut non magis in sordibus ageret, et squalorem potius affectaret, ipsam se circumferens Evam lugentem et pœnitentem; quo plenius id quod de Eva trahit (ignominiam dico primi delicti, et invidiam perditionis humanæ) omni satisfactionis habitu expiaret. « In doloribus et anxietatibus paries, mulier, et ad virum tuum « conversio tua; et ille dominabitur tui »; et Evam te esse nescis? Virit sententia Dei super sexum istum, in hoc sæculo: vivat et reatus necesse est. Tu es diaboli janua, tu es arboris illius resignatrix etc.* " ✳ — **Sexto,** Origenes Homilia 8. in *Leviticum: Quæcumque anima,* inquit, *in carne nascitur, iniquitatis, et peccati sorde polluitur, propter quod dictum est: Nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram,* ✳ " *et ut scias esse in hoc grande nescio quid, et tale, quod nulli sanctorum ex sententia venerit, nemo ex omnibus sanctis invenitur diem festum, vel convivium magnum egisse in die natali sui filii, vel filiæ suæ etc.* Paulo post: *Quod si placet audire quid etiam alii sancti de ista nativitate senserint, audi Davidem dicentem: « in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis peperit me mater mea »; ostendens quod quandoque anima in carne nascitur, iniquitatis et peccati sorde polluitur: et propterea dictum est illud quod jam superius memoravimus, quia nemo mundus a sorde, nec si unius diei sit vita ejus.* Similiter tractatu nono in Matthæum: *Et forsitam quidem secundum hanc nativitatem nemo est mundus a sorde etsi unius diei sit vita ejus, propter nativitatis nostræ carnalis mysterium; secundum quod ait David ex persona omnium nascentium ex carne et sanguine: « quoniam in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis concepit me mater mea. »* Idem in Homil. 14. in Luc.: *Parvuli baptizantur in remissionem peccatorum. Quorum peccatorum? Vel quo tempore peccaverunt? Aut, quomodo potest ulla lavacri in parvulis ratio subsistere, nisi juxta illum sensum de quo paulo ante diximus: nullus mundus a sorde, nec si unius diei quidem fuerit vita ejus super terram; et quia per baptismi sacramentum nativitatis sordes deponuntur, propterea baptizantur et parvuli?* " ✳ — **Septimo,** Cyprianus lib. 3. *Epistolarum* Epistola 8. quæ est ad Fidum, in qua probat parvulos esse baptizandos: *Quia,* inquit, *si gravissimis delictoribus, et in Deum multo ante pec-*

cantibus, cum postea crediderint, remissa peccatorum dátur, et a baptismo, atque gratia nemo prohibetur; quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit? Qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, sed aliena peccata. — **Octavo**, S. Athanasius Sermone in illud, *omnia mihi tradita sunt*, ait: *Postquam peccaverat, et lapsus fuerat homo, ejusque lapsu perturbatis omnibus, mors invaluisset ab Adam usque ad Christum, terraque execrationi data fuisset, infernus apertus, Paradisus clausus; cœlum infensum, et tandem corrupto, et interempto homine invaluisset diabolus contra nos etc.* — **Nono**, S. Hilarius Ecclesiæ Catholicæ adversus Hæreticos acerrimus defensor, inquit Sanctus Augustinus, in Expositione 118. explicans illa verba, *Vivet anima mea, et laudabit te*, ait: *Vivere se in hac vita non reputat, quippe qui dixerat:* Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis concepit me mater mea, *Scit sub peccati origine, et sub peccati lege esse se natum:* postque sic Julianum compellat S. Augustinus præfato loco: *Hunc virum tanta in Episcopis Catholicis laude præclarum, tanta notitia, famaque conspicuum, de peccato originali aude, si quid tibi frontis est, criminari.* — ✻ " **Decimo**, S. Ambrosius hanc eamdem veritatem constantissime propugnat variis in suarum lucubrationum locis, præsertim ad c. 1. *Evang. S. Lucæ* ubi hæc habet: *Jordanis conversus est retrorsum, significavit salutaris lavacri futura mysteria per quæ in primordia naturæ suæ, qui baptizati fuerint parvuli, a malitia reformantur.* Et ad caput 2.: *Non enim*, inquit, *virilis cœitus vulvæ virginalis secreta reseravit, sed immaculatum semen inviolabili vero Spiritus Sanctus infudit. Solus enim per omnia ex natis de fœmina sanctus Dominus Jesus qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus novitate non senserit, et cœlesti Majestate depulerit.* Et ad caput 4.: *Omnes in Adam morimur, quia per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit in quo omnes peccaverunt, illius igitur culpa mors omnium est.* Et ad caput 10.: *Cave ergo*, inquit, *ne ante nuderis, sicut Adam nudatus est, mandati cœlestis custodia destitutus et exutus fidei vestimento, et sic lethale vulnus accepit, in quo omne genus occidisset humanum, nisi Samaritanus ille descendens, vulnera ejus acerba curasset.* Et ad caput 15.: *Fuit Adam, et in illo fuimus omnes: periit Adam, et in illo omnes perierunt.* Et in Psalmo 50 qui a S. Augustino laudatur sub titulo *Apologiæ David:* *Antequam nascamur*, inquit, *maculamur contagio: et ante usuram lucis, originis ipsius excepimus injuriam, in iniquitate concipimur. Non expressit utrum parentum, an nostra, et in delictis generat unumquemque mater sua, nec hic declaravit utrum in delictis suis mater pariat, an jam sint et aliqua delicta nascentis. Sed vide ne utrumque intelligendum sit: quoniam et parentes non carent lapsis, nec conceptus iniquitatis exors est. Nam si nec unius diei infans sine peccato est, multo magis nec illi materni conceptus dies sine peccato sunt... Concipimur ergo in peccatis parentum, et in delictis eorum nascimur. Sed et ipse partus habet contagia sua; nec unum tantummodo habet ipsa natura contagium.* Et infra, de Christo Domino loquens hæc habet: *Dignum*

etenim fuit, ut qui non erat habiturus corporeæ peccatum prolapsionis, nullum sentiret generationis naturale contagium. Merito ergo David flebiliter in se deploravit ipsa inquinamenta naturæ, quod prius inciperet in homine macula, quam vita. Et enarratione in Psalm. 48. ad illa verba: *Iniquitas calcanei mei circumdabit me,* ait: *Alia est iniquitas nostra, alia calcanei nostri, in quo Adam dente serpentis est vulneratus, et obnoxiam hæreditatem successionis humanæ suo vulnere dereliquit, ut omnes illo vulnere claudicemus.* Et lib. *De Tobia*, cap. 9.: *Quis iste peccati fenerator,* inquit, *nisi diabolus, a quo Eva mutuata peccatum obnoxiæ successionis, usuris defœneravit omne genus humanum? Denique quasi malus fenerator, chirographum tenuit, quod postea Dominus suo cruore delevit.* Et cap. 22.: *Diabolus Evam decepit, ut supplantaret virum obligaret hæreditatem.* " ✻ — **Undecimo**, S. Basilius, in *Expositione* Psalmi 52. *Nequit homo,* inquit, *mundo corde, ac liber omnino a sorde peccati inveniri, etiamsi unius diei tempore supra terram vixerit, etc.* — **Duodecimo**, Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi secunda, *Per hanc,* inquit, *Pater noster Adam pulsus est, et pro Paradiso admirandos quodammodo sponte sua fructus ferente, terram spiniferam accepit. Quid igitur, dixerit aliquis, decepti perimus? numquid non est deinceps salus? Cecidimus, an non licet resurgere?* — ✻ " Cyrillo Hierosolymitano concinit Cyrillus Alexandrinus, lib. 2. *De adorat. in spiritu et veritate: Nonne,* inquit, *verum esse, ais, morti obnoxiam factam esse hominum naturam ex maledicto illo veteri? Dictum namque adversus hoc est quod est ipsi Adam veluti primitiis nostri generis, et supremæ radici dictum. Cum igitur evenisset, ut ipsum generis nostri initium morti, quæ ex peccato extiterat, subjectum esset, necessario in ipsos quoque hoc malum pertransivit, et una cum radice germina quoque ex illa prodeuntia depastum est.* Et lib. 3. *Nam ex quo regnavit peccatum super omnes qui in terris versantur, cum maxime proni sint ad mala ab adolescentia, ut scriptum est, et omnium corda diligenter incumbant ad perficiendi voluntatem, necessario mortis pœnam incurrimus... Sed corruptam hominis naturam Auctor ipse misertus est: itaque ille Unigenitus factus est homo, corpusque naturæ morti obnoxium gestavit, et caro factus est, ut morte tolerata quæ peccati culpa nobis jam imminebat, destrueret peccatum etc.* " ✻ — **Decimotertio**, S. Gregorius Nazianzenus, Oratione tertia *De pace* sic ait: *Totus lapsus sum, atque ex primogeniti hominis inobedientia, et diaboli fraude condemnatus sum.* ✻ " Et oratione 1. in *Nativitatem Christi: Celebramus,* inquit, *Dei ad homines adventum, ut ad Deum accedamus, aut, ut aptiori verbo utar, revertamur, ac deposito veteri homine, novum induamus: et quemadmodum in veteri Adamo mortui sumus, ita in Christo vivamus, dum nimirum cum Christo et nascimur, et Cruci affigimur, et sepelimur, et resurgimus. Pulchra enim in contrarium mutatio mihi subeunda est, ut quemadmodum ex secundis rebus molestæ renerunt, sic etiam ex molestis lætæ et jucundæ redeant. Ubi enim abundavit peccatum, superabundavit et gratia: et, si gustus condemnavit, quanto magis Christi passio justificavit?* Et ad finem orationis: *Descriptionem revereare, propter quam in cœlis ipse describeris: et Nativitatem, ob quam nativitatis vinculis solutus es: et parvam illam Bethleem honora, quæ te in Paradisum reduxit.* " ✻ — **Decimoquarto**, S. Hie-

ronymus, *Qui,* inquit S. Augustin. cap. 7. *Græco, et Latino insuper, et Hebræo eruditus eloquio, ex Occidentali ad Orientalem transiens Ecclesiam in locis Sanctis, atque in litteris sacris usque ad decrepitam rixit ætatem: cujus nobis eloquium ab Oriente usque ad Occidentem ad instar lampadis resplenduit, non aliam de hac re tenuit, prompsitque sententiam.* Nam in caput. 6. Oseæ ait: *Et ibi, hoc est in Paradiso, omnes prævaricati sunt in me, et in similitudinem prævaricationis Adam: non enim mirum, si quod in parente præcessit, etiam in filiis condemnetur.* Item in *Comment.*, cap. 2. Micheæ: *Unusquisque nostrum cum Adam de Paradiso cecidit, et in hujus mundi captivitate versatur.* Et in Jonam aperte dixit: *Quod etiam parvuli peccato offendentis Adam tenentur obnoxii.* Ex quibus sic laudato loco Julianum interpellat S. Augustinus: *Itane tuum sic amabis errorem, in quem juvenili confidentia, et humano lapsu incautius decidisti, ut ab istis Catholicæ unitatis, et veritatis Sacerdotibus, tanta inter se fidei concordia congruentibus, in tam magna causa, ubi Christianæ religionis summa consistit, non solum dissentire, sed eos audeas Manichæos insuper nuncupare?* — **Denique**, S. Joannes Chrysostomus, quem præ cæteris patribus Pelagiani commendabant, quasi ab eorum partibus staret, pluribus locis peccatum originale astruit, ut ibidem annotat S. Augustinus, maxime vero Epistola ad Olympium ubi ait, *Adam sic peccasse illud grave peccatum, ut omne genus humanum in commune damnaret.* Item Homilia ad Neophytos, ex qua pro sua erronea sententia aliquid Pelagiani proferebant, ait: *Quod nos Christus invenerit, et paterno Chirographo nostro, quod scripsit Adam, et posteroribus propriis debitis obligatos etc.* Similiter Hom. 10. in *Epistolam ad Rom.* ✻ " exponens illam S. Apostoli sententiam: « *per unum hominem peccatum intravit in mundum* », scribit: *Non ipsum peccatum quod a legis transgressione ortum est, sed illud quod ab Adam innocentia, ipsum illud, inquam, peccatum erat, quod omnia perdebat. Et quænam rei hujus probatio fuerit? Nempe quod homines ante legem interirent. Regnavit enim mors ab Adam usque ad Moysem, in eos quoque qui non peccaverant. Quomodo regnavit? Ad similitudinem transgressionis Adam, qui typum gerit illius futuri: propterea enim et typus est Jesu Christi Adam. Quomodo typus? Quoniam quemadmodum ille omnibus a se (etiamsi de ligno non comedissent) auctor mortis extitit, ejus quæ ob cibum illum introducta est: sic et Christus omnibus a se quamvis juste non agentibus, justitiæ tamen conciliator extitit, ejus, quam omnibus nobis per crucem largitus est.* Et infra: *Ut cum tibi Judæus dixerit: quo pacto uno recte agente Christo, universus orbis salvus factus est? possis illi respondere: quo pacto uno non obediente Adam universus orbis condemnatus est? Quamquam nihil simile inter se habent peccatum et gratia, mors et vita, diabolus et Deus.* Plura alia habet ibidem his similia, unde S. Augustinus loco supra laudato colligit: " ✻ *Quis autem non videat, si peccatum primi hominis, non propagine, sed imitatione per omnes homines pertransiit, neminem pro alio, sed suo damnari unumquemque peccato, quod non alius in eo generando transmisit, sed ipse imitando sua voluntate commisit?* Hæc S. August. qui plures alias similes auctoritates Patrum Orientis, et Occidentis Ecclesiæ colligit, et profert adversus Julianum, quibus ejus pervica-

ciam reprimit, et retundit. Hinc *cap.* 4. *ejusdem libri* 1. sic eum interpellat: *Cum viderem te in libris tuis non antelucano convivio temulentum, sed insano convivio turbulentum; introduxi te sedandum, atque sanandum, non alicujus Philosophi adjutorio, sed in sanctorum Patrum pacificum, honorandumque conventum. Sit operæ pretium, obsecro te, aspice illos quodammodo aspicientes te, et mansuete ac leniter dicentes tibi: Itane nos, fili Juliane, Manichei sumus? Rogo, quid respondebis? Quibus eos oculis intueberis? quæ tibi argumenta succurrent? Quæ Aristotelis Cathegoriæ; quibus ut in nos velut artifex disputator insilias, rideri appetis elimatus? Quæ tuorum argumentorum vel acies vitrea, vel plumbei pugiones in illorum conspectu exeri audebunt? Quæ abs te arma non fugient, nudumque destituent? an forte dicturus es neminem illorum te in isto crimine nominasse? et quid facies cum tibi dixerint: Tolerabilius dente maledico nomina configeres nostra, quam fidem nostram, cujus merito in cœlo, nomina scripta sunt nostra? an forte dices eis: Nec fidem vestram ullo tali crimine violavi? sed qua confidentia id dicere audebis, homo qui dicis Manichæum esse sensum, confiteri ex Adam trahere nascentes originale peccatum, quod isti confessi, atque professi sunt, quod in Christi Ecclesia suorum rudimentorum tempore didicerunt; quod Christi Ecclesiam suorum honorum tempore docuerunt, qui per Spiritum sanctum tam multa peccata omnibus, quos baptizare potuerunt, tam multis parvulis sola originalia remiserunt? Iterum te admoneo, iterum rogo, aspice tot, ac tales Ecclesiæ Catholicæ Defensores, atque Rectores. Vide quibus tam gravem, tamque nefariam irrogaris injuriam.* ✳ " Ex his apparet quam insipide, ne dicam insane, Sociniani, veterum hæresum, quæ Christi divinitatem, meritum et satisfactionem insectantur, restauratores oblatrent, S. Augustinum primarium esse doctrinæ de peccato originali architectum eumque hoc novellum dogma in Ecclesiam invexisse, cum antea SS. Patres in opposita essent sententia: " ✳

§ 4. — **Eadem veritas ratione Theologica evincitur.** — **Primo** namque eam probat Seraphicus Doctor dist. 30. qu. 2, triplici ratione petita ex « Dei visionis carentia, rationali erubescentia, concu-« piscentiæ prædominantia. *Primo quidem, carentia visionis Dei* hoc « manifestat, quia nullus debet æterno bono, ad quod factus est, pri-« vari, nisi in se habeat aliquid per quod indignus sit divino aspe-« ctui præsentari: tale autem non est, nisi culpa: si igitur omnes « quotquot sunt, visione Dei privantur, nisi per baptismum fluminis, « vel flaminis renascantur; planum est, quod omnes quotquot sunt, « contrahunt ex sua origine culpam. — *Secundo, ex erubescentia etiam « rationis,* hoc manifestat: nullus enim rationabiliter erubescit de his « passionibus, quas habet a natura, nisi insint ei per aliquam culpam: « sed omnis homo naturaliter erubescit ex genitalium membrorum « motu: ex hoc igitur colligitur, et manifestatur, quod quilibet in « seipso, non tantum pœnaliter, sed etiam vituperabiliter, et culpa-« biliter est corruptus, quantum est de sua origine. — *Tertio, ex præ-« dominantia concupiscentiæ:* hoc evidentissime manifestat: certum « enim est, quod tunc anima hominis est ordinata, quando spiritus « est sub Deo, et caro et virtutes animales sunt sub spiritu, et se-« quuntur ejus imperium: ab oppositis igitur tunc anima hominis est

« perversa, quando caro, et virtutes animales præsunt spiritui ratio-
« nali. Et hoc quidem verum est de plano, non tantummodo secun-
« dum Fidem, verum etiam secundum Philosophiam: sed in homine
« vigor concupiscentiæ, et lex membrorum, quam unusquisque habet
« a nativitate, captivat spiritum, et ei prædominatur. Ex hoc igitur
« clarum et apertum est, quod anima cujuslibet a nativitate perversa
« est et inordinata. Sed sicut ordinatio in homine, et rectitudo ju-
« stitia est, sic perversitas, et inordinatio culpa est: si igitur natura
« cujuslibet hominis per legem concupiscentiæ perversa est a sua ori-
« gine; in quolibet homine indubitanter ponendum est esse peccatum
« originale, quantum est de sua prima nativitate ». — *Confirmat* de-
monstrando qualiter Adamus potuerit totam naturam corrumpere,
et culpabilem facere suo peccato triplici conditione concurrente:
« *Prima* est, quia non tantum erat humanæ naturæ individuum: sed
« totius humanæ naturæ principium. *Secunda* est, quia non tantum
« fuit sibi datum mandatum sicut singulari personæ, sed tamquam
« stipiti totius humanæ naturæ, et hoc bene indicat textus, *Quia man-*
« *datum illud descendit per virum ad mulierem. Tertia*, quia Adam
« innocentiam et immortalitatem susceperat pro se, et pro tota sua
« posteritate, unde ipse innocens et immortalis generasset immorta-
« lem et innocentem. Quia igitur ipse erat omnium principium, et
« transgressus est mandatum quod datum erat, secundum quod erat
« principium, et amisit illam justitiam et innocentiam quam debebat
« omnibus posteris conservare, hinc est quod per ipsum originali ju-
« stitia sumus privati, et in ejus infectione cæteri sunt infecti; non
« tantum pœnaliter, sed etiam culpabiliter: tum propter debitum or-
« dinationis, quæ debet esse in nobis; tum propter carentiam illius
« innocentiæ, quam deberemus habere; tum propter prædominantiam
« concupiscentiæ, per quam animæ nostræ sunt inordinatæ et injus-
« tæ; et si injustæ sunt et inordinatæ, necesse est eas summæ ju-
« stitiæ displicere. Patet igitur quod tota humana natura corrupta
« est, non solum pœnaliter, sed etiam culpabiliter ».

Probat secundo Doctor Subtilis in 2. dist. 32. n. 8. Quicumque ab Adamo propagatus caret justitia originali, quam a Deo acceperat posteris traducendam, peccato originali fœdatur: sed omnes Adami posteri, nisi speciali divino privilegio præveniantur, carent illa justitia originali: ergo, etc. *Minor* constat ipsamet experientia, qua unusquisque nostrum experitur se nudatum esse eximiis illis dotibus, quibus illustratus fuerat Adamus in ipso suæ formationis exordio. *Majorem* probat Doctor ex illa doctrina S. Anselmi in lib. 1. *De Concept. Virg.* c. 27. dicentis: *Non accusat spontanea, quam fecit, justitiæ desertio, nec personas excusat recuperandi impotentia*, ut declarat cap. 2. *Quoniam ipse sibi impotentiam fecit deserendo justitiam in primis Parentibus, in quibus tota natura erat, et semper debitrix est habere potestatem, quam ad observandam semper justitiam accepit.* Ex quibus sic ratiocinatur Doctor: justitiam accepit Adam pro se, et pro tota natura humana quæ tunc erat in eo: ergo tota natura, quæ erat in Adam, erat justitiæ receptæ debitrix, et ideo juste Deus exigit a tota natura humana, quæcumque illa sit, justitiam sibi commissam, omne enim donum est debitum, præsertim quando vertitur in donantis inju-

riam: universæ autem naturæ humanæ tunc in Adamo existenti justitiæ originalis donum fuit concreditum, et misere in injuriam Creatoris deperditum : ergo ab universa natura est debitum. — *Confirmat Doctor* n. 10. « Omne donum est debitum, quod datur ab ipso Deo dante « voluntate antecedente, idest, quantum ex parte Dei, sine speciali « gratia, et merito, licet non voluntate consequente : sed Adam acci- « piente justitiam, filio ejus data est justitia voluntate Dei antecedente, « idest quantum erat ex parte Dei, quia sine speciali dono conferretur « filio, nisi adesset impedimentum: ergo ex illa collatione facta patri, « filius est debitor justitiæ sibi datæ. *Major probatur:* accipiens enim « voluntatem et gratiam, licet ei non detur opus meritorium in se, « sive voluntate consequente, datur tamen sibi in gratia, in qua est « voluntate antecedente, et virtualiter, et propter hoc accipiens gra- « tiam, debitor est bonorum operum, quæ virtualiter continentur in « gratia illa, ita quod amittens gratiam, et frequenter peccans, non « tantum punitur pro amissione gratiæ, quia tunc qui pluries, et qui « paucius peccarent, æqualiter punirentur. *Minor patet* ex lege di- « vina, quæ statuit per patrem non ponentem obicem per peccatum « quasi naturaliter propagari justitiam, non quidem quia pater eam « transfunderet, cum sit donum supernaturale; sed quod Deus ipse « naturæ cooperaretur regulariter dando justitiam propagato, sicut « modo animam intellectivam creat, corpore perfecte organizato ». Hæc Doctor.

Probatur tertio ex necessitate baptismi : baptismus enim absolute necessarius est ad remissionem peccati: sed juxta Apostolicam traditionem, ut docet S. Dionysius lib. *De Ecclesiastica Hierarchia*, capite ultimo, Origenes Homilia 8. in *Leviticum.*, Cyprianus lib. 3. Epistola 8. et alii Ecclesiæ Patres, baptismus est parvulis administrandus; ergo supponit in ipsis peccatum eluendum : non actuale ; ergo originale. *Probatur major :* tum ex verbis Christi dicentis Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex Aqua, et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei :* cur autem renasci deberet per gratiam, nisi ejus generatio corrupta fuisset per peccatum ? Tum quia qui baptizantur mortui erant peccato, et per baptismum resurgunt, *Ut in novitate vitæ ambulent*, sicut loquitur Apostolus ad Romanos 6: ergo qui baptizantur, peccatum supponunt. *Rursus*, qui baptizantur, mundantur et abluuntur; Ephesiorum 5. *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ :* ad Titum 3. *Per lavacrum regenerationis, et renovationis etc.* Qualiter autem mundari et lavari posset, qui sordes et maculas non haberet ? *Denique*, id probatur ex forma baptismi: videlicet *ego te baptizo:* quod idem est ac *abluo* et *mundo :* abluere autem et mundare necessario supponunt sordes et immunditiam ; non quidem corpoream, ad eluendas enim sordes corporeas, nec opus est determinata verborum forma, nec applicatione meritorum Christi : ergo sordes illæ debent esse spirituales, ratione scilicet peccati. *Falsam igitur*, inquit S. Augustinus lib. 1. *De Peccatorum meritis, et remissione*, capite 34. *vel fallacem, oportet, parvulis tradi baptismatis formam, in qua sonaret quod utique agi videretur, et tamen nulla fieret remissio peccatorum. Viderunt aliqui* Pelagianorum, *nihil execrabilius, ac detestabilius dici posse, atque sentiri.* — *Confirmatur* ex baptismi cæremoniis, exorcismo videlicet, re-

nuntiatione, et insufflatione ab universali Ecclesia semper frequentatis; hæc enim manifeste indicant dæmones habere potestatem, et possidere animas infantium: dæmon autem nullam habet auctoritatem nisi in solos peccatores: oportet ergo ut parvuli peccato inficiantur, priusquam per baptismum *Eripiantur de potestate tenebrarum,* ut loquitur Apostolus ad Coloss. 1. Quam utique veritatem ab universali Ecclesia probatam docet S. Augustinus lib. 1. *De Nuptiis, et concupisc.*, cap. 20. *Non enim*, inquit, *dubitat fides Christiana, quam novi Hæretici oppugnare cæperunt, et eos qui lavacro regenerationis abluuntur, redimi de potestate diaboli, et eos qui nondum tali regeneratione redempti sunt, etiam parvulos filios redemptorum, sub ejusdem esse potestate captivos, nisi et ipsi eadem Christi gratia redimantur: ad omnes namque pertinere non dubitamus illud, de quo Apostolus loquitur beneficium Dei.* Qui eruit nos de potestate tenebrarum. Hinc lib. 2. *De Nuptiis*, cap. 18. loquens de Juliano ait: *Accusat Ecclesiam toto orbe diffusam, in qua omnes baptizandi infantuli non ob aliud exsufflantur, nisi ut ab eis Princeps mundi mittatur foras, a quo necesse est vasa iræ possideantur, si in Christo non renascantur, et in ejus regnum per gratiam, facta vasa misericordiæ, transferantur.* Idque ita notum omnibus Catholicis affirmat, ut qui hoc negant, exsufflandi, et exsibilandi sint. Sic enim lib. 6. *contra Julianum*, cap. 5. eum interpellat: *Sic tu commemorare timuisti, tamquam ipse ab orbe toto exsufflandus esses, si huic exsufflationi, qua Princeps mundi a parvulis ejicitur foras, contradicere voluisses.* Quod utique confirmat Cælestinus 1. in *Epist. ad Episcopos Galliæ*, cap. 12. ubi asserit in universo mundo consuetudinem hanc invariatam servari, ut sive parvuli, sive adulti ad baptismum accesserint, non prius vitæ fontem subeant, quam exorcismis, et exsufflationibus Clericorum, Spiritus ab eis immundus abigatur.

Probatur quarto ex Redemptione Christi: Christus enim Dominus mortem obiit, non solum pro Adultis, sed etiam pro parvulis: siquidem ait sanctus Paulus 2. *ad Corinthios* 5. *Christus pro omnibus mortuus est:* sed solum pro his, qui peccato mortui erant vivificandis Christus mortem passus est, ut ibidem significat Apostolus scribens: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt:* ergo parvuli mortui sunt peccato; alias pro ipsis Christus non fuisset mortuus, ejusque Passionis prorsus fuissent extorres; *Quisquis igitur*, inquit S. Augustinus in responsione ad cap. 172. lib. 2. Juliani, *a peccato, in quo inimicitiæ factæ sunt, liberos esse parvulos dicit, profecto eos negat ad hanc reconciliationem propter quam Christus mediator factus est, pertinere. Proinde separat eos, et a justificatione, quæ fit in Christi sanguine, cujus fundendi causa quando eum bibendum commendavit, nulla, nisi in remissionem, dicta est peccatorum. Unde fit consequens ut parvulis peccata non habentibus mors Christi nihil prosit omnino.*

Probat denique hanc veritatem S. Augustinus ex illis pœnis et ærumnis, quibus homines ab ipso suæ nativitatis exordio subjiciuntur; quo fit ut merito dixerit Tertullianus: *Homo vitam suam incipit a lacrymis, propheta calamitatis suæ;* vel ut ait S. Augustinus lib. 2. *contra Julianum*, cap. 6. *Post occulta spiramenta viscerum maternorum, qui nascitur, funditur in ortu ploraturus reatum, quem contraxit*

ante ortum. Unde *Ecclesiasticus*, cap. 40. *Grave jugum super filios Adæ a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ.* Hinc S. Augustinus lib. 3. *contra Julianum*, cap. 3. ait: *Hæc mala sub justo, et omnipotente Deo non irrogarentur ejus imagini, quibus malis in virtute exerceri infantilis ætas non potest dici, si nulla ex Parentibus mala merita parvulorum.* Unde lib. 5. contra eumdem, ait: *Quod durissimi hujus jugi onus sentiens Tullius, hominem dixit, non ut a matre, sed tamquam a noverca natura editum in vitam, corpore et nudo, et fragili, et infirmo; animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines.* Subdit autem: *rem vidit, sed causam nescivit; cum enim Sacris litteris eruditus non esset, ignorabat originale peccatum.*

§ 5. — Proponuntur ac solvuntur objectiones. 1. quæ petuntur ex sacra Scriptura. — Objicitur 1. Illud Ezechielis cap. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris:* ergo qui ex Adamo ducunt originem, ipsius peccato non inquinantur. — **Respondeo** 1. Ezechielem intelligendum esse de peccatis parentum personalibus, quæ in prolem non transfunduntur, et ratione quorum filii divinæ non subjiciuntur ultioni, nisi peccando actualiter prava parentum exempla sectentur. — *Respondeo* 2. Adami transgressionem etiam moraliter fuisse posterorum ejus iniquitatem, qui in ipso velut humanæ naturæ capite constituti, Dei legem cum ipso transgressi sunt. Unde ait S. Augustinus lib. 1. *De peccatorum meritis*, cap. 10: *Certe manifestum est, alia esse propria cuique peccata, in quibus hi tantum peccant, quorum peccata sunt: aliud hoc unum, in quo omnes peccaverunt, quando omnes illi unus homo fuerunt.* Quocirca Juliano objicienti neminem perire debere peccato alieno, respondet idem S. Augustinus lib. 1. *Operis imperfecti*, c. 48: *Aliena sunt, sed paterna sunt: ac per hoc jure seminationis, atque germinationis, et nostra sunt.* Addit cap. 57: *Sic autem aliena sunt originalia peccata propter nullum in eis nostræ voluntatis arbitrium, ut tamen propter originis contagium esse inveniantur et nostra. Quid est ergo, quod clamas, et dicis non posse Deum, et dimittere peccata majoribus propria, et imputare parvulis aliena? — Respondet* 3. S. Augustinus lib. 6. in Julianum cap. 25. verba præfata Ezechielis esse prophetica, iisque promitti beneficium novi Testamenti, et spiritualis hæreditatis ad alterum sæculum pertinentis, qua per regenerationem delendum erat Chirographum paternum, ut non amplius noceret peccatum veteris Adami his qui novum Adamum per baptismum induissent; in hoc enim Testamento novo, inquit S. Augustinus, *Per sanguinem Testatoris deleto paterno Chirographo, incipit homo paternis debitis non esse obnoxius renascendo, quibus nascendo fuerat obligatus.*

Objicitur 2. Illud Apostoli ad Romanos 5. dicentis: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem justi constituentur multi:* sed non omnes per hanc constituuntur justi: ergo nec per illam omnes injusti. *Insuper* signanter dicit Apostolus, peccatores constituti *multi*, non autem dicit *omnes:* ergo censet non propagatione, sed solum imitatione peccati Adami ejus posteros peccatores fieri. — **Respondeo** *ad primum*, negando *minorem:* certum enim est quod per Christi obedientiam omnes justi constituun-

tur, siquidem Christus pro omnibus factus est obediens, omnibusque media ad justificationem et salutem necessaria promeruit: ergo qua ratione omnes per Christum justificantur, qui in ipso spiritualiter renascuntur, etiam omnes constituuntur peccatores per inobedientiam Adami, qui ex ipso nascuntur ac propagantur. — *Ad secundum* respondet S. Augustinus lib. 6. *contra Julianum*, cap. 24. *Per multos*, Apostolum intelligere *Omnes*, juxta usitatam phrasim Scripturæ: quod utique confirmat ex illo *Genesis*, 17. ubi Deus Abrahamo ait, *Patrem multarum Gentium posui te:* cum tamen *Genesis*, 22. dicat: *In semine tuo benedicentur omnes Gentes:* quibus ait S. Augustinus, *easdem* omnes multas, et *easdem* multas omnes *esse monstratum est: Ideo autem*, ait, *sic locuta est Scriptura, quia possunt esse aliqua omnia, quæ non sunt multa; sicut omnia dicimus Evangelia, et tamen brevi numero, idest quaternario continentur: et rursus possunt aliqua multa, non tamen omnia, sicut multos dicimus credere in Christum, nec tamen omnes credunt.* Unde infert, omnes ergo ad mortem per Adam, *Omnes ad vitam per Christum, quia* sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur: *idest ex prima origine generis humani nemo ad mortem nisi per Adam, et nemo per Adam nisi ad mortem: et nemo ad vitam nisi per Christum, et nemo per Christum nisi ad vitam.*

Objicitur 3. Idem Apostolus ibidem dicens: *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysem, etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ:* sed peccare in similitudinem prævaricationis Adæ esset inquinari ipsius peccato: ergo falsum est omnes Adami posteros ipsius peccato fœdari. — **Nego minorem**: Nam inquit S. Augustinus lib. 1. *De peccatorum meritis*, cap. 11. sensus Apostoli est, quod mors regnaverit etiam ante legem scriptam, seu tempora Moysis, in illos etiam qui non peccaverunt actualiter, ut peccavit Adamus, seu, ut loquitur S. Augustinus, *Qui nondum sua, et propria voluntate, sicut ille, peccaverunt, sed ab illo peccatum originale traxerunt, qui est forma futuri: quia in illo constituta est forma condemnationis futuris posteris, qui ex ejus propagine crearentur, ut ex uno omnes in condemnationem nascerentur, ex qua non liberat, nisi gratia Salvatoris:* ergo tantum abest ut exinde peccatum originale impugnetur, quinimo propugnatur.

Instabis: Apostolus ibidem dicit gratiam Christi in plures abundasse, quam abundaverit peccatum Adami: ergo saltem plures sunt, qui Adami peccato non fuerint inquinati. — **Respondet** ibidem S. Augustinus vocem illam *plures*, non significare comparationem eo loco, sed æquivalere voci, multos, *Neque enim*, inquit, *plures justificantur, quam condemnantur: sed multo magis abundavit: Adam quippe ex uno delicto reos genuit; Christus autem etiam homines, qui delicta propriæ voluntatis ad originale, in quo nati sunt, addiderunt, gratia sua solvit, atque donavit:* itaque sensus est, gratiam Christi non esse determinatam solum ad peccatum originale eluendum, quod ab Adamo contrahitur; sed etiam ad illa eluenda, quæ postmodum actualiter committuntur; vel quod gratia Christi sit potentior et efficacior ad homines justificandos, quam Adami peccatum ad eos inquinandos. *Adde quod* etiam revera gratia Christi in multo plures abundavit,

quam Adami peccatum; siquidem beata Virgo originalis peccati expers, gratia Christi copiosissime ditata, ac dotata fuit. Eva pariter Adami peccato rea non extitit, imo peccati ipsi fuit occasio, quæ tamen Christi gratia justificata est; nam inquit ibidem S. Augustinus, *Regnum mortis sola in quolibet homine gratia destruit Salvatoris, quæ operata est etiam in antiquis Sanctis, quicumque antequam in carne Christus veniret, ad ejus tamen adjuvantem gratiam, non ad legis naturam, quæ jubere tantum, non adjuvare poterat, pertinebat.*

Objicies 4. Illud Apostoli 2. ad *Corinthios*, 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, sive bonum, sive malum:* ergo soli sunt damnandi, qui proprium peccatum admiserunt. — **Nego consequentiam**, nam ut optime arguit S. Augustinus, lib. 6. *Contra Julianum*, cap. 10. *Parvuli ante tribunal Christi manifestabuntur, vel non: si non manifestabuntur, quid te adjuvat ista sententia, quando ad eos non pertinet* (nempe parvulos) *quorum nunc agitur causa? si autem manifestabuntur, quomodo reportat eorum quisque quod gessit, qui nihil gessit, nisi quia pertinet ad eos, quod per corda et ora gestantium, sive credunt, sive non credunt?.... Nam quomodo reportat bonum, ut inferat in regnum Dei, si hoc reportat quisque quod gessit, nisi quia pertinet ad parvulum, etiam quod per alterum gessit, idest, credidit? Sicut itaque, quod credidit pertinet ad eum, ut reportet bonum, hoc est percipiat Dei regnum; sic ad eum pertinet etiam si non credidit, ut reportet condemnatione judicium, quia Evangelica est et ipsa sententia dicendo: qui non crediderit condemnabitur.... Vide ergo, quam importune nolis parvulum de alieno peccato reportare malum, et velis eum de alieno recte facto reportare bonum, non qualecumque, sed Dei regnum: alienum quippe, cum credidit per alterum, sicut alienum opus fuit, cum peccavit in altero.*

Objicitur 5. Illud Apostoli ad Romanos 3. *Per legem cognitio peccati;* ubi ergo legis cognitio nulla est, ibi nec peccati cognitio esse potest; ubi vero peccati cognitio non est, ibi nec prævaricatio est; adeoque nec damnatio quoque ibidem esse potest. Idem enim hoc Paulus testatur ad Romanos 4. dicens: siquidem *Ubi non est lex, ibi nec prævaricatio est.* Jam ergo istorum testimoniorum vim, et potentiam considera, quæ tanta est, ut omnia omnium Theologorum de originali peccato commenta penitus subvertat. Morbus enim hic nobis damnationem adferre nequit, quæ tum demum subsequitur, cum legem oculis nostris expositam conspicati, adhuc tamen morbo hoc, et affectu corruptæ naturæ impulsi, legem transgredimur. Hæc Zuinglius. — **Respondeo**, nullam esse præfatam Zuinglii consequentiam, non enim Apostolus ait, ubi legis cognitio non est, nec prævaricatio est, quæ erat Zuinglii collectio; sed ubi lex non est, nec prævaricatio est, quod utique verissimum est, nulla namque fingi potest prævaricatio nisi sit lex, quæ prævaricando violetur. *Deinde*, Zuinglius assumit tamquam certum, quod potissimum in Quæstione versatur, solam videlicet prævaricationem, quæ est actuale peccatum, esse proprie peccatum quod homines damnare potest; id enim omnes Catholici pernegant, et contrarium apertis Scripturæ textibus supra probavimus. Falsum pariter, quod tamquam certum supponit, nimirum nullam esse damnationem, ubi nulla est legis prævaricatio; nam idem Apostolus *Ad Romanos* 9.

dicit infantes nihil boni, aut mali fecisse, ac per hoc nullam Legem propria voluntate prævaricatos esse : ipsemet *Ad Romanos*, 5. scribit : *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem ; sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem.* Et *Ad Ephesios*, 2. affirmat nos *Omnes esse natura filios iræ.* Hoc est ipsa nativitate, et propagatione reos. *Denique* asserere possumus etiam infantes esse Legis prævaricatores, juxta illud Oseæ 6. *Ipsi sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi prævaricati sunt omnes:* scilicet in Paradiso ubi Adam a Deo datam sibi legem violavit, et in quo tamquam in suo capite omnes peccaverunt, et prævaricati sunt.

Proponuntur, ac solvuntur auctoritates SS. Patrum, qui originale peccatum negare videntur. — Objicitur 1. Clemens Alexandrinus lib. 3. *Stromatum*, sub finem, ubi ait: *Dicant ergo nobis ubi fornicatus est infans natus, vel quomodo sub Adæ cecidit execrationem, qui nihil est operatus?* ergo censet infantes Adami peccato non esse reos. — **Nego consequentiam** : non enim constat cujus hæc sint verba, ipsiusne Clementis, an hæreticorum quos ibidem impugnat, qui docebant nuptias esse respuendas, propterea quod mala esset generatio, quippe cum infantes nulla propria actione polluti, tamen, inquit sanctus Job, *Non sunt mundi a sorde ;* quod utique indicat Clemens ; nam continuo subjicit: restat ergo eis, (ut videtur) consequenter ut dicant malam esse generationem, non solum eam, quæ est corporis, sed etiam eam, quæ est animæ. Igitur illi hæretici peccatum originale non negabant, imo affirmabant, ut ex ea assertione nuptias respuerent, et suum errorem astruerent.

Objicitur 2. S. Ambrosius in Comment. capitis 5. *Ad Rom. Mors dissolutio corporis est, cum anima a corpore separatur. Est et alia mors, quæ secunda dicitur in gehenna, quam non peccato Adæ patimur, sed in occasione propria peccati acquirimus ; a qua boni immunes sunt, tantum quod in inferno erant, sed, superiori, quasi in libra ; quia ad Cœlum ascendere non poterant.* — **Respondeo 1.** Ista Commentaria in Apostolum non videri S. Ambrosii, sed alicujus alterius Auctoris æqualis Ambrosii, vixit enim tempore Damasi Papæ, ut testatur in Commentario capitis tertii prioris ad Timotheum. *Secundo dico* eum Auctorem, quisquis fuerit, non negare peccatum originale, imo astruere: nam paulo ante præfata verba explicans illud, *In quo omnes peccaverunt,* ait : *Manifestum itaque est in Adam omnes peccasse quasi in massa, ipse enim per peccatum corruptus, quos genuit, omnes nati sunt sub peccato. Ex eo igitur cunctis peccatores, quia ex ipso sumus omnes.*

Objicitur 3. S. Chrysostomus, quem in sui erroris patronum præcipuum sibi vindicabant Pelagiani, propterea quod variis in locis visus fuerit negare peccatum originale, maxime vero Epistola *Ad Neophitos*, ubi cum dixisset: *Benedictus Deus, qui facit mirabilia solus, qui fecit universa, et convertit universa ; ecce libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur paulo ante captivi, et cives Ecclesiæ sunt, qui fuerunt in peregrinationis errore, et justitiæ in sorte versantur, qui fuerunt in conclusione peccati. Non enim tantum sunt liberi, sed et sancti : non tantum sancti, sed et justi : non solum justi, sed et filii : non solum filii, sed et hæredes : non solum hæredes, sed et fratres Christi : nec*

tantum fratres Christi, sed et cohæredes : non solum cohæredes, sed et membra : non tantum membra, sed et templum : non tantum templum, sed et organa spiritus, subdit : *Vides quot sunt baptismatis largitates : sed multis quidem videtur baptismi gratiam in sui peccatorum tantum remissione consistere. Nos autem baptismi honores jam computavimus decem. Hac de causa, et infantulos baptizamus, quamvis non sint inquinati peccato ; nempe ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, hæreditas, et fraternitas Christi.* — **Respondet S. Augustinus** lib. 1. cap. 6. *Contra Julianum*, qui præfatam auctoritatem objecerat: *Ita ne ista verba S. Joannis Episcopi audes tamquam e contrario tot taliumque sententiis Collegarum ejus opponere, eumque ab illorum concordissima societate sejungere, et eis adversarium constituere? Absit, absit hoc malum de tanto viro credere aut dicere. Absit, inquam, ut Constantinopolitanus Joannes de baptismate parvulorum, eumque a paterni Chirographi liberatione per Christum tot ac tantis Coepiscopis suis, maximeque Romano Innocentio, Carthaginensi Cypriano, Cappadoci Basilio, Gregorio Nazianzeno, Gallo Hilario, Mediolanensi resistat Ambrosio.* Deinde præfata verba explicat, dicens juxta Græcum idioma, non *Peccato*, sed *peccatis* legi, in plurali videlicet, non in singulari numero, ita quod Latine genuina sit versio, *Ideo et Infantes baptizamus, quamvis peccata non habentes.* Unde subdit S. Augustinus: *Vides certe non ab eo dictum esse parvulos non coinquinatos esse peccato, sive peccatis, seu non habere peccata, intellige propria, et nulla contentio est. At inquies, cur non addidit propria? Cur putamus, nisi quia disputans in Catholica Ecclesia, non se aliter intelligi arbitrabatur? tali Quæstione nullus pulsabatur, vobis nondum litigantibus securius loquebatur.* — *Deinde*, etsi singulariter legatur *Peccato*, intelligendus est de *peccato personali*, ut ibidem explicat S. Augustinus dicens : *Comparans ergo Joannes parvulos majoribus, quorum propria peccata dimittuntur in baptismo, dixit illos non habere peccata.* — *Denique*, in aliis codicibus, maxime editionis Parisiensis anni 1556. legimus: *Infantulos baptizamus ut non sint inquinati peccato*, idest, ut mundentur a peccato, non alio certe quam originali. Quod autem S. Chrysostomus peccatum originale non oppugnaverit, sed propugnaverit, ibidem pluribus textibus ab eo desumptis probat S. Augustinus, maxime vero ex eadem Epistola ad *Neophitos*, ubi ait : *Venit semel Christus, invenit nostrum Chirographum paternum, quod scripsit Adam. Ille initium induxit debiti, nos fœnus auximus posterioribus peccatis.* Unde Julianum sic interpellat August. *Audisne hominem in Fide Catholica, et eruditum, et erudientem, distinguentem debitum paterni Chirographi, quod hæreditarium nobis inhæsit, ab eis debitis quorum per nostra peccata fœnus accrevit? audis quid parvulis relaxetur in baptismo, qui nondum propria debita contraxerunt, nec tamen a paterno Chirographo immunes esse potuerunt?*

Proponuntur ac solvuntur argumenta a ratione Theologica petita. — Quinque potissimum argumenta proferebant Pelagiani, quibus assertionem peccati originalis impetebant, et impugnabant, ut indicat S. Augustinus lib. 2. *Contra Julianum*, cap. 9. *Vestra,* inquit, *argumenta sunt quibus dicitis : Si Deus homines creat, non possunt cum aliquo malo nasci : Si nuptiæ bonum sunt, nihil ex eis oritur mali :*

Si in baptismate peccata omnia remittuntur, non possunt nati de renatis trahere originale peccatum : Si justus est Deus, non potest in filiis parentum damnare peccata, cum ipsis parentibus dimittat et propria : Si perfectæ justitiæ capax est humana natura, habere non potest vitia naturalia. Ut autem harum objectionum solutiones evidentiores, et faciliores fiant, placet eas necnon et alias illis similes sigillatim proponere. Itaque

Objicies 1. Deus non potest esse mali artifex : sed ipse auctor est omnium hominum qui nascuntur : ergo homines nascentes non possunt esse mali, adeoque nec peccato originali infecti. — **Respondet S. Augustinus** lib. *De peccato originali*, cap. 32. duo in hominibus procreatione esse distinguenda, nempe naturam, et vitium. *Simul autem*, inquit, *utrumque propagatur, et natura, et naturæ vitium, quorum unum est bonum, et alterum malum. Illud de Conditoris largitate sumitur, hoc de originis damnatione attrahitur. Illi est causa bona voluntas Dei summi : huic mala voluntas hominis primi. Illud indicat Deum creaturæ institutorem ; hoc indicat Deum inobedientiæ punitorem. Denique idem ipse Christus propter illud creandum factor est hominis, propter hoc sanandum factus est homo.* Ex quo sequitur non in Deum, sed in Adami inobedientiam ut in propriam causam malum illud, seu vitium originale refundi debere. Sequitur pariter non esse desperandam hujus peccati liberationem ; non enim ut hic morbus curetur destruenda natura, sed perficienda. Quod utique facile præstare potest medicus ille cælestis qui *venit quærere, et salvum facere quod perierat.* Unde ipse S. Augustinus, lib. 2. in *Julianum*, cap. 1. *Nec perfectio desperanda est virtutis per ejus gratiam, qui ex origine vitiata mutare potest, et formare naturam.*

Objicitur 2. Non potest arbor bona malos fructus facere : sed nuptiæ bonæ sunt : ergo ex eis non possunt filii mali ac peccatores nasci. — **Respondet 1. S. Augustinus** lib. 2. *De Nuptiis, et concupiscentia*, cap. 20. *Non solum filios ex conjugio, verum etiam ex adulterio bonum aliquid esse, secundum opus Dei quo creati sunt : secundum autem originale peccatum in damnationem nasci ex Adam primo, non solum si de adulterio, verum etiam si de conjugio generentur, nisi in Adam secundo, qui est Christus, regenerentur.* Unde concludit capite sequenti: *Recte igitur diximus, ita nuptiarum bonum malo originali quod inde trahitur non potest accusari, sicut adulteriorum malum bono naturali quod inde nascitur non potest excusari : quoniam natura humana quæ nascitur, vel de conjugio, vel de adulterio, Dei opus est, quæ si malum esset, non esset generanda ; si malum non haberet, non esset regeneranda. Atque ut ad unum verbum utrumque concludam, natura humana si malum esset, salvanda non esset : si ei mali nihil inesset, sananda non esset. Qui ergo dicit eam bonum non esse, bonum negat conditæ Creatorem : qui vero negat ei malum inesse, misericordem vitiatæ invidet Salvatorem. Quapropter in hominibus nascentibus neque excusanda sunt adulteria per bonum, quod inde a Conditore bono creatum est ; nec accusanda conjugia per malum quod ibi a misericorde Salvatore sanandum est.* — *Respondet* 2. cap. 26. præfatum Evangelii contextum intelligendum esse de duabus voluntatibus hominum, bona scilicet, et mala ; istam bonam, illam malam arborem dicens, quia de

bona voluntate bona opera nascuntur, et mala de mala. Quod si nuptia tamquam arborem bonam, secundum istam quam commemoravit Evangelicam similitudinem, posuimus, profecto ex contrario fornicationem posituri sumus arborem malam. Subdit: *Quamobrem si homo ita dicitur fructus nuptiarum, tamquam bonus ex arbore bona, proculdubio nasci homo de fornicatione non debuit, mala quippe arbor bonos fructus non facit. Porro si dixerit, non illic arboris loco ponendum esse adulterium, sed naturam potius humanam, de qua nascitur homo: ita etiam hic non erit arbor connubium, sed natura humana de qua nascitur homo. Nihil proinde valet ad istam quæstionem similitudo illa Evangelica, quia non sunt nuptiæ causa peccati quod trahitur a nascente, et expiatur in renascente; sed voluntarium peccatum hominis primi originalis est causa peccati.* Conjuges ergo dum filios gignunt, naturam quidem corruptam ac vitiatam propagant; sed ejus corruptionis culpa non in ipsos, sed in primum hominem est refundenda.

Objicies 3. Nemo dat quod non habet: sed plerique parentes filios gignentes non habent amplius peccatum originale; quippe cum eis per baptismum fuerit expunctum: ergo non possunt illud in filios transfundere. — **Respondet S. Augustinus** lib. 3. *De peccatorum meritis,* cap. 8. et sequentibus, hominem in Christo regeneratum, ac per hoc justificatum non gignere carnalem prolem secundum id quod regeneratus est, idest secundum Spiritum quem accepit in Christo: sed secundum id quod natus est, idest secundum carnem quam hausit ab Adamo. ✻ " Unde cum proposuisset hanc Pelagianorum objectionem: *sed si Baptismus mundat antiquum illud delictum, qui de duobus baptizatis nati fuerint, debent hoc carere peccato: non enim potuerunt ad posteros transmittere quod ipsi minime habuerunt.* Respondet: « Si mihi « apud obtusos et contentiosos propter rerum naturæ obscuritatem dif- « ficultas refellendi falsa et persuedendi vera resisteret, ad hæc forte « quæ in usu atque in promptu essent exempla confugerem, vicissim- « que interrogarem, ut quia eos moveret, quomodo peccatum quod « mundatur per Baptismum, maneat in eis quos genuerint baptizati? « ipsi explicarent quomodo præputium quod per circumcisionem auferr « tur, maneat in eis quos genuerint circumcisi? quomodo etiam palea « quæ opere humano tanta diligentia separatur, maneat in fructu qui « de purgato nascitur? His et talibus forsitan utrumque conarer exem- « plis persuadere hominibus qui mundationis sacramenta superfluo filiis « mundatorum crederent adhiberi, quam recto consilio baptizatorum « parvuli baptizentur: quamquam fieri possit ut homini habenti utrum- « que semen, et mortis in carne, et immortalitatis in spiritu, non obsit « regenerato per spiritum, quod obest ejus filio generato per carnem: « sitque in isto remissione mundatum, quod sit etiam in illo simili « remissione, velut circumcisione, velut trituratione, ac ventilatione « mundandum. Nunc vero, quandoquidem cum eis agimus qui confiten- « tur baptizatorum filios baptizandos, quando melius sic agimus, ut di- « camus: (Deinde Pelagianos sic urget:) " ✻ *Vos qui asseritis de hominibus a peccati labe mundatis sine peccato nasci filios debuisse, cur non attenditis eo modo nobis posse dici de christianis parentibus christianos nasci filios debuisse?.... Quod respondebitis quare de christianis non christianus*

nascatur: nisi quia non facit generatio, sed regeneratio christianos? Hanc igitur vobis redditæ rationem, quia similiter a peccatis nemo nascendo, sed omnes renascendo mundantur. Ac per hoc hominibus ideo mundatis, quoniam de renatis homo qui nascitur renascitur, ut etiam ipse mundetur. Potuerunt enim parentes ad posteros transmittere quod ipsi minime habuerunt: non solum sicut frumenta paleam, et præputium circumcisus: sed etiam quod et vos dicitis, fideles infidelitatem in posteros trajiciunt, quod non est jam illorum perspicuum regeneratorum, sed quo in carne generati sunt, mortalis seminis vitium. Nam utique quos parvulos per Sacramentum fidelium fideles faciendos esse judicatis, infideles natos ex parentibus fidelibus non negatis. — ✳ " Similem subjicit responsionem lib. 1. *De Nuptiis et Concupiscentia* producto exemplo oleæ producentis oleastrum. Sic enim scribit cap. 19.: « Ex hac igitur concupiscentia carnis quod nascitur, utique mundo « non Deo nascitur. Deo autem nascitur, cum ex aqua et Spiritu Sancto « renascitur. Hujus concupiscentiæ reatum regeneratio sola dimittit, « quem generatio trahit. Ergo quod generatum est, regeneretur, quia « non potest effici aliter, ut quod tractum est, remittatur. Ut enim quod « dimissum est in parente trahatur in prolem, miris quidem modis « fit, sed tamen fit. Hæc invisibilia et infidelibus incredibilia, sed « tamen vera, ut haberent aliquod visibile exemplum, hoc in quibu- « sdam arbustis divina Providentia procuravit. Cur enim non credamus « propter hoc esse institutum, ut ex oliva nascatur oleaster? An cre- « dendum non est in aliqua re quæ creata est ad usus hominum, Crea- « torem providisse et instituisse, quod ad generis humani valeret exem- « plum? Mirum est ergo quemadmodum a peccati vinculo per gratiam « liberati, gignant tamen eodem vinculo obstrictos, quos eodem modo « oporteat liberari: fatemur, mirum est. Sed quod latent fœtus oleas- « trorum etiam in seminibus olearum, quando et hoc crederetur, nisi « ex experientia probaretur? Proinde sicut gignitur ex oleastri semine « oleaster, et ex oleæ semine nonnisi oleaster, cum inter oleastrum « et oleam plurimum distet: ita gignitur et de carne peccatoris, et de « carne justi utrinque peccator, quamvis inter peccatorem et justum « plurimum distet. Gignitur autem peccator actu adhuc nullus, et ortu « novus, sed reatu vetus: homo a Creatore, captivus a deceptore, in- « digens Redemptore. Sed quæritur, quomodo trahi possit captivitas « prolis etiam de parentibus jam redemptis? Et quia non facili ratione « indagatur, nec sermone explicatur, ab infidelibus non creditur, quasi « et illud quod de oleastro et de olea diximus, ut generis dissimilis « sit fœtus similis, facile aliqua inveniat ratio, vel explicet sermo. « Sed hoc ab eo qui experiri voluerit, cerni potest. Sit ergo in « exemplo, unde et illud credatur quod cerni non potest. » " ✳ Unde *distinguo minorem:* parentes non possunt in liberos transfundere id quod non habent nec formaliter, nec virtualiter, concedo: id quod non habent formaliter, sed tantum virtualiter, nego: parentes autem etsi quando generant, formaliter in se peccatum originale non habeant, tamen illud semper retinent virtualiter; nempe in virtute seminis, et concupiscentiæ naturæ corruptæ, quæ sunt causæ, sive instrumenta generationis, seu unionis animæ cum corpore, per quam peccatum originale contrahitur.

Objic. 4. Redemptio Christi non prodest hominibus non credentibus : ergo nec prævaricatio Adæ, cum non sit efficacior, nocet non peccantibus. — **Respondet S. Aug.** lib. 3. *De peccatorum meritis*, cap. 2., quod quemadmodum gratia Christi prodest parvulis baptizatis, et solum in aliena persona credentibus ; ita pariter eis obest peccatum per actualem consensum a capite totius humani generis commissum : *Sicut ergo*, inquit, *eorum per quos renascuntur, justitiæ spiritus responsione sua trajicit in eos fidem, quam voluntate propria nondum habere potuerunt : sic eorum per quos nascuntur, caro peccati trajicit in eos noxam, quam nondum vita propria contraxerunt. Et sicut eos vitæ spiritus in Christo regenerat fideles, sic eos corpus mortis in Adam generaverat peccatores : illa enim carnalis generatio est, hæc spiritualis : illa facit filios carnis, hæc filios spiritus : illa filios mortis, hæc filios resurrectionis : illa filios sæculi, hæc filios Dei : illa filios iræ, hæc filios misericordiæ, ac per hoc illa peccato originali obligatos, ista omnis peccati vinculo liberatos.*

Objicit 5. Julianus apud S. Augustinum, lib. 2. *De Nuptiis, et Concupiscentia*, cap. 28; Non peccat iste qui nascitur, non peccat ille qui genuit, non peccat iste qui condidit; *per quas* igitur *rimas, inter tot præsidia innocentiæ, peccatum fingis ingressum?* — **Respondet S. Augustinus** ibidem: *Quid quæris latentem rimam cum habeat apertissimam januam? Per unum hominem, ait Apostolus; Per unius delictum, ait Apostolus, per inobedientiam unius hominis : quid quæris amplius? quid quæris apertius? quid quæris inculcatius?* Itaque neganda est Juliani consecutio : quamvis enim non sit peccati causa pater qui generat, nec filius qui nascitur, nec Deus qui condidit : inde non sequitur nullam esse ejus peccati causam, maxime cum dicat Apostolus ; *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit.*

Objic. 6. Omne peccatum est voluntarium : sed peccatum originale in infantibus voluntarium esse nequit, cum illi rationis, ac libertatis usu careant : igitur non potest in eis habere rationem peccati. *Patet major* ex illo S. **August.** lib. *De vera Religione*, cap. 14. *Usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, nisi sit voluntarium.* — **Respondet Doctor Subtilis** in 2. num. 14: Omne peccatum debet esse voluntarium peccatori quatenus est in potestate ipsius, vel secundum se, vel secundum alium, in quo moraliter constituitur tamquam in capite, concedit : debet esse voluntarium, ita ut sit in potestate physica suæ voluntatis istud non habere, negat : et similiter distincta *minore*, negat *consequentiam*. Taliter præfatum argumentum solvit S. Aug. lib. 2. *De Nuptiis, et Concupiscentia*, cap. 28. ubi dicenti Juliano: *Si peccatum ex voluntate est, mala est voluntas, quæ peccatum facit; si ex natura, mala natura:* Respondet: *ex voluntate peccatum est. Quærit forte, utrum est originale peccatum?* Respondeo: *prorsus est originale peccatum, quia et hoc ex voluntate primi hominis seminatum est, ut in illo esset, et in omnes transiret.* Hoc idem sæpius inculcat lib. 1. Operis imperfecti in Julianum, ubi Juliano ipsi objicienti, quod ipse scripserat lib. *De duabus animabus*, nempe, *peccatum est voluntas amittendi, vel retinendi, quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere*, indeque inferenti non esse in parvulis peccatum originale : siquidem, inquiebat Julianus, nullum est sine voluntate pec-

catum; et nulla est voluntas, ubi non est explicata libertas; et non est libertas, ubi non est facultas per rationem electionis: quod certe in infantibus non invenitur; respondet S. Augustinus ibidem cap. 47. *Tria*, inquit alloquens Julianum, *ista discernas, et scias aliud esse peccatum, aliud pœnam peccati, aliud utrumque. Intelligis quid horum trium pertineat ad illam definitionem, ubi voluntas est agendi, quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere. Peccatum namque isto modo definitum est, non pœna peccati, non utrumque.* Tum explicans tria membra hujus divisionis subjungit; *Habent autem tria ista genera species suas, de quibus nunc longum esset disputare. Horum sane trium generum, si requirantur exempla, primi generis in Adam, sine ullo modo quæstionis, occurrit: multa quippe sunt quæ agunt homines mala, a quibus liberum est abstinere: sed nulli tam liberum est, quam illi fuit, qui Deo suo, a quo conditus erat rectus, nullo prorsus vitio depravatus adstabat. Secundi autem generis, ubi tantummodo est pœna peccati, exemplum in eo malum est, quod quisque ex nulla parte agit, sed tantummodo patitur: velut cum pro suo scelere, qui peccavit occiditur, sive alia corpus pœna quacumque cruciatur. Tertium vero genus, ubi peccatum ipsum est, et pœna peccati, potest intelligi in eo, qui dicit, quod nolo malum hoc ago.* Ac tandem applicans distinctionem argumento Juliani dicit, peccatum originale non pertinere ad primum membrum divisionis, sed ad tertium: ideoque mirum non esse si non comprehendatur illa sua definitione a Juliano relata, quippe quæ solum tradita est de peccato primo modo dicto. *Proinde*, inquit, *originale peccatum nec ad illud pertinet, quo primo loco posuimus, ubi est voluntas malum operandi, unde est liberum abstinere: alioquin non esset in parvulis, qui nondum voluntatis utuntur arbitrio: nec ad illud quod secundo commemoravimus; de peccato enim nunc agimus, non de pœna, quæ non est peccatum, quamvis peccati merito subsequitur: quam quidem patiuntur et parvuli, quia inest eis corpus mortuum propter peccatum, non tamen mors corporis ipsa peccatum est, aut corporalis quicumque cruciatus. Adhuc genus tertium, ubi sit, peccatum est, ut ipsum sit et pœna peccati, quod inest quidem nascentibus, origo tamen hujus peccati descendit a voluntate peccantis. Fuit enim Adam, et in illo fuimus omnes. Periit Adam, et in illo omnes perierunt.*

Instabis: Voluntarium illud dicitur, quod est a principio intrinseco cum cognitione: sed peccatum originale est in parvulis a principio extrinseco, scilicet Adamo, et absque ulla cognitione, quippe cum rationis sint impotes: ergo nullatenus in ipsis voluntarium esse potest, nec ad culpam imputari. *Deinde*, voluntarium liberum debet esse in potestate voluntatis illius, cui voluntarium dicitur, nempe ut sit, vel non sit: sed peccatum originale non est in potestate voluntatis parvulorum, adeoque in ipsis nec voluntarium est, nec liberum. *Denique*, ut id quod fit per voluntatem alterius mihi voluntarium censeatur, necessum est, ut ego vices meas illi commiserim: sed posteri Adami propriam suam voluntatem illi non commiserunt, ut nempe eorum vice pro libito servaret, vel deperderet justitiam originalem, quippe cum nondum existerent: ergo privatio justitiæ originalis, in qua peccatum originale consistit, ipsis voluntaria esse nequit. — **Respondeo** *ad primum:* peccatum originale eo modo, quo voluntarium

est, esse a principio intrinseco cum cognitione, non quidem in nobis, sed in Adamo: voluntarium enim aliquid dicitur dupliciter: scilicet physice, et in ordine ad propriam nostram voluntatem; vel moraliter, et in ordine ad voluntatem alterius, in quo propria nostra voluntas censetur moraliter contineri; cujusmodi voluntas Pupilli moraliter censetur esse voluntas Tutoris, et Actoris, necnon et voluntates filiorum impuberum moraliter continentur in voluntate Patrum. Unde cum omnium hominum voluntates moraliter continerentur in Adamo Protoparente per modum Patris ac Capitis omnium, ipso peccante libere, et cum perfecta cognitione, ita pariter in ipso censemur peccasse. Quemadmodum enim percussio facta per manum est voluntaria, et cum cognitione, non per voluntatem et cognitionem existentem in manu, sed per voluntatem totius suppositi cujus manus est pars: ita peccatum originale a pueris contractum est revera voluntarium; non per voluntatem in ipsis physice existentem, sed per voluntatem Adami, in quo veluti in capite totius humanæ communitatis, omnium hominum voluntates moraliter continentur. Itaque *distinguo majorem:* voluntarium illud dicitur quod est a principio intrinseco cum cognitione, vel physice, et in se tantum, *nego:* vel moraliter, et in alio, *concedo.* Et sic distincta *minore;* nego *consequentiam:* licet enim peccatum originale non sit voluntarium nobis physice, et per actum propriæ voluntatis, est tamen voluntarium moraliter; nempe per voluntatem Adami, qui cum sit principium naturæ humanæ, non solum naturale, sed etiam morale, id quod commisit, aliis moraliter intrinsecum reputari potest. — *Ad secundum distinguo majorem:* voluntarium personale, procedens physice a propria voluntate operantis, debet esse in potestate ejus voluntatis, concedo: voluntarium capitale seu procedens a capite alicujus membri moralis, debet esse in potestate physica voluntatis ipsius membri, nego; ad id namque sufficit, quod voluntarium illud sit in potestate physica capitis continentis moraliter voluntates membrorum. Similiter distincta *minore,* neganda est *consequentia;* cum enim peccatum originale non sit parvulis voluntarium voluntate personæ; sed dumtaxat voluntate capitis naturæ humanæ, non requiritur quod sit in potestate physica ipsorum hunc defectum habere, vel non habere; sed sufficit quod fuerit in potestate physica voluntatis Adami peccare vel non peccare. — *Ad tertium dico,* quod ut peccatum originale censeatur hominibus voluntarium voluntate capitis, non opus est quod suum jus, suumque consensum commiserint Adamo suo Protoparenti quoad conservationem, vel amissionem justitiæ originalis: sed sufficit quod Deus constituens ipsum Adamum caput nostrum naturale ac morale, omnium pariter nostrum voluntates in ipso moraliter constituerit: cum enim sit nostrum rerumque nostrarum supremus Dominus, *magisque habeat in sua potestate hominum voluntates quam ipsi suas,* ut loquitur S. Augustinus lib. *De Correptione et gratia,* cap. 14. statuere potuit ut ipsius Adæ omnium Protoparentis voluntas quantum ad amissionem vel conservationem justitiæ originalis esset pariter voluntas omnium ejus posterorum: non quatenus personæ singulares sunt; sic enim quilibet eorum propriam habet voluntatem; sed quatenus sunt partes et membra totius corporis, ac multitudinis hominum, quorum Adamus est caput ac origo.

Objicies 7. Nullus peccat in eo quod vitare non potest: sed parvuli non possunt vitare peccatum originale: ergo ipsis deputari non potest ad culpam. — **Distinguit majorem Doctor** dist. 32. n. 14: Nemo peccat in eo quod vitare non potest, neque in se, neque in alio in quo moraliter continetur, concedit; quod nequit secundum se vitare, sed posset illud vitare in altero, negat; et similiter distincta *minore*, negat *consequentiam;* licet enim parvuli secundum se physice non possint vitare peccatum originale, potuerunt tamen illud vitare in Adamo: unde non peccant quidem peccato actuali, et personali, quod physice ab eorum voluntate oriatur; sed peccato originali, quod cum ipsa natura humana traducitur. ✳ " *Sicut enim*, inquit S. Augustinus, lib. 2. *De Nuptiis et Concupiscentia*, cap. 5. *per unius illius voluntatem malam omnes in eo peccaverunt, quando omnes ille unus fuerunt, sic propterea singuli peccatum originale traxerunt.* "✳

Objicies 8. Nullum naturale est culpabile, siquidem ait Aristoteles 3. *Ethicorum: In naturalibus nec laudamur, nec vituperamur: unde cæco nato nullus improperabit, sed magis miserebitur:* sed originalis corruptio est naturalis, cum necessario ipsam naturam sequatur, et eadem sit apud omnes: ergo non est culpanda; adeoque nec peccatum. — **Respondet Seraphicus Doctor** *ex S. August.* lib. 1. *Retractat.*, cap. 10: quod aliquid dici potest naturale duobus modis, nempe vel quod sequitur ipsam naturam secundum institutionem; vel quod ipsam consequitur secundum corruptionem: id quod est naturale priori modo, non est culpabile, unde hominibus naturali defectu laborantibus, puta cæcis natis, merito dixit Aristoteles non esse improperandum: quod vero posteriori modo naturale est, culpabile est; quippe cum non solum naturale sit, sed etiam voluntarium tam physice ex parte capitis, quam moraliter ex parte membri peccatum una cum natura contrahentis.

✳ " Instabat Julianus Pelagianus, quod accidentarium est in parentibus, fieri non potest naturale in filiis: sed peccatum Adami fuit in eo quid accidentarium: igitur non potest censeri naturale seu innatum in filiis. — **Respondet S. Augustinus** lib. 6. *cont. ipsum Jul.*, cap. 6. negando *majorem*, idque confirmat exemplo Fundani Carthaginiensis rhetoris qui cum accidenti vitio luxus esset, luxum filium procreavit. *Quo exemplo*, inquit S. Augustinus, *evertitur illa tua sententia, qua naturalia per accidens non converti: accidens quippe fuit in patre, quod factum est in filio naturale.*

Objicies 9. Peccatum originis, si quod esset, existeret in corpore, vel in anima: non in corpore, quia hoc non est sedes peccati, tametsi plerumque sit seminarium et incendium; non etiam in anima, hæc enim immediate a solo Deo creatur; si enim fieret per traducem ex Adamo, et quemadmodum corpus, illa etiam per generationem propagaretur, esset morti obnoxia, sicut et corpus. Itaque a solo Deo illa procedit: Deus autem peccati non est auctor, nec subinde animæ peccaminosæ opifex. Igitur peccatum originale nullum est. — **Respondeo** cum Bellarmino, lib. 4. *De Statu peccati*, cap. 10. circa finem, hoc argumentum Pelagianorum S. Augustino semper difficillimum et pene insolubile visum esse. Quamobrem lib. 5. cont. Julianum, cap. 4. ex-

ponens duos modos explicandi corruptionem animæ ex peccato originali, et hujus propagationem, scribit: *Ut ergo et anima et caro pariter utrumque puniatur, nisi quod nascitur, renascendo emendetur, profecto aut utrumque vitiatum ex homine trahitur; aut alterum in altero, tamquam in vitiato vase corrumpitur, ubi occulta justitia divinæ legis includitur. Quid autem horum sit verum, libentius disco quam dico, ne audeam docere quod nescio. Hoc tamen scio, id horum esse verum, quod fides vera, antiqua, catholica, qua creditur et asseritur originale peccatum, non esse convincerit falsum. Ista fides non negatur, et hoc quod de anima latet, aut ex otio discitur, aut sicut alia multa in hac vita, sine salutis labe nescitur. Magis enim curandum est, sive in parvulis, sive in grandibus, quo anima sanetur auxilio, quam quo vitiata sit merito.* — Tametsi vero hujus quæstionis solutio revera difficilis appareat, nihilominus ad argumentum dico animam " * attingi per generationem, non quidem ita ut fiat vi illius; sed ita ut corpori uniatur per modum formæ, quæ unio est formalis terminus generationis; totalis autem est homo ipse constans anima, et corpore: unde cum totus homo censeatur ab Adamo propagatus, etiam totus homo inquinari dicitur, tam secundum corpus, quam secundum animam. Qualiter autem peccatum illud a Parentibus in posteros producatur, aperiemus infra.

QUÆSTIO SECUNDA.

QUID SIT PECCATUM ORIGINALE.

Tam abstrusa, tamque a sensibus, et mentis captu longe remota est peccati originalis natura, ut ipse S. August. lib. *De moribus Ecclesiæ*, cap. 22. scribere non dubitaverit; *Hoc peccato antiquo nihil est ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius.* Unde non mirum si in hujus difficultatis enodatione tanta sit, tamque multiplex Auctorum pugna, ut vix numerari possint diversæ eorum sententiæ. Quorum præcipuæ ut innotescant,

Notandum 1. Varios Hæreticos circa propositam veritatem fuisse hallucinatos. *Primo* namque fuerunt quidam erronei, inquit Guillelmus Parisiensis lib. *De vitiis, et peccatis*, cap. 5. dicentes animam humanam naturaliter diligere corpus, et desiderare conjunctionem ipsius, et propterea cum eidem conjungitur, nimio gaudio amplecti corpus, arctiusque ei conjungi quam deberet, et hoc, inquiunt, originale peccatum dicitur, quo peccat anima nimio isto gaudio, et amplexu quam deceat arctiori. — *Secunda erronea sententia* fuit Mathiæ Illyrici Centuriatorum Antesignani, hominis revera ad monstra excogitanda quodammodo nati, qui in libello de peccato originis, docet illud non esse accidens naturæ superadditum, sed ipsammet animæ rationalis substantiam ipso Adami peccato substantialiter vitiatam, et ex imagine Dei quam in creatione acceperat in imaginem diaboli transformatam: quem errorem prius videtur docuisse Lutherus, siquidem *in explicatione Psalmi* 50. tractans illa verba, *Ecce in iniquitatibus conceptus sum*, ait: *Non loquitur David de ullis operibus, sed simpliciter de materia, et ipso esse, et dicit; Semen humanum, idest massa, ex qua conceptus sum, tota est vitio et peccato corrupta: materia ipsa est vitiata: lutum illud ex quo vasculum hoc fingi cœpit, damnabile est.* Et paulo post, *Fœtus.*

inquit, *in utero antequam nascimur, et homines esse incipimus, peccatum est.* — *Tertia* erronea sententia est Lutheranorum, et Calvinistarum asserentium peccatum originale esse ipsam concupiscentiam habitualem, sive fomitem peccati, quem contendunt esse vere, et proprie, ac formaliter peccatum. — Variæ pariter fuerunt Doctorum Catholicorum de peccati originalis natura sententiæ. *Primo* namque Gregorius Ariminensis dist. 30. qu. 2. art. 1. et Gabriel ibidem, necnon et Guillelmus Parisiensis Tract. *de Vitiis*, cap. 4. docent peccatum originale esse morbidam animæ qualitatem ob Adæ transgressionem in posteros ex vitiata carne per virulentum serpentis afflatum derivatam; ita quod caro sic infecta animam inficiat, eo modo quo liquor optimus inficitur si vasi graveolenti ac fœtido infundatur. *Secundo,* plurimi contendunt peccatum originale esse fomitem concupiscentiæ, quatenus habet annexam privationem justitiæ originalis debitæ : ita ut fomes sit velut materiale, privatio autem ista formale peccati originis; quæ sententia tribuitur S. Thomæ qu. 82. art. 3. et S. Bonaventuræ dist. 30. art. 2. qu. 1. *Tertio* Roffensis *Articulo* 2. contra Lutherum, et nonnulli alii post ipsum, affirmant peccatum originale essentialiter consistere in ipso reatu pœnæ, quo nempe parvuli ex Adamo propagati in ipso suæ conceptionis momento afficiuntur. *Quarto,* plurimi Theologi, maxime ex recentioribus, volunt rationem formalem peccati originalis consistere in aliqua privatione, quam tamen non omnes eodem modo explicant: aliqui enim dicunt eam consistere in privatione subjectionis mentis ad Deum: alii in privatione justitiæ originalis, et subjectionis partis inferioris superiori parti, necnon et immunitate donorum spiritualium quibus Adamus fuerat exornatus; aliqui in privatione gratiæ sanctificantis quæ collata fuerat Adamo, in posteros, nisi peccasset, transferenda. *Quinto* denique probabilior eorum mihi videtur opinio, qui censent peccatum originale esse ipsummet Adami peccatum in posteros transfusum, quatenus nempe moraliter omnes in eo peccaverunt tamquam in suo capite; cui sententiæ plurimi subscribunt: imprimis vero Albertus Pighius *Controversia prima ;* Catharinus *In Opusculo De casu hominis* cap. 8, Salmero *In caput* 5. *Epistolæ ad Romanos,* disputatione 15. et 46. ubi addit hanc sententiam debere esse omnium Catholicorum; nam *Ita aperte locutus est Paulus,* inquit, *dicendo omnes homines in Adamo peccasse, ut qui hunc sensum ex ejus verbis non eliciunt, plane delirare videantur.* In eamdem sententiam eunt plurimi recentiores, quos refert, et sequitur Ægidius de Præsentatione lib. 2. *De pura Virginis Conceptione,* qu. 1. art. 5. Ipsis autem omnibus præluxit Subtilis Doctor, ut infra demonstrabimus. cujus sententia ut notior fiat,

Notandum 2. Peccatum originale dupliciter considerari posse. *Primo;* quatenus fuit actuale, hoc est actu commissum, et sic nihil est aliud quam peccatum primi Parentis prout ab illo personam omnium posterorum sustinente commissum est; sic enim omnes in ipso moraliter peccaverunt, et omnes eumdem inobedientiæ, et transgressionis actum commiserunt, quatenus omnes ille unus homo fuerunt, ut loquitur S. Augustinus, lib. 1. *De peccatorum meritis, et remissione,* cap. 10. Sicut autem nonnisi moraliter omnes homines in Adamo unus homo fuerunt, ita nonnisi moraliter illo peccante peccaverunt. *Secundo*

spectari potest quatenus est habituale, et habitualiter manens in Adami posteris, donec eluatur, et ut sic nihil aliud est, quam homines in Adamo peccasse moraliter, et propter illud peccatum a se moraliter commissum in primo Parente, esse vere, et realiter Deo exosos, ac privatos ipsius gratia, omnibusque donis, et innocentiæ charismatibus ad eos transfundendis, nisi cum Adamo peccante peccassent, et talium donorum cum ipso indigni fuissent.

Notandum 3. Quod quemadmodum homines possunt unum aliquem in suum caput morale eligere, suasque voluntates in illum devolvere, ut omnium nomine aliquid agat, et quod ipse fecerit censeantur ipsi fecisse, proindeque omnibus imputetur ac si ipsi fecissent; ita Deus, qui supremus omnium voluntatum nostrarum est Dominus, potuit illas in Adamum transfundere, ipsumque in caput nostrum morale constituere, ita ut sors omnium nostrum, sive in bonum, sive in malum, ex decreto, et pacto divino ab eo ita penderet, ut quemadmodum jus ad sanctitatem originalem, et felicem illum statum in quo fuerat ipse conditus habuissemus, si divinis mandatis obtemperasset, sic ejusdem transgressione illius peccatum ad omnes derivaretur per propagationem naturalem ab ipso descendentes derivatione, et communicatione morali. Qua fit ut Adami peccatum personale sit moraliter peccatum omnium posterorum; nimirum quia peccatum illud commissum fuit a primo Parente veluti capite totius generis humani personam omnium posterorum sustinente, et in quem omnium voluntates erant moraliter a Deo transfusæ, ita ut quod ille bene, vel male ageret, imputaretur omnibus veluti membris in ipso capite moraliter, et repræsentative operantibus. His ita prælibatis, primo expugnandæ sunt alienæ sententiæ; demum ea quæ nobis probabilior apparet, erit confirmanda.

Conclusio prima. — Peccatum originale non est ipsa substantialis animæ corruptio.

Primo, quia ex illa erronea sententia, sequeretur dari aliquam substantiam per se malam: at hoc sapit hæresim Manichæorum, qui peccatum substantiam quamdam, seu naturam esse asserebant: quod utique pridem damnatum fuit ab Ecclesia, et sanctorum Patrum auctoritate proscriptum. Nam Basilius in Oratione, quod Deus non sit auctor malorum, ait; *Non imagineris esse aliquam propriam substantiam mali; nam malitia non est aliquid subsistens.* Sanctus Gregorius Nazianzenus, Oratione in sanctum Baptisma: *Crede,* inquit, *nullam esse mali essentiam, nec per se subsistere, nec a Deo creatam.* S. Epiphanius Hæresi 37. *Malum,* inquit, *aliquando non erat, neque radix ulla fuit malitiæ; neque malum est quiddam per se subsistens,* etc. Denique Augustinus pluribi, sed maxime lib. 6. *contra Julianum,* c. 7. docet peccatum originale non esse corpus, neque substantiam. Et in Psal. 62. generaliter ait: *Iniquitas ipsa non est substantia: non enim iniquitas est natura quam formavit Deus; sed iniquitas est perversitas quam formavit homo.* — *Sequeretur secundo,* Deum, et parentes esse causas peccati originalis; illum animam creando; hos corpus generando; quod utique omnes debent execrari; quippe cum non solum in infinitam Dei bonitatem pugnet, sed et in ipsam Scripturam sa-

eram, quæ diserte pronuntiat omnem a Deo conditam naturam esse bonam. Sic *Sapientiæ* 11. *Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti:* et secundæ ad Timotheum 2. *Omnis creatura Dei bona est.* — *Tertio* sequeretur, vel hominem mutari essentialiter in Baptismo, et in resurrectione gloriosa, vel peccatum originale nusquam elui; quod directe militat in ipsammet Scripturam sacram docentem peccata omnia deleri per Baptismum. Sic Romanorum 8. *Nihil est damnationis iis qui sunt in Christo Jesu: qui non secundum carnem ambulant.* Ephesiorum 5. *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhibeat ipso sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam neque rugam.* Et primæ Joann. 1. *Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato.* Sequeretur denique animam esse corruptibilem, siquidem homo secundum illam mutatur substantialiter per peccatum.

Impugnatur iterum hæretica illa sententia: homo peccato originali inquinatus, vel est ejusdem substantialis speciei cum homine mundato originali peccato, vel non. Si sit, ergo nulla facta est in ipso substantialis mutatio, quando a statu peccatoris ad statum gratiæ transiit. Si non sit: ergo alteruter non est animal rationale, vel erunt homines essentialiter diversæ speciei, quod nullus Philosophorum hactenus somniavit. *Secundo,* non magis peccatum originale deberet esse forma aliqua substantialis teterrima superinducta, quam quodcunque aliud peccatum mortale, propter paritatem rationis: sed absurdum est, quod alia peccata mortalia sint substantiæ aut formæ substantiales, alias toties homo mutaretur substantialiter quoties peccat, et qui plura admisisset peccata, longe plures haberet gradus substantiæ quam qui minus peccasset, vel qui justus esset. *Denique,* illa corruptio, et mutatio substantialis quæ fieret in anima, necessario fieri deberet per introductionem alicujus formæ substantialis advenientis: sed hoc dici nequit; produceretur enim vel a Deo, vel ab homine peccante. At produci non potest a Deo; Deus enim non potest esse causa peccati. Non etiam ab homine, quia nullum habet in se principium quo talem substantiam produceret; illud enim principium, si quod esset, maxime voluntas a qua peccatum procedit: sed voluntas tantum producit actus, qui solum sunt accidentia, non autem substantiæ: ergo, etc.

Objicit Illyricus varios Scripturæ textus. *Primo* quidem illud *Genesis* 8. ubi juxta Hebraicam editionem legimus: *Figmentum humani cordis malum est ab adolescentia sua:* ergo massa ipsa cordis, hoc est substantia, dicitur esse mala. Ad Rom. 6. *Vetus homo noster crucifixus est ut destruatur corpus peccati:* quibus peccatum vocatur vetus homo, et dicitur habere corpus: ergo est substantia. Et eodem cap. 6. dicit Apostolus: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum concupiscentiis ejus:* ergo peccatum est aliquid regnans, et habens concupiscentias: adeoque debet necessario esse substantia, et non accidens. *Denique,* imago Dei in homine non erat aliquod accidens, sed substantia; sicut enim dicitur *Genes.* 1. *Creavit Deus hominem ad imaginem suam,* ita dicitur *Genesis* 5. *Adam genuit filium ad imaginem suam:* certum est autem filium esse ad imaginem patris, non propter sola accidentia, sed propter naturæ similitudinem. Sed si imago Dei substantia erat, profecto etiam imago diaboli substantia esse debet. Amisit autem homo per peccatum imaginem Dei,

et induit imaginem diaboli, juxta illud Joannis 8. *Vos ex Patre diabolo estis:* et ad Colossenses 3. *Induite novum hominem qui renovatur secundum imaginem ejus qui creavit eum:* ergo cum ipsa imago diaboli sit substantia, etiam originale peccatum erit quid substantiale. — **Nego has omnes consequentias**, et ad primum contextum respondeo, per *figmentum cordis* non intelligi ipsam substantiam cordis, sed operationes ejus quas in se fingit sive facit, et sic ex illo textu nihil adversum nos urgetur. Vel dico quod etsi intelligeretur ipsa cordis substantia, inde non sequeretur illam esse peccatum; posset enim esse mala denominative a peccato, seu operatione mala, quamvis nec ipsum peccatum, nec mala operatio esset quid substantiale: sicut potest dici infirmus homo et doctus ab infirmitate et doctrina, licet neutra sit substantia. *Ad secundum dico,* per *corpus peccati* non intelligi aliquid substantiale, sed ipsam massam, seu congeriem peccatorum. Deinde loquitur Apostolus de peccatis actualibus. Denique, si quid inferri posset, sequeretur ipsum peccatum originale esse aliquod corpus in anima residens, peccatum enim in anima sedem habet: sed hoc asserere stupidum esset: ergo, etc. *Ad alterum Apostolicum textum dico,* peccatum regnare in mortali nostro corpore eo modo quo superbia in superbo, et in avaro avaritia dominatur; cum tamen neutra sit substantia, sed accidens; regnare autem dicuntur, quatenus inclinant, et movent ad actus sibi conformes. *Ad tertium dico,* ipsam quidem animæ substantiam esse revera imaginem Dei, sed nego illam per peccatum deperdi, vel in aliam transformari: iste namque fuit error Origenis pridem ab Ecclesia damnatus, ut colligitur ex Epiphanio Hæresi 64.

Objicies 2. Peccatum originale est fons, et origo omnis mali: ergo est substantia. — **Respondeo** *negando consequentiam*: ita enim appellatur, quia est fons omnis mali, quatenus ob ipsum commissum, Deus subtraxit justitiam originalem, et auxilia quibus mediantibus non committerentur peccata: sed ex eo non sequitur quod sit substantia; quamvis enim esset accidens, posset habere hanc rationem fontis, et originis.

Objicies 3. Quidquid est difforme, seu non conforme legi, est peccatum: sed ipsamet substantia hominis descendentis ex Adamo, est non conformis legi Dei: ergo est peccatum. — **Nego majorem**: solum namque illud peccatum est, quod ex natura sua est non conforme legi: sic autem substantia hominis non est difformis legi Dei, sed hoc competit per se operationi ipsius. Quæ responsio *confirmatur*, quia qua ratione quidquid esset non conforme legi Dei deberet esse peccatum, etiam quidquid esset conforme legi Dei deberet esse opus bonum, et virtus ac meritum, quo nihil absurdius. Itaque quidquid est non conforme legi Dei, est peccatum, vel habens peccatum; sicut quidquid est conforme est opus bonum, vel habens opus bonum; sed non quidquid est non conforme hoc modo debet esse peccatum.

Conclusio secunda. — Peccatum originale non est formaliter concupiscentia, nec fomes ad malum inclinans. Hæc est de fide contra Lutheranos, et Calvinistas.

Probatur primo: Per Baptismum eluitur quidquid habet veram, et propriam rationem peccati: sed concupiscentia non tollitur in renatis

per Baptismum: ergo concupiscentia non est formaliter peccatum originale. *Major* constat tum ex Apostolo ad Romanos 8. *Nihil damnationis est in his qui renati sunt in Christo.* Tum ex Concilio Tridentino Sess. 5. Canone 5. *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non etiam tolli totum id quod veram, et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari, anathema sit.* Tum denique ex sanctis Patribus: Hieronymo Epistola ad Oceanum: *Quomodo,* inquit, *justificati sumus, et sanctificati, si peccatum aliquod in nobis relinquatur?* Augustino *contra duas Epistolas Pelagianorum,* cap. 3. ubi ait: *Baptismus abluit peccata omnia, prorsus omnia, sive originalia, sive addita.* Minor etiam constat tum ipsa experientia qua unusquisque ex renatis per Baptismum in seipso fomitem illum deprehendit, quo ad bona delectabilia etiam vetita stimulatur. Tum ex Apostolo ad Romanos 7. dicente: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Tum denique ex eodem Concilio Tridentino ibidem: *Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem hæc sancta Synodus fatetur, et sentit; quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, seu viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet; quinimo qui legitime certaverit coronabitur.* — ✳ " Utramque hanc propositionem confirmat S. Augustinus lib. 6. *contra Julianum,* c. 19. ubi diserte probat quod etsi concupiscentia ex originali peccato promanans remaneat in *renatis quantum ad actum, non tamen remaneat penes reatum. Ego,* inquit, *de concupiscentia dixi, quæ est in membris repugnans legi mentis, quamvis reatus ejus in omnium peccatorum remissione transierit: sicut e contrario, sacrificium idolis factum, si deinceps non fiat, præteriit actu, sed manet reatu, nisi per indulgentiam remittatur. Quiddam enim tale est sacrificare idolis, ut opus ipsum cum fit prætereat, eodemque præterito reatus ejus maneat venia resolvendus. Tale est carnis concupiscentia, ut maneat in homine secum per continentiam conflgente, quamvis reatus qui fuerat generatione contractus, jam sit regeneratione transactus. Actu enim manet, non quidem abstrahendo et illiciendo mentem, ejusque consensu concipiendo et pariendo peccata, sed mala, quibus mens resistat, desideria commovendo. Ipse quippe motus actus est ejus, quamvis mente non consentiente desit effectus.* Quibus verbis S. Augustinus declarat quod etsi concupiscentia quatenus seminarium est peccati originalis et cum ipso conjuncta remittatur in Baptismate quantum ad reatum, hoc est, quantum ad rationem formalem peccati originalis cujus est tradux, tamen ex integro subsistit in renatis quantum ad suum vigorem suamque efficacitatem, utpote cum in eis motus illicitos et rationi adversantes plerumque suscitet, subindeque ipsa non est peccatum originale." ✳

Probatur secundo ex illo S. Jacobi, c. 1. *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem.* Quibus quatuor res videtur Apostolus distinguere: Primo concupiscentiam, idest, potentiam appetendi pronam, et stimulantem ad malum, et tres ejus motus, nempe suggestionem, delectationem, et consensum: concupiscentiam autem, idest potentiam pro-

nam, et primum ejus motum, non appellat S. Jacobus peccatum: delectationem autem, quæ est partus imperfectus, dum non est plene deliberatus, peccatum vocat, sed non mortale: denique partus imperfectus, hoc est desiderium cum pleno consensu, quod vocat peccatum consummatum, generat mortem, idest, fit plene mortale. — **Confirmatur** ex sanctis Patribus qui præfatum contextum sic explicant, maxime vero S. Augustinus membro 6. *adversus Julianum*, cap. 5. *Sed,* inquit, *cum dicit Apostolus Jacobus: unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus: deinde concupiscentia cum conceperit parit peccatum; profecto in his verbis partus a pariente discernitur, pariens enim est concupiscentia, partus peccatum. Sed concupiscentia non parit, nisi conceperit, non concipit, nisi illexerit; hoc est, ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis assensum.* Idem docet S. Chrysostomus Homilia 13. in Epistolam ad Romanos; *Ipsæ,* inquit. *passiones in se peccatum non sunt: effrenata vero rerum immoderantia peccatum operata est. Et ut exempli gratia unam illarum tractem, concupiscentia quidem peccatum non est; quando vero egressa modum foras eruperit, tunc demum adulterium fit, non a concupiscentia, sed a nimio, et illicito illius luxu.* Similiter S. Hilarius in Psalmum 118. exponens versiculum 29. *Viam iniquitatis amove a me,* ait: *Viam peccati qua ad peccatum pergere promptum est, amoveri a se deprecatur, idest, omnia corporalium voluptatum desideria auferri, nec tentationem aliquam concupiscentiæ, aut ignorantiæ, qua tamquam per viam ad peccatum itur, ingruere.* Denique S. Bernardus in Sermone de sex tribulationibus, *Peccatum,* inquit, *in foribus est, nisi ipse aperias, non intrabit: appetitus in corde prurit, sed nisi sponte cesseris, nihil nocebit; consensum cohibe, ne prævaleant hæc, et immaculatus eris.* ✳ " Ipsis concinit Subtilis Doctor in 2. dist. 32. n. 7. ubi inquirens ac resolvens quid sit peccatum originale, quæstionemque resolvens ex doctrina S. Anselmi, lib. 1. *De conceptu virginali*, c. 27. nimirum quod peccatum originale sit carentia justitiæ originalis quatenus debitæ: cum sibi objecisset quod aliqui SS. Doctores videntur rationem formalem peccati originalis constituere in concupiscentia; respondet, « quod concupiscentia potest accipi vel prout est actus, « vel habitus, vel pronitas in appetitu sensitivo: et nullum istorum « est formaliter peccatum, quia non est peccatum in parte sensitiva « secundum ipsum cap. 3. et 4. ibi. Vel potest accipi prout est pro- « nitas in appetitu rationali, idest in voluntate, ad concupiscendum « delectabilia immoderate, quæ nata est condelectari appetitui sensi- « tivo cui conjungitur, et hoc modo concupiscentia est materiale pec- « cati originalis: quia per carentiam justitiæ originalis quæ erat sicut « frænum cohibens ipsam ab immoderata delectatione, ipsa, non posi- « tive, sed per privationem, fit prona ad concupiscendum immoderate « delectabilia: sicut exemplificat c. 5. de navi, fracto gubernaculo, et « de equo, fracto fræno, qui dimittitur sibi: et ex hoc exequitur motum « inordinatum quem cohiberet illud frænum. » *Ita Doctor.* Ex quibus apparet quantum hallucinentur " ✳ Lutherani, ac Calvinistæ, dum sanctos Patres suis erroneis dogmatibus patrocinari affirmant.

Probatur tertio: idcirco concupiscentia, et fomes ad malum stimulans censeri posset originale peccatum, quia revera peccatum pro-

prie dictum esset: sed falsum consequens: ergo et antecedens. *Major constat. Probatur minor*: si homo crearetur in puris naturalibus absque aliquibus habitibus infusis, aut acquisitis virtutum moralium, haberet concupiscentiam non minus quam modo; quia haberet appetitum inclinantem ad bonum delectabile, sive esset prohibitum, sive non: et voluntas ipsius esset naturaliter inclinata ad conformandum se appetitui; concupiscentiam autem habere, nihil aliud est quam habere appetitum, et voluntatem hoc modo: sed in tali casu non esset necesse ut fieret ullius præcepti transgressio: ergo potest esse concupiscentia absque ullo peccato. *Deinde,* peccatum originale reperitur in animabus parvulorum non baptizatorum quando moriuntur, sicut et in animabus aliorum omnium qui absque baptismo in re, vel in voto decedunt: sed in parvulis nulla est concupiscentia, nullusque peccati fomes: ergo peccatum originale non est peccati fomes, neque concupiscentia. *Denique* concupiscentia est effectus et pœna peccati originalis: ergo esse nequit ipsum originale peccatum. *Consequentia* patet; quamvis enim unum, et idem possit esse peccatum, et pœna peccati, et etiam causa peccati; tamen hoc sine dubio intelligendum per comparationem ad diversa; nequit enim res una esse peccatum, et pœna, atque effectus peccati respectu ejusdem; alioquin esset pœna, et effectus respectu sui ipsius, et per hoc prior ac posterior seipsa. *Antecedens* est ipsius sancti Augustini pluribus in locis, maxime vero lib. 5. in Julianum c. 3. *Concupiscentia*, inquit, *pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis.* Necnon et lib. *De continentia*, cap. 7. ubi comparat peccatum originale febribus: concupiscentiam vero languori, qui sanatis febribus remanet. *Aliud,* inquit, *carere febribus, aliud ab infirmitate, quæ febribus facta est, revalescere.* Et infra: *Prima curatio est causam removere languoris, quod per omnium fit indulgentiam peccatorum: secunda, ipsum sanare languorem, quod fit paulatim proficiendo,* etc. Quibus aperte docet peccatum, quod in baptismate remittitur, causam dici languoris, idest, concupiscentiæ remanentis: igitur ipsa concupiscentia non potest dici peccatum originale; alioquin esset causa sui ipsius.

Objiciunt primo hæretici varia Apostoli oracula, quibus probare nituntur concupiscentiam revera esse formaliter peccatum. Sic ad Romanos 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore,* loquitur autem Apostolus de concupiscentia, subdit enim: *Ad obediendum concupiscentiis ejus.* Similiter c. 7. *Jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum; scio enim quia non habitat in me,* idest in carne mea, *bonum.* Quibus verbis Apostolus concupiscentiam peccatum appellat: sed illa non potest esse peccatum actuale, cum non sit actus, sed habitus: ergo erit peccatum originale. — **Respondent Doctores Catholici,** concupiscentiam ab Apostolo peccatum appellari, non quod peccatum sit formaliter, sed quia est effectus peccati originalis, et causa peccati actualis. Loquitur enim Apostolus juxta morem Scripturæ sacræ, quæ plerumque vocem peccati usurpat nunc pro ipsa culpa, nunc pro pœna, quæ est culpæ effectus, nunc etiam pro causa peccati: nunc denique pro sacrificio, quod est peccati expiatio; Sic *Deuteronomii* 9. Moyses ait: *Peccatum vestrum quod feceratis, igne combussi, et in frusta comminuens, in pulverem redegi.* Ubi manifeste

vitulus aureus dicitur peccatum, quia effectus, et causa peccati existit. Sic *Oseæ* 4. Sacerdotes dicuntur *comedere peccata populi*. Sic ipsemet Apostolus, *eodem cap. ad Romanos*, legem, *peccatum* appellat, quia nimirum est causa manifestativa peccati. — Eamdem solutionem tradit Concilium Tridentinum Sessione 5. Canone 5. ubi legimus: *Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quod vere, et proprie peccatum sit, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat.* Quam utique doctrinam tradiderat S. August. lib. 1. *De Nuptiis*, cap. 23. ubi dicit concupiscentiam vocari peccatum, *Quia*, inquit, *peccato facta est, cum jam in regeneratis non sit ipsa peccatum: sicut lingua vocatur locutio, quam facit lingua, et manus vocatur scriptura, quam facit manus. Itemque sic vocatur peccatum, quia peccatum si vincit, facit: sicut vocatur frigus pigrum, non quod a pigris fiat, sed quod pigros faciat.*

Instabis ex S. Augustino lib. 5. *contra Julianum*, ubi ait: *Sicut cæcitas cordis et peccatum est, quo in Deum non creditur, et pœna peccati, qua cor superbum digna animadversione præmitur, et causa peccati cum aliquid mali cordis errore committitur: ita carnis concupiscentia, adversus quam bonus concupiscit spiritus, et peccatum est, quia inest illi obedientia contra dominatum mentis, et pœna, et causa peccati.* — **Respondeo** idcirco S. August. concupiscentiam peccatum appellare, et non solum causam, vel effectum peccati, eo quod sit vitium, et naturæ infirmitas tollens primam naturæ veluti perfectionem, ingenitumque vigorem, quem in prima sui formatione a Deo acceperat: non autem ipsam peccatum appellat, quod sit proprie, et formaliter offensa Dei, ibi enim agebat contra Pelagianos, qui concupiscentiam quasi naturæ perfectionem laudabant. *Ut scilicet*, inquit ibidem S. August. cap. 35. *eam tamquam bonum naturale laudando suum pestiferum dogma confirment, quo asserunt prolem, quæ per illam nascitur, nullum trahere originale peccatum.*

Urgebis: S. August. ibidem confert concupiscentiam cum cæcitate cordis, qua Deo non creditur: sed cordis cæcitas proprie et formaliter est peccatum: ergo et concupiscentia. — **Respondeo** 1. Negari posse *consequentiam:* non enim opus est, quod quæ inter se comparantur, in omnibus quadrent, sed sufficit quod in aliquibus conveniant, ut omnibus fere comparationibus accidit. — *Secundo* dico, ipsam cordis cæcitatem per se formaliter non esse peccatum: infideles enim, qui nihil unquam de Evangelio audierunt, nec audire potuerunt, habent negativam cordis cæcitatem, et mysteriorum fidei ignorantiam, quæ tamen cæcitas in ipsis non est culpanda, ut docet S. August. Epistola 106. scribens: *In illis qui non audierunt, neque potuerunt, pœna peccati est non credere, non autem peccatum.* — *Tertio* dico S. August. ibidem concupiscentiam appellare peccatum, quia interdum permittit Deus, ut homo cedat concupiscentiæ motibus, et in novum peccatum ruat, in vindictam scilicet prioris peccati: unde ibidem explicans illud Apostoli ad Romanos: *Tradidit Deus in desideria cordis eorum*, ait: *Aliud est habere mala desideria cordis, aliud tradi eis, utique ut consentiendo eis possideatur ab eis, quod fit cum divino judicio traditur eis... Cum ergo dicitur homo tradi desideriis suis, inde fit reus,*

quia desertus a Deo, cedit eis, atque consentit, vincitur, trahitur, possidetur; a quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est, et fit ei peccatum consequens præcedentis pœna peccati. Quibus patet S. August. non appellare peccatum omnes concupiscentiæ motus, sed tantum eos, quibus homo in pœnam præcedentis peccati justo Dei judicio cedere permittitur. *Alioquin,* ait ille, *frustra dictum est Ecclesiastici* 18. Post concupiscentias tuas non eas, *si jam quisque non reus est, quod tumultuantes, et ad mala trahere nitentes sentit eas, nec eas sequitur; si eis traditur exercens adversus eas gloriosa certamina, si vivit in gratia.*

Objiciunt 2. Quidquid formaliter opponitur legi, et dictamini rationis, peccatum est: sed concupiscentia opponitur legi rationis, juxta illud ad Romanos 7. *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ:* ergo peccatum est. Non actuale; ergo originale. *Deinde:* quidquid in peccatum inducit, etiam peccatum est: sed concupiscentia, ex eodem Apostolo ibidem, inducit, et captivat in lege peccati: ergo peccatum est. *Denique:* solum peccatum odio habetur a Deo; diligit enim omnia, quæ sunt, et nihil odit eorum, quæ fecit: solum autem peccatum non facit: adeoque quod odio habet, peccatum censeri debet: sed Deus odio habet concupiscentiam, ut docet S. Augustinus in Psalmum 35. Expendens illa verba: *Malitiam autem non odivit,* ait: *Peccatum, et iniquitatem oderis, ut jungas te Deo, qui tecum illud oderit. jam conjunctus mente legi Dei, mente servi legi Dei:* ibi autem loquitur de concupiscentia, quam peccatum appellat. — **Respondeo** *ad primum, distinguendo majorem:* id quod opponitur legi, et dictamini rationis formaliter, ac per se, est etiam formaliter peccatum, concedo: quod opponitur tantum causaliter, nego. Et similiter distincta *minore,* nego *consequentiam,* concupiscentia enim per se non opponitur dictamini rationis, quippe cum prosit homini ad pugnam, et coronam. — *Ad secundum nego majorem,* non enim id omne, quod ad peccatum inducere potest, peccatum est, sed tantum id peccatum formaliter appellatur, quod voluntas pleno, ac libero assensu contra divinam legem admittit. — *Ad tertium denique nego majorem:* non enim solum odio habetur a Deo id quod est malum morale formaliter, sed etiam id quod est malum morale causaliter, seu causa malitiæ moralis, ut constat in habitu vitioso, qui odio habetur a Deo, quatenus inclinat ad actus malos, licet per se non sit formaliter peccatum. Ad Augustinum dico, ipsum *ibidem* concupiscentiam appellare *peccatum,* quatenus nempe ipsi homo voluntarie succumbit: unde ait: *Aliud est non pugnare, et esse in pace vera, atque perpetua: aliud pugnare, et vincere; aliud pugnare, et vinci; aliud nec pugnare, sed trahi. Sunt enim homines prorsus, qui non pugnant, qualis est iste, de quo loquitur cum dicit* malitiam non odio habuit: *Quomodo enim pugnaret contra eam, quam non odit? iste a malitia trahitur, nec pugnat. Sunt autem, qui pugnare incipiunt, sed quia de viribus suis præsumunt, ut ostendat illis Deus, quia ipse vincit, si se homo subjungit Deo, et pugnantes vincuntur, et cum quasi cœperint tenere justitiam, fiunt superbi, et eliduntur: isti pugnant, sed vincuntur. Quis est autem, qui pugnat, et non vincitur? Qui dicit: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.*

Objiciunt denique: Christus Dominus eos omnes naturæ humanæ defectus assumpsit, qui non sunt formaliter peccatum: ergo quos non assumpsit formaliter esse peccatum censendum est: sed neque fomitem, nec concupiscentiam induit: ergo signum est quod concupiscentia, et fomes sit peccatum. — **Nego majorem**; non enim tantum non assumpsit eos defectus, qui sunt formaliter peccatum; sed etiam eos, qui sunt peccatum causaliter, qualis est concupiscentia, cujus motus quamvis non sint peccatum formale, tamen qua parte ad actus venereos inclinarent Christi sanctitatem, ac dignitatem dedecent: sicut et ipsius corpus dedecent defectus naturales cæcitatis, claudicationis, monstruositatis, quos propterea non erat conveniens, ut assumeret.

Conclusio tertia. — Peccatum originale non est aliqua morbida qualitas ex corruptione appetitus carnalis in ipsam animam derivata.

Probatur primo: Illa morbida qualitas, si quæ esset, maxime foret causa inclinationis ad malum, et languor ad bonum: sed id affirmari nequit: ergo, etc. *Major patet;* nihil enim aliud asserere possunt illius sententiæ propugnatores, quippe nullus alius apparere potest istius virulentæ qualitatis effectus. *Minor vero probatur,* primo quidem, quia hujusmodi inclinatio, et languor, experientia teste, etiam in regeneratis post baptismum subsistit, adeoque etiam illius causam, a qua profluit, subsistere necessum est: at peccatum originale non subsistit post baptismum: ergo non est illa morbida qualitas. — **Secundo**: vel peccatum primi parentis, aut corruptio carnis nostræ est naturaliter causa efficiens hujusmodi morbidæ qualitatis in animam causatæ, vel Deus ipse illius auctor assignandus est: sed neutrum potest affirmari. *Non quidem primum;* qualiter enim peccatum primi parentis, quod pridem extinctum est, et physice periit, posset esse causa physica hujusmodi qualitatis in infantibus contrahentibus peccatum originale? Qualiter etiam corruptio carnis, quæ est quid materiale, posset naturaliter producere qualitatem spiritualem in anima? *Secundum* etiam dici nequit; asserere namque Deum esse causam illius morbidæ qualitatis nobis non connaturalis, per quam inclinemur ad peccatum, et a bono retrahamur, non modo absurdum, sed et impium, ac blasphemum est.

Objicies S. Ambrosium in 7. caput ad Romanos dicentem: *Quomodo habitat peccatum in carne, cum non sit substantia, sed privatio boni? Ecce primi hominis corpus corruptum est per peccatum; ipsaque corruptio per conditionem offensionis manet in corpore, robur tenens divinæ sententiæ datæ in Adam, cujus consortio anima maculatur:* ergo revera censet peccatum originale esse morbidam, ac virulentam qualitatem. *Deinde* S. Augustinus lib. 1. *De Nuptiis, et concupiscentia,* cap. 25. dicit peccatum originale esse affectionem quamdam malæ qualitatis, et affectum morbidum; inquirens enim qualiter concupiscentia remaneat in regenerato ait: *Quamvis autem reatu suo jam soluto, manet tamen donec sanetur omnis infirmitas nostra, proficiente renovatione interioris hominis de die in diem, cum exterior induerit incorruptionem; non enim substantialiter manet sicut aliquod corpus, aut*

spiritus, sed affectio est quædam malæ qualitatis, sicut languor; ergo censet peccatum originale esse morbidam aliquam qualitatem. — **Nego utramque consequentiam,** et ad S. Ambrosium dico *primo,* illa commentaria probabiliter illius non esse, ut jam pluries diximus. *Deinde,* etiamsi eorum sit auctor, tamen ex allata sententia nihil adversus nostram Conclusionem posset evinci; nam corpus esse corruptum per peccatum, solum potest intelligi, quatenus privatur multis donis, et gratiis, quibus illustraretur, si felix innocentiæ status perseverasset, ratione quorum appetitus sensitivus non ferretur tanto impetu in bonum delectabile. Unde fit ut ex consortio corporis privati donis hujusmodi, anima maculetur, quatenus contra vetitum fertur appetitus ejus immoderate in objecta delectabilia, non obstante prohibitione, et sic peccatum originale regnat, quatenus habet hos effectus in nobis, qui alias non fuissent. — Ad S. Augustinum dico, ipsum vocare peccatum originale affectionem malæ qualitatis, non quod ita sit physice, sed quod ita sit moraliter; quatenus homo ipso peccato affectus, eo modo se habeat quantum ad inclinationem ad malum, et difficultatem prosequendi bonum, ac si afficeretur aliqua morbida qualitate, et quodam animi languore. *Adde quod* ibi non loquatur S. August. de peccato originali perseverante, sed de concupiscentia, quæ in baptizatis remanet, unde subdit: *Non ergo aliquid remanet quod non remittatur, cum sit, sicut scriptum est,* propitius Dominus omnibus iniquitatibus nostris; *sed donec fiat, et quod sequitur:* Qui sanat omnes languores tuos, qui redimit de corruptione vitam tuam; *manet in corpore mortis hujus carnalis concupiscentia.*

Conclusio quarta. — PRIVATIO JUSTITIÆ ORIGINALIS, QUOMODOCUMQUE ACCEPTA, DICI NEQUIT PECCATUM ORIGINALE. Hæc est contra communem Thomistarum sententiam.

Probatur 1. Peccatum originale, quod ab Adæ posteris trahitur, et est mundandum lavacro regenerationis, est verum, ac proprie dictum peccatum: atqui privatio justitiæ originalis nullatenus dici potest verum, ac proprie dictum peccatum: ergo, etc. *Major* constat ex dictis in priori Quæstione maxime ex Concilio Tridentino, Sess. 5. Canone 4. et 5. in quibus decernitur peccatum, quod in parvulis regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam, esse verum, ac proprie dictum peccatum. *Minor* vero probatur tum ex S. August. lib. 3. *De libero arbitrio,* cap. 19. ubi ait, *Illud proprie vocatur peccatum, quod libera voluntate a sciente committitur:* quibus verbis aperte significat omne peccatum mortale proprie dictum illud esse, quod libera voluntate a sciente committitur; nempe vel per se immediate, vel mediante altero tamquam capite morali. Sed nullatenus privatio justitiæ originalis dici potest verum ac proprie dictum peccatum: *Tum quia* citra omnem culpam Deus posset privare hominem omni justitia, et perfectione, quam primo Parenti concesserat; sicut enim nullo jure adstringitur ad talem perfectionem conferendam, sed ex mera sua liberalitate, ac divina munificentia illam Adamo tribuerat; ita nec tenetur ad eam conservandam, sed pro libito potest eam auferre: illa autem ablata, et a Deo non conservata, in eo casu homo diceretur privari justitia originali, quatenus privatio dicit ca-

rentiam formæ, ad quam subjectum inclinatur; sic autem nullatenus esset peccatum; quippe cum præter omnimodam hominis culpam accideret: ergo, etc. ✻ " *Tum* quia illa privatio justitiæ originalis in Adamo ejusque posteris est volita a Deo: sed Deus non potest velle et approbare peccatum: ergo illa privatio non est peccatum. *Major* constat; illa namque commissæ justitiæ carentia est effectus divinæ vindictæ et animadversionis Dei in ipsum Adamum, subindeque fuit a Deo volita. *Minor* etiam est manifesta; in tantum enim aliquid peccatum est, in quantum fit contra divinam voluntatem Deique prohibitionem aut mandatum. *Confirmatur:* illa privatio originalis justitiæ non fuit formale peccatum in Adamo, nec habuit in eo rationem culpæ. Igitur non possunt per eam posteri constitui peccatores. *Antecedens* patet, quia peccatum Adami fuit voluntaria et libera transgressio præcepti, et actus humanus malus: ergo non fuit privatio justitiæ originalis, quæ non est actus humanus, nec transgressio libera et voluntaria, sed quid ex eo consecutum, et involuntarium. *Consequentia* rectè colligitur; nam posteri ideo peccarent in Adamo, quia eorum voluntas in sui parentis voluntate virtualiter continebatur: non potuerunt ergo peccare extra illius voluntatem, nec per id quod non est formaliter peccatum delinquere.

Deinde si privatio justitiæ originalis formaliter esset peccatum primordiale et hæreditarium, sequeretur illud per Baptismi sacramentum non omnino deleri ac remitti; siquidem per Baptismum non restituitur illa originalis justitia quæ Adamo commissa fuit ad posteros traducenda; cum nec integritas, nec innocentia constans, nec pax inter corpus et animam et facultatum eorum concordia deperdita resarciatur. Sed erroneum est asserere peccatum originale per Baptismum omnino non remitti, ut definit Concilium Tridentinum Sessione 5. Canone 5. his verbis: *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet; sed illud dicit tantum radi, aut non imputari: anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus: quia nihil est damnationis iis qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem: qui non secundum carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, et novum qui secundum Deum creatus est, induentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur.* Ex his apparet per Baptismum omnino remitti id omne quod habet rationem peccati originalis, nec illius quippiam in regeneratis amplius inveniri; cum autem in eis reperiatur carentia justitiæ originalis, evidentissimum est argumentum quod originale peccatum in ipsa privatione et carentia justitiæ originalis non consistat.

Denique, quod est pœna peccati non est ipsum formaliter peccatum: sed privatio justitiæ originalis est pœna peccati Adami et omnium ejus posterorum qui in ipso peccaverunt: igitur ipsa non est formaliter peccatum. *Accedit* in confirmationem quod Deus condere possit hominem in statu naturæ puræ, quippe cum, ut probatum est, status ille sit possibilis: in eo autem statu homo careret justitia originali et gratia sanctificante, nec tamen ullum haberet peccatum: igitur illa carentia justitiæ primordialis non potest esse formaliter originale peccatum.

Reponunt aliqui cum Vazquezio in 1. 2. d. 131. " * privationem justitiæ originalis, maxime vero gratiæ, posse spectari dupliciter: *Primo,* in quantum est mala Deo, et tollit subjectionem ipsi debitam: *Secundo,* ut est mala homini, et ut tollit perfectionem ipsi promissam et debitam, nempe subjectionem corporis ad animam, et appetitus inferioris ad superiorem. Priori modo, inquiunt, privatio gratiæ, aut justitiæ originalis habet rationem culpæ, cum sit aversio moralis, et voluntaria a Deo ut fine ultimo: posteriori modo autem habet rationem pœnæ, cum sit mala et disconveniens homini, et a Deo ordinata contra deordinationem et deformitatem culpæ. — **Contra** *primo:* nulla culpa, nullumque peccatum est efficienter a Deo: sed privatio justitiæ originalis, seu carentia illa gratiæ, qua anima ipsi Deo subjiciebatur, quave corpus ipsum animæ in omnibus obtemperabat, causatur a Deo, qui sicut solus poterat conferre donum illud originalis justitiæ, etiam auferre potest. *Secundo,* peccatum Adæ tam merebatur substractionem, et carentiam gratiæ, ac subjectionis ad Deum, quam carentiam subjectionis concupiscentiæ, et appetitus ad rationem: ergo qua ratione carentia subjectionis appetitus ad rationem dicitur pœna; pari ratione carentia subjectionis ad Deum etiam censeri debet pœna ob peccatum originale inflicta. *Tertio denique* privatio gratiæ et subjectionis animæ ad Deum quomodocumque accepta est formaliter pœna: ergo non est formaliter peccatum. *Probatur antecedens:* illud est formaliter pœna, quod irrogatur in vindictam alicujus culpæ: sed privatio subjectionis animæ ad Deum irrogatur posteris Adæ ob ejus peccatum; siquidem Deus pactum cum ipso inierat de danda gratia ipsius posteris, ex hypothesi quod non peccaret, et de ea deneganda si peccaret, sicut de facto ipsam denegat propter ejus peccatum: sed hæc denegatio nihil aliud esse potest, quam pœna. Quod utique constat a simili, si enim Princeps aliquis ita cum viro nobili statueret, ut si fidelis in obsequio persisteret, tale dominium, tam pro se, quam pro posteris in hæreditatem acciperet, ipso jure privandus, tum ipse, tum posteri, si officio deesset: at nullus dixerit, quod si nobilis ille propter infidelitatem tali dominio destitueretur, hæc destitutio, tum in illo, tum in parvulis non foret pœna ipsius perduellionis, et infidelitatis: ergo idem dicendum est de privatione justitiæ originalis qualitercumque acceptæ respectu tum Adami, tum ejus posterorum.

Dices 1.: Id quod ex natura rei cum peccato necessario conjungitur non potest esse pœna peccati: sed privatio gratiæ in Adamo et posteris necessario conjungitur cum peccato ex natura rei: ergo dici nequit pœna peccati. — **Nego majorem;** hæc enim si vera foret, sequeretur pariter privationem gloriæ non esse pœnam peccati; hæc enim necessariam habet consecutionem et connexionem ex natura rei cum peccato: at hoc consequens omnino absurdum est, et erroneum. *Respondeo* 2. *distinguo majorem:* quod conjungitur physice cum actu peccaminoso, vel tamquam prædicatum essentiale, aut proprietas ejus, vel ut accidens in ipso subjectatum connaturaliter non potest esse ipsius pœna, *concedo majorem.* Quod conjungitur ex Decreto Dei, et tantum moraliter per modum pœnæ a Deo in vindictam actus peccaminosi irrogatæ, *nego majorem:* et similiter distincta *minore,* nego *consequentiam.*

Objicies 2. S. Anselmum, 1. *De Conceptu virginali*, cap. 1. *Per peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, nisi factam, per inobedientiam Adæ, justitiæ debitæ nuditatem:* sed hæc nuditas est privatio istius justitiæ : ergo, etc. *Deinde* S. Dionysius, lib. *De Ecclesiastica Hierarchia*, cap. 2. peccatum originale appellat *Statum dissimilitudinis hominis cum Deo*, nempe supernaturalis, consistentis in carentia gratiæ sanctificantis ; adeoque censet peccatum illud nihil aliud esse præter gratiæ sanctificantis carentiam, et privationem. *Denique* Concilium Trident. Sess. 5. Canone 2. dicit, *peccatum originale esse mortem animæ :* sed mors animæ nihil aliud est, quam gratiæ privatio ; mors namque formaliter est vitæ carentia, vita autem animæ est gratia sanctificans. *Insuper* idem Concilium ibidem Canone 3. 4. et 5. affirmat *peccatum originale esse aliquid intrinsecum posteris Adæ, esseque verum, ac proprie dictum peccatum:* at nihil aliud est illis intrinsecum, quod possit vere, et proprie dici peccatum, præter privationem gratiæ, et justitiæ debitæ. *Tandem* ex eodem Concilio Sess. 6. c. 3. *idem est contrahere peccatum originale, ac propriam injustitiam ex Adamo mutuari:* at injustitia proprie, et formaliter, est privatio justitiæ : ergo censet Concilium peccatum originale nihil aliud esse præter justitiæ originalis carentiam. — **Nego has omnes consequentias**, et ad auctoritatem SS. Anselmi et Dionysii, *respondeo* eos intelligi posse causaliter, et effective ; ita quod velint peccatum originale esse causam efficientem illius dissimilitudinis animæ cum Deo, necnon et nuditatis spiritualis, et carentiæ omnium donorum supernaturalium ; non vero quod peccatum originale sit formaliter ipsa similitudo, vel nuditas. *Vel dico,* eos velle peccatum originale nobis inesse moraliter ; quatenus nempe peccatum Adæ nobis formaliter inest, nosque moraliter inficit. Duplex namque distingui potest dissimilitudo cum Deo, et injustitia ; una actualis, quæ consistit in actibus malis, sive physice existentibus, sive moraliter permanentibus ; altera est mere habitualis, consistens in privatione habituum supernaturalium. Possunt igitur præfati SS. Patres de utraque dissimilitudine, et injustitia intelligi ; nam qui baptizantur in ætate adulta, post commissa peccata actualia, exuunt dissimilitudinem, tam actualem quam habitualem, quam habebant cum Deo, ratione actuum et habituum vitiosorum ; profitenturque, ut ait ibidem Dion., se omnino nuntium remittere ei, quod Dei dissimilitudini contrarium est. Similiter S. Anselmus nomine *justitiæ debitæ* intelligit rectitudinem actualem subjectionis mentis ad Deum, quam licet parvuli in se non possint physice habere, potuerunt tamen habere illam in Adamo, et cum in eo peccaverint, ejus rectitudinis carentiam habuerunt. Hanc autem esse mentem S. Anselmi optime probat Cardinalis de Lugo Disput. 7. *De Pœnitentia,* sect. 7. ex eodem ibidem cap. 28. Ubi S. Anselmus sibi objiciens, quomodo deleri censeatur peccatum originale in parvulis, cum adhuc maneant sine justitia, quam in ipsa ætate habere nequeunt, et respondet, *manere hanc injustitiam, sed jam illis ad culpam non imputari:* idest, manere quod peccaverint in Adamo, licet non amplius illis imputetur, ut sint Deo odiosi, et privati gratia propter illud peccatum in Adamo commissum moraliter. Ex quibus manifestum est, nomine justitiæ, et injustitiæ

Anselmum intelligere justitiam, et injustitiam actualem, non autem habitualem ; nam parvuli post baptismum non carent justitia habituali, sed tantum actuali; cujus adhuc non sunt capaces. — *Ad Tridentinum*, dico illud similiter intelligendum esse causaliter, et effective ; ita quod peccatum originale sit causa privationis gratiæ, et mortis animæ, necnon et carentiæ justitiæ debitæ ; siquidem ratione illius peccati, anima non solum spiritali vita, nempe gratia sanctificante spoliatur ; sed et cæteris omnibus donis spiritualibus, quibus ipsa anima Deo subjicienda erat, necnon et corpus ipsi animæ in omnibus erat obtemperaturum. Non autem vult Concilium, peccatum originale esse formaliter illam privationem, vel injustitiam : nam quemadmodum juxta idem Concilium Sess. 6. cap. 7. *Justificatio non est sola peccatorum remissio, sed etiam infusio gratiæ, et donorum :* sic injustitia non est solum privatio justitiæ, et donorum, sed et peccatum. Utrumque autem contrahunt parvuli, siquidem participant peccato primi Parentis moraliter ad illos transfuso, et propter illud fiunt Deo odiosi, privanturque habitibus supernaturalibus.

Objicies 3. Peccatum originale formaliter, et essentialiter consistit in eo, quod primo tollitur per baptismum, cum hoc Sacramentum ad delendam culpam originalem institutum fuerit : sed per baptismum per se primo tollitur privatio justitiæ originalis, maxime quantum ad primarium ejus effectum, nempe gratiæ sanctificantis carentiam : ergo peccatum originale consistit formaliter in privatione justitiæ originalis, ut aufert primarium effectum gratiæ sanctificantis, qui est animam rectificare, et ipsam ultimo fini conjungere. — **Distinguo majorem;** quod primo tollitur per baptismum formaliter, concedo ; causaliter, et consequenter tantum, nego : privatio autem gratiæ et justitiæ tantum tollitur consequenter per peccati remissionem, et gratiæ sanctificantis infusionem, necnon et collationem virtutum supernaturalium Fidei, Spei, et Charitatis. Unde primarius baptismi effectus non est ipsius gratiæ infusio, sed peccati emaculatio. Et similiter distincta *minore*, nego *consequentiam*.

Objicies 4. Illud in unaquaque re se habet ut ratio constitutiva, a quo tamquam a radice, et origine cætera ad illam pertinentia dimanant, et consequuntur : sed a privatione justitiæ originalis quantum ad primum ejus effectum, conjunctionem scilicet mentis ad Deum, dimanant aliæ deordinationes ex peccato Adami ad nos per generationem transfusæ : ergo talis privatio est ratio constitutiva peccati originalis. *Major* constat: *minor* probatur: ex peccato Adami derivantur in posteros fomes, seu concupiscentia, et rebellio appetitus interioris contra superiorem, necnon et pœnalitates corporeæ, ut morbi, dolores, defatigatio corporis, moriendi necessitas, aliæque miseriæ, quibus undique jactamur : ergo, etc. — **Nego minorem;** illæ namque omnes privationes, non ab ipsa gratiæ sanctificantis carentia, sed ab ipso reatu culpæ, quem parvuli in Adamo tamquam in capite peccantes contraxerunt, ducunt originem ; sicut et ipsa gratiæ sanctificantis privatio, quæ ab eodem reatu culpæ dimanat ; non enim alia ratione Deus Adamum, et ejus posteros gratia sanctificante spoliavit, quam quia ipse adversus divinum mandatum rebellavit, et ipso peccante, omnes etiam ejus posteri in ipso, ac cum ipso peccaverunt.

Conclusio ultima. — Peccatum originale posterorum Adæ est ipsummet Adæ peccatum manens in ipsis moraliter, quatenus omnes in eo tamquam in capite peccaverunt. Hæc videtur esse genuina Subtilis Doctoris sententia in 2. distinct. 32. quæst. unica, num. 7. ut recte advertit doctissimus Scholiastes ibidem Cavellus, ubi cum dixisset, *Originale peccatum esse privationem justitiæ originalis;* subdit: *Non est tamen privatio ullius doni habitualis, sed rectitudinis debitæ inesse per modum termini ex actu secundo, in voluntate causata, et generatione transfusa; unde non formaliter, sed causaliter privat habitibus:* et sic docent Herrera in 2. q. 82. art. 3. et Zumel. disp. 1. ad 1. et disp. 2. con. 5. Poncius in 2. dist. 30. quæst. 2. Herinx disp. 6. sect. 2. Doctoris autem sententiam amplexati sunt Pighius, controversia 1. Catharinus in *Summa doctrina de peccato originali*: Salmero in cap. 5. ad Rom. disp. 45. et 46. ubi addit, *Hanc sententiam debere esse omnium Catholicorum:* nam, inquit, ita aperte locutus est Paulus, ut qui hunc sensum ex ejus verbis non eliciunt, plane delirare videantur: eamque tuentur plurimi e Recentioribus, quos refert et sequitur Martinonus disp. 20. sect. 5.

Probatur autem hæc sententia: Primo quidem ex illo ad Rom. cap. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Et paulo post, versu 15. *Unius delicto multi mortui sunt.* Et versu 19. *Per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi.* Concilium quoque Trident. Sess. 5. Canone 3. referens prætata Apostoli verba, subdit: *Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione transfusum, omnibus inest unicuique proprium, etc.* Quibus constat peccatum originale esse unum, et idem omnium: at non est aliud peccatum, quod sit unum, et idem omnium posterorum, nisi peccatum primi Parentis in omnium persona commissum: ergo, etc.

Confirmatur auctoritate SS. Patrum, maxime vero S. August. qui pluribi docet peccatum originale unicum esse omnium hominum, scilicet peccatum primi Parentis *In quo omnes peccaverunt:* quod utique clarissime demonstrat lib. 4. contra duas *Epistolas Pelagianorum*, cap. 4. ubi laudans præfata Apostoli verba: *In quo omnes peccaverunt:* hæc addit: *In illo homine peccaverunt omnes, quando ille peccavit: quoniam in illo erant omnes, quia generaliter peccatum omnium factum est, quod nascentes tracturi erant omnes.* et lib. 1. *De Peccat. meritis, ac remissione,* cap. 10. *Certe manifestum est alia esse propria cuique peccata, in quibus hi tantum peccant, quorum propria peccata sunt: aliud hoc unum, in quo omnes peccaverunt, quando omnes illi unus homo fuerunt.* Item lib. 2. cap. 7. *Nec si dicuntur,* inquit, *ista aliena peccata tamquam ad parvulos non pertinentia: siquidem in Adamo omnes peccaverunt, quando in ejus natura ita insita, in qua eos gignere poterat, adhuc omnes ille unus fuerat.* ✳ " *Sed dicuntur aliena, quia nondum ipsi agebant vitas proprias, sed quicquid erat in futura propagine vita unius hominis continebat.* Deinde subjiciens Pelagianorum exceptionem, *Nulla,* inquiunt, *ratione conceditur, ut Deus qui propria peccata remittit, imputet aliena;* sic respondet: *Remittit, sed Spiritu regeneratis, non carne generatis. Imputat vero non jam aliena, sed*

propria. Aliena quippe erant, quando hi qui ea propagata portarent, nondum erant: nunc vero carnali generatione jam eorum sunt, quibus nondum spirituali regeneratione dimissa sunt. — Et lib. 1. *Retract.*, cap. 13. ubi examinatis quæ dixerat in lib. *De Vera Religione*, cap. 14. *usque adeo voluntarium peccatum est, ut nullo modo sit peccatum, nisi sit voluntarium;* procedens ad originale, sic ait: *Et illud quod in parvulis dicitur originale peccatum, cum adhuc non utantur libero arbitrio voluntatis, non absurde vocatur etiam voluntarium, quia ex primi hominis mala voluntate contractum, est quodam modo hæreditarium.* —

Similia docent cæteri SS. Patres, præsertim S. Ambrosius, " * Hieronymus, Basilius, etc. in superiori Quæstione laudati dicentes, posteros in primo parente cibum vetitum gustasse, irritasse pactum divinum, defecisse, peccasse. Sic S. Basilius, Homilia de jejunio dicit, *Nos omnes cecidisse, quia in primo Parente non jejunavimus.* Nazianzenus, Oratione 5. ait; *Eamdem omnes vitii arborem gustavimus:* Fulgentius lib. *De Incarnatione*, cap. 5. affirmat, *Omnes Testamentum Dei fuisse transgressos, transgrediente primo Parente*, etc. Ergo revera peccatum originale est ipsummet Adami peccatum in posteros transfusum, quatenus omnes in eo, tamquam in capite, peccaverunt.

Probatur secundo: Illud est peccatum originale, quo posteri Adæ constituuntur peccatores, quodque ab ipso Adamo in ipsos transfunditur: atqui peccatum Adæ est illud ipsum, quo ejus posteri constituuntur peccatores, quodque ab ipso Adamo in ipsos transfunditur: ergo, etc. *Major* constat; *minor* probatur, tum ex præfatis Concilii Tridentini verbis; tum ex laudatis SS. Patrum auctoritatibus; tum denique ratione ipsa, quia meritum Christi imputatur parvulis, et ratione ipsius vitam æternam merentur moraliter: ergo peccatum Adami actuale etiam potest imputari parvulis; ita ut ratione ipsius demereantur, quæ de facto demerentur ob peccatum originale; et consequenter potest dici eorum demeritum, ac peccatum moraliter. *Deinde*, privatio gratiæ, et donorum supernaturalium est pœna ob peccatum Adæ posteris irrogata: sed non potest irrogari parvulis propter aliud peccatum, quam Adami, quod ipsis proprium est, quatenus omnes in eo peccaverunt: ergo, etc. *Denique*, sicut in politicis videmus juste peccata Parentum filiis imputari, ipsosque propterea puniri, quod in Parentibus peccasse dicantur; ita pari ratione dicendum est Adami posteros, nullius etiam actualis peccati reos, juste tamen ad mortem tum animæ, tum corporis, aliasque ærumnas damnatos a Deo, quod in ipso Protoparente, tamquam membra in capite omnes peccaverunt: ergo concludendum est cum Bellarmino, lib. 5. *De Statu peccati*, cap. 18: *Nisi ponamus parvulos in Adamo, et cum Adamo vere peccasse, nulla ratione explicari poterit quomodo in parvulis recens natis sit aliqua vera culpa: et hoc Catholicorum dogma non tam supra rationem, quam contra rationem esse videbitur. Nam quidquid dicamus in parvulis ex peccato Adami hærere, sive reatum, sive aversionem, sive gratiæ privationem, sive quid aliud: illud nullo modo parvulis vitio dari, ac nocere quidem poterit, nisi processerit ab actuone libera, cujus actionis illi aliquo modo participes fuerint . . . Manent igitur, quod supra diximus, non posse in parvulis aliquid esse, quod habeat culpæ rationem, nisi participes fuerint etiam ipsi prævaricationis Adæ.* Hæc Bellarmi-

nus, unde vix capere possum qualiter in oppositam nostræ conclusionis sententiam ierit.

Dices 1.: Concilium Tridentinum Sess. 5. Can. 3. docet *Peccatum originale per propagationem ab Adamo transfundi in posteros, omnibus inesse, esseque unicuique proprium:* et Sess. 6. cap. 3. ait, *Quod dum homines concipiuntur proprium injustitiam contrahunt:* sed peccatum, quod fuit in Adamo, nihil horum habet; neque enim inest in posteris, aut eos afficit intrinsece, sed solum extrinsece, et moraliter; neque est uniuscujusque proprium peccatum, sed unum commune pro omnibus; neque est aliquid traductum per generationem tamquam per causam: ergo juxta Tridentinum aliquid debet admitti distinctum a peccato Adami, in quo essentia peccati originalis consistat. — **Nego minorem**; nam peccatum Adami non solum extrinsece, sed etiam intrinsece posteros parvulos afficit, ipsisque est proprium, quatenus nempe omnes in eo, tamquam in capite peccaverunt, quod peccatum tamdiu in ipsis permanet, quamdiu salutari baptismatis lavacro non eluitur: in ipsos etiam transfunditur, non imitatione, sed propagatione; quatenus nempe homines propagatione et generatione naturali illud contrahunt, non autem duntaxat imitatione; peccando videlicet actualiter, ad exemplum Adami peccantis, ut volebant Pelagiani. — *Similiter* peccatum Adæ physice unum est numero, sed moraliter multiplex, et propagatione moraliter et æstimative multiplicatum; perinde enim se habet respectu singulorum, ac si ab illis fuisset commissum, in ordine ad hoc, ut propter illud moraliter atque habitualiter inexistens Deo sint exosi, et gratia ipsius destituti: unde ex Concilio nihil adversus Conclusionem evincitur.

Instabis: Quod est commune omnibus non potest esse cuilibet proprium: sed ex Concilio Tridentino peccatum Adami est commune omnibus: ergo non potest esse cuilibet proprium, quale debet esse peccatum originale. — **Distinguo majorem**: non potest esse proprium, idest, sibi peculiariter, et non aliis conveniens, concedo; non potest esse proprium, idest proprie conveniens cuilibet, quamvis non peculiariter, et privatim soli conveniat, nego. Similiter distincta *minore*, nego *consequentiam*. Illud enim quod est physice unum commune multis, potest moraliter esse proprium unicuique illorum per moralem multiplicationem, ratione cujus fit moraliter, et æquivalenter multiplex; potestque ab uno tolli, et in alio persistere, ut supra dictum est.

Urgebis: Concilium eadem Sessione Can. 5. anathema dicit in eum *Qui dixerit per Jesu Christi gratiam, quæ in baptismate confertur, non remitti parvulis, id totum quod habet in eis veram et propriam rationem peccati:* supponit ergo Concilium id quod mundandum est in parvulis esse vere et proprie peccatum quod ipsis inest: sed peccatum primi Parentis non potest in parvulis habere rationem veri, et proprie dicti peccati; non enim aliter parvulis inesse posset Adami peccatum, quam per imputationem: ita quod licet illis vere fuerit extrinsecum, attamen ita ipsis imputatur moraliter in ordine ad aliquos effectus morales, ac si ab illis fuisset commissum; hoc autem est esse tantum peccatum per imputationem, quod directe militat in præfatum Concilii oraculum: si enim peccatum originale esset tantum peccatum Adæ, prout imputatum posteris, ergo peccatum illud re-

mitti, idem esset ac peccatum illud non imputari : sed hoc directe militat in sententiam Concilii anathema dicentis in illum, qui dixerit peccatum originale non tolli, sed tantum radi, aut non imputari : ergo, etc. — **Nego minorem** ; nam peccatum Adami in posteros transfusum revera habet rationem peccati proprie dicti, nec solum per imputationem externam, sed per intrinsecum reatum parvuli dicuntur propter illud contractum peccatores, modo supra expresso, videlicet quia *omnes in Adamo peccaverunt*. Unde dico quod illud peccatum remitti, sit partim non amplius imputari parvulo, idest, non amplius haberi posse illus rationem, ut parvulus sit propter illud odiosus Deo, et gratia privatus : partim etiam tolli illud totum, quod ipsum parvulum odiosum, et gratia privatum efficiebat, quodque remansit moraliter, donec remitteretur, et mundaretur. Dum autem Concilium dicit, *Tolli totum quod veram, et propriam habet rationem peccati,* et non tantum non imputari ; id decernit contra hæreticos, qui dicunt concupiscentiam esse vere et proprie dictum peccatum, eamque in regeneratis persistere, licet in eis non imputetur : a quo errore longe absunt qui asserunt, ut de facto asserimus, peccatum illud vere tolli, et funditus evelli eo modo, quo moraliter manebat.

Dices 2: SS. Patres diserte affirmant peccatum originale aliud esse a peccato primi Parentis : ergo non est ipsum Adæ peccatum, quod in posteros transfunditur. *Probatur antecedens* ex S. August. lib. 2. *De Nuptiis, et Concupiscentia*, cap. 26. ubi ait : *Voluntarium peccatum hominis primi est originalis causa peccati :* idem autem non potest esse causa sui ipsius ; adeoque peccatum originale non est ipsum Adæ peccatum transfusum in posteros. Similiter S. Anselmus, lib. *De Conceptu Virginali*, cap. 27. *Aliud,* inquit, *fuit peccatum Adæ, aliud est peccatum parvulorum : illud fuit causa, istud fuit effectus.* — **Nego antecedens**, et ad præfatas auctoritates dico peccatum Adami dici causam peccati originalis, quia nempe ipso peccante tamquam capite, peccarunt etiam ipsius posteri tamquam ipsius membra ; ac proinde fuit in causa, cur cæteri peccarint ; omnium namque hominum voluntates, dotes et jura, ut eorum caput et princeps sibi credita continebat : unde ipso per peccatum ea deperdente, cæteri pariter perdiderunt ; sicque ejus peccatum fuit causa moralis multiplicationis et diffusionis peccati in posteros, et ratio cur simus Deo odiosi, et privati gratia atque justitia, quæ nobis a conceptione inesset, si Adamus non peccasset.

Dices 3 : Peccata nostra fuerunt moraliter in Christo tamquam in capite nostro, sicut Adæ peccatum veluti hominum capitis est in posteris tamquam in membris ; juxta illud Isaiæ 53. *Posuit in eo iniquitates omnium nostrum :* unde Psalmo 21. qui de ipso Christo passuro conscriptus est, adorandus ille Salvator, nostra delicta sua nominat, his verbis: *Longe a salute mea verba delictorum meorum :* hinc S. Petrus prima Epistola, cap. 2. ait : *Qui peccata nostra in corpore suo ipse pertulit super lignum :* sed Christus propterea non fuit vere peccator, et infectus peccatis nostris, sicut nos revera sumus peccatores et peccato originali inquinati : ergo aliunde sumus peccatores originaliter, quam peccato Adami in nobis moraliter inexistente. — **Distinguo majorem** : peccata nostra fuerunt moraliter in Christo, eo modo, quo peccatum Adæ est moraliter in posteris, nego ; aliter, concedo : non

enim peccata nostra fuerunt in Christo moraliter, quasi ipse peccaverit nobis peccantibus ; ita quod nostra peccata fuerint veluti ipsius actus per adunationem, et transfusionem illius voluntatis in nostram : sed dumtaxat peccata nostra ipsi tribuuntur, quatenus eorum pœnas exolvit, et æterno Patri pro peccatoribus fecit satis : at peccatum Adæ nobis inest moraliter tamquam a nobis cum ipso peccante commissum. Maximum autem discrimen est inter peccatum alicui attributum in ordine ad pœnas tantum exolvendas, et peccatum ab aliquo moraliter commissum et ordinatum ad privationem justitiæ originalis, et gratiæ sanctificantis ; primum enim peccatorem nec constituit nec inficit ; imo plerumque remanet etiam in justificatis, qui licet per gratiam sanctificantem Deo sint grati et acceptabiles, nihilominus adhuc ordinantur ad pœnam propter admissa, et remissa peccata luenda. Posteriori autem modo acceptum peccatum revera peccatores constituit et inficit, adeoque habet veram ac proprie dictam rationem peccati.

Dices 4 : Filii interdum a Deo puniuntur usque ad quartam generationem propter admissa a Parentibus crimina, non alia vero ratione quam quia Parentum peccata in ipsis moraliter permanent : sed tamen idcirco non dicuntur ab ipsis contrahere peccatum originale : ergo etiamsi Adami peccatum in posteris moraliter subsistat, hac ratione dici non poterit originale peccatum. *Probatur major* variis Scripturæ textibus, maxime vero ex illo Exodi 20. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, et quartam generationem.* Idem repetit cap. 34. Similiter inter maledictiones quas David profert in impium, ait : *In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Dei.* — **Distinguit majorem** Poncius in *Commentario* ad Quæstionem 2. dist. 3 : Filii sic puniuntur pœna peccato mortali congruente, et debita propterea quod ejus sint rei, nego *majorem :* siquidem pœnæ temporales quibus filii propter Parentum peccata subjiciuntur, non sunt pœnæ mortali peccato congruentes, utpote cum istud æternam damnationem promereatur ; adeoque peccatum Parentum in ipsis moraliter non subsistit quantum ad omnimodam imputationem, et ordinationem ad pœnam propter mortale peccatum irrogandam : sic puniuntur in detestationem crimmis cujus non sunt rei, sed tantum affines eis qui peccarunt, concedo : sic autem puniri non est puniri propter peccatum moraliter imputatum, et residens in eo qui pœnam sustinet ; plerumque innocentes subditi gravissima pœna plectuntur propter principum crimina : sic pestis in Israëliticum populum grassata est propter inanis gloriæ tumorem a Davide Rege expressum. — *Aliter eamdem majorem distinguo* : Filii puniuntur propter Parentum peccata, quia prava Parentum exempla ex vitiata propagine ipsi imitantur, concedo : ita puniuntur, quia Parentum reatus in posteros transit, nego : itaque non aliter peccatoribus debita pœna in eorum posteros transfunditur, quam quia eorum culpam, et crimina sectantur, ut explicat SS. Aug. contra Adimantum, Gregorius lib. 13. *Moral.*, cap. 31. et D. Thomas secunda secundæ, Quæst. 108. art. 4.

Dices 5 : Si peccatum originale esset ipsum peccatum Adæ, sequeretur quod deleto peccato Adæ, non deberent amplius esse, et denominari ab eo peccatores : peccatum enim quod cessavit physice, et moraliter etiam abolitum est, non potest amplius maculare, nec deno-

minare peccatorem : consequens autem est falsum, quia alioquin jam ab initio mundi nullum extitisset peccatum originis : ergo, etc. — **Nego sequelam majoris**; quia posteri non denominantur peccatores a peccato Adæ præcis', ut fuit Adæ, sed ut fuit moraliter proprium singulorum, et in illis moraliter manet : quare licet abolitum sit respectu Adæ, cui fuit condonatum, non est tamen condonatum posteris, donec per baptismum justificentur. Potuit enim Deus condonare Adamo ipsius peccatum postquam egit pœnitentiam, non condonando illud idem Petro nascenti.

* " Instabis: Peccatum Adami non potest contrahi ab ejus posteris nisi quatenus illud perseverat : sed istud non perseverat amplius, siquidem peccatum non perseverat nisi quamdiu peccator subsistit : porro Adamus non existit ampliùs peccator : igitur ipsius peccatum contrahi non potest ab ejus posteris. — **Respondet Doctor** in 2. d. 32. n. 15 : « Quod sicut meritum cum transit in se, manet tamen in scien- « tia et acceptione divina, quia ita præmiat pro eo, ac si esset præ- « sens : ita cum demeritum transit quantum ad actum, manet tamen « in scientia divina, quia ita punit pro eo, ac si jam esset præsens. « Ita ergo hujus negationis, non habere justitiam originalem, erunt « viæ per quas intrat, Deum non dare, et demeritum Adæ, in scientia « Dei, propter quod non dat. » Ita Doctor. " *

Dices 6 : Non potest aliquis ab actione denominari malus, nisi sit illius causa efficiens, sed infantes non sunt causa actionis, qua Adamus prævaricatus est : ergo, etc. — **Respondeo distinguendo majorem** : nisi sit illius causa physica, nego : physica, vel moralis, concedo : quamvis autem infantes non sint causa physica transgressionis Adæ, sunt tamen causa moralis : moralis, inquam, non eo sensu, quo is qui consulit, rogat, imperat, aut ratum habet, dicitur causa moralis; sed eo quem significat Apostolus, cum dixit, *Omnes in Adamo peccavisse :* quod tamen verum non est, nec physice, nec moraliter moralitate consilii, imperii, vel ratihabitionis ; sed moralitate æquivalentiæ in ordine ad incurrendam aversionem Dei, et privationem amicitiæ divinæ, justitiæque originalis.

Dices 7 : Peccatum originale est effectus peccati Adæ, ut docet S. Augustinus, et probari potest, quod hæc propositio causalis sit vera, ideo nascimur originaliter peccatores, quia peccavit Adam : ergo peccatum originale non est ipsum Adæ peccatum ; siquidem non potest idem esse sui ipsius causa. — **Responderi potest** 1. Peccatum originale secundum omnia quæ includit tam in recto quam in obliquo, est peccatum Adæ, nego : secundum id quod includit in recto, esto antecedens in bono sensu. Peccatum autem Adæ est aliquo modo causa non condonationis, et movens Deum, ut nolit illud remittere posteris, nisi applicato remedio Sacramenti, vel contritionis perfectæ. *Respondeo* 2. concesso *antecedente*, distinguendo *consequens :* ergo peccatum originale non est ipsum peccatum Adæ, secundum eamdem moralitatem, concedo : secundum diversam, nego. Idem peccatum originale Petri v. g. est physice, et realiter ipsum peccatum Adæ, sed non quatenus est moraliter peccatum Adæ : nihil autem vetat, quominus peccatum Adæ sit aliquo modo causa peccati originalis secundum moralitatem, qua proprium est singulorum ; ad causalitatem enim

moralem sufficit diversitas moralis. Hinc sicut aliquo sensu vera est hæc propositio, ideo peccavimus in Adamo, quia ipse peccavit; sic eodem sensu peccatum Adæ fuit causa peccati posterorum, licet non fuerit diversum physice, sed moraliter tantum.

Dices 8: Eodem modo sumus justi per obedientiam Christi, quo per inobedientiam Adæ sumus injusti, ut constat ex illo: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obedientiam justi constituentur multi;* atqui per obedientiam Christi non sumus justi formaliter, tamquam per formam denominantem; sed tantum efficienter, et meritorie: ergo neque per inobedientiam Adæ constituimur formaliter injusti, ac peccatores. — **Respondeo negando majorem**; secundum omnimodam paritatem, neque enim hoc intendit Apostolus cap. 5. ad Rom. quando dicit *sicut per unius, etc.* alioquin probaret quoque quod sicut sine actu proprio maculamur inobedientia Adami, ita sine actu proprio sanctificamur obedientia Christi, quod falsum est; sed voluit tantum significare paritatem in ratione causæ generatim, et præcise sumptæ; ita ut sicut inobedientia Adami est causa, cur simus injusti, ita obedientia Christi est causa, cur simus justi: non tamen descendit ad speciales modos causandi, in quibus potius indicat diversitatem, dum de inobedientia dicit. *constituti sumus*, voce præterita; de obedientia vero dicit, constituentur, in futuro. Licet enim utraque sit præterita, tamen posita semel Adami inobedientia, positum est quidquid est necessarium ad hoc ut qui ab ipso propagantur sint formaliter peccatores; at posita Christi obedientia nondum positum est quidquid est necessarium, ut sint formaliter justi; sed ulterius requiritur ut positis quibusdam dispositionibus accipiant a Deo justitiam inhærentem, quam Christus sua obedientia promeruit, ut essent sancti, sicut docet Trid. Sess. 6.

Objicies 9. Si peccatum originale est ipsum peccatum Adæ, sequitur posteros mereri eamdem pœnam, quam ipse fuit promeritus: sed consequens est falsum, nam Adamus ultra pœnam damni meruit pœnam sensus: parvuli autem decedentes in peccato originali non incurrunt nisi pœnam damni: ergo, etc. — **Respondeo negando sequelam majoris**, quia Adam physice, et propria voluntate peccavit, posteri autem solum moraliter, et interpretative per Adami voluntatem. Longe autem majus est peccatum voluntarium, proprium, ac physicum, quam morale interpretativum, quia propter quod unumquodque tale, et illud magis, ac proinde dignitas ad pœnam est major.

QUÆSTIO TERTIA.

QUALITER, ET IN QUOS PECCATUM ORIGINALE TRADUCATUR.

Ardua sane quæstio, et quæ S. Augustinum eas in angustias adegit, ut quid reponeret vix habuerit, sicut pluribi indicat, maxime vero Epist. 29. *ad Hieron.* ubi lepido hoc apologo summam in præsenti enodanda Quæstione difficultatem explicat: *Cum*, inquit, *aliquis ruisset in puteum, ubi aqua tantum erat quæ eum magis exciperet ne moreretur, quam suffocaret, ne loqueretur, accessit alius, et dixit: Quomodo huc cecidisti? at ille dixit: Obsecro, cogita quomodo hinc me liberes, et*

non quomodo huc ceciderim, quæras. Ita quoniam ex fide Catholica constat a peccato originali tamquam de puteo, infantis animam, Christi gratia liberari, satis nobis esse debet quod modum quo salva fiat noverimus, etiamsi numquam quomodo in malum illud devenerit perfecte cognoscamus. Unde lib. 5. *Contra Julianum*, cap. 4. cum duos proposuisset modos, quibus peccatum originale videtur traduci, dixisset: *Profecto aut utrumque vitiatum* (corpus scilicet, et anima) *ex homine trahitur; aut alterum in altero tamquam in vitiato vase corrumpitur; ubi occulta justitia divinæ Legis includitur:* subdit: *Quid autem horum sit verum, libentius disco quam dico, ne audeam docere quod nescio.* Satius itaque videretur lugendam esse summam illam per originale peccatum innocentiæ jacturam, quam quidpiam de ejus traductione, et propagatione delibare. Verumtamen quoniam in tam ubere, tamque necessaria dicendi materia silere non decet, idcirco

Notandum 1. Ex Seraphico Doctore in 2. dist. 33. art. 1. q. 1. peccata parentum ad filios traduci posse tripliciter, videlicet aut *punitione*, aut *imitatione*, aut *transfusione*. *Punitione* quidem cum proles punitur pro peccatis parentum: *imitatione* cum proles parentum peccata imitatur: *transfusione*, sicut infectio una causatur ab alia infectione per propagationem. Jam ergo *punitione* peccatum transfundi, potest intelligi dupliciter, secundum duplicem punitionem, *æternam*, et *temporalem*. Quoad æternam, nullo modo traducitur peccatum aliorum parentum, sed solum originale; quoad *temporalem* vero, omnia aliorum parentum peccata traduci possunt. Imo Anselmus, *De conceptu Virginali*, dicit, quod parvuli non damnantur pro culpa Adæ tantum, sed pro peccato, et culpa propria, licet eam non habeant agendo, sed contrahendo. *Imitatione* vero peccata proximorum parentum in filios transfunduntur, quando filii vitia parentum imitantur, non quod reatus culpæ parentis transeat in posteros, sed pœna, cum filius imitatur culpam parentum. *Transfusione* denique solum originale peccatum in posteros traducitur; et ratio a S. Bonaventura assignatur, quia duo sunt in peccato, scilicet privatio debiti, et conversio indebita: et secundum hæc duo ponuntur in peccante, deformitas et macula. Macula namque ponitur ex conversione, sed deformitas ex debiti privatione, obligatione remanente ad pœnam.

Notandum 2. Ex nostro Lyrano super Caput 5. Epist. *ad Rom.* quod sicut in statu innocentiæ duplex consideranda esset ratio in semine Adam, una *naturalis*, et quasi propria, secundum quam esset instrumentum generis in ordine ad naturam secundum se communicandam: alia quasi *supernaturalis*, seu divinitus superaddita, secundum quam se haberet ut instrumentum Dei in ordine ad propagandam cum natura justitiam originalem; ita post peccatum in eodem semine Adami, et posterorum ab ipso descendentium, duplex ratio, seu munus reperitur: unum *naturale*, secundum quod habet instrumentum generationis, et propagationis naturæ; hæc enim ratio, seu perfectio, sicut et alia naturalia, non sunt amissa per peccatum: aliud *accidentale, et extrinsecum*, ratione cujus est instrumentum Adami peccantis ad communicandum defectum originalis justitiæ: *Primum* ei convenit ratione suæ naturalis et positivæ perfectionis; *secundum* vero habet ex privatione prædicti vigoris, causata ex peccato primi Parentis. Vi-

demus enim in causalitatibus hanc servari rationem, quod quidquid in effectu perfectionis reperitur, tribuitur perfectioni causæ: quidquid vero defectus et imperfectionis, in ejus defectum reducitur, sicut quidquid est utilitatis, actualitatis, et motus in claudicatione, animæ, et virtuti ejus motivæ tribuitur; quidquid autem obliquitatis et defectus, reducitur in tibiam claudam et infirmam.

Notandum 3. Varias esse circa præsentis Quæstionis resolutionem Auctorum sententias. *Primo* namque Magister Sent. in 2. dist. 31. et cum eo Gregorius Ariminensis, et Gabriel *ibidem*, docent peccatum originale traduci per qualitatem morbidam humano semini inexistentem, aut infectionem realem ei superadditam; sicut in semine leprosi est quædam corruptio, quæ est principium lepræ. Caro enim, inquiunt, propter peccatum corrupta fuit in Adam, adeo ut cum ante peccatum vir et mulier sine incentivo libidinis et concupiscentiæ fervore possent convenire, essetque thorus immaculatus; jam vero post peccatum non valeat fieri carnalis copula absque libidinosa concupiscentia, quæ semper vitium est, et etiam culpa, nisi excusetur per bona conjugii; in concupiscentia ergo et libidine concipitur caro formanda in corpus prolis. Unde caro ipsa quæ concipitur in vitiosa concupiscentia polluitur et corrumpitur, ex cujus contactu anima cum infunditur, maculam trahit, qua polluitur, et fit rea, idest, vitium concupiscentiæ recipit, adeoque illud peccatum dicitur manere in carne. — *Verum* hæc sententia proscribitur: *Primo*, quia caro non potest inficiulla qualitate, quæ sit peccatum; cum non sit ex se capax peccati; et consequenter quamvis inficeret animam, non potest tamen inficere ipsam infectione quæ sit peccatum: ergo ex infectione carnis non habetur sufficiens principium, unde oriatur peccatum animæ. *Secundo*, nihil materiale potest producere aliquid in re spirituali tamquam causa totalis: ergo quamvis caro esset infecta, non posset inficere animam. *Tertio*, falsum est, quod ipsa caro inficiatur per ullam qualitatem, aut ullo modo, nisi quatenus diceretur infici, quia non habet illas perfectiones, quas haberet in statu innocentiæ, quæ esset infectio potius negativa, quam positiva. *Quarto*, si caro esset infecta positive, maxime quia caro generantis esset sic infecta; sed hoc est falsum; quia alias caro Adæ esset infecta ob peccatum ipsius: sed hoc est absurdum; tum quia peccatum ipsius non habebat virtutem producendi in corpore qualitatem inficientem, sicut nec peccata nostra habent, quæ possent esse ejusdem speciei, aut etiam graviora: tum quia nullum est indicium infectionis positivæ in carne nostra, quæ oriretur a qualitate aliqua. *Quinto*, quia falsum est, quod propterea caro infecta nasceretur, ex eo quod sit generata cum concupiscentia, quia quamvis aliqui generarentur jam ab aliquibus absque concupiscentia, adhuc nascerentur cum peccato originali. Insuper sequeretur quod quo majori cum concupiscentia generaretur aliquis, eo amplius peccato originali inficeretur, et sic unus haberet gravius originale peccatum, quam alter, quo nihil absurdius. — Existimant aliqui cum Alexandro Alensi 2. p. q. 105. memb. 4. animam in carne vitiari, non quod in carne peccatum proprie dictum hæreat, vel caro proprie spiritum trahere possit in vetitum; sed quod caro justitia originali spoliata concupiscat adversus spiritum, animamque deorsum inclinet, ac per hoc

distortam, et obliquam efficiat. Verum hæc sententia pariter subsistere nequit. Si quis enim ex nihilo crearetur cum ea imperfectione, ut subjiceretur motibus concupiscentiæ, quibus nunc jactamur, ille certe haberet carnem adversus spiritum rebellantem, nec tamen originali peccato inquinaretur, cum ex Adamo non esset propagatus. Unde præfatis, necnon et aliis omissis variorum Auctorum sententiis, quid determinandum sit, aperiet

Conclusio prima. — PECCATUM ORIGINALE NON ALIA RATIONE TRADUCITUR, QUAM QUIA HOMO EX ADAMO PER SEMINALEM PROPAGATIONEM VIA COMMUNI GENERATUR; ITA QUOD ANIMA EO IPSO INSTANTI CONCEPTIONIS, QUO IN CORPUS ORGANIZATUM INFUNDITUR, ET HOMINEM ADÆ FILIUM NATURALEM CONSTITUIT, ETIAM CENSEATUR IN IPSO PROTOPARENTE, TAMQUAM CAPITE TOTIUS GENERIS HUMANI, DEI PRÆCEPTUM VIOLASSE. Hæc est genuina Subtilis Doctoris sententia in 2. dist. 32. qu. unica n. 12. ubi ait: *Anima contrahit originale peccatum mediante carne, non ita quod caro quasi per qualitatem quamdam causatam in ea causet istud peccatum originale: sed ex hoc, quod caro concupiscibiliter seminatur, et ex ipsa formatur corpus organicum: cui infunditur anima constituens personam, quæ est filius Adæ, ideo debitrix est justitiæ originalis datæ a Deo ipsi Adæ pro omnibus filiis, et caret ea: ergo habet peccatum originale. Contrahitur igitur illud peccatum in carne, in quantum est naturalis ratio; et ex hoc debet habere justitiam, qua per peccatum Adam caret.* — ✻ " Ei concinit Angelicus Doctor in 3. p. quæst. 27. a. 5., ad. 1.: *Peccatum originale*, inquit, *trahitur ex origine in quantum per eam communicatur humana natura, quam proprie respicit peccatum originale, quod quidem fit quando proles concepta animatur.*

Huic doctrinæ adstipulatur imprimis S. Augustinus, qui constanter in suis contra Pelagianos lucubrationibus asserit Adæ posteros vere ac proprie contrahere culpam originalem per generationem traductam, et, ut ait Apostolus, esse *natura filios iræ*. Quæ Augustini doctrina, tametsi adeo frequens in ejus operibus occurrat ut cuique ea evolventi sit obvia, attamen, ut lectoris studium et operam ex parte levemus, profero aliquos ad rem ipsam conducentes illius textus. Primum quidem ex lib. 2. *De gratia Christi seu de Baptismo contra Celestium*, c. 31. ponit quæstionem: *Quid sibi ergo vult*, inquit, *pro nullo propriæ voluntatis admisso tanta damnatio?* Et reprobata Platonicorum opinione respondet: *Unde nisi quia pertinet ad massam perditionis, et juste intelligitur ex Adam natus antiqui debiti obligatione damnatus?* Et cap. 32.: *Damnatæ originis propagatio nos damnat:* et paulo post: *Simul utrumque propagatur, et natura, et naturæ vitium.* Et quærens originem et viam propagati vitii, exacte distinguens honestatem nuptiarum a turpitudine libidinis, hanc esse originem et viam traducionis peccati affirmat, cap. 34. et 37. ubi sic: *Libido est in illa, quam vocat Apostolus, repugnantem legi mentis inobedientiam, lege membrorum.* Hic autem sic: *Hinc est quod infantes etiam qui peccare non possunt, non tamen sine peccati contagione nascuntur, non ex hoc quod licet, sed ex eo quod dedecet, nam ex eo quod licet natura nascitur: ex illo quod dedecet vitium.* — Rem adhuc apertius declarat lib. 1. *De Nu-*

ptiis et Concupiscentia, ubi agens de castissimo connubio inter Virginem Deiparam et S. Josephum illius sponsum, cum dixisset in fine cap. 11.: *Omne nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Jesum; fidem, quia nullum adulterium; sacramentum, quia nullum divortium.* Statim addit initio cap. 13.: *Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non potuit sine illa concupiscentia, quæ accidit ex peccato, sine qua concipi voluit qui futurus erat sine peccato, non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati, ut hinc etiam doceret omnem, quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati, quandoquidem sola quæ non inde nata est non fuit caro peccati.* Et lib. 2. cap. 1. respondens Juliano qui librum adversus eum ediderat, et sic inscripserat: *contra eos qui nuptias damnant et fructus earum diabolo assignant*, scribit: *Non igitur contra nos qui neque nuptias damnamus, quas etiam in ordine suo debita prædicatione laudamus: nec earum fructum diabolo assignamus; nuptiarum quippe fructus homines sunt qui ordinate inde generantur, non peccata cum quibus nascuntur. Nec ideo sunt homines sub diabolo, quia homines sunt, ubi sunt fructus nuptiarum, sed quia peccatores sunt, ubi est propago vitiorum; diabolus enim culpæ auctor est, non naturæ.* Et cap. 5. respondens objectioni Juliani dicentis: *per quid igitur sub diabolo sunt quos Deus fecit?* Et adjicienti responsionem Augustini *per peccatum*, inquit, *non per naturam.* Deinde subnectenti, sed ut non potest sine sexibus fœtus, *ita nec sine voluntate esse delictum.* Hanc instantiam sic excipit Augustinus: *Ita vero ita est, sic enim per unum hominem peccatum intravit in mundum etc.* Deinde instanti Juliano: *dicis ergo illos esse sub diabolo quia de sexus utriusque commixtione nascuntur?* Reponit Augustinus: " ✳ *Dico plane propter delictum eos esse sub diabolo: ideo autem expertes non esse delicti, quia de illa commixtione sunt nati, quæ sine pudenda libidine non potest etiam quod honestum est operari.* Quod utique ibidem confirmat auctoritate S. Amb. *in Isaiam*, ubi dixit, Christi carnalem nativitatem ideo expertem esse delicti, quia conceptus ejus utriusque commixtionis est expers: nullum autem hominum esse sine delicto, qui de illa commixtione conceptus est: *Ideo*, inquit, *et quasi homo per universa tentatus est, et in similitudine hominum cuncta sustinuit, sed quasi de spiritu natus, abstinuit a peccato, omnis enim homo mendax, et nemo sine peccato, nisi unus Deus. Serratum est igitur, ut ex viro, et muliere, idest, per illam corporum commixtionem, nemo videatur esse expers delicti; qui autem expers delicti, expers est etiam hujusmodi conceptionis.* — ✳ " Inde sic Pelagianos urget S. Augustinus: *Numquid etiam istum, o Pelagiani et Celestiani, audebitis dicere Manichæum quod eum dicebat esse Jovinianus hæreticus, contra cujus impietatem vir iste sanctus etiam post partum permanentem virginitatem Sanctæ Mariæ defendebat? Si ergo illum Manichæum dicere non audetis; nos cum in eadem causa, eadem sententia fidem catholicam defendamus, cur dicitis Manichæos?* — Distinctius vero rem explicat S. Augustinus ibidem, cap. 8. *Neque hoc ideo dixerim*, inquit, *quod altius putandus sit præter summum et verum Deum, vel humani seminis, vel ipsius hominis Creator existere, sed hoc tranquilla de homine obedientia membrorum*

ad nutum voluntatis exisset, si peccatum non præcessisset; neque nunc agitur de natura hominis, sed de vitio. Illa quippe habet auctorem Deum; ex isto autem trahitur originale peccatum. Nam si semen ipsum nullum habet vitium, quid est quod scriptum est in libro Sapientiæ: non ignorans quoniam nequam est natio illorum, et naturalis malitia ipsorum, et quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum, semen illorum erat maledictum ab initio. Quomodo ergo cujuslibet hominis malitia naturalis, et semen maledictum ab initio? nisi ad illud respiciatur quod per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt? — Augustino subscribit Venerabilis Beda, tom. 8. quæst. 14. ubi ait: *Hominem ideo contrahere peccatum originale, quia generatur cum ardore libidinis;* et addit: *Animam ex unione cum carne peccato maculari.* Addit deinde: *Ideo per unum hominem peccatum intravit in mundum, quia per semen generationis intravit, quod a viro incipiens concipit fœmina. Quo more nasci noluit qui solus sine peccato est natus ex fœmina.*

Confirmat ista Concilium Tridentinum, Sess. 5. can. 4. ubi de parvulis statuit: *Ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt.* Et sessione 6. c. 3. agens de justificatione quæ fit per gratiam Christi, ait: *Sicut revera homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti: cum ea propagatione, per ipsum, dum concipiuntur propriam injustitiam contrahant: ita nisi in Christo renascerentur, numquam justificarentur; cum ea renascentia per meritum passionis ejus gratia qua justi fiunt, illis tribuatur.* Ex his omnibus " ✳ constat omnes Adami posteros idcirco peccatum originale contrahere, quia omnes in eo peccaverunt tamquam in totius humanitatis capite, ratione scilicet pacti divinitus cum ipso initi, quod si justitiam originalem, quam tam pro se, quam pro posteris acceperat, servaret, illam via generationis naturalis ad posteros transfunderet; secus, si sua rebellione ipsam deperderet: sed non alia ratione censentur omnes homines in Adam peccasse, quam quia ejus sunt filii naturales, et naturali via generationis communis ab eo propagati: ergo non aliter originale peccatum transfunditur, quam per ipsam naturalem generationem.

✳ " **Conclusio secunda.** — ETIAMSI CONCUPISCENTIA NON SIT FORMALITER PECCATUM, EST TAMEN VEHICULUM ET MODUS QUO A PARENTIBUS IN FILIOS PECCATUM ORIGINALE TRANSFUNDITUR. Hæc sententia videtur esse communis non solum S. Augustino, sed et plurimis aliis Patribus qui ipsum vel antecesserunt vel subsecuti sunt, ut apparet ex iis quos ipsemet " ✳ S. Augustinus laudat, et refert lib. 1. *contra Julianum*, cap. 3. 4. et 5. Primo quidem Origenes in caput 8. *Epistolæ ad Rom.*, cum explicaret cur Christus venisset in similitudine carnis peccati, non in carne peccati, ait: *Qui ex nulla viri contagione, sed solo Spiritu sancto super Virginem veniente, et virtute Altissimi obumbrante, venit ad corpus immaculatum, naturam quidem corporis nostri habuit, pollutionem tamen peccati, quæ ex concupiscentiæ motu conceptis traditur, omnino non habuit.* Idem insinuavit Olympius

Hispanus Episcopus ab Augustino citatus lib. 1. *contra Julian.* cap. 3. ubi ait: *protoplasti mortifera transgressione vitium esse sparsum in germine, ut peccatum cum homine nasceretur.* Quibus indicat germen, seu semen unde nascitur homo, ita esse vitiatum, ut non sine peccato nascatur. Similiter S. Amb. apud eumdem S. Aug. ibidem cap. 4. *Servatum est igitur,* inquit, *ut ex viro et muliere, idest, per illam corporum commixtionem nemo videatur expers esse delicti; qui autem expers delicti, expers est etiam hujusmodi conceptionis.* — Hoc idem sentire videntur quotquot fuerunt SS. Patres Augustini sequaces, et discipuli, qui docent ideireo Christum Dominum naturali via generationis nasci noluisse, ne per concupiscentiam genitus originali peccato subjaceret. Sic S. Leo ser. 5. *De Nativitate Domini. Solus,* inquit, *inter filios hominum Dominus Jesus innocens natus est, quia solus sine carnalis concupiscentiæ pollutione conceptus.* Sic S. Fulgentius lib. *De Libero arbitrio, et gratia,* cap. 13. immaculatæ Christi nativitatis causam explicans, ait: *Vulvam quippe matris ejus non concupiscentia mariti concumbentis, sed omnipotentia Filii nascentis aperuit. Ideo solus est, in quo princeps hujus mundi veniens nihil invenit.* S. Bernardus in *Meditationibus,* cap. 3. ait: *Propter carnem homo vanitati similis factus est: quia ex illa vitium concupiscentiæ traxit, quo captivus tenetur, et incurvatus, ut diligat vanitatem, et iniquitatem operetur.* His itaque, et aliis similibus SS. Patrum sententiis constat non aliam transfusionis originalis peccati causam assignandam esse, præter ipsam concupiscentiam, quæ in actu generationis defervet, et in prolem traducitur. — ✳ " Eamdem sententiam constantissime tradit ac tuetur S. Augustinus plurimis in locis, præsertim vero *Epist.* 105. *Quasi vero,* inquit, *in Baptismo concupiscentiæ carnis infirmitas continuo sanetur, sicut continuo reatus ejus aboletur: sed gratia renascendi, non conditione nascendi. Unde quisquis per hanc concupiscentiam etiam de renato nascitur, sine dubitatione oberit nato, nisi et ipse similiter renascatur.* Et lib. 5. contr. Julian. cap. 18. *Qualitas,* inquit, *affectionalis mali de substantia ad substantiam non emigrando transit, sed quodam operante contagio, idest concupiscentiæ affectu, sicut de parentibus morbidis morbida soboles procreatur.* — Hoc ipsum explicat lib. 2. *oper. imperf. contr. Julian.*, exemplo podagræ, quam subinde filii hæreditario jure ex parentibus trahunt. *Si quis intemperantia sibi podagram faciat, eamque transmittat in filios, quod sæpe contingit, nonne recte dicitur in eos illud vitium de parente transiisse: ipsos quoque hoc in parente fecisse? Quoniam quando ipse fecit, in illo fuerunt: fecerunt ergo non actione hominum, sed ratione jam seminum. Quod ergo aliquoties invenitur in corporis morbis, hoc in illo primi genitoris antiquo magnoque peccato quo natura humana universa vitiata est, factum esse noverit.* Hinc lib. 1. *De Nuptiis et Concupiscentia,* quid in hoc opere tractandum suscipiat, declarat his verbis: *Intentio hujus libri hæc est, ut quantum nos Dominus adjuvare dignatur, carnalis concupiscentiæ malum, propter quod homo, qui per illam nascitur, trahit originale peccatum, discernamus a bonitate nuptiarum.* Et cap. 12. ejusdem libri causam " ✳ proferens, cur Christus noluerit naturali via generari, dicit esse, ne per concupiscentiam genitus, concupiscentiæ vitium, seu originale peccatum ex Adamo traheret. *Solus ibi,*

inquit, *nuptialis concubitus non fuit,* nempe in beata Virgine, *quia in carne peccati fieri non poterat, sine carnis pudenda concupiscentia, quæ accidit ex peccato, sine quo concipi voluit, qui futurus erat sine peccato: non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati: ut hinc etiam doceret omnem, qui de concubitu nascitur, carnem esse peccati, quandoquidem sola, quæ non inde nata est, non fuit caro peccati.* — ✳ " Et cap. 23.: *Hæc concupiscentia quæ solo sacramento regenerationis expiatur, profecto peccati vinculum generatione trajicit in posteros.* Et cap. 24: *Ex hac concupiscentia carnis tamquam filia peccati quæcumque nascitur proles, originali est obligata peccato, nisi in illo renascatur, quem sine ista concupiscentia Virgo concepit: propterea quando nasci est in carne dignatus, sine peccatis solus est natus.* " ✳ — Deinde ipsimet Pelagiani numquam dubitaverunt quin August. in ea fuerit sententia, quod concupiscentia ipsa propagaret peccatum originale. Hinc ortus acerrimus ille inter Julianum, et illum conflictus; utrum videlicet illa concupiscentia per peccatum Adami fuisset exorta; Julianus enim pervicacissime illam Dei creationi tribuebat, ut hac arte originalis peccati traductionem expungeret: Augustinus e contra omnibus ingenii nervis contendebat hanc concupiscentiam ex Adami peccato esse subortam, et in ejus posteros, una cum peccato esse traductam, ut videre est lib. 2. *contra Julianum*, c. 10. et lib. 2. *operis imperfecti,* et alibi sæpius. Idque verum esse facile quivis intelliget, qui noverit quis fuerit S. August. ejusque contra Pelagianos conflictus: nam in omnibus libris adversus eos editis, id unum maxime probandum usurpat, nempe concupiscentiam non esse a Deo, sed ex Adami peccato, per eamdemque peccatum originale ab Adamo ad posteros transfundi. Vana quoque foret Ecclesiæ de Pelagianis victoria, nisi ista Augustini sententia fuerit vera; omnia quippe argumenta Juliani Pelagianæ Hæresis Architecti, quibus impossibilem asserebat esse peccati originalis transitum, in id collineabant, ut concupiscentiam non esse peccati traductivam, non ex peccato oriundam assereret; sed eam fuisse primitus a Deo naturæ insitam: alioquin conjuges naturali illa commixtione sexuum forent causa peccati, atque ita damnandæ essent nuptiæ, seu conjugia; damnandus pariter Deus conjugii auctor, vel certe diabolus ipse dicendus esset auctor conjugii, et commixtionis, ex qua peccata nascerentur: quam utique machinam pelagianam, ut S. August. everteret, docuit in commixtione conjugum duo esse consideranda; nimirum commixtionem, et pudorem ejus; nuptias, quibus legitime junguntur conjuges, et concupiscentiam carnis, qua stimulante junguntur: aitque illud esse bonum, hoc malum; illius Deum, hujus diabolum auctorem; illo naturam, hoc peccatum propagari censet: ergo S. Augustinus peccatum originale per ipsam concupiscentiam, ✳ " tamquam per vehiculum a parentibus ad filios censet transfundi.

Hoc egregie explicat Angelicus Doctor 1. 2. q. 81. a. 1., ubi respondens ad secundum argumentum initio quæstionis propositum, *Dicendum,* inquit, *quod etsi anima non traducatur, quia virtus seminis non potest causare animam rationalem, movet tamen ad ipsam dispositive. Unde per virtutem seminis traducitur humana natura a parente in prolem, et simul cum natura naturæ infectio. Ex hoc enim fit iste,*

qui nascitur consors culpæ primi parentis, quod naturam ab eo sortitur per quamdam generativam motionem. Et iterum ad 3. *Ad tertium dicendum, quod etsi culpa non sit actu in semine, est tamen ibi virtute humanæ naturæ, quam concomitatur talis culpa.* Rursus ad 4. *Ad quartum dicendum, quod semen est principium generationis; quæ est proprius actus naturæ ejus propagationi deserviens, et ideo magis inficitur anima per semen, quam per carnem jam perfectam, quæ jam determinata est ad personam.*

Itaque ex mente tam S. Augustini quam Angelici Doctoris aliorumque Patrum et Doctorum, concupiscentia est quasi vehiculum quo originale peccatum a parentibus, licet eo expurgatis, in filios traducitur per viam seminalem et naturæ propagationem. Nam utriusque parentis semen cum pruritu libidinis decisum annexos habet spiritus vitales et animales qui cum ipso transfunduntur in prolem quæ subinde ex ipsius concupiscentiæ et libidinis æstu coalescit et efformatur; ita tamen quod si hæc libido ab actu generationis abesset, proles genita non minus peccatum originale contraheret, quia illud potissimum traducitur per propagationem humanæ naturæ ab Adamo in Deum perduelli derivatæ.

His similia tradit Subtilis Doctor in 2. dist. 32. quæst. unica, ubi tria docet: primum quod concupiscentia sit materiale seu vehiculum peccati originalis. Secundum quod propagatio libidinosa conferat ad transfusionem illius peccati. Tertium quod illud peccatum contrahatur in ipsa unione cum corpore qua fit ut homo conceptus sit filius Adæ. Primum docet n. 7. ubi scribit: *Concupiscentia hoc modo, idest, prout est pronitas in appetitu rationali ad concupiscendum delectabilia immoderate, est materiale peccati originalis.* Secundum tradit n. 18. *Propagatio,* inquit, *in statu innocentiæ fuisset omnino sine libidine, nunc autem quæcumque propagatio communis libidinosa est: et illa igitur quia maculosa est maculat prolem.* Et addit exponendo auctoritatem (ut ait Augustini): *Libido accipiatur pro carentia justitiæ originalis in propagantibus, quæ est causa libidinis in actu propagandi.* Tertium indicat ibidem ubi ait: *Anima est forma carnis, ex quarum unione resultat filius Adæ.* Et respondens ad argumenta initio quæstionis proposita, dicit Adamum causam esse nostri reatus et carentiæ justitiæ originalis. *Adam,* inquit, *corrupit se peccato personali, et in hoc demeritorie totam posteritatem suam.*

Ex his apparet quod eatenus peccatum originale contrahatur ab Adæ posteris quatenus, ejus sunt filii per viam seminalem et libidinosam concupiscentiam a suis parentibus geniti. " * Hinc tantopere in ipsam concupiscentiam invehitur S. Augustinus; maxime in libris contra Julianum, qui concupiscentiam veluti bonum naturæ a Deo insertum laudibus celebrabat. Hinc elaganter, et subtiliter illum carpit S. Augustinus lib. 3. cap. 21. *Ambo,* inquit, *continentiam profitemur: et si quod profitemur agimus, istam concupiscentiam profecto ambo frænamus, adversus ejus repugnantes motus ambo bellamus. Verum hoc interest, quod ego dico me malum frænare, tu autem te bonum. Ego dico mihi malum repugnare, tu tibi bonum. Ego bello adversus malum, tu adversus bonum... Gloriosa te per continentiam profiteris exercere certamina, contra quid? Rogo quid dicturus es, nisi contra carnis concu-*

piscentiam? Sed utrum amicam, an adversariam? Numquid nisi adversariam respondebis? Caro enim concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem: hæc enim invicem adversantur, sicut Apostolus testis est. Fortasse ergo eam laudare te fingis; nam quomodo fideliter simul agas duo ista, non video, ut laudes velut amicam, et expugnes velut inimicam. Unum eorum credimus: sed elige quid credamus. Si ex animo pugnas, non ex animo laudas: si autem simpliciter agis in præconio, colludis in prælio... Tamen ex his duobus quorum putari potes unum ex animo facere, alterum fingere; malim te fallenter laudare concupiscentiam, quam fallaciter impugnare; tolerabilius enim lingua tua quam vita mentitur; tolerabilius sententia, quam continentia simulatur. Fingis quippe laudem, qua sis adversarius sententiæ meæ, si non fingis castitatem, qua es adversarius concupiscentiæ tuæ. Ita fiet ut nec contra me diutius proferas fallaciter verbum, si veraciter geris contra libidinem bellum. Quibus patet non aliud prætendere Sanctum Augustinum, quam concupiscentiam esse mali incentivam, adversus quam totis viribus depugnandum est.

* " Dices: Contra hanc et præcedentem Conclusionem, atque hactenus asserta: Idcirco concupiscentia censeretur " * esse propagativa originalis peccati, illudque ex natura ipsa per vitiatam generationem transfundi, maxime quia omnes homines eatenus dicuntur peccatum originale contrahere, quatenus in Adamo peccaverunt, ea scilicet ratione, quod Deus pactum cum Adamo inierit, et omnes posterorum voluntates in ipsius voluntate collocaverit; ita ut quemadmodum esset ejus futura voluntas omnium in transfundenda justitia originali, si divinis mandatis obtemperasset; ita quoque prævaricatio ejus omnium censeretur. Sed pactum illud divinum omnino fictitium est, et S. Augustino aliisque SS. Patribus prorsus ignotum: ergo hac ratione non censetur originale peccatum propagari. — **Nego minorem**; nam divinum illud pactum initum fuisse cum Adamo plurimi docent e SS. Patribus, imprimis vero S. Chrysostomus in Epistolam ad Coloss. eo pacto explicat illud capitis 2. *Delens quod adversus nos erat Chyrographum decreti. Quodnam*, inquit, *Chyrographum auctor intelligit? Quod ad Moysen dixerant, Quæcumque dixit Deus faciemus: aut id quod fecerat ad Adamum dicens: Quocumque die comederis ex hoc ligno, morte morieris.* Similiter S. Hieron. expendens illa verba Oseæ cap. 6. *Ipsi sicut Adam transgressi sunt pactum meum, ibi prævaricati sunt in me:* sic Deum loquentem inducit: *Ipsi autem imitati sunt Adam, ut quod ille in Paradiso fecerat pactum meum legemque præteriens, isti in terra facerent. Et ibi, hoc est, in Paradiso omnes prævaricati sunt in me, in similitudinem prævaricationis Adami. Non enim mirum, si quod in parente præcessit, etiam in filiis condemnetur.* Hoc ipsum etiam aperte edocet S. August. Exponens illud *Gen.* 17. *Delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit*, ita ait: *Potest movere, quomodo intelligi oporteat quod hic dictum est:* masculus qui non circumcidetur carne præputii sui octavo die, interibit anima illa de genere suo, quia testamentum meum dissipavit; *cum hæc nulla culpa sit parvuli, cujus dixit animam perituram: nec ipse dissipaverit testamentum Dei, sed majores, qui eum circumcidere non curarunt, nisi quia etiam parvuli, non secundum vitæ suæ proprietatem, sed*

secundum communem generis humani originem, omnes in illo uno testamentum Dei dissipaverunt, in quo omnes peccaverunt. Multa quippe appellantur testamenta Dei, *exceptis illis duobus magnis*, vetere, et novo, *quod licet cuique legendo cognoscere. Testamentum autem primum, quod factum est ad hominem, profecto illud est: Qua die ederitis, moriemini.* — *Confirmatur hæc responsio* ex ipsa Scriptura sacra, quæ non obscure significat intervenisse pactum aliquod aut constitutionem divinam, ut peccatum Adæ transfunderetur, et pertineret ad posteros. Hoc enim Paulus indicat cum ait omnes in Adamo peccasse Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit in quo omnes peccaverunt. Idcirco autem omnes in eo peccavimus*, inquit, S. August., *quia nos omnes unus ille eramus;* non physice tantum, quatenus ille erat nostrum omnium progenitor: sic enim quilibet suorum filiorum caput censeri potest, et unus cum illis; nec tamen propterea filii dicuntur contrahere peccata parentum. Oportuit ergo Adamus fuerit divina constitutione caput morale omnium naturali via generationis ab ipso descendentium, ad eum effectum, ut ejus voluntas in observatione, vel in transgressione divini præcepti censeretur esse voluntas omnium posterorum. — *Confirmatur iterum* ex eodem Apostolo *ibidem* dicente, quod simili modo Adamus sua inobedientia nobis nocuit ad contrahendum originale peccatum, quo Christus sua obedientia nobis prodest ad obtinendam justificationem, et vitam æternam: atqui obedientia Christi non prodest nobis efficaciter ad justificationem, et vitam æternam ex sola rei natura, sed maxime ex voluntate, et institutione, qua Deus voluit ut nobis applicaretur, et ad illum finem prodesset: ergo sicut Christi merita prosunt his et illis ad justificationem vitæ, non ex sola rei natura, sed ab institutione Dei, ita cum Christo paciscentis, ut legimus Isaiæ 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit, et saturabitur. In scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia; pro eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est:* sic ab eadem divina institutione, et non ex sola rei natura provenit, quod Adami peccatum pertineat ad posteros, illisque noceat ad condemnationem.

Conclusio tertia. — Soli et omnes Adæ posteri, qui via naturalis generationis ab eo descendunt, originali peccato inficiuntur, nisi speciali Dei beneficio, ab ea lege commune eximantur. Hæc Conclusio tres partes complectitur, quarum

Prima est omnium Catholicorum, nempe omnes ab Adamo propagatos peccatum originale contrahere; eamque aperte docet S. Aug. lib. 10. *De Gen. ad litter.*, cap. 19. et 20, ubi affirmat *peccatum originale nonnisi per seminalem generationem transfundi.* Idem pariter docet Tridentinum Sess. 6. cap. 3. ubi ait: *Homines nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti.* Hujus autem veritatis ratio assertiva est, quia solus Adam accepit justitiam transfundendam in eos, qui seminali generatione, seu via naturali generatio-

nis ab eo descendunt: ejusque loco peccatum, et illius originalis justitiæ privationem traducit.

Ratio autem cur solus Adamus totam humanam naturam suo peccato inficere potuerit, idque nullus e posteris quovis peccato possit præstare, est triplex: *Prima* quidem, quia Adamus non erat tantum naturæ humanæ individuum, sed etiam ejusdem naturæ principium, *Secunda*, quia divinum præceptum non tantum illi fuit impositum, tamquam singulari personæ, sed tamquam generis humani stipiti, et capiti totum illud humanum genus repræsentanti et continenti; hinc ipso peccante, universum genus humanum peccare videbatur. *Tertia* denique ratio est, quia ex lege æquitatis, et justitiæ nullus promereri potest præmium et emolumentum, qui ex adverso non fuerit damno subjectus. Unde nec poterant filii, et nepotes justitiam originalem promereri, Adamo sese bene gerente, nisi pariter damno subjicerentur ipso peccante: hoc autem de cæteris hominibus dici nequit; nullus enim est suorum principium primum, nec in ipso viget tota natura, nec ipso merente, ejus posteri fieri possunt illius meriti capaces; hinc nec ipso peccante debent fieri peccati ejus participes. Solus ergo Adamus totam naturam suo peccato vitiare potuit; utpote qui omnium sortem, sicut et naturam, præcontinebat: subindeque certum est, quod soli ab eo via seminali propagati originale peccatum contrahant. — Hinc interendum, solum Adamum esse causam moralem transfusionis peccati in posteros; adeo ut si Adamo non peccante, tamen peccasset Eva, posteri originale peccatum non contraxissent. Quod utique Scriptura sacra aperte satis edocet dum omnium hominum damnationem, mortem, et peccatum in solum Adamum refundit. Sic ad Rom. 5. *Per unum hominem mors etc. Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi etc.* Unde Apostolus Adamum tamquam caput opponit Christo. Sic primæ ad Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Similiter Concilia Milevitanum, Arausicanum, et Trident. *Sess.* 5. *Canone* 2. definiunt *Adæ prævaricationem non sibi soli, sed etiam ejus propagini nocuisse, ac sanctitatem, et justitiam, tam sibi, quam nobis perdidisse.* Quæ omnia de Eva pariter dici debuissent, si ipsa peccatum originale ad posteros transfudisset. Nec obstat illud Ecclesiastici 25. *A muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur.* Nam etsi non in illa, tamen per illam, uti per diabolum peccati incentorem, morimur omnes, quia prius peccando fuit Adæ occasio, et irritamentum peccati. Quod utique allegat Sapiens, ut monitum faciat virum probum, quam provide ipsi cavendum sit a mulieribus. — Inferendum secundo cum SS. Patribus in prima objectione præcedentis Conclusionis laudatis, Christum Dominum non fuisse originali peccato obnoxium; utpote, qui non seminali via ab Adamo descenderit, sed mirabili Spiritus sancti operante virtute ex Maria Virgine fuerit Conceptus. — Inferendum denique, quod qui miraculose crearentur, vel formarentur, aut ex costa, aut ex aliqua parte corporis unius ex Adami posteris, illi peccatum originale non contraherent, ut docet Subtilis Doctor *in* 2. *distinct.* 32. *n.* 6. ubi ait: *Homo miraculose formatus de carne digiti mei non contraheret peccatum originale, quia id docet Anselmus* c. 19. *ubi vult, quod duæ sunt rationes quare Christus non contraxit pecca-*

tum originale, et quarum una per se sufficeret sine altera : una quia purgata fuit caro ejus in beata Virgine : secunda, quia non erat filius naturalis Adæ, et ideo non obligabatur in Adam. Hoc ipsum colligitur ex Concilio Tridentino Sess. 6. cap. 3. ubi ait: *Revera homines nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti : cum ea propagatione per ipsum, dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant.* Secus autem est de hominibus genitis ab incubis semine virili aliunde advecto ; vel a parentibus quorum sterilitatem Deus miraculose abstulit, ut docet S. Anselmus lib. *De Conceptu Virginali,* cap. 16. Quia supposito illo miraculo, semen agit naturaliter in virtute seminantis ; indeque naturalis generatio sequitur, et propagatio seminalis ex Adamo.

Secunda pars Conclusionis est contra Calvinistas affirmantes filios a Parentibus fidelibus procreatos, hoc ipso, a reatu peccati originalis per non imputationem exemptos esse, ita quod licet affirment eos non carere concupiscentia habituali, in qua peccati originalis rationem constituunt, ut constat ex *Articulo* 11. *suæ Confessionis ;* volunt tamen peccatum originale in illis parvulis non esse ut in aliis, nempe cum reatu pœnæ, et exclusione a regno cælorum: etiamsi non adhibeatur illis aliud remedium, quam sanctitas parentum. Verum in eos Scriptura sacra militat, quæ generaliter profert, *In quo omnes peccaverunt,* ad Rom. 5. et idem Paulus licet ex parte fideli oriundus, tamen profert ad Ephesios 2. *Eramus et nos natura filii iræ sicut et cæteri,* hoc est, nullum erat discrimen inter nos ex fidelibus ortos, et alios quoad esse filios iræ ; ac proinde exclusos a regno cælorum. Eaque fuit semper Ecclesiæ traditio, quæ ideirco baptismum, filiis etiam Parentum fidelium, necessarium ad salutem esse judicavit, juxta illud Christi Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Unde S. August. lib. *De Origine animæ,* cap. 9. *Noli credere, noli dicere, infantes antequam baptizentur, morte præventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.*

Tertia denique pars per se clara est, nempe omnes contrahere peccatum originale nisi divino privilegio eximantur: potest enim Deus pro sua auctoritate et misericordia, quos voluerit ex Adami posteris ab originalis peccati debito et labe eximere: uti revera illo singulari privilegio Virginem Deiparam ab illa communi lege, et debito contrahendi peccatum originale liberam fecit, ut probabimus in tertio libro Sententiarum, ubi cælestes, divinasque sacratissimæ Virginis præcellentias, ac prærogativas recensebimus.

Quæres: *an omnes Adæ posteri peccatum originale æqualiter contrahant?*

Respondet Seraphicus Doctor in 2. dist. 33. qu. 1. primum supponendo « tria ad originale peccatum concurrere ; scilicet debitæ « justitiæ carentiam, concupiscentiam, carnis fœditatem : et primum « esse ipsi originali essentiale, secundum vero materiale, et tertium « causale. Si igitur originale deberet augeri, ex aliquo istorum oportet ipsum intendi : cum autem per nullum horum intendi habeat, « in omnibus æqualiter habet reperiri. Quantum ad carentiam nam-

« que debitæ justitiæ non potest intendi ; ista enim carentia non po-
« test esse major in uno, quam in alio, nisi triplici de causa: Aut
« quia sit obligatio fortior, aut quia sit ibi major privatio, aut quia
« modus privandi sit detestabilior : nullo istorum modorum major
« habet esse carentia in homine uno, quam in alio ; non enim obli-
« gatio fortior, quia omnes æqualiter obligamur in Adam ; nec pri-
« vatio major, quia eodem dono scilicet originalis justitiæ omnes per
« originalem culpam nudamur : nec modus privandi detestabilior, quia
« omnes privati sunt per unam inobedientiam Adæ : et sic originale
« ratione carentiæ debitæ justitiæ non recipit magis et minus, sed in
« omnibus æqualiter est. Similiter nec quantum ad concupiscentiam
« intendi habet. Si enim intenditur appetitus, vel concupiscentia re-
« spectu alicujus delectabilis in aliquo, hoc potest esse tripliciter: Aut
« ex complexione, aut ex assuefactione, aut ex vinculi refrænantis
« confractione : primo modo absque dubio concupiscentia augeri po-
« test, sicut patet de concupiscentia carnis, quæ magis fervet in cho-
« lericis, et sanguineis, quam in melancholicis; sed talis intensio nihil
« facit ad culpam ; non enim est culpabilis, sed naturalis, vel pœna-
« lis. Similiter, et secundo modo concupiscentia intendi potest in eo-
« dem homine, sicut patet in eo, qui assuefactus est luxuriari, et bona
« cibaria comedere, ad quod magis est pronus, et ardentius concupi-
« scit, quam qui talia non gustavit : sed hæc intensio non facit ad
« originale peccatum, sed potius ad actuale ; quia non dicitur origi-
« nale peccatum concupiscentia quocumque modo, sed solum prout ab
« origine contracta est. Tertio modo non potest intendi, sed in omni-
« bus habet æqualiter reperiri, pro eo quod illud retinaculum origi-
« nalis justitiæ merito culpæ Adæ in omnibus est contractum. Et quo-
« niam secundum istum tertium modum attenditur quantitas originalis
« ex parte concupiscentiæ, hinc est, quod quantum ad concupiscen-
« tiam originalis culpa in omnibus, in quibus est, reperitur æqualiter.
« Similiter quantum ad fœditatem, quæ est in carne, non potest esse
« majus, et minus originale : et hoc patet ; nam quod aliqua proprietas
« intendatur, requiritur idoneitas ad intensionem, tam ex parte suscepti-
« bilis, quam ex parte proprietatis, quæ intenditur, quam etiam ex
« parte agentis : et si aliquod horum defuerit, proprietas illa non ha-
« bet intendi sicut patet consideranti. Omnia autem hæc deficiunt in
« proposito. Defectus enim est ex parte susceptibilis : nam sicut spe-
« culum novum inficitur a muliere menstruata, sed postquam invete-
« ratum est aliquo aspectu non recipit novam infectionem, sic mala
« natura in statu primordiali quasi nova existens, infici habuit a cor-
« ruptione personæ : postmodum vero quasi inveterata ex nova cor-
« ruptione non recipit novam infectionem. Defectus etiam est ex parte
« agentis, quia nullus est post primum hominem cujus transgressio
« respiciat nisi obligationem personæ ; hinc est quod talis culpa non
« habet inficere carnem conjunctam. Defectus etiam est ex parte pro-
« prietatis intensibilis ; illa enim quorum potentia est in termino, non
« habent recipere majus et minus, sicut vult Philosophus : fœditas au-
« tem carnis, secundum quod est principium contractionis originalis,
« ortum habet ex carentia originalis justitiæ : et quia carentia illa
« nuditas quædam est, et nudo non est reperire magis nudum, sicut

« originalis justitiæ nuditas non recipit magis, vel minus, sic nec car-
« nis fœditas. Et sic patet quod ex parte fœditatis carnis originale non
« habet intendi, nec augmentari in eodem, vel in diversis; nec ex
« parte concupiscentiæ; nec carentia debitæ justitiæ, sicut ostensum
« est; nec sunt plura concurrentia ad originale. Manifestum est igitur
« quod originale peccatum in omnibus, in quibus reperitur, habet esse
« æqualiter : et concedendæ sunt rationes hoc ostendentes ».

Dices : Nullum malum est in summo ; quia nihil est summe malum : sed originale peccatum malum est : ergo non est in summo : sed quod est citra summum, intendi potest, et augeri : ergo originale peccatum intensibile est : igitur potest majus in uno quam in altero reperiri. — **Respondet Seraphicus Doctor**, quod est summum simpliciter, et est summum in genere : et quamvis non contingat reperiri summum malum simpliciter, est tamen reperire malum summum in proprio genere ; sicut videmus aliquem ita privatum visu, quod non potest esse magis. Sic, et in proposito potest intelligi, quod originale privat simpliciter justitia originali : et ideo ejus infectio est in termino. Posset tamen dici quod etsi non esset in summo, non tamen sequitur quod posset intendi ; quia potest esse defectus, ex parte sui susceptibilis, vel ex parte agentis : et utrumque hic deficit, sicut supra ostensum est.

Dices 2 : Una anima habet meliora naturalia quam altera, adeoque ejus corruptio pejor est ; similiter aliqui proniores sunt ad malum, et concupiscentiæ motibus dirius agitantur; adeoque magis inficiuntur originali peccato. — **Nego consequentiam**, et ad primum dico quod etsi animæ rationales habeant perfectiones graduales secundum quas una alteram substantialiter præcellit ; non tamen una præcellit alteram ratione puritatis et innocentiæ ad quam destinabantur; adeoque cum illa innocentia originalis fuerit æqualiter in omnes homines transfundenda, ita pariter illius privatio in omnibus æqualis est. *Ad secundum* vero dico, revera quidem aliquos homines dirius, quam alios concupiscentiæ motibus jactari ; id tamen, inquit Seraphicus Doctor, non provenit ex originali peccato gravius eos lædente et afficiente, sed ex complexione vel assuefactione ; quia nempe pravis suis motibus non obsistunt, nec repugnant.

QUÆSTIO QUARTA.

QUINAM SINT PRÆCIPUI EFFECTUS ORIGINALIS PECCATI.

Notandum 1. Certo certius esse peccatum primi Parentis non tantum humanam naturam labefactasse, ipsam sibi divinitus concessis charismatibus spoliando, sed eam in pluribus etiam vulnerasse. Unde non incongrue plurimi e SS. Patribus hominem primum, et in ipso posteros omnes putant a Christo Domino adumbratum fuisse illa Parabola Lucæ 10. *Hominis descendentis ab Jerusalem in Jericho, et incidentis in latrones ; qui despoliaverunt eum, plagisque impositis abierunt, semivivo relicto ;* at non ita compertum, quæ sint ipsa præcipua humanæ naturæ per peccatum inflicta vulnera. Constat equidem omnes ærumnas corporis, et animæ, quibus toto vitæ nostræ curriculo jacta-

mur, necnon et mortem ipsam, ab originali peccato in omne humanum genus esse derivatas. Etenim si stetisset felix innocentiæ status, nec mortem, nec miserias mortis asseclas unquam pertulisset homo; quamquam enim constitutione naturæ fuisset mortalis, ut in præcedenti Disputatione probatum est, nusquam tamen mortem fuisset expertus, ut egregie docet S. August. lib. 6. *De Gen. ad litter.*, cap. 25. ubi cum dixisset *Adamum secundum quemdam modum creatum fuisse immortalem*, adjicit: *quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ, a quo ligno separatus est, cum peccasset, ut posset mori: qui nisi peccasset, posset non mori. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis; immortalis autem beneficio Conditoris.* Quemadmodum ergo ab illa felicitatis patria mors omnino exulabat, ita omnino abesset miseria, qua undequaque, sive ex animo, sive ex sensibus, sive ex corpore, sive ex rebus externis ingruente, homo cruciaretur invitus: invitum enim quocumque, sive magno, sive exiguo affligi malo, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati. Unde S. Augustinus lib. 5. *contra Julianum*, cap. 5. summam ab omnibus incommodis corporalibus immunitatem, quæ nullos externos sensus intrinsecus aut extrinsecus ulla ratione offendi aut perturbari sineret ante admissum ab Adamo peccatum, ita strictim explicat his verbis: *Absit*, inquit, *ut credamus aliquid fuisse unde sensum nostrum, sive intrinsecus, sive extrinsecus, aut dolor pungeret, aut labor fatigaret, aut pudor confunderet, aut ardor ureret, aut algor stringeret, aut horror offenderet.* Certum est igitur omnes corporis, et animæ ærumnas ab ipso originali peccato, quasi virulento malorum omnium fonte, in universum genus humanum effluxisse; verum an etiam naturales hominis facultates ac vires omnino pessundaverit, hic determinandum est. Idcirco

Notandum 2. Triplex in homine distingui posse naturalium virtutum ac facultatum genus; videlicet *intellectualis*, *arbitrariæ*, et *animalis*: ex quibus totuplex erumpit velut appetitus, quo fertur in id quod ipsis facultatibus commodum est: vis enim *intellectiva* veritatem sectatur, et inquirit, ut in ejus adeptione oblectetur, et quiescat: *arbitraria* vero, seu voluntaria bonum prosequitur, malum refugit, et id omne quod hominis libertatem illustrat confirmatque, exquirit, et exoptat: *sensitiva* tandem, in id quod sensibus arridet, erumpit; ut quamdam ex eo oblectationem, et felicitatem excipiat. *Prima* hominem Angelis assimilat: *secunda* Deo parem velut efficit: *tertia* vero cum animantibus aggregat. *Primæ* opponitur ignorantia, et animi cæcitas: *secundæ* captivitas, et in assequendo bono, maloque refugiendo languor: *tertiæ* vero sensuum ærumnæ, et effrænata concupiscentiæ jactatio. An autem, et qualiter has omnes plagas originale peccatum humanæ naturæ intulerit, hic est aperiendum.

Notandum 3. Naturæ rationali, eo ipso quo rationalis est, inditam esse non modo capacitatem, sed etiam inclinationem, et nativam propensionem ad bonum honestum, quod præcipue inter tria bonorum genera rationi consonum est. Hæc autem inclinatio duplex distingui potest: una quidem remota et radicalis, quæ est ipsa animæ rationalis substantia, ut habet rationem naturæ, et principii veluti radicalis ex quo facultates et operationes erumpunt: alia vero proxima

quæ reperitur in potentiis, et facultatibus ex quibus operationes oriuntur : potentiæ autem illæ sunt præcipue intellectus et voluntas; appetitus enim sensitivus tantum participat aliquid rationis propter intimam conjunctionem, quam habet cum parte rationali ; unde etiam imperfectam solum habet inclinationem ad bonum honestum ; quapropter indiget virtutibus moralibus quæ ipsum rationali appetitui subjiciant.

Advertendum insuper inclinationem harum facultatum ad bonum honestum, intelligi posse dupliciter esse diminutam: *Primo* quidem intrinsece, et ex parte subjecti, si nempe ab eis aliquid entitatis, vel intensionis substrahatur, sicut minuuntur habitus dum remittuntur. *Secundo*, ex parte termini, integra remanente subjecti entitate, quatenus supervenientibus aliquibus impedimentis potentia removetur ab attingentia vel consecutione termini, in quem propendebat : quo enim potentia ratione impedimentorum magis fuerit ab aliquo actu præpedita, eo minor erit illius inclinatio, et habilitas ad talem actum eliciendum.

His ita præmissis, quatuor maxime veniunt hac in Quæstione resolvenda. 1. Quæ fuerint vulnera rationali facultati per originale peccatum inflicta. 2. An illud arbitrariæ, et voluntariæ facultatis libertatem omnino fregerit. 3. Quas plagas appetitui sensitivo intulerit. 4. denique, qualiter inclinationem ad bonum honestum immutaverit.

Conclusio prima. — Quatuor sunt præcipue vulnera, quæ Intelligentiæ seu humanæ menti peccatum originale inflixit.

Primum est Ignorantia rerum necessariarum ad ipsius etiam vitæ naturalis conservationem, quæ in infantibus tanta est, quanta ne in bestiis quidem, ut eleganter explicat S. Augustinus lib. 1. *De Peccatorum meritis, et remissione*, cap. 38. *Multorum*, inquit, *pecorum pulli quamvis sint parvuli, neque accedentibus corporis incrementis etiam mente proficiant, quoniam rationalem animam non habent, tamen etiam minutissimi, et currunt, et matres agnoscunt, nec sugendis uberibus cura, et ope admoventur aliena : sed ea ipsi in maternis corporibus loco abdito posita mirabili facilitate noverunt. Contra homini nato, nec ad incessum pedes idonei, nec manus saltem ad scalpendum habiles, et nisi ope nutrientis admotis labris papillæ uberis ingerantur, nec ubi sint sentiunt, et juxta se jacentibus mammis magis possint esurientes flere quam sugere. Proinde infirmitati mentis congruit hæc omnino infirmitas corporis, nec fuisset caro Christi in similitudine carnis peccati, nisi caro esset ista peccati, cujus pondere rationalis anima sic gravatur.*

Secundum vulnus est fatuitas et mentis hebetudo, quæ nonnullis ab ipsa nativitate inest ; nullum enim est animal quod ita destitutum sit notitia ope rationis convenientis suæ naturæ, ut homines aliqui idiotæ, et rudes nascuntur. Hanc humanæ mentis calamitatem, et miseriam lugens, ita describit S. Augustinus Epistola 28. ad Hieron. *Tam tardi*, inquit, *nonnulli sunt, et obliviosi, ut ne prima quidem discere litterarum elementa potuerint. Quidam vero tantæ sunt fatuitatis, ut non multum a pecoribus differant, quos moriones vulgo nominant.*

Hinc lib. 1. *De Peccatorum meritis*, cap. 22. refellens eos, *qui juxta Platonem putant animas ob delicta alibi commissa, in corpora meritis suis convenientia detrudi, in iisque magis minusque affligi:* sic ait: *Quis non secundum istos, qui ex meritis prioris vitæ ante hoc corpus in cœlestibus gestæ, animas terrenis corporibus magis minusve gravari opinantur, affirmet eos ante istam vitam sceleratius immaniusque peccasse, qui mentis lumen sic amittere meruerunt ut sensu vicino pecoribus nascerentur? non dico tardissimi ingenio, nam hoc de aliis dici solet, sed ita excordes, ut etiam cirrati ad movendum risum, exhibeant cordatis delicias fatuitatis, quorum nomen ex Græco derivatum, moriones, vulgus appellat.*

Tertium vulnus est difficultas discendi et scientiam comparandi. Tantas namque tamque altas radices suas in quorumdam mentibus ignorantia propagavit, ut malint illi semper in inscitiæ tenebris vivere, quam tantum exantlare laborem, quantus in scientiis comparandis occurrit. Hinc S. Augustinus lib. 22. *De Civitate Dei*, cap. 22. *Quid*, inquit, *aliud indicat horrenda quædam profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error existit, qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu suscipit, ut homo ab illo liberari sine labore, dolore, timore non possit?* Hinc lib. 1. *De Peccatorum meritis*, cap. 36. ex hac inscitia, et ad discendum difficultate colligit peccatum originale. *In illa igitur*, inquit, *ignorantiæ densissima tenebra, ubi anima infantis recentis ab utero, utique anima hominis, utique anima rationalis non solum indocta, verum etiam indocilis jacet, quare, aut quando, aut unde contrusa est, si natura est hominis sic incipere, et non jam vitiosa est ista natura? Cur non talis creatus est Adam? Cur ille capax præcepti, et valens uxori, et omnibus animalibus nomina imponere? . . . . Iste autem nesciens ubi sit, quid sit, a quo creatus sit, a quibus genitus sit, jam reus delicti, necdum capax præcepti, tum profunda ignorantiæ caligine involutus et pressus, ut neque tamquam de somno excitari possit, ut hæc saltem demonstrata cognoscat, sed expectetur tempus quo hanc nescio quam velut ebrietatem, non per unam noctem, sicut quælibet gravissima solet, sed per aliquot menses atque annos paulatim digerat, quod donec fiat, tam multa in majoribus punimus, toleramus in parvulis, ut numerari omnia non possint.* Hæc autem discendi, et scientiæ capessendæ difficultas ex eo maxime apparet, quod etsi omnes homines natura scire desiderent, inquit Aristoteles lib. 1. *Met.* vel ut ait Tullius in 1. Tuscul. *Natura inest mentibus nostris insatiabilis quædam cupiditas veri videndi:* tamen tanta est humanæ mentis imbecillitas, ut ne bestiolæ quidem ac vermiculi naturam perfecte noverit; unde merito Ecclesiastes c. 1. *Cunctæ res difficiles: non potest eas homo explicare sermone.* At longe major est sui ipsius inscitia: siquidem mens humana nihil minus quam seipsam novit, imo nec opera propria intelligit: unde Regius vates Psal. 18. *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me.* Quod sane summum est incredibilis infelicitatis argumentum, ut ipse qui propria voluntate diebus singulis peccat, vix tamen discernere possit, an peccaverit vere, an deliberata voluntate consenserit, quoties, quantumque deliquerit. Quam autem obscuram ac modicam de Deo notitiam sibi comparare possit humanum studium, testantur tot erroneæ opiniones Ethni-

eorum de natura Dei; siquidem eo usque progressa est ipsorum vesania, ut etiam divinitatem non solum vilioribus animantibus, sed etiam quibusdam olerum ac herbarum generibus tribuerint.

Quartum denique vulnus humanæ menti ab originali peccato insitum est ipsa animi levitas, et indiscreta agitatio, qua fit ut multa inania et inepta, necessariis gravioribusque prætermissis, animo plerumque volvamus etiam inviti. Quam utique calamitatem S. Hieronymus luget *in dialogo adversus Luciferanos*, in aliorum fortasse persona loquens, *Nunc*, inquit, *creberrime in oratione mea, aut per porticus deambulo, aut de fœno computo, aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dicta erubescenda sunt, gero.* Et S. Augustinus, lib. 10. Confess. cap. 35. *Cum*, inquit, *in hujuscemodi rebus conceptaculum sit cor nostrum, et portet copiosæ vanitatis catervas, hinc et orationes nostræ sæpe interrumptur, atque turbantur, et ante conspectum tuum, dum ad aures tuas voce cordis intendimus, nescio, unde irruentibus nugatoriis cogitationibus, res tanta præciditur.*

Conclusio secunda. — QUATUOR PARITER SUNT PRÆCIPUA VULNERA HUMANÆ VOLUNTATI, ET ARBITRARIÆ FACULTATI AB ORIGINALI PECCATO INFLICTA.

Primum est ipsa amoris ad seipsum conversio, qua fit, ut omnes quærant quæ sua sunt, et inordinato sui amore flagrent. Inde nascuntur omnes illæ animi deviationes, quas enumerat sanctus Augustinus, lib. 22. *De Civitate Dei*, cap. 22. *Nempe, mordaces curæ, perturbationes, formidines, insana gaudia, discordiæ, lites, bella, insidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fallaciæ, adulatio, fraus, furtum, rapina, perfidia, superbia, ambitio, invidentia, homicidia, parricidia, crudelitas, nequitia, luxuria, petulantia, impudicitia, impudentia, fornicationes, adulteria, incesta, et contra naturam utriusque sexus tot stupra, atque immunditiæ, quas turpes etiam dicere solemus; sacrilegia, hæreses, blasphemiæ, perjuria, oppressiones innocentium, calumniæ, circumventiones, prævaricationes, falsa testimonia, iniqua judicia, violentiæ, latrocinia, et quidquid talium malorum in mentem non venit, et tamen de vita hominis non recedit:* quæ omnia opera tenebrarum, quamvis a pravis tantum hominibus exerceantur, tamen ab ipso perversi proprii amoris per originale peccatum ingesti virulento fonte dimanant.

Secundum vulnus est ipsa grandis difficultas, quam experitur quisque in vitiis superandis, et virtutibus excolendis. Quamquam enim natura ipsa ad virtutem stimulet, et a vitio removeat, maxime cum finis naturalis hominis, quantum ad voluntatem, sit vivere secundum dictamen rectæ rationis, adeoque virtutem ipsam sectari; nihilominus ægre et difficulter ad eam homines tendunt: cujus rei testes sunt ingentes illæ ac multiplices pœnæ quibus tum parvuli, tum majores urgendi sunt, ut vel inviti ad virtutem stimulentur, et coerceantur a vitiis. Hinc Aug. loco mox laudato: *Quid sibi volunt multimodæ formidines, quæ cohibendis parvulorum vanitatibus adhibentur? quid Pedagogi, quid Magistri, quid ferulæ, quid lora, quid virgæ, quid disciplina illa, qua Scriptura sacra dicit, dilecti filii latera esse tundenda, ne crescat indomitus, domarique jam durus aut vix possit, aut fortasse non possit? Quid agitur his pœnis omnibus, nisi ut debelletur*

imperitia, et prava cupiditas refrænetur, cum quibus malis in hoc sæculo vivimus? His accedit incredibilis illa negligentia in his comparandis, quæ ad beate vivendum, tum in hac vita, tum etiam post mortem spectant: quamquam enim apprime noverint homines unicam, quam in hac mortali vita delibare possunt qualemcumque felicitatem, in studio virtutis esse repositam: licet pariter per fidei lumen constanter noscant cælestem beatitudinem nonnisi pie viventibus esse repromissam; nihilominus experientia constat plerosque hominum nil minus habere cordi, quam de parandis virtutibus, et bonis operibus eliciendis, quibus temporalem beatitudinem assequi, et æternam promereri queant; tanta videlicet sui ipsius oblivio, tam ingens sopor, tam infelix securitas genus humanum ex primæ prævaricationis peccato oppressit.

Tertium vulnus est ipsa propriæ voluntatis in seipsam continua pugna, et instabilis quædam inconstantia; nam cum res omnes creatæ tum superiores ut Angeli, quam inferiores ut pecudes, semper idem velint aut nolint, bonum prosequantur, malum fugiant, solus homo alternante propria voluntate jactatus, respuit quæ mox elegerat, et seligit quæ in fastidio habuerat. Inde fit quod pars ipsa animi superior non solum cum interiori perpetuam luctam patitur, sed etiam secum ipsa perpetuo confligit. Hinc S. Augustinus lib. 8. *Confess.* cap. 9. *Unde hoc monstrum*, inquit, *et quare istud? luceat misericordia tua, et interrogem, si forte mihi respondere possint latebræ pœnarum hominum, et tenebrosissimæ contritiones filiorum Adam. Unde hoc monstrum, et quare istud? Imperat animus corpori, et paretur statim, imperat animus sibi, et resistitur... Ego cum deliberabam, ut jam servirem Domino meo, sicut diu disposueram, ego eram qui volebam, ego qui nolebam. Nec plane volebam, nec plane nolebam; ideo mecum contendebam, et dissipabar a meipso, et ipsa dissipatio me invito quidem fiebat: nec tamen ostendebat naturam mentis alienæ, sed pœnam meæ.*

Quartum denique vulnus ab originali peccato arbitrariæ, et voluntariæ humanæ facultati inflictum, est ipsa liberi arbitrii infirmitas, et diminutio; nam, ut pluribi docet S. Augustinus, per primi Parentis peccatum hominis liberum arbitrium ita vitiatum est, ut ad virtutem sectandam et amplectendam, nisi divina gratia vegetetur ac roboretur, omnino infirmum sit et invalidum: hinc videtur asserere illud omnino corruisse: nam ut ait lib. *De perfectione justitiæ*, cap. 4. *Victa vitio, in quod cecidit, voluntate, cecidit libertate naturæ:* et in Enchiridio cap. 30. *Libero arbitrio male utens homo, et se perdidit, et ipsum:* et in Epistola ad Vitalem, *Liberum arbitrium ad diligendum Deum, primi peccati granditate perdidimus.* Hæc tamen non ita veniunt intelligenda, quasi voluerit S. Augustinus per peccatum primi Parentis liberum arbitrium omnino periisse: contrarium namque aperte edocet pluribi, maxime Epist. 47. ad Valentinum; *Fides Catholica*, inquit, *neque liberum arbitrium negat sive in vitam bonam, sive in vitam malam, neque tantum ei tribuit, ut sine gratia valeat aliquid:* et lib. 2. *ad Bonifacium* cap. 5. ait: *Peccatum Adæ arbitrium liberum de hominum natura periisse non dicimus.* Et lib. 1. *ad eumdem cap.* 2. aperte edocet qualiter liberum hominis arbitrium censeatur per Adam peccatum imminutum; quia nempe non habuit amplius illam perfe-

ctionem libertatis, quam habebat in statu innocentiæ ad operandum facillime quodcumque bonum, et abstinendum a malo; cum enim dixisset: *Quis nostrum dicat quod primi hominis peccato parierit liberum arbitrium de humano genere?* Addit: *Libertas quidem periit per peccatum: sed illa quæ in Paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate justitiam; propter quod natura humana divina indiget gratia, dicente Domino, si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.* Unde cum dicit, primum hominem male utentem libero arbitrio, et se, et ipsum perdidisse, satis aperte significat non perdidisse liberum arbitrium quoad substantiam, sed quoad modum illum accidentalem pertectionis, quem habebat in statu integritatis, et innocentiæ: sic primus homo non perdidit seipsum quoad substantiam, sed quoad dona accidentalia, et gratuita; quibus in illo felici statu illustrabatur, quibusve propter peccatum spoliatus est. Verum de his plura in sequenti Disputatione sumus dicturi.

Conclusio tertia. — VARIA SUNT, SED PRÆCIPUE QUATUOR, VULNERA, QUIBUS SAUCIATA EST HOMINIS PARS INFERIOR, SEU APPETITUS SENSITIVUS PER ORIGINALE PECCATUM.

Primum est continua ipsa in superiorem animæ partem perduellio, et lucta, quam concupiscentia singulis pœne momentis ingeminat; intestinum enim bellum continuo ad mortem usque homo patitur: propter quod Apostolus *ad Rom.* 6. lugens exclamat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Quam sævum, quamve lethiferum sit bellum istud, testatur plurium adolescentum vita depravata, qui immenso voluptatum turpissimarum incendio flagrant: testantur etiam assidua libidinum studia, quibus perversorum hominum concupiscentia irritatur et accenditur; testantur etiam assiduæ mortificationes, quibus seipsos cruciant viri pietati dediti, ut his velut armis cælestibus tam infestum hostem vinciant et vincant.

Secundum sunt innumerabiles calamitates et miseriæ, maxime vero plurima morborum genera, quibus in dies jactamur. Unde S. Augustinus lib. 4. *adversus Julianum*, cap. 6. sic eum interpellant: *Ecce circumstat sensus tuos miseria generis humani. Homo es, humani nihil abs te alienum puta, et in iis quæ non pateris, compatere patientibus, quamvis et ipse quantalibet terrena felicitate præpolleas, nullum sine bello intestino diem ducis, si tamen quod profiteris, implere conaris. Sed in his, quæ meminisse jam non potes, parvulos intuere, quot, et quanta mala patiantur, in quibus vanitatibus, cruciatibus, erroribus, terroribus crescant. Deinde jam grandes, etiam Deo servientes tentat error ut decipiat, tentat labor aut dolor ut frangat; tentat libido ut accendat, tentat mœror ut spernat, tentat typhus ut extollat: et quis explicet omnia festinanter, quibus gravatur jugum super filios Adam? Hujus evidentia miseriæ gentium Philosophos nihil de peccato primi hominis sive scientes, sive credentes compulit dicere ob aliqua scelera suscepta in vita superiore pœnarum luendarum causa nos esse natos... Apostolus autem vanam putat opinionem, qua creduntur singulæ animæ pro meritis anteactæ vitæ diversis corporibus inseri. Quid igitur restat, nisi ut causa istorum malorum sit, aut iniquitas, vel impotentia Dei, aut pœna primi, veterisque peccati? Sed quia nec injustus, nec impo-*

tens est Deus, restat quod non vis, sed cogeris confiteri, quod grave jugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum in diem sepulturæ in matrem omnium non fuisset, nisi delicti originalis meritum præcessisset.

Tertium malorum genus, quod in animalem hominis portionem originale peccatum invexit, est ipsa cibi ac potus indigentia, eaque tanta, ut interdum homines ad rabiem inducat. Hinc S. Augustinus, lib. 22. *De Civit. Dei*, cap. 22. *Nonne*, inquit, *ad hoc perduxit sitientes homines ardor immanis, ut urinam quoque humanam, vel etiam suam biberint? Nonne ad hoc fames, ut a carnibus hominum abstinere se non possent, nec inventos homines mortuos, sed propter hoc a se occisos, nec quoslibet alienos, verum etiam filios matres incredibili crudelitate, quam rabida esuries faciebat, absumerent?*

Quartum denique est ipsa totius universi in hominem sævitia; non solum enim bestiæ animantes, quæ homini ab initio in omnibus obtemperare debuerant, statim post peccatum ejus imperium detractarunt, et ipsius vitæ plurimæ insidiantur, verum etiam ipsa elementa, cælumque in eum depugnant; nam ut observat S. Augustinus loco mox laudato, *Vix dici potest quanta ea detrimenta sint, quæ contingunt hominum generi ab æstibus, frigoribus, tempestatibus, imbribus, diluviombus, coruscatione, tonitru, grandine, fulmine, hiatibus terrarum, oppressionibus ruinarum, eruptionibus ignium, necnon et tot venenis feticum, aquarum aurarum: quæ mala patiuntur navigantes? quæ terrena itinera gradientes? quæ hortorum, agrorumque cultores? quæ et quantis a cælo, et terra, vel perniciosis animalibus casus timentur agrorum fructibus?*

Conclusio quarta. — ORIGINALE PECCATUM NATIVAM HOMINIS AD BONUM HONESTUM INCLINATIONEM VITIAVIT, NON QUIDEM INTRINSECE, ET QUOAD ENTITATEM, SED EXTRINSECE, ET QUANTUM AD EXPEDITAM OPERATIONEM, QUÆDAM NEMPE OBSTACULA SUBJICIENDO, QUIBUS NON ITA PROMPTE, ET EXPEDITE AD BONUM ILLUD PERTINGAT. Hæc Conclusio tribus partibus constat: quarum

Prima apparet ex iis omnibus Scripturæ textibus, quibus evincitur ipsa hominis ad malum inclinatio. *Sensus enim, et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*, ait Deus *Genes.* 8. Quam utique veritatem luculenter explicat S. Paulus Roman. 7. *Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum: nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio: non enim quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem, quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Invenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet. Condelector enim legi secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.*

Patet etiam secunda, et tertia pars, nempe quod inclinatio illa naturalis ad virtutem, seu bonum honestum, non minuantur intrinsece per peccatum originale: siquidem substantia animæ, ejusque facultates, nempe intellectus, et voluntas nullam intrinsecam jacturam pati possunt, utpote cum sint incorruptibiles, et indefectibiles quan-

tum ed entitatem, unde nulla in eis substantialis mutatio, nullaque defectio contingere potest. Hinc tota ipsa ad boni honesti consecutionem repugnantia extrinseca est: peccatum enim originale, auferendo justitiam originalem, hominem avertit ab ultimo fine: illa autem aversio ipsum non ita promptum ad recte operandum exhibet: ergo per peccatum originale minuitur promptitudo, habilitas, et inclinatio naturæ rationalis ad bonum honestum. *Major* patet: *minor* probatur: eodem modo se habet finis ultimus in operabilibus, sicut prima principia in speculativis: sed intellectus carens assensu præmissarum non est ita habilis, et promptus ad assentiendum conclusionibus, sicut cum illo præmissarum assensu instructus est: ergo nec voluntas aversa ab ultimo fine, ita prompta, et expedita efficitur ad bonum honestum prosequendum, sicut dum ultimo fini adhærebat. *Adde quod* originale peccatum auferendo justitiam originalem, cujus freno potentiæ hominis a sævientibus concupiscentiæ motibus liberabantur, indirecte, et sicut removens obstaculum causa est, ut tales potentiæ effrænato impetu in sua objecta tendant, et in affectus illicitos prorumpant. Unde quatuor generatim humanæ naturæ ex originali peccato causantur vulnera; nimirum *ignorantia* in intellectum; *malitia* in voluntate; *infirmitas* in irascibili, et effrænata in concupiscibili ipsius *concupiscentiæ jactatio.*

QUÆSTIO QUINTA.

QUÆNAM SINT PŒNÆ PROPTER ORIGINALE PECCATUM LUENDÆ POST MORTEM.

Notandum 1. Quod etsi diversa sint tormentorum in Inferis genera, quibus torquendi sunt reprobi, illa tamen omnia ad tria maxime capita revocantur, videlicet ad pœnam *damni, sensus, et vermis. Prima* est ipsa divinæ visionis et fruitionis in æternum jactura; *secunda*, horrendi cruciatus ab infernali igne, frigore, et aliis divinæ justitiæ administris torquentibus creaturis: *tertia* denique est ipse perpetuo crucians conscientiæ morsus et stimulus. *Primum* supplicii genus respondet aversioni a Deo; *secundum*, conversioni ad creaturas: *tertium*, internæ oblectationi, quæ fit præter rationis dictamen, divinamque legem, qua peccator in ipsa Dei aversione, et ad creaturas conversione peccat: certum est autem hac triplici pœna cruciandos esse reprobos adultos, ut plurimis Scripturæ textibus suaderi potest, maxime vero ex illo Matthæi 25. *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et Angelis ejus:* necnon ex illo Marci 9. *Vermis eorum non morietur, et ignis non extinguetur:* an autem hac triplici pœna plectendi sint infantes cum solo originali peccato ex hac vita migrantes, determinandum est in præsenti.

Notandum 2. Certum quidem esse, et prorsus indubitatum apud catholicos, omnes ex hac vita, etiam cum solo originali peccato migrantes, puniri pœna damni. Id enim apertissimis constat Scripturæ textibus, præcipue vero ex illo Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.* Et 1. ad Corinth. 2. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur:* hoc est, quemadmodum nemo a morte per Adamum

contracta liberatur, nisi Christo, ut capiti, per baptismum uniatur, et ut ipsius membrum ipsi incorporetur; ita nemo potest æternam vitam assequi, nisi per hanc incorporationem. *Denique* ex illo Apocalypsis 20. *Beatus, et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem:* at parvuli non baptizati non habent partem in resurrectione prima: igitur in eos secunda mors, nempe carentia divinæ visionis, quæ est vita æterna, habet potestatem. — Idem definitum est in Conciliis; primo quidem Palæstino, seu Diospolitano, ut testatur S. Augustinus, lib. *De gestis Pelagii*, c. 8. ubi refert quod Pelagius compulsus fuerit anathematizare illam assertionem, quod infantes, etsi non baptizentur, habeant vitam æternam. *Hac autem negata*, inquit S. Augustinus, *quid nisi mors æterna remanebit?* Similiter Concilium Carthaginense apud August. num. 90. *Quicumque*, inquit, *negat parvulos a perditione liberari per baptismum Christi, et salutem percipere æternam, anathema sit.* Item Concilium Milevitanum in Epistola apud Augustinum 92. Similia repetit scribens de Pelagianis: *Pueros parvulos si nullis innoventur Christianæ gratiæ sacramentis, habituros vitam æternam, neque præsumptione contendunt.* Idipsum edocet Florentinum in ultima sess. scribens: *Illorum animas, qui cum actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.* Tandem Conc. Trid. *sess.* 5. maxime *Canone* 1. præcedentium Conciliorum doctrinam repetens, anathematizat eos, *qui asserunt parvulos nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam.* — Idipsum docent omnes SS. Patres, maxime quotquot adversus Pelagianos aut Semipelagianos calamum strinxerunt. Imprimis vero S. Augustinus, lib. 1. *De origine animæ*, cap. 9. *Non baptizatis parvulis*, inquit, *nemo promittat inter damnationem, et regnum Cælorum, seu quietis, vel felicitatis cujuslibet, atque ubi lubet quasi medium locum: hoc enim eis hæresis Pelagiana promisit.* Et lib. 2. cap. 12. ait: *Novellos hæreticos Pelagianos justissime Conciliorum Catholicorum, et Sedis Apostolicæ damnavit auctoritas, eo quod ausi fuerint non baptizatis parvulis dare quietis, et salutis locum, etiam præter regnum Cælorum*, etc. Ipsi subscribunt S. Prosper lib. 2. *De Vocatione gentium*, c. 8. *Quid est*, inquit, *quod alienatur a salute perpetua tanta infantium multitudo, tot quot in his ætatibus hominum millia extra vitam relinquuntur æternam?* Et S. Fulgentius, lib. *De fide ad Petrum*, cap. 2. *Parvulos*, inquit, *quibus nulla possunt, vel bona, vel mala inesse propria merita voluntatis, insolubili nexu æterna damnatione tenentur.* Idem habet S. Anselmus, lib. *De Conceptu Virginali*, cap. 27. et alii omnes S. Augustini sequaces, et discipuli. Hæc paulo longius annotavi, ut inde liqueat, quam execranda sit, quamque damnanda Calvini, Zuinglii, et aliorum hæreticorum assertio, qua docent per Christum universam naturam humanam ita esse restitutam, ut non solum filii fidelium, ut vult Calvinus, sed etiam infidelium, ut asserit Zuinglius, *Declaratione de peccato originali*, etiam absque baptismate decedentes, vitam æternam possint consequi.

Notandum 3. Quod etsi omnes Catholici Doctores conveniant parvulos, cum solo originali peccato ex hac vita migrantes, damnandos

esse pœna damni, et perpetua carentia divinæ visionis; tamen invicem controvertunt, an etiam illi parvuli patiantur aliquam pœnam sensus, et vermis; in cujus difficultatis resolutione quatuor potissimum sunt diversæ Auctorum sententiæ. *Prima* quidem rigidissima, contendit nempe parvulos illos cum originali peccato decedentes, non solum in perpetuum Dei visione, et fruitione privari, sed etiam puniri ipsa pœna ignis, et vermis æterni: mitius tamen quam adultos damnatos, eo quod leviori culpa inficiantur. Ita imprimis docuit *Gregorius Ariminensis* in. 2. d. 3. Pro hac pariter sententia pugnavit acriter noster *Florentius Conrius* Archiepiscopus Thuamensis, in Tractatu edito ad calcem operis Jansenii *De statu parvulorum sine baptismo decedentium ex hac vita:* quo in Tractatu contendit oppositam sententiam non modo falsam esse, verum etiam hæresi propinquam, et peccatum originale, ut ipse ait, prorsus evacuare. Ipsi plurimi Moderni subscribunt; imprimis vero noster Poncius in *Commentario ad distinctionem* 33. ubi n. 77. sibi gratulatur quod præfati Illustrissimi Conrii gravi et religiosa conversatione jam tum adolescens potitus fuerit; *In quo*, inquit, *aliquot supremæ humilitatis cum tanta doctrinæ profunditate conjunctæ documenta expertus sum, quæ etiam nunc admiror, et sæpe ad meam utilitatem recolo.* — *Secunda sententia* docet parvulos in peccato originali decedentes nulla quidem pœna ignis, et sensus fore plectendos: pœnam tamen vermis, seu tristitiæ ac mœroris passuros de amissione beatitudinis æternæ. Hanc docuit *Abulensis* super cap. 25. Matthæi, *Bellarminus* lib. *De statu peccati,* cap. 6. et alii. — *Tertia* affirmat parvulos sic migrantes, privari quidem æterna Dei visione et fruitione, habituros tamen post diem judicii quamdam beatitudinem temporalem, quippe terram veluti Paradisum terrestrem inhabitabunt pleni sapientia et virtutibus moralibus instructi, necnon et Angelorum consortio et apparitionibus recreandi. Ita Catharinus lib. *De statu Parvulorum decedentium sine baptismo:* Albertus Pighius *in prima Controversia de peccato originali;* quam sententia probabilem etiam putat Salmeron in cap. 5. ad Rom. — *Quarta* denique sententia docet quidem parvulos in originali peccato decedentes æternæ Dei visionis et fruitionis carentia esse puniendos, necnon destituendos omni naturali beatitudine: non tamen cruciandos ulla pœna sensus, aut vermis. Ita *Subtilis Doctor* cum *Magistro Sent.* in 2. dist. 33. et *S. Thomas* ibidem qu. 1. art. 1. et 2. necnon et *Seraphicus Bonaventura* ibidem art. 2. qu. 1. ubi cum primam hac de re retulisset sententiam subdit: *Alia positio mitior, quæ magis concordat pietati, fidei, et judicio rationis, quod quia parvuli decedentes cum originali carent justitia, et Spiritus sancti gratia, quæ est pignus hæreditatis æternæ, privantur in æternum Dei visione; quia vero in carne fuit fœditas, ideo ponuntur in loco vili, utpote infernali; sed quia non habuerunt in se actualem delectationem peccati, nec in spiritu, nec in carne, ideo non sentiunt pœnæ ignis acerbitatem.* Cui sententiæ, utpote probabiliori, ut subscribamus, sit

Conclusio unica. — PARVULI CUM SOLO ORIGINALI PECCATO EX HAC VITA MIGRANTES NULLAM PATIUNTUR PŒNAM SENSUS, NEC VERMIS, SEU CONSCIENTIÆ REMORSUS.

Probatur primo ex Scriptura sacra: nam Apocalypsis 18. *Quantum*

se glorificavit, et in deliciis fuit, tantam date illi tormentum, et luctum: at parvuli nulla ratione se glorificaverunt, neque in deliciis ullis fuerunt: nullum igitur merentur tormentum, et luctum. Item Isaiæ *ultimo*, et Marci 9. conjungitur ignis cum verme: *Vermis*, inquit, *eorum non morietur, et ignis non extinguetur:* constat autem parvulos nullam passuros pœnam ex morsu vermis, idest, ex conscientia mali operis animum pungente, atque affligente; igitur credibile est etiam nullam esse passuros ignis materialis pœnam.

Probatur secundo auctoritate SS. Patrum, maxime vero S. Gregorii Nazianz. *Oratione* 40. *in sanctum Baptisma*, ubi cum tria genera hominum sine baptismo decedentium enumerasset, quorum alii baptismum contempserunt; alii ex negligentia propria omiserunt: tertii, hoc est, infantes aliorum negligentia illo caruerunt: de illorum omnium pœna sic pronunciat: *Existimo futurum, ut primi quidem tum aliorum scelerum, tum etiam baptismi contempti pœnas luant: alii autem pœnas quidem, sed leviores pendant, ut qui non tam animi pravitate, quam stultitia a baptismo aberrarint: postremi denique nec cœlesti gloria, nec suppliciis a justo judice afficiantur; utpote qui licet baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc jacturam passi potius fuerint, quam fecerint: neque enim quisquis supplicio dignus non est, protinus honorem quoque meretur, quemadmodum nec quisquis honore indignus est, statim pœnam promeretur.*

Reponit Conrius cap. 15. Primo quidem Gregorium nihil ibi definire de nostra controversia, sed tantum dicere eos, qui baptismum non perceperint, non habituros illius effectum, nempe vitam æternam. Secundo, quod illi non sint plectendi supplicio propter illum defectum commissum in non receptione Sacramenti, sicut sunt puniendi, qui contempserunt aut neglexerunt baptismum recipere. — **Contra**, Gregorius manifeste asserit parvulos istos, neque cœlesti gloria, neque suppliciis esse afficiendos propter jacturam baptismi, quam patiuntur involuntarie, et rationem cur suppliciis non afficiantur post hanc vitam, esse dicit, quia improbitate caruerunt, idest, quia non sunt propria iniquitate culpabiles. Ideoque Micetas antiquus ejus Commentator colligit ex his verbis, infantes mortuos sine baptismo, non esse pœna ignis cruciandos. « Medius gradus eorum, inquit, qui nec cœlestis « regni voluptatem sentiunt, nec pœnis ullis torquentur: in quo et pue- « ruli, qui baptismo perfusi non sunt, constituentur. » — Idem docet S. Gregorius Nyssenus orat. 1. *De Infantibus, qui præmature abripiuntur*, prope finem, cujus verba hæc sunt: *Immatura mors infantium, neque in doloribus, ac mœstitia esse cum, qui sic vivere desit, intelligendum esse nobis suggerit: neque in pari ipsum, et eadem conditione, ac forte versari cum iis, qui per omnem virtutem in hac vita purgati sunt.* Idemque dicendum de adultis, si qui similiter cum solo originali decedunt: cum enim par sit illorum conditio, atque infantium, de utrorumque pœna idem censendum est. — Eamdem veritatem aperte docet S. Augustinus pluribi, maxime vero lib. 3. *De libero arbitrio*, cap. 23. ubi ait: *Dicunt imperiti, quid opus erat, ut nasceretur, qui antequam iniret illum vitæ meritum, excessit e vita? Aut qualis in futuro judicio deputabitur, cui nec inter justos locus est, quoniam nihil recte fecit, nec inter malos, quoniam nihil peccavit? Quibus re-*

spondetur ad universitatis complexum, et totius creaturæ vel per loca, vel per tempora ordinatissimam connexionem non posse superflue creari qualemcumque hominem, ubi folium arboris nullum superflue creatur, sed sane superflue quæri de meritis ejus, qui nihil meruit. Non enim metuendum est ne vita potuerit esse media quædam inter recte factum atque peccatum, et sententia judicis media esse non possit inter præmium, atque supplicium. Quibus verbis non tribuit S. Augustinus locum aliquem medium inter Cælum, et Infernum decedentibus cum solo originali, sed mediam sententiam inter præmium quod debetur eis qui propria voluntate boni aliquid meruerunt, et supplicium quod iis debetur qui propria voluntate pœnam sibi pepererunt: *Quare*, inquit Bellarminus, *parvuli sine baptismo decedentes non carebunt supplicio communi peccato originali, et actuali quibus amittitur gratia Dei, quæ pœna est carentia visionis divinæ, sed liberi erunt ab ea pœna, quæ propria est peccati actualis, quæ pœna ignis, seu sensus appellatur.* Nec refert quod in Epistola 28. *ad Hieron.* et lib. *De dono Perseverantiæ* c. 11. et 12. dicat se eo loco non dubitasse de damnatione parvulorum; sed quæstionem illam noluisse attingere, de qua ipsi cum Manichæis, in quos pugnabat, non erat contentio. Id, inquam, non refert: ibi namque non aliud certum sibi fuisse dicit, nisi pœnam in genere, et damnationem parvulorum. Aliud autem est, certum esse de eorum damnatione, quæ apud omnes Catholicos certissima est; et aliud de specie et qualitate pœnæ, de qua variæ sunt huc usque Catholicorum sententiæ, et de qua ipse dubitavit, etiam post exortam hæresim Pelagianorum, pluribus locis, ut *in eadem Epist.* 28. ubi sic ait: *Sed cum ad pœnas ventum est parvulorum, magnis, mihi crede, coarctor angustiis, nec quid respondeam prorsus invenio.* Et lib. 5. contra Julianum cap. 11. *Non dico,* inquit, *parvulos sine Christi baptismate morientes tanta pœna esse plectendos, ut eis non nasci potius expediret.* Et paulo post: *Quis dubitaret parvulos non baptizatos, qui solum habent originale, in damnatione omnium levissima futuros? quæ, qualis, et quanta erit, quia definire non possum, non tamen audeo dicere, quod eis, ut nulli essent, melius expediret, quam ut ibi essent. At certe potius expediret illos non esse, quam igne Inferni ardere in perpetuum, quis enim hoc malit, si sapit?* — Hanc ipsam veritatem docuerunt summi Pontifices, imprimis vero Innocentius III, ut refertur lib. 3. *Decret. de baptismo, et ejus effectu cap. majores.* Ubi docens non esse baptizandum adultum dormientem, vel amentem, qui baptismo non censerit quicumque cum originali peccato etiam actuale haberet, hanc dictæ suæ assertionis et resolutionis rationem subjicit: *Præterea,* inquit, *pœna originalis peccati est carentia visionis Dei: actualis vero pœna peccati est gehennæ perpetuæ cruciatus: unde si dimitteretur alicui primum altero non dimisso, talis non careret visione Dei propter originale dimissum, et cruciaretur in gehenna perpetuo propter reatum criminis actualis: sed hæc tamquam incompossibilia sese minime patiuntur: imo sibi mutuo adversantur.* Quibus verbis Pontifex aperte docet non aliam originali peccato correspondere pœnam, quam ipsam carentiam visionis Dei: sicut pœna sensus, et Inferni cruciatus correspondent peccato actuali; adeoque cum infantes nullius actualis peccati rei sint, etiam nec ulla sensus, aut conscientiæ pœna debent cruciari.

Reponit Conrius cap. 15. Pontificem vere quidem dicere pœnam peccati originalis esse carentiam visionis Dei; sed non dicere hanc esse solam, neque excludere pœnam cruciatus æterni: sicut quando dicit peccati mortalis actualis pœnam esse gehennæ perpetuæ cruciatum, non dicit solam, neque excludit carentiam visionis, quam habet adjunctam. — Contra, Pontifex loquitur de eo, qui simul est infectus peccato originali, et mortali actuali remanente habitualiter: dicitque in eo non posse remitti prius peccatum manente posteriori: similiter loquitur de remissione qualis reipsa fit secundum legem a Deo positam, nimirum per infusionem gratiæ justificantis, dantisque jus hæreditarium vitæ æternæ. Ex quo sequitur, quod si cuipiam habenti actuale peccatum mortale, per baptismum sibi concessum remitteretur peccatum originale, uti de facto deberet remitti, si baptismus ipsi deberet ministrari; quippe cum non alia ratione debeat ministrari baptismus, quam propter eluendum originale peccatum: sequeretur, inquam, quod ille haberet jus ad Dei visionem propter remissionem peccati originalis, et simul debitum ea carendi, æternumque gehennæ cruciatum patiendi propter peccatum actuale, quæ duo sunt incompossibilia, ut vere ait Pontifex, qui cum hæc duo inter se opponat, nempe originale mereri carentiam visionis Dei, actuale vero mortale mereri gehennæ perpetuæ cruciatum, debet intelligi primum membrum hujus divisionis exclusive: ita ut sensus sit, peccatum originale mereri solum carentiam illam, actuale vero mereri ulterius cruciatum gehennæ: alioquin illa divisio et oppositio inter hæc duo nulla prorsus esset, nihilque concluderet Pontifex, si vellet tam originale quam actuale utramque pœnam mereri. *Nec etiam refert*, quod peccato mortali actuali utraque hæc pœna debeatur, nempe carentia visionis Dei, et cruciatus ignis, ac vermis. Inde namque non sequitur infirmam esse Pontificis rationem; siquidem argumentatur ad hominem, et optime demonstrat adversus eos, qui contendebant baptismum debere ministrari dormientibus, et amentibus, qui haberent peccatum mortale actuale, ipsum eis non esse ministrandum; quia nempe suo frustraretur effectu; siquidem non posset originale dimittere absque mortali actuali: sicut autem mortale actuale commissum est per voluntariam deliberationem; ita per voluntariam pœnitentiam debet expungi: cujus pœnitentiæ cum dormientes et amentes sint incapaces, etiam et incapaces sunt suscipiendi baptismatis: alioquin, ut optime concludit Pontifex, si baptismus in eis haberet suum effectum, nempe remissionem peccati originalis, absque remissione peccati actualis, quod per contritionem saltem virtualem debet elui; sequeretur illum hominem sic baptizatum simul fieri compotem regni cælestis, propter remissum originale peccatum, et damnatum ad cruciatus inferni propter actuale, quæ cum sint incompossibilia, merito colligit Pontifex, ipsi non esse conferendum baptisma; quibus patet, quam perperam glossator, necnon et moderni quidam dixerint rationem Pontificis esse *superficialem*. — *Item docuit Eugenius IV* in litteris unionis Græcorum cum definit, *illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, descendere mox in infernum, pœnis tamen disparibus puniendas*; disparibus scilicet pro disparitate peccatorum, ita ut qui in peccato mortali actuali decedunt, puniantur divinæ visionis carentia, atque insuper pœnis

sensibilibus ignis, et aliorum suppliciorum: illi vero, qui cum solo originali mĩgrant, non patiantur pœnam aliquam sensibilem, sed solam pœnam damni, videlicet carentiam divinæ visionis. Non enim potest intelligi Pontifex de disparitate pœnarum secundum intensionem, quia sic etiam peccata actualia pœnis disparibus puniuntur.

Probat hanc veritatem Doctor in 2. dist. 32. n. 2. ubi cum dixisset: *Hæc videtur magistrorum esse sententia, quod damnati pro solo peccato originali nullam habebunt pœnam sensus exterioris, puta ignis*, hoc probat triplici ratione: prima quidem, « quia, inquit, damnati pro « solo peccato originali nullam habebunt pœnam sensus exterioris, « puta ignis, qui nullam delectationem inordinatam habuerunt, cui « delectationi correspondeat acerbitas ignis affligentis, ut propria pœna: « nullam etiam habebunt interiorem, ut tristitiam, quia si tristarentur « de statu suo, cum tristitia ex S. August. sit de iis, quæ nobis in- « vitis accidunt: ergo ipsi involuntarie sustinerent statum suum, et « vellent oppositum, et ita murmurarent contra dispositionem divinam, « et ita haberent inordinatam dispositionem voluntatis, quod videtur « absurdum. Nam sententia divina est dispositum, quod *ubicumque « ceciderit lignum, ibi erit,* in Ecclesiast. Igitur cum isti nullam inor- « dinatam volitionem habuerint in isto statu, sequitur quod nullam « tristitiam interiorem habebunt. Præterea, si tristarentur de carentia « beatitudinis et visionis divinæ, cum desperent de ea, quia non ha- « bebunt spem; igitur haberent pœnam gravissimam inter pœnas « omnium damnatorum, scilicet tristitiam ex desperatione. Videtur « etiam quod simpliciter major sit pœna tristitia homini, ut distin- « guitur contra dolorem, quam aliqua pœna alia sensus: quia sicut « voluntas est magis appetitus hominis, in quantum homo, quam ap- « petitus sensitivus: ita quidquid agit, vel patitur secundum volun- « tatem, simpliciter magis agit, et patitur in quantum homo, quam « secundum aliquem alium appetitum; et ita simpliciter magis patitur « si tristatur, quam si doleat; et ita non videtur, quod sit ponenda « in eis aliqua tristitia. » Ita Doctor, cujus verba et sententias hic exscribere placuit, ut appareat, quam perperam nonnulli ipsum aliter sensisse affirment.

Hanc eamdem veritatem probat Angelicus Doctor variis rationibus: *Prima* quidem: pœna sensus correspondet peccato secundum conversionem ad bonum commutabile; licet enim talis pœna etiam aversioni a Deo in peccato personali reperta debeatur, hoc tamen provenit ex eo quod talis aversio non est pura aversio, sed aliquid conversionis participat, quia est voluntaria per actum propriæ voluntatis, et ratione hujus participationis, debetur illi pœna sensus: sed in peccato originali non est conversio ad bonum commutabile, etiam per participationem, cum tale peccatum non sit voluntarium per actum propriæ voluntatis, sed solum per voluntatem capitis: ergo pœna sensus non est proportionata culpæ originali. — *Secunda ratio:* illa culpa quæ non reddit vituperio et increpatione dignum, a fortiori non reddit dignum pœna aliqua sensibili et positiva, cum hæc acerbior et durior sit: sed per originale peccatum nemo fit dignus reprehensione et vituperio: ergo nec pœna sensitiva et positiva, seu cruciatu ignis æterni. *Major patet: Minor probatur* ex August. lib. *De duabus animabus*

cap. 11. ubi aperte docet, *Eum qui non fecit quod non poterat, non esse reprehensione ulla dignum ;* subditque, *hoc esse cuilibet ita notum, et pervium, ut illud decantent, et in montibus Pastores, et in Theatris Poetæ, et indocti in circulis, docti in bibliothecis, et Magistri in scholis, et Antistites in sacris locis, et in orbe terrarum genus humanum.* Sed infantes ita contraxerunt peccatum originale, ut illud non potuerint non contrahere : ergo ex mente S. August. nulla increpatione et reprehensione sunt digni. Ita Gonetus ex S. Thoma. *Addo quod* peccatum originis non tollit in homine ordinem naturalem, sed supernaturalem, conversionem videlicet ad Deum per donum gratiæ, quæ est ordinis supernaturalis. Æquum est igitur ut pœna peccato originali correspondens sit tantum privatio boni supernaturalis, qualis est carentia Dei visionis ; non autem inflictio pœnæ sensibilis, qua creatura Deo vindici et ultori deservit ad puniendam illam deordinationem naturalem, quam peccator actualiter causavit in rerum natura, utens creaturis contra Dei præscriptum, et gloriam. — *Insuper* Ecclesia in injungenda pro peccatis debita satisfactione et pœna, divinæ justitiæ in puniendis delictis ordinem et modum æmulatur : sed Ecclesia nullam pœnam positivam ponit propter peccatum originale ; adeoque signum est nec divinam justitiam ullam pœnam sensibilem propter illud infligere.

Obiciunt 1. contrariæ sententiæ Assertores varios Scripturæ textus, quibus probare nituntur parvulos una cum peccantibus actualiter æterno igne et supplicio cruciandos. *Primo* quidem illud *Matthæi* 25. quo describitur universale Judicium ad quod congregandæ dicuntur omnes Gentes ; et una pars earum sistenda ad dexteram, et nobiliorem locum, altera vero ad sinistram, seu viliorem ; qui autem a dextris, evocandi sunt in regnum ; iis vero qui erunt a sinistris dicturus est judex: *Discedite a me maledicti in ignem æternum :* sed parvuli cum peccato originali migrantes, non sunt ad dexteram, nec in regnum evocandi : ergo a sinistris constituendi, et in ignem æternum cum aliis reprobis detrudendi. *Confirmatur* ex eodem S. Matthæo cap. 13. ubi præmissa parabola tritici congregati in horreum, et zizaniorum in ignem projicendorum, et sagenæ missæ in mare, bonos et malos pisces congregantis infert Christus; *Sic erit in consummatione sæculi ; exibunt Angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent illos in caminum ignis, ubi erit fletus et stridor dentium:* quæ sunt indicia gravissimæ pœnæ sensus et conscientiæ remorsus : sed parvuli sine baptismo decedentes non sunt inter justos computandi : ergo statuendi cum malis, et peccatoribus, et cum illis in caminum ignis mittendi. *Insuper* ex eodem cap. 3. Præcursor Christi Domini de ipso futuro judice loquens ait: *Cujus ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam ; et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igne inextinguibili :* sed parvuli sine baptismo decedentes non sunt grana in horreum inferenda : igitur sunt paleæ ignis inextinguibilis pabulum futuræ. — **Nego has omnes consequentias**, et ad 1. textum dico cum S. Aug. lib. *Contra Donatistas*, cap. 1. et lib. *De Fide, et operibus*, cap. 15. *et alibi*, illis Matthæi verbis maxime describi formam futuri judicii eorum, qui in Ecclesia vixerunt ; adeoque præfata verba ad parvulos cum originali decedentes non spe-

ctant, utpote qui nusquam in Ecclesia vixerint. Nec refert quod eodem capite legatur: *Congregabuntur ante eum omnes Gentes:* nam frequenter in Scriptura vox *omnis* usurpatur pro longe majori parte, qualis est multitudo adultorum respectu infantium; quo sensu S. Paulus 2. ad Corint. 5. dicit: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Parvuli autem referre non possunt propria corporis opera bona vel mala, cum nullum prorsus ediderint: adeoque vox illa *omnes*, ad eos non spectat, sed solum ad adultos. — Quod autem is genuinus sit Evangelistæ sensus, apparet ex textu: *Tum quia* Dominus ibi comparat bonos et malos ovibus et hœdis qui in eodem grege ejusdem pastoris numerantur: constat autem gregem Christi boni Pastoris non alium esse quam Ecclesiam, in qua equidem sunt boni et mali, sed omnes baptizati et fideles; arcentur vero omnes non baptizati; adeoque illi infantes qui cum originali peccato migrant e vivis: *tum quia* qui in sinistra constituti audient sententiam judicis in eos fulminantis, *Ite in ignem æternum;* audient etiam causam suæ damnationis, quia scilicet opera misericordiæ in pauperes non fecerunt, Judice dicente, *Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare, etc.* Sed parvuli de quibus agimus, judicari et damnari nequeunt propter omissa illa opera misericordiæ: subindeque ad eos non spectat illa judicis sententia, *Ite in ignem æternum. Tum denique quia* hoc ipsum aperte edocet S. Aug. locis mox laudatis: nam lib. *De fide, et operibus*, cap. 15. ait: *Propterea omnes Gentes segregaturum se dicit, quæ permixtæ eisdem pascuis utebantur, ut appareat eos ei dicturos: Domine quando vidimus te illa, et illa patientem, et non ministravimus tibi? Qui in eum crediderunt, sed bona operari non curaverunt.* Et lib. *Contra Donatist. Agebamus*, inquit, *ut causa, et persona zizaniæ non præjudicaret causæ, et personæ frumenti: quamvis in eadem simul area triturarentur, donec novissima ventilatione separarentur: ut causa, et persona hœdorum non præjudicaret causæ, et personæ ovium: quamvis communibus pascuis utraque pecora permixta serrentur, donec a Pastore summo in judicio novissimo, alii ad sinistram, alii ad dexteram segregentur: ut causa, et persona piscium malorum non præjudicaret causæ, et personæ piscium bonorum, quamvis intra eadem retia tenerentur, in extremo littore separandi, hoc est in fine maris, quod significat finem sæculi: quibus parabolis, et figuris Ecclesia prænuntiata est usque ad finem sæculi bonos, et malos simul habitura.* Igitur juxta S. Aug. sententiam illa judicii descripta formula a Matthæo non ad omnes omnino homines, sed solum ad adultos spectat. — His patet facilis solutio ad utrumque textum in confirmatione expressum; siquidem per aream, sagenam, agrum, non universum, in quo homines omnes degunt, sed sola Ecclesia, in qua agunt fideles, significetur.

Urgent Adversarii, quod si illud Matth. 25. non intelligitur tam de parvulis peccato inquinatis, quam de adultis, consequens erit, quod nullatenus ex Scriptura colligi poterit eos esse in sinistra constituendos, ut judicentur et damnentur: cum nec Concilia decernant, nec Scriptura alibi mentionem faciat segregationis judicandorum in duas partes, dexteram et sinistram. *Minor*, inquiunt, salva fide negari non

potest ; omnes enim omnino homines coram Christo judice in Judicio generali constituendi sunt ut judicentur. — **Respondeo** 1. *negando minorem :* non enim desunt Doctores Catholici qui affirment illos parvulos adfuturos judicio illi universali, non quidem ut judicentur, cum nihil boni vel mali fecerint quod in judicium veniat, sed tantum ut assistant judicio ferendo, et Christo honorem exhibeant, ut docet Abulensis quæstione 323. in præfatum Matthæi caput : vel ut affirmat S. Thomas in 4. dist. 47. q. 1. art. 3. ad 3. *Pueri ante perfectam ætatem decedentes in judicio comparituri sunt, non ut judicentur, sed ut videant gloriam Judicis.* — *Respondeo* 2. quod etsi illi pueri sint adfuturi judicio ut judicentur, inde non sequi quod ad sinistram, vel dexteram sint collocandi ; dici namque potest eos esse in medio quodam loco sistendos, sicut medius est eorum status inter bonos et malos, qui de propriis actibus sunt judicandi.

Objicunt 2. Illud Apocal. 20. ubi dicitur: *Vidi thronum magnum, et candidum, et sedentem super eum, et vidi mortuos magnos, et pusillos stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt, et apertus est liber vitæ, et qui non est inventus in illo, missus est in stagnum ignis:* sed parvulus non baptizatus, non reperitur in libro vitæ : ergo mittitur in stagnum ignis. — **Respondeo** locum illum Apocalypsis, ut solito ab Adversariis objicitur, non recta fide proferri, sed truncari ac mutilari ; nam post verba in objectione adducta, *Et alius liber apertus est, qui est vitæ :* subjungitur: *et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum, et dedit mare mortuos, qui in eo erant : et mors, et infernus dederunt mortuos suos qui in ipsis erant : et judicatum est de singulis secundum opera ipsorum :* quibus constat Joannem loqui tantum de adultis secundum opera sua bona, vel mala judicandis : de iisdemque addere postea, *et qui*, eorum, *non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Insuper capite sequenti præmisso victorum præmio, declarat Apostolus, quos dixerat missos fuisse in stagnum ignis, nempe *timidos, incredulos, homicidas, etc.* Nec obest quod ibidem ait, *magnos, et pusillos esse judicandos :* siquidem Joannes *pusillos* ibidem intelligit, non ætate aut statura, sed dignitate, et gradu ; idest, viles, et abjectos homines, quales sunt servi, rustici, et ancillæ ; nam mox ibidem subdit, pusillos istos æque, ac magnos judicandos esse secundum opera cujusque ; adeoque per pusillos, infantes non intelligit, sed solum plebejos homines. Hinc *Apoc.* 19. invitans aves ad vorandum carnes liberorum, et servorum, addit, pusillorum, et magnorum : quasi dicat plebejorum, et nobilium, sive principum.

Objic. 3. Varios S. Augustini contextus : *Primo* quidem ex Sermone 14. *De verbis Apostoli,* ubi aperte affirmat parvulos sine baptismo decedentes, ituros in ignem æternum, juxta illam Domini sententiam, *Ite maledicti, etc.*, do etque damnationem dictorum parvulorum non consistere in sola illa exclusione a regno Cælorum, sine omni dolore, ac molestia : atque adeo esse non solum veram damnationem, quod Pelagiani negabant, sed et ignis damnationem ; *Venturus est Dominus,* inquit ibidem cap. 3, *et judicaturus de vivis, et mortuis, et sicut Evangelium loquitur, duas partes facturus est, dextram, et sinistram : sinistris dicturus, ut eant in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et An-*

gelis ejus; dextris dicturus, Venite benedicti Patris, percipite regnum, etc. Hanc regnum nominat, illam cum diabolo damnationem : nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes, etc. Et cap. 4. *Tunc abibunt isti in combustionem æternam : justi autem in vitam æternam : Ecce exposuit tibi, quid sit regnum, et quid ignis æternus : ut quando confiteris parvulum non futurum in regno, fatearis iturum in ignem æternum.* Et paulo post: *Non eos terruit, quod erunt in igne sempiterno, quo sine dubio ibunt, si non corriguntur ; sed tantum terruit, quia in regno non erunt, ut cum viderent se perdere spem regni, non viderent esse consequens, nisi pœnam ignis æterni.* Insuper ex eodem S. Augustino, qui non resurgent cum corpore glorioso, patientur pœnas inferni : sed parvuli migrantes cum originali, ita non resurgent : ergo, etc. Probatur antecedens ex libro 6. *Contra Julianum,* cap. ubi ait: *In eis vero, qui non ad vitam resurgent, concupiscentia non feliciter, sed pœnaliter erit, non quia tunc quisquam ab ea mundabitur : sed quia tunc malis non in delectamenta, sed in tormenta vertetur.* Et in Epistola 146. quæ est ad Consentium, *Proinde,* inquit, *illi qui ad judicium resurrecturi sunt, non commutabuntur in illam corruptelam, quæ nec doloris corruptionem pati potest, illa namque fidelium est, atque sanctorum : isti vero perpetua corruptione cruciabuntur, quia ignis eorum non extinguetur, et vermis eorum non morietur.* — **Respondet Doctor Seraphicus, et cum eo Subtilis,** art. 1. q. 1. ad. 1. quod Augustinus in verbis illis non intendit dicere quod parvuli sensibiliter crucientur ; sed intendit eorum pœnam manifestare quantum ad carentiam visionis Dei, et quantum etiam ad vilitatem loci, et hoc valde abundanter exprimit, plus dicens, et minus volens intelligi. Nec sine causa loquitur sic ; hoc enim facit ad extirpandam illam hæresim, quæ dicebat parvulos nulla pœna puniri. Unde sicut in moribus documentum est, quod qui vult ab uno extremo pervenire ad medium, quasi debet declinare ad aliud extremum, sicut docet Philosophus ; sic etiam beatus Augustinus, ut illam hæresim extirparet, quæ dicebat parvulos ab omni pœna immunes, et ad medium reduceret, videlicet ad pœnam carentiæ visionis Dei, simpliciter asseruit eos cum aliis peccatoribus æternaliter damnari. Istum autem suum intellectum explanavit in Enchir. ubi dixit pœnam eorum esse mitissimam. Hæc S. Bonavent. — *Addit Doctor Subtilis* multum ponderandum esse contra quos hæreticos rem habuerint SS. PP. nam volentes extinguere pullulantes hæreses, declinarunt ad aliud extremum ; sicut August. contra Arium videtur declinare ad Sabellium, et e converso : similiter agens contra Pelagium videtur declinare ad Arium (puto scribendum Manichæum) et e converso. — Simili modo respondet S. Thomas in 2. d. 33. q. 2. art. 1. ad 1. et q. 5. de malo art. 2. ad 1. ubi dicit nomen tormenti, ignis, supplicii, gehennæ, cruciatus, vel quid simile in dictis S. Augustini, et aliorum SS. PP. esse interdum large accipiendum pro pœna generatim ; ita ut species ponatur pro genere, ideoque Sanctos hoc modo loquendi usos fuisse, ut detestabilem redderent errorem Pelagianorum, qui asserebant in parvulis nullum esse peccatum, nec eis pœnam aliquam deberi. Eamdem solutionem tradunt graviores quique Theologi, Aureolus, Richardus de Mediavilla, Joannes Major in eadem distinct. 33. et Tostatus in Defensorio cap. 18.

Reponunt Novatores dogmatistæ, quod asserere S. Augustinum, aliosque SS. Patres contra hæreticos disputantes interdum excessive locutos, idem sit ac dicere eos mentiri solitos, ut mendaces hæreticos ad veritatem revocarent; sicque exemplo et facto suo approbasse Priscillianistarum hæresim, quæ mendacium interdum esse licitum asserebat. Quod quantum execratus fuerit S. Augustinus, liquet ex ejus libro ad Consentium. — **Verum respondeo** dupliciter intelligi posse aliquem excessive loqui: *Primo* quidem scienter, idest, contra mentem suam asserendo aliquid, quod prorsus esset a veritate alienum: *secundo* inscienter, ac præter mentem, loquendo quidem ut sentiebant, sed æstu disputationis abrepti ad alterum extremum interdum declinantes. *Primum est* mentiri, et contra mentem ire: mentitur enim, qui contra mentem loquitur, seu verum reipsa, seu falsum dicat. *Secundum vero* est falli; fallitur enim, qui dicit esse, quod non est, aut non esse id quod est: etsi loquatur ut sentit, nec proinde mentiatur. Primo modo SS. Patres in hæreticos pugnantes non sunt locuti, utpote, qui vera semper se dicere arbitrati sunt: secundum vero modum eis contigisse affirmant citati Theologiæ Proceres, necnon et plurimi moderni cum Cardinale Sadoleto lib. 3. Epist. 5, Genebrardo epist. ad Carolum 9, Claudio de Sainete Episcopo Ebroicensi in lib. Atheismorum Calvini, etc. quorum aliqui præter S. Augustini dicta, multorum aliorum exemplis confirmant, ut S. Hieronymi, qui scribendo pro Virginitate contra Julianum, durius de secundis nuptiis locutus est; S. Chrysost. qui scribendo contra Anomœos, videtur negare Deum esse in seipso conspiciendum a Beatis; Dionysii Alexandrini, qui Sabellium confutare volens, in eius hæresim ita acriter invectus est, ut quibusdam visus fuerit divinam essentiam cum personis divisisse, Arioque materiam hæresis suæ subministrasse: quo etiam nomine apud S. Dionysium Papam accusatus fuit. Hoc ipsum de cultu sanctarum imaginum confirmat Epiphanius Diaconus in Nicena Synodo secunda actione 6. addituque generaliter consuevisse Patres nostros sanctos, qui voluntatem Dei salutiferam nobis exponunt, per exagerationem mandatorum observationem nos docere; et ad quod mandatum illis scopus vergitur, eo præparare auditores, hocque extollere et magnificare. Rem hanc apposito exemplo confirmat Theodoretus tom. 4. pag. 170. ubi dicit SS. Patres sæpe in contrariam partem declinasse cum adversus Ecclesiæ hostes pugnam conserebant. Quod ipsum agricolis quoque stirpium cultoribus usu venit: qui cum incurvam aliquam plantam viderint, non solum ad rectam normam erigunt; sed etiam ultra directum in partem alteram inflectunt, ut ex vehementiori in contrariam inclinatione ad rectum statum perducatur.

Objicies 4. Parvuli in hac vita puniuntur pœna sensus: ergo et in alia. *Antecedens* constat ipsa experientia, qua videmus parvulos in hanc lucem producentes omnibus præsentis vitæ miseriis esse obnoxios. *Consequentia* vero probatur: si parvuli post mortem a pœna sensus forent immunes, sequeretur eos esse melioris conditionis in altera, quam in præsenti vita: at *consequens* videtur absurdum. — *Confirmatur:* parvuli ultra pœnam damni in altera vita, patiuntur etiam pœnam carceris, siquidem in stagno ignis detinebuntur: rursus, erunt servi diaboli et peccati; nam inquit Christus Joan. 8. *Qui facit pec-*

catum servus est peccati, quod non solum de peccato actuali intelligendum venit, sed etiam de originali, ut docet Trident. sessione 5. in decreto de peccato originali his verbis: *Si quis non confitetur primum hominem Adam cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam prævaricationis hujusmodi iram et indignationem: atque ideo mortem, quam ante illi fuerat comminatus Deus, et cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est diaboli, etc. anathema sit:* sed ab hac servitute parvuli non liberantur in hac vita cum in statu originalis peccati decedunt: ergo neque in altera; adeoque præter damni et carceris pœnas, habebunt etiam pœnam servitutis maxime infamis; vivent nempe æternum sub diaboli dominio, et consequenter præter pœnam damni, alias pœnas exsolvent. — **Respondeo ad primum**, distinguendo *antecedens*, parvuli in hac vita puniuntur pœna sensus per se, nego: per accidens, concedo; mors enim et cæteræ humanæ naturæ corporales miseriæ non sunt pœnæ per se taxatæ pro culpa originali; sed tantum carentia originalis justitiæ, quæ immortalitatem, et impassibilitatem præstabat; subindeque, illa sublata, non mirum est si mors, et ærumnæ temporales, ac corporeæ in universum genus humanum exundent tamquam naturæ ipsius appendices. Cum autem in alia vita nihil fiat virtute naturæ, sed secundum ordinem divinæ justitiæ sive in animam, sive in corpus: non sequitur, quod si illæ ærumnæ in hac vita per accidens, et ratione infirmantis naturæ in omnes homines pervadant, etiam aliquæ pœnæ corporeæ eos in altera vita torquere debeant; siquidem in altera vita nihil fit nisi ex ordinatione divina: non constat autem Deum ordinasse pœnas illas sensibiles pro mulctando solo originali peccato. Unde ad probationem consequentiæ, *nego majorem:* quamquam enim parvuli in altera vita nullam patiantur pœnam sensus, inde non sequitur eos esse melioris conditionis quam sint in præsenti: longe enim præstat cum miseriis corporeis habere aliquam spem fruendi Deo, quam istis miseriis expertem esse cum desperatione illius divinæ fruitionis. — *Ad confirmationem* dico eatenus illos parvulos fore sub potestate diaboli, quatenus privabuntur beatitudine supernaturali, habebuntque pœnam damni; sed exinde non sequitur eos passuros esse ullam molestiam sensibilem interiorem, aut exteriorem; cum illæ pœnæ sint tantum peccati actualis appendices.

Objicies 5. Adamus peccando non solum pœnam damni, sed etiam pœnam sensus incurrit: at omnem illam pœnam, quam ipse peccando demeruit, transfundit ad posteros: ergo parvuli cum peccato originali migrantes utrique pœnæ fiunt obnoxii. — **Nego minorem**: licet enim totum peccatum Adæ transfundatur ad posteros, non tamen illis inest physice veluti propria eorum voluntate patratum, vel actuali, et personali consensu admissum, aut acceptatum: sed tantum moraliter, quatenus id quod ab Adamo, tamquam omnium capite, et omnium personam repræsentante factum est, posterorum omnium moraliter in illo existentium esse censetur. Quare peccatum illud non habet eumdem existendi modum, neque eamdem conditionem; sed longe diversam in Adamo, et posteris: ideoque non sequitur quod in istis debeat

habere eamdem pœnam, et ultra privationem gratiæ et gloriæ, habere adjunctum ignis æterni supplicium : pœna namque debet esse proportionata culpæ, juxta illud Isaiæ 27. *In mensura contra mensuram cum affecta fuerit in eam ;* defectus autem qui per originem traducitur habens rationem culpæ, cum sit tantum substractio boni supernaturalis, non autem naturalis, ideo nullam aliam pœnam promeretur, quam privationem illius finis, ad quem donum supernaturale substractum ordinabat.

Objic. 6. Christus passus est gravia tormenta propter originale peccatum : ergo huic peccato etiam correspondet pœna sensus. — **Nego consequentiam** ; Christus enim illas pœnas non solum passus est propter originale peccatum, sed etiam propter actuale, signanter Adami, et Evæ, quibus correspondebat pœna sensus. Deinde si quam peccatum originale promeruit pœnam sensus, dici potest eam potuisse remitti, et compensari per mortem, et pœnas sensibiles a Christo Domino in eum finem toleratas : possunt enim debita varie compensari, ut quando pro debito pecuniæ fit satis per obsequia ; adeoque etiamsi pœna sensus debita fuisset aliquatenus originali peccato, inde non sequitur quod parvuli modo ipsi sint obnoxii.

Objic. 7. Qui migrat e vivis cum originali peccato, graviorem subire debet pœnam, quam qui in statu naturæ puræ creatus in eodem obiret : sed hic incurreret pœnam damni ; siquidem æterna felicitate privaretur : ergo ille præter pœnam damni, aliis debet adjudicari, adeoque pœnas sensus debet luere. — **Distinguit majorem Doctor** d. 33. q. 2. n. 1: debet aliquid gravius pati quod in utroque habeat rationem pœnæ, negat ; quod habeat tantum rationem pœnæ in eo qui peccato inficitur, concedit. Quamquam enim in statu naturæ puræ moriens homo careret perpetuo Dei visione ; illa tamen carentia non ipsi inesset per modum pœnæ, quippe cum ipsi non inesset ratione peccati. Quod utique explicat Doctor hoc evidenti exemplo : si quis in animo haberet beneficium aliquod duobus hominibus impendere, et eorum alter benefactorem offenderet, ratione cujus offensæ revocaret voluntatem conferendi beneficium duobus ; hac in hypothesi uterque beneficio fraudaretur, diversa tamen ratione : qui enim non offendisset, non privaretur illa gratia propter demeritum ; sed propter beneplacitum illius qui promiserat, quique non habet amplius in animo beneficium illi conferendi : unde, inquit Doctor, isti essent inæquales in illa ratione privationis ; unus enim privaretur quia reus ; alius vero non ita. Idem dicendum in casu præsenti.

Objic. denique: Veniale peccatum longe levius est originali : sed istud pœna sensus punitur in altera vita : ergo multo magis simili pœna originale puniendum est. — **Distinguo majorem** : Veniale levius est originali quantum ad reatum culpæ, quæ correspondet aversioni a Deo et gratiæ privationi, **concedo: quantum ad reatum pœnæ quæ** correspondet voluntariæ conversioni ad creaturas per inordinatam delectationem, nego. Et negata *minore*, similiter distinguendum est *consequens :* cum enim pœna sensus correspondeat propriæ voluntati, et conversioni ac delectationi inordinatæ, non mirum si peccatum veniale in altera vita puniatur pœna sensus, originale vero sola pœna damni.

Quæres 1. *Quid sentiendum sit de statu parvulorum cum originali peccato ex hac vita migrantium, an videlicet aliquem habeant dolorem ex amissione æternæ beatitudinis?*

Reponit Seraphicus Doctor dist. 33. qu. 2. quod etsi parvuli habeant cognitionem beatitudinis deperditæ, nullo tamen actuali dolore, nullove mœrore afficientur, quod sic probat: « Decedentes enim, inquit, in solo originali, quasi medium tenent inter habentes gratiam, et culpam actualem : et quoniam status retributionis respondere debet statui vitæ præsentis, in tali statu debent animæ parvulorum poni, ut quasi medium teneant inter beatos, et æternis ignibus cruciatos. Quoniam igitur beati carent malo pœnæ sensibilis, et cum hoc habent Dei visionem, damnati e contrario sunt in tenebris, et puniuntur pœna sensibili : parvuli, secundum rectum ordinem divinæ æquitatis, debent communicare in uno cum damnatis, et in alio cum beatis ; sed non possunt communicare cum beatis in habendo divinam præsentiam ; quia tunc communicarent in nullo cum damnatis. Præsentia enim visionis Dei non stat cum pœna sensibili : ideo cum beatis communicant in hoc, quod carent omni afflictione exteriori, vel interiori; cum damnatis vero in hoc quod privantur visione Dei, et lucis corporalis. Parvuli igitur sub divino judicio justo inter beatos, et simpliciter miseros quasi in medio constituti, hoc noverunt ut tamen ex una parte consideratio generet desolationem, ex altera consolationem : ita æqua lance divino judicio eorum cognitio et affectio libratur, et in tali statu perpetuatur, ut nec tristitia dejiciat, nec lætitia reficiat ; sed in hoc mirabilis ostenditur ordo divinæ Sapientiæ quæ cuncta novit suis locis disponere, et ad sui gloriam ordinare. Nam sicut in beatis potissime manifestatur misericordia, et in damnatis potissime claret justitia, sic in istis manifestatur misericordia simul, et justitia. Et ex hoc patet quod non facit Deus frustra animas quas novit de corpore ante susceptionem baptismatis egressuras. Omnia enim facit Deus ad gloriam suam manifestandam. — Igitur divina æquitas, et immutabilitas in eodem statu quantum ad corpus, et quantum ad animam, sive quoad cognitivam, sive quoad affectivam perpetualiter eos consolidabit, ut nec proficiant, nec deficiant ; nec lætentur, nec tristentur ; sed semper sic uniformiter maneant, ut sint materia laudandi divinum judicium, quod sic est æquum et justum, ut nullum bonum remaneat irremuneratum, et nullum malum remaneat impunitum, et perfectissime teneat medium inter superfluum et diminutum ». Ita Seraphicus Doctor.

Quæres 2. *Quo in loco post universale judicium degent parvuli, quære futura sit eorum exercitatio, et occupatio?*

Respondeo verisimilius videri eos in locis quibusdam subterraneis esse recludendos; in iis namque rebus, quæ a divina voluntate omnino pendent, nihil est asserendum, nisi quod Deus ipse per Scripturas revelaverit, aut traditione sacra innotuerit, vel auctoritate constanti sancti Patres edocuerint, vel Concilia definierint : at ex nullo horum constat parvulis assignandum fore medium locum cælum inter, et infernum post ultimam supremi Judicis in reprobos animadversionem :

imo Scripturæ sacræ, nonnisi post diem extremi judicii, futuras duas hominum sedes significant; unam quidem in cælo cum beatis Angelis, alteram in interno cum dæmonibus; quæ sunt etiam duæ civitates, nempe Jerusalem, et Babylon. Idque plurimis testatur S. Augustinus; maxime vero lib. 1. *De peccatorum meritis, et remissione*, ubi ait: « Nec est ullus ulli medius locus, ut possit esse nisi cum diabolo, « qui non est cum Christo. Hinc, et ipse Dominus volens auferre de « cordibus male credentium istam nescio quamdam medietatem quam « conantur quidam parvulis non baptizatis tribuere, ut quasi merito « innocentiæ sint in vita æterna, sed quia non sunt baptizati, non « sint cum Christo in regno ejus, definitivam protulit ad hæc ora « obstruenda sententiam, ubi ait: qui non est mecum, contra me est ». Et serm. 14. *De verbis Apostoli* non longe ab initio, « Nullus, inquit, « relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes. De vivis, et « mortuis judicabitur, alii erunt ad dexteram alii ad sinistram; non « novi aliud. Si ergo dextera erit, et sinistra, et nullum medium lo- « cum in Evangelio novimus, ecce in dextera regnum cælorum est. « Percipite, inquit, regnum: quod ibi non est, in sinistra est. Quid « erit in sinistra? Ite in ignem æternum. » — Auctor Hypognostici, qui vel est August. vel alius omnium consensu antiquus, et doctus, lib. 5. ultra medium, « primum, inquit, locum fides Catholicorum « divina auctoritate regnum credidit esse cælorum, unde, ut dixi, non « baptizatus excipitur: secundum, gehennam, ubi omnis apostata, vel « a Christi fide alienus æterna supplicia experietur. Tertium, penitus « ignoramus, imo non esse in Scripturis S. inveniemus. Finge, Pela- « giane, locum ex officina perversi dogmatis tui, ubi alieni a Christi « gratia vitam requiei, et gloriæ possidere parvuli possint. » — Quamquam autem forte in locis infernalibus detrudantur, et supremam ignis inferni partem incolant, ut conjiciunt aliqui cum Angelico Doctore; inde tamen non est consequens eos ulla sensus pœna esse afficiendos, propter rationes superius expressas. Licet pariter eorum voluntas sit habitualiter a Deo aversa; nihilominus futura est ita actualiter recta, ut nusquam sint peccaturi, sicut colligere est ex sequenti articulo a tribus Pontificibus inter Baji propositiones damnato. « Ex « habituali voluntate dominante fit ut parvulus decedens sine rege- « nerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actua- « liter Deum odio habeat, Deum blasphemet, et legi Dei repugnet. » — Verisimilius quidem dixi hæc nobis videri; non enim desunt graviores Auctores, qui de istorum infantium statu benignius sentiant, puta Catharinus, Suarez, Smisinchius noster tract. 3. *De Deo uno* disp. 6. n. 399. et Lessius lib. 3. *De divinis perfectionibus* c. 22. ubi varia quidem profert, quæ si vera sint, non ita lugendus erit eorum infantium status. Putat enim illos accepturos sententiam judicis, sed benignam, et tum in corpore, tum in anima bonis naturalibus cumulandos; adeoque habituros præclaram notitiam nedum totius Universi, sed etiam rerum spiritualium, necnon et ipsius Dei cujus erunt perpetui laudatores, et amatores: unde concludit credibile esse eorum statum longe feliciorem fore, quam sit alicujus mortalis hominis in hac vita. Verum hæc omnia valde incerta sunt; idcirco minus certo credenda.

ARTICULUS TERTIUS.

DE PECCATO PERSONALI.

Personale peccatum appello, non quod personam inficit, reamque constituit; hac namque ratione etiam peccatum, quod origine traducitur, personale foret appellandum : sed *personale* peccatum dico, quod ab homine rationis compote voluntarie ac librato consilio fit. Ne autem quædam fiat vocis hallucinatio, observandum est in limine ex ipso Aristotele Phys. 1. tex. 83. peccatum triplex posse distingui; videlicet naturæ, artis, et moris. *Primum* dicitur, illa naturalium agentium a præscripto et usitato operandi producendique more deviatio; qua ratione monstrorum generationes, monstraque ipsa, naturæ peccata ac vitia appellat ipsemet Aristoteles. *Artis peccatum* dicitur arte-factum illud quod præter usitatas artis regulas formatur; inde quisque in suam artem dicitur peccare, dum quantitatem, qualitatem, et præscriptum agendi modum in opere moliendo non servat. Denique *morum peccata* appellantur, actiones illæ humanæ, quæ, et æternæ Dei legi, et humanæ rationis dictamini adversantur. Hæc autem postrema peccati acceptio futura est præsentis Articuli materia; quæ ut distinctiori ordine distribuatur et explicetur, præsentem Articulum in duas Sectiones dividemus, quarum *prima* aperiet generatim peccati personalis naturam, species etc., *secunda* vero de singulis capitalibus peccatis aliquid disseret.

SECTIO PRIMA.

DE PECCATO PERSONALI GENERATIM SPECTATO.

Quamquam hæc vocabula *malum*, *peccatum*, et *culpa* pro uno eodemque a SS. Patribus, et Theologis plerumque usurpentur; differunt nihilhominus invicem secundum ampliorem vel strictiorem significationem; malum namque latius patet quam peccatum; peccatum vero plura quam culpa designat. *Malum* enim significat quemlibet defectum in subjecto quovis repertum : *peccatum* vero solum operationis defectum denotat : *culpa* autem præter rationem peccati, sive actus humani pravi ac mali, etiam exigit ut cum cognitione et libertate fiat. Unde *malum* non solum in humanis actibus, sed etiam in artis et naturæ affectibus reperitur; *peccatum* autem exorbitantes tam artis quam humanæ voluntatis fœtus designat : *culpa* vero solos ab æterna lege rectoque rationis dictamine deviantes actus significat. Hinc omnis culpa peccatum, et omne peccatum malum est; non autem e converso omne malum peccatum est, nec omne peccatum culpa. Hic autem solum fit sermo de peccato quatenus idem quod culpa designat.

QUÆSTIO PRIMA.

IN QUO MAXIME CONSISTAT RATIO FORMALIS PECCATI.

Notandum 1. Peccatum moraliter spectatum varios, sed maxime septem respectus habere, nempe *primo* ad *subjectum in quo est*, naturam scilicet rationalem a qua mali rationem obtinet; siquidem in-

quit S. Augustinus in *Enchir.* cap. 24. *Peccatum creaturæ rationalis naturæ maxime adversatur, primumque et maximum ipsius malum est:* nam, ut ait lib. 3. *De lib. arbitrio,* cap. 13., *Omne vitium eo ipso quo vitium est, contra naturam est:* siquidem ipsi, quatenus rationalis est, formaliter adversatur, est enim contra dictamen rectæ rationis, quæ est propria hominis forma ipsum perficiens, integrans, et complens. *Secundo,* peccatum habet respectum ad *finem a quo deviat,* siquidem declinat a rectitudine quam ipsa rationalis natura spectare debet in suis eliciendis actibus, ut nempe recti, et honesti sint, quales naturam rationalem operantem decent. *Tertio,* dicit respectum ad *principium a quo libere producitur,* nempe ad voluntatem ; quod enim liberum non est, moralem vel bonitatem vel malitiam habere nequit : ratione cujus peccatum dicitur *culpa,* quia nempe operanti imputatur, eo quod ab ejus libera operatione pendeat : culpari enim, vel laudari nihil aliud est quam actus malitiam vel bonitatem alicui imputari ; imputantur autem ea quæ ex libera voluntate pendent. *Quarto,* respicit *legem quam transgreditur:* est enim peccatum, inquit S. Augustinus lib. 22. *Contra Faustum,* cap. 17, *factum vel dictum, vel concupitum contra legem æternam :* lex autem æterna, ait ibidem, *est ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.* Ratione cujus peccatum dicitur *transgressio, injustitia, iniquitas, prævaricatio, inobedientia,* quæ immediate respicit legem, mediate vero legislatorem. *Quinto,* respicit *Deum quem offendit ;* quatenus nempe est virtualis contemptus ipsius, postponens illum creaturis, in quibus peccans virtualiter et interpretative constituit sibi ultimum finem, dum pro illarum amore Deum ultimum finem deserit, et sese ad eas convertit : nam, inquit S. Augustinus *De Civit.* cap. 26. *Christo terrena ac temporalia præposuisse convincitur qui salutaria præcepta contemnens, committit illicita,* ratione cujus peccatum dicitur *offensa, et injuria Dei, impietas, odium, contemptus,* necnon et *Dei inimicitia. Sexto,* peccatum respicit *pœnam quam incurrit,* ratione cujus dicitur *reatus,* qui formaliter est destinatio ad pœnam a supremo judice homini exorbitanti, et peccanti præscriptam. *Septimo* denique, dicit respectum ad *præmium quo privat,* ratione cujus dicitur *demeritum ;* non solum enim nobis pœnam promeretur, et conciliat, sed etiam demeretur, et avertit præmium quod Deus concessurus erat ejus præcepta servantibus.

Notandum 2. ex Seraphico Doctore in 2. d. 35. *in explicatione dubii sexti,* quod cum « peccatum varie considerari possit : vel *for-* « *maliter* quatenus est privatio, vel *materialiter* prout connotat actum « humanum, et physicum, qui est deviatio a præscripta rectitudine, « etiam varias sortitur definitiones. *Formaliter* enim acceptum, et qua- « tenus dicit privationem, usurpatur tripliciter : *Vel* enim dicit reces- « sum a bono, *vel* recessum a rectitudine naturæ, *vel* ab omnis boni « complemento et perfectione. Primo modo acceptum triplicem defi- « nitionem sortitur a S. Augustino : *Primam* quidem lib. *De Civit. Dei,* « ubi ait : *Peccatum est absentia boni ubi debet esse : Secundam* lib. *De* « *Vera religione : Peccatum non est appetitio naturarum malarum, sed* « *desertio meliorum : Tertiam* lib. *De Natura boni,* cap. 34: *Peccatum* « *est corruptio modi, speciei, et ordinis.* Secundo modo, scilicet prout

« peccatum dicit recessum a rectitudine naturæ, tres etiam proferun-
« tur illius definitiones : *Prima* a S. Damasceno lib. 2. *De Fide,*
« cap. 30. ubi ait: *Peccatum est ab eo quod est secundum naturam,*
« *in id quod est præter naturam aversio : Secunda* ex S. Anselmo
« lib. *De Conceptu virginali,* cap. 6: *Peccatum est carentia debitæ ju-*
« *stitiæ : Tertia* ab August.: *Peccatum est defectus quidam a duce ve-*
« *ritatis, naturam non perimens, sed obscurans.* Tertio vero modo
« quatenus dicit recessum ab omnis boni complemento et perfectione,
« etiam ejusdem refertur triplex definitio, quæ differunt in solo modo
« dicendi, quarum prima sumitur ab August. lib. *De Lib. arbitr.* cap. 19.
« *Malum est aversio a bono incommutabili :* altera ab eodem in lib. *De*
« *Vera religione: Peccatum est carere bonis incommutabilibus quibus*
« *fruendum est :* tertia sumitur ab eodem August. *Enchir.* cap. 23.
« *Peccatum est tenebra intelligibilis,* quatenus videlicet privat visione
« lucis æternæ. — Similiter peccatum materialiter consideratum, et
« quatenus importat actum deviantem, varias etiam definitiones obti-
« net, secundum triplicem considerationem quam habet *aut* ad Deum
« quem offendit, *aut* ad virtutem quam excludit, *aut* ad bonum quod
« prætendit. In comparatione quidem ad Deum quem offendit, dicitur
« primo ab August. lib. *De Fide contra Manichæos,* cap. 8. *Peccatum*
« *est errare in præceptis veritatis, vel in ipsa veritate.* Secundo ab Am-
« brosio in lib. *De Paradiso,* cap. 8. *Peccatum prævaricatio est legis*
« *divinæ, et cœlestium inobedientia præceptorum.* Tertio ab eodem Au-
« gust. lib. 22. *contra Faustum* cap. 27. *Peccatum est dictum, vel fa-*
« *ctum, vel concupitum contra legem Dei.* Si vero comparetur ad vir-
« tutem quam excludit, etiam tripliciter definitur. Primo quidem a
« S. Basilio: *Peccatum est dispositio animæ contrarie se habens ad vir-*
« *tutem.* Secundo a S. Augustino in lib. *De Duabus animabus: Pec-*
« *catum est voluntas recipiendi, vel assequendi quod justitia vetat :* ibi
« enim accipitur justitia generaliter quatenus omnem virtutem com-
« plectitur. Tertio ab eodem August. in lib. *De Vera religione : Pec-*
« *catum est appetere quæ Christus contempsit, vel contemnere quæ*
« *Christus appetiit;* siquidem Christus Dominus fuit omnis virtutis
« speculum et exemplar. Denique si peccatum consideretur per com-
« parationem ad bonum quod prætendit, triplex etiam proferri potest
« ejus definitio. Prima quidem ab August. in lib. *De Natura boni,* c. 30.
« *Peccatum est male uti bono :* secunda vero ab eodem lib. 9. *De Trinit.,*
« c. 8. » *Peccatum est uti fruendis, et frui utendis :* tertia denique est
« ejusdem August. in lib. *De Libero arbitrio: Peccatum est, spreto in-*
« *commutabili bono, rebus commutabilibus adhærere* ». Has autem octo-
decim definitiones, quas colligit, et profert Seraphicus Doctor, potius peccati descriptiones, quam ejusdem genuinæ definitiones esse constat.

Notandum 3. Quod cum peccatum generatim dividatur in peccatum Omissionis, et Commissionis, conveniunt omnes Theologi peccatum Omissionis formaliter consistere in aliqua privatione, idest, in libera omissione actus debiti; peccare enim contra præceptum colendi Deum, honorandi parentes, faciendi eleemosynam, audiendi sacrum die festo, est omittere scienter, et libere tales actus eo tempore quo debiti sunt ex præcepto naturali vel positivo : quæ omissio privativa est tam ex parte actus qui non deberet poni, quam ex parte volun-

tatis quæ non agit cum deberet agere. An autem detur pura, et libera omissio voluntatis absque actu positivo, infra determinabitur. Quantum autem ad peccatum Commissionis, qui est actus prohibitus per legem aliquam, sive naturalem, sive positivam, varia est et multiplex Auctorum sententia, in quo constituenda sit ipsius ratio formalis. Plura namque in ipso actu veniunt distinguenda: *Primo* quidem, prohibitio istius actus per legem aliquam. *Secundo*, difformitas tam ad legem qua prohibetur, quam ad rectam rationem contra cujus dictamen peccaminosus ille actus elicitur. *Tertio*, privatio rectitudinis, et negatio virtutis; neque enim actus ille rectus est, aut virtuosus, alioqui peccaminosus non esset dicendus. *Quarto*, libertas sine qua actus non esset moralis, nec consequenter ullatenus culpandus. *Quinto*, meritum pœnæ æternæ tam damni quam sensus. *Sexto*, privatio gratiæ sanctificantis, et omnium supernaturalium charismatum. *Septimo* denique, habitus virtuosi diminutio; cum enim peccatum quodlibet in aliquam virtutem pugnet, eumque habitus per actus contrarios minuantur, et tandem intereant, consequens est quod si qui peccat, virtutem actui peccaminoso oppositam habuerit, illa per ipsum actum peccaminosum minuatur. — Cum, inquam, varia possit esse peccati consideratio; inde multiplex, sed maxime triplex, et capitalis est de ejus ratione formali, et essentiali Auctorum sententia. Quidam enim volunt peccati rationem formalem in aliquo positivo esse constituendam; idque *vel* in ipso actu qui prohibetur; *vel* in ipsa formalitate actus ob quam prohibetur; *vel* ex eo quod actus ille libere tendat in objectum quod proponitur ut prohibitum elicienti talem actum. Censent aliqui cum Ferrariensi *tertio contra Gentes*, cap. 9. rationem formalem peccati simul consistere in actu positivo, et negatione gratiæ sanctificantis aut rectitudinis debitæ. Communior vero tum Veterum, tum Recentiorum Theologorum sententia est, eam formalem peccati rationem esse reponendam in sola negatione, aut privatione, *vel* perfectionis debitæ subjecto cui illa carentia nociva est, ut docet Seraphicus Doctor in 2. d. 35. art. 1, vel in privatione boni supernaturalis, puta gratiæ sanctificantis, ut affirmat Doctor Angelicus 1. 2. qu. 86. art. 1. et 2, *vel* in privatione habituum acquisitorum, nempe virtutum, ut conjiciunt aliqui: *vel* ut rectius sentire videtur Subtilis Doctor in 2. d. 35. num. 6. et 7. in privatione rectitudinis et conformitatis ad legem divinam vel humanam, quæ talem actum præcipit aut prohibet. Cujus sententiæ veritas ut appareat, sit

Conclusio prima. — RATIO FORMALIS PECCATI CONSTITUENDA EST IN CARENTIA CONFORMITATIS QUAM ACTUS PECCAMINOSUS HABERE DEBERET, NEC HABET, AD LEGEM DIVINAM, VEL HUMANAM, CONTRA CUJUS PRÆSCRIPTUM ELICITUR, VEL OMITTITUR. Hæc est genuina Subtilis Doctoris sententia, *loco citato:* ubi cum impugnasset alias opiniones, concludit: *Concedo igitur juxta solutionem quæstionis præmissam, quod peccatum est formaliter corruptio rectitudinis in actu secundo, non quidem quæ inest, sed quæ deberet inesse.*

Quod utique sic probat: *Voluntas libera*, inquit, *debitrix est, ut omnem actum suum eliciat conformiter regulæ superiori, scilicet secundum divinum præceptum, et ideo quando agit discorditer ab illa*

regula, caret justitia actuali debita. Hæc est justitia quæ deberet inesse actui, et non est; et hæc carentia, in quantum est actus voluntatis deficientis, est formaliter peccatum actuale.

Probatur 2. Peccatum consistit formaliter in aliqua privatione: sed non consistit in alia, quam in assignata: ergo, etc. Probat *majorem* Doctor ibidem num. 7. *Primo* quidem auctoritate S. Augustini lib. *De duabus animabus*, ubi ait: *Peccatum est voluntas consequendi, vel retinendi, quod justitia vetat, et a quo liberum est abstinere.* « Seu. in-« quit Doctor, peccatum est velle vetitum, ita quod ipsa voluntas est « ibi materialis, et pro tanto totum imputatur voluntati, quia totum « est in potestate ejus; vetitum autem vel prohibitum est ibi formale, « quod significat discordiam a regula superiori ». *Confirmat* ex S. Amb. lib. *De Paradiso*, cap. 8. *Quid est peccatum nisi prævaricatio legis divinæ, et cœlestium transgressio mandatorum, etc.* Cui consonat, quod dixit S. August. lib. 12. *De Civitate*, c. 8. *In eo*, inquit, *fit mala voluntas, quod si nollet, non fieret mala, et ideo non necessarios, sed voluntarios defectus justa consequitur pœna. Deficit enim non ad mala, sed male, idest non ad malas naturas, sed ideo quia contra ordinem naturarum ab eo quod summe est, ad illud quod minus est, etc.* Quasi diceret, inquit Doctor, iste actus positivus volendi creaturam non est formaliter peccatum, sed carentia debiti ordinis in actu illo, quo illa deberet amari propter summum bonum, a quo deficit voluntas, quiescens in bono creato, et iste defectus est formaliter peccatum. Ita Doctor.

Deinde, si peccatum esset quid positivum, esset revera ens creatum, haberet aliquam causam effectivam: sed nec est ens creatum, nec ullam causam effectivam sui agnoscit: ergo etc. *Major* patet; omne enim ens positivum est vel Creator, vel creatura: peccatum, ut constat, non potest dici quid divinum: ideoque deberet esse quid creatum. Probatur autem *minor* auctoritate S. Augustini, qui pluribi docet peccatum non esse ens, sed nihil; similiter non esse effectum, sed defectionem, nec habere causam efficientem, sed deficientem. Sic tractatu primo in Joan. exponens illa verba *Sine ipso factum est nihil*, ait: *Peccatum non per ipsum factum est, quia peccatum nihil est, et nihil fiunt homines cum peccant.* Hinc lib. 12. *De Civitate*, cap. 5. *Nemo ergo*, inquit, *efficientem causam malæ voluntatis quærat: nec enim est efficiens, sed deficiens; quia nec illa effectio est, sed defectio: deficere enim ab eo quod summe est ad illud, quod minus est, hoc est incipere habere malam voluntatem.* Subdit: *Causas porro defectionum istarum, cum efficientes non sint, ut dixi, sed deficientes, velle invenire tales, idem est, ac si quisquam vellet videre tenebras, vel audire silentium; quod tamen utrumque nobis notum est, neque illud nisi per oculos, neque hoc nisi per aures non sane in specie, sed in speciei privatione.* Inde concludit: *Nemo ergo ex me scire quærat, quod me nescire scio, nisi forte ut nescire discat, quod sciri non posse sciendum est: ea quippe quæ non in specie, sed in ejus privatione sciuntur, si dici aut intelligi potest, quodammodo nesciendo sciuntur; aut sciendo nesciuntur. Cum enim acies etiam oculi corporalis currit per species corporales, nusquam tenebras videt, nisi ubi cœperit non videre.* Quibus nihil evidentius dici potuit ad confirmandam nostram assertionem.

Denique, omnes pene SS. Patres constanter edocent peccatum nihil aliud esse, quam privationem: maxime S. Dionys. lib. *De Divinis Nominibus*, cap. 4. ubi loquens de peccato dæmonum ait: *neque enim hoc*, scilicet malum, *est appetitus, sed veri appetitus declinatio, atque ut summatim dicam, malum (quemadmodum sæpe diximus) infirmitas, imbecillitas, privatio est, aut scientiæ, aut fidei, aut appetitus, aut actionis bonæ.* Subscribit S. Gregorius Nyssenus Oratione Catechetica cap. 5. 6. et 7. ubi ait: *Vitium omne, et improbitas in boni privatione suam habet formam, et characterem, cum per se non sit, neque consideretur in eo, quod consistat: nullum enim malum per se situm est extra liberam arbitrii electionem: sed ita denominatur ex eo, quod non sit bonum.* Consentit S. Basilius in Constitutionibus Monasticis cap. 3. ubi ait: *Vitium nihil est aliud, quam virtutis desertio:* et Homilia 6. *Malum*, inquit, *boni privatio est.* Annuit Nazianzenus Orat. 3. ubi *Malum, boni privationem* appellat, sicut tenebræ sunt lucis absentia. Unde Elias Cretensis in Comment. ejusdem orat. ait: *Vitium virtutis est privatio, ut caligo lucis recessus.* Tandem S. Anselm. lib. *De Præscientia, et prædestinatione*, cap. 1. cum probasset peccatum nihil aliud esse, quam injustitiam, cujus Deus auctor esse nequit: tandem malitiam illam, et injustitiam sic definit: *Hujus vero rectitudinis, de qua loquor, absentia, quæ est injustitia, non est nisi a voluntate rationalis creaturæ, quæ semper debet habere justitiam.* Probat *minorem* Doctor *ibidem:* Si peccatum formaliter consisteret in aliqua privatione præter assignatas, maxime vel in privatione alicujus perfectionis subjecti, in quo est, vel in privatione gratiæ sanctificantis, vel denique in privatione habituum acquisitorum: sed neutrum legitime potest affirmari. *Non quidem in privatione perfectionis subjecti*, quia vel omnimodam illius subjecti perfectionem naturalem tolleret, vel solum aliquam. Non primum: si enim peccatum omnimodam perfectionem subjecti, in quo est, auferret, sequeretur, quod esset simul, et non esset in subjecto: esset quidem, quia supponitur illa privatio subjecto inexistere: non esset autem, quia omnimodam subjecti naturalem perfectionem, adeoque totam entitatem, et sic totum subjectum destrueret. Secundum etiam dici nequit: tum quia si tolleret aliquam partem naturalis perfectionis subjecti, maxime voluntatis, vel animæ, quod utique non potest affirmari, cum utraque sit incorruptibilis, necnon et indivisibilis, ac sine partibus: tum quia si per quodlibet peccatum aliqua pars subjecti destrueretur, contingeret tamdem aliquando ex repetitis peccatis, quod totum subjectum periret: cum enim subjectum illud sit finitum, cumque per iteratam ablationem et subtractionem alicujus boni finiti tamdem bonum istud totum exhauriatur et consumatur; consequens est, quod subjectum illud aliquando periret.

Repones forsan, quod inde non sequeretur totum subjectum aliquando destruendum, quia per illam subtractionem tantum auferrentur partes inæquales, adeoque fieret processus in infinitum. — **Contra**, inquit Doctor, possent peccata frequentata esse ejusdem intensionis; ergo tollerent partes æquales. Secundo, quia natura intellectualis Angeli et animæ sunt creabiles: ergo non possunt destrui physice per causas secundas. Tertio, quia peccatum immediate opponitur actui bono, et eum tollit; ergo non debet tollere subjectum suum, aut istius

actus; quandoquidem subjectum ejus non habeat necessariam connexionem cum actu bono. Quarto, quia peccata non distinguerentur specie, quia distinguuntur specie per hoc, quod excludant bona diversæ speciei: sed si solum essent privationes subjecti, v. g. voluntatis, aut substantiæ intellectualis, non excluderent bona diversæ speciei, sed ejusdem.

Neque etiam ratio formalis peccati consistit in privatione gratiæ sanctificantis. Primo quia, inquit Doctor, inde sequeretur, quod secundum peccatum nullatenus esset mortale, nec peccati rationem haberet: siquidem nullam efficeret gratiæ privationem in subjecto: quippe cum per præcedens peccatum jam gratia a subjecto abesset. *Secundo,* quia gratia creatur: ergo non potest tolli physice per actum peccaminosum, et consequenter actus peccaminosus non dicit physice privationem gratiæ. *Tertio,* quia gratia non habet necessariam connexionem cum actu bono, cui opponitur actus malus; ergo actus malus non debet necessario tollere gratiam. *Quarto* denique, sequeretur, quod peccata non distinguerentur specie, quandoquidem gratia in omnibus sit ejusdem speciei.

Tertium denique etiam non potest affirmari, nempe quod peccatum sit formaliter constituendum *in privatione habituum acquisitorum:* tum quia privatio istorum habituum potest esse tam in justo, quam in peccatore: siquidem dum perversus aliquis, et inveteratus peccator convertitur et justificatur, revera justus efficitur; nec tamen habet habitum acquisitum temperantiæ v. g. si antea fuerit ebriosus; nec castitatis si fornicator prius extiterit; ergo ratio formalis peccati in ipsa habituum acquisitorum privatione non est constituenda. Deinde, illi habitus virtutis acquisitæ non habent necessariam connexionem cum actu bono: ergo non necessario tolluntur per actum malum, et peccaminosum, imo plerumque remanet habitus etiam post actum peccaminosum ipsis oppositum. Sicut enim per repetitionem actuum successive comparatur, ita et per contrariorum frequentationem, non autem per unicum actum oppositum, debent destrui. Tum denique quia etsi habitus illi essent incompossibiles, non minus actus censeretur esse peccaminosus, et pœna dignus, si eliceretur contra præscriptum divinæ vel humanæ legis. Ergo in neutra ex tribus præfatis privationibus consistit ratio formalis peccati; adeoque consequens est, ut in sola privatione conformitatis ad legem ea sit constituenda.

Confirmat Doctor hanc ipsam veritatem ibidem num. 3. his verbis: « agens inferior tenetur in agendo conformare se agenti superiori; qui si in potestate ejus sit se conformare illi, non conformari « illi est peccatum: ideo loquendo de peccato, sive contra legem divinam, sive contra legem humanam, aliquid dicitur peccatum, quia « peccans potuit concordari legi superioris agentis, et discordari: iste « igitur actus, qui est in potestate discordantis, et per hoc voluntarius, non est formaliter peccatum: quia si ille esset concors regulæ « superiori, non esset peccatum: ergo in illo actu præcisa ratio pec« cati est privatio illius concordiæ. » — Addit num. 7. alteram rationem, qua confirmando allatas a se pro assertione suæ sententiæ SS. Patrum auctoritates, ait: « omne peccatum est injustitia formaliter, et tale peccatum talis injustitia, et per consequens privatio talis

« justitiæ; ergo peccatum actuale est formaliter injustitia actualis; » ergo et privatio justitiæ actualis, scilicet justitiæ, quæ deberet inesse in actu. Quibus aperte patet quantum a vero exorbitent nonnulli Subtilis Doctoris interpretes et sequaces, qui asserentes peccatum formaliter consistere in aliquo positivo, nituntur eum in suas partes deducere.

Confirmantur hæ omnes præfatæ rationes: Peccatum est formaliter transgressio legis: ergo ratio formalis peccati in ipsa transgressione, seu difformitate ad legem est constituenda: sed hæc difformitas nihil aliud est, quam non conformitas, seu carentia conformitatis ad legem, quæ actum prohibet vel præcipit: ergo in ea carentia ratio formalis peccati est constituenda. *Major* patet ex Apostolo ad Rom. 4. *Ubi non est lex, nec prævaricatio:* adeoque essentiale est omni peccato esse contra aliquam legem, maxime vero contra legem Dei æternam, a qua leges omnes pendent, juxta illud Prov. 8. *Per me Reges regnant, et legum Conditores justa decernunt.* Quam utique rationem probat S. Amb. lib. *De Paradiso*, cap. 8. dicens: *Non consisteret peccatum, si interdictio non fuisset: quid enim est peccatum, nisi divinæ legis prævaricatio, et cœlestium inobedientia præceptorum?* Eam similiter confirmat S. Aug. nam expendens hæc verba Psal. 118. *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ;* ita ratiocinatur: *Si prævaricantes sunt omnes peccatores terræ, nullum est utique sine prævaricatione peccatum: nulla autem prævaricatio sine lege: nullum est igitur nisi in lege peccatum. Qui ergo dicit; Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ, nullos esse omnino, nisi qui legem transgressi sunt, vult intelligi peccatores.* Hinc lib. 2. *De consensu Evangelistarum* c. 1. peccatum definit *transgressionem legis.* Et clarissime lib. 2. *De peccatorum meritis, et remiss.* cap. 16. ubi ait: *Neque peccatum erit, si quid erit, si non divinitus jubeatur, ut non sit.* Unde lib. 22. contra Faustum, cap. 27. peccatum definit *dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei.*

Hæc ipsa veritas etiam ratione suadetur: peccatum enim quodcumque est malum morale: sed quodlibet malum morale inportat essentialiter difformitatem et disconvenientiam ad rectam rationem et legem æternam: duplex enim in genere est humanæ voluntatis regula: una quidem propinqua et homogenea, scilicet *humana ratio*, seu dictamen rationis, et ipsum naturale lumen nostris mentibus signatum, juxta illud Psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Unde S. Amb. lib. 5. *De Paradiso* cap. 11. ait: *Quod illa lex non inscribitur, sed innascitur; nec aliqua lectione percipitur, sed profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur.* Alia vero humanæ voluntatis regula est ipsa *lex æterna*, quæ est veluti Dei ratio, qua cuncta pro libito administrat: cum enim lex nihil sit aliud, quam dictamen praticæ rationis existens in Principe, qui communitatem aliquam regit, et moderatur, consequens est, quod cum Deus universam mundi machinam sua providentia dirigat et administret, ipsa ratio gubernationis rerum in ipso velut in totius universi Principe legis rationem obtineat: cumque Deus nihil in tempore de novo concipiat, sed omnem conceptum habeat ab æterno, necessum est omnem suam rationem, et legem æternam esse, cui creaturarum actus conformari

debent, ut recti fiant, et boni; adeoque illorum pravitas, et malitia constituenda est in illa carentia conformitatis ad illam legem.

✳ " Subtili Doctori magna ex parte concinit Angelicus Doctor 1. p. quæst. 48. a. 5. ubi docet malum consistere in substractione debitæ operationis quod in rebus voluntariis habet rationem culpæ. *Hoc enim*, inquit, *imputatur alicui in culpam, cum deficit a perfecta actione.* Et ibi ad. 1. *Non omnis defectus boni est malum, sed defectus boni, quod natum est, debet haberi.* In. 1. 2. q. 71. a. 6. in corp. *Habet actus humanus, quod sit malus ex eo quod caret debita commensuratione.* Et omnino distincte infra: *Augustinus in definitione peccati posuit duo; unum quod pertinet ad substantiam actus humani, quod est quasi materiale in peccato, cum dixit dictum, vel factum, vel concupitum; aliud autem quod pertinet ad rationem mali, quod est quasi formale in peccato, cum dixit contra legem æternam.* In 2. 2. q. 118. a. 5. in corp. sic: *Omne peccatum ex hoc ipso quod est malum consistit in quadam conceptione sive privatione alicujus boni.* Quod explicat ibi in fine corporis: *Quia conceptio, vel privatio boni formaliter se habet in peccato, conversio autem ad bonum commutabile materialiter, magis est judicanda gravitas peccati ex parte boni quod corrumpitur, quam ex parte boni cui subjicitur appetitus.* — Similia habet in 2. dist. 35. quæst. 1. a. 1. *Malum*, inquit, *per se loquendo privatio quædam est alicujus boni.* Et infra: si privetur aliqua forma vel perfectio, alicujus rei naturalis, *dicitur esse malum naturæ: si autem privetur perfectio operationis, dicitur esse peccatum.* — Ex his omnibus apparet S. Thomam cum Scoto concordare in eo quod uterque statuat rationem formalem peccati personalis consistere in quadam privatione. Dissentit vero S. Thomas a Subtili Doctore in eo quod ille doceat privationem istam nihil aliud esse quam carentiam nitoris ac pulchritudinis quam habet anima ex unione ipsius cum gratia: *Nam*, inquit 1. 2. q. 86. a. 1: *habet anima hominis duplicem nitorem: unum quidem ex refulgentia luminis naturalis rationis per quam dirigitur in suis actibus: alium vero ex refulgentia divini luminis, scilicet sapientiæ et gratiæ, per quam etiam homo perficitur ad bene et decenter agendum.* Adjicit in respon. ad. 3: *Dicendum quod macula non est aliquid positive in anima, nec significat privationem solam, sed significat privationem quamdam nitoris animæ in ordine ad suam causam, quæ est peccatum, et ideo diversa peccata diversas maculas inducunt.* — At 1. 2. q. 71. a. 6. dixit peccatum consistere in debita commensuratione ad legem. *Habet*, inquit, *actus humanus quod fit malus ex eo quod caret debita commensuratione: omnis autem commensuratio cujuscumque rei attenditur per comparationem ad aliquam regulam, a qua si divertat, incommensurata erit. Regula autem voluntatis humanæ est duplex: una propinqua et homogenea, scilicet ipsa humana ratio: alia vero prima regula, scilicet lex æterna, quæ est quasi ratio Dei. Et ideo Augustinus in definitione peccati posuit duo: unum quod pertinet ad substantiam actus humani, quod est quasi materiale in peccato, cum dixit: dictum, vel factum, vel concupitum; aliud pertinet ad rationem mali, quod est quasi formale in peccato, cum dixit: contra legem æternam.* " ✳

Objiciunt 1. Adversarii contra primam assertionem nostræ Con-

clusionis, nempe *quod peccatum formaliter consistat in privatione rectitudinis:* Privatio constituens formaliter peccatum in esse culpæ debet esse culpabilis: ergo debet esse privatio alicujus possibilis, et debiti moraliter quod tenetur quis ponere, et non ponit: atqui odio virtutis, et similibus peccatis commissionis intrinsece malis, nec debita est, nec possibilis rectitudo moralis: ergo ratio formalis peccati non consistit in privatione rectitudinis illis debitæ. *Major* patet; neque enim ille culpabilis est, qui rectum non facit actum illum, quem rectum facere non debet, nec potest. *Minor* autem probatur, quia tales actus sunt incapaces rectitudinis; cum per nullam potentiam fieri possit, ut recte fiant, et non sint turpes, ac dissentanei rectæ rationi, adeoque culpabiles, et pœna digni si libere fiant: neque ullæ circumstantiæ adhiberi possunt, quibus boni reddantur. Quod autem dicimus de actibus simpliciter et intrinsece malis, est æque verum de peccatis commissionis prout fiunt in his aut illis circumstantiis; stantibus enim iisdem omnibus circumstantiis, impossibile est ut unquam fiant boni. — **Respondent Theologi**, qui stant a nostris partibus, quod licet actus malus non sit capax rectitudinis secundum rationem suam specificam, vel individualem, tamen secundum genus, et prout est actus humanus, est capax rectitudinis, quæ illi debetur moraliter, quia tenetur homo recte operari, ideoque carentia rectitudinis in tali actu est privatio secundum genus, ut loquuntur Philosophi, sicut in talpa privatio est carere visu, cujus est capax, non ut est tale animal, sed ut animal est: non quod secundum rationem generalem animalis debeat videre: ratio enim illa communis abstrahit a vidente et a non vidente: sicut ratio generica actus humani abstrahit a bono vel malo, ab ordine speciali conformitatis vel difformitatis; sed quia talpæ in quantum animal est non repugnat videre, licet illi repugnet, ut talpa est. Similiter actui peccaminoso non repugnat esse bonum, et rectum quatenus est actus humanus: licet illi repugnet in quantum est talis actus specifice; a qua ratione specifica actus agens rationale tenebatur abstinere, si sit peccatum commissionis; quia nempe divina, vel humana lege prohibebatur; vel cum actum elicere, si sit peccatum omissionis, quia actus iste pari lege præceptus erat.

Urgent Adversarii: Privatio est carentia formæ debitæ in subjecto apto ad formam: sed actui humano generice considerato nulla debetur bonitas. Probatur: si actui humano secundum genus considerato deberetur aliqua rectitudo et bonitas, maxime vel omnes bonitates specificæ et numericæ, vel una tantum determinate, vel confuse aliqua bonitas hæc, aut illa: sed neutrum eorum potest affirmari. *Non quidem primum:* alioquin in quovis peccato commissionis essent innumeræ malitiæ: in eo namque sunt innumeræ carentiæ bonitatum innumerabilium, et omnes actus mali essent extensive saltem æqualiter mali malitia formali: quia privati omni rectitudine, seu carentes omni bonitate. Adde quod non alia reperiri debeat privatio rectitudinis in actu, quam operans inducere debeat in suum actum: sed operans non debebat inducere omnem rectitudinem: ergo actus ille non habet privationem omnis rectitudinis excogitabilis. *Non etiam secundum:* quia non est ratio cur hæc bonitas potius debeatur, quam alia actui generice considerato; neque operans quando peccat, semper tenetur potius

hoc modo, quam illo bene operari, imo nequidem simpliciter bene operari; posset enim absque peccato otiari, vel actum indifferentem elicere. *Tertium quoque dici nequit:* nempe quod sit privatio alicuius bonitatis confuse et indeterminate; nam alioqui, vel nullum peccatum commissionis esset in aliqua specie determinata, vel omnes essent ejusdem speciei ob privationem omnino similem in omnibus peccatis. *His adde,* quod nihil dici possit privatum secundum genus ea forma, quæ tantum debetur uni speciei illius generis: alias brutum diceretur privatum rationalitate: siquidem secundum rationem genericam esset illius rationalitatis capax, quippe quæ convenit alicui speciei animalis, nempe homini. Hoc autem nemo Philosophorum dixit: ergo nec ullus Theologorum asserere debet actum humanum secundum genus posse dici privatum rectitudine, quæ uni ex speciebus actuum humanorum quadrat. Cum autem dicitur talpam esse privatam visu secundum genus, sensus illius propositionis est, talpam generice, et imperfecte similem esse aliis animalibus videndi capacibus, quæ dum carent visu, dicuntur cæca, et visu privata: non autem sensus est, ipsammet talpam esse vere ac proprie privatam visu, cujus naturaliter est incapax: ergo nec actus humanus secundum genus dici potest privatus rectitudine, quæ ipsi specifice vel individualiter considerato est impossibilis. — **Nego minorem,** et ad ejus probationem, dico actum humanum generice consideratum dici privatum rectitudine, non quidem omni possibili, neque etiam hac, aut illa confuse, et indeterminate: sed rectitudine, quam sortiri debuerat respective ad legem talem actum præcipientem vel prohibentem. Cum autem lex divina vel humana actum humanum prohibens aut præcipiens intendat rectitudinem specialem inferendam actui eliciendo, vel omittendo, quatenus nempe elicientis voluntas isti legi conformis erit et subservit; inde fit quod cum actus ille a perduelli voluntate elicitur contra legis præscriptum, careat illa rectitudine, quam habuisset, si revera conformiter ad legis edictum voluntas actum posuisset, vel suspendisset. Idque maxime constat, ut supra inquiebat Subtilis Doctor, ex eo quod omnis creata voluntas teneatur seipsam voluntati superioris in omnibus actibus conformare. Unde quilibet istius voluntatis actus, ratione illius dependentiæ, et ordinationis ad regulam, debet etiam legi conformari; quapropter revera secundum rationem genericam actus humani debet habere rectitudinem, et conformitatem ad legem omnem actum humanum præcepto, vel prohibitione dirigentem; aut saltem non debet habere oppositionem ad istam regulam, ex hypothesi quod ille actus sit indifferens. Consequens est ergo, quod cum actus elicitur vel omittitur contra vel præter legis edictum, careat illa rectitudine et conformitate, quæ ipsi inesse debuerat, quatenus est actus humanus generice spectatus. — *Nec valet allatum exemplum de bruto:* idcirco namque non dicitur proprie privatum rationalitate, quia nempe nulla ratione, vel generica vel specifica ipsi debebatur: secus est autem de actibus humanis, qui secundum se, et quatenus actus humani sunt, debent esse generice conformes, aut saltem non difformes regulæ actuum humanorum; proindeque legi generice spectatæ; et idcirco actus specifice considerati debent etiam esse conformes legi eos actus determinate prohibenti, vel præcipienti.

Instant: Actum humanum generice spectatum debere elici conformiter ad legem et voluntatem superioris etiam generice spectatam, nihil aliud est, quam voluntatem creatam debere sese conformare legi, vel divinæ vel humanæ; adeoque carentiam illam rectitudinis et conformationis, non in actum elicitum, sed in facultatem elicientem esse refundendam: ergo si actus ille dicatur tantum privari rectitudine sibi debita secundum genus, illa privatio non in ipsum actum, sed in ipsum operantem erit reponenda, subindeque non erit privatio rectitudinis, quæ debebat inesse actui. — **Distinguo antecedens**: nihil aliud est, quam ipsam voluntatem debere sese conformare voluntati, et legi superiori, quatenus est facultas operans primo, nego: quatenus operans in actu secundo, concedo: voluntas equidem quatenus in actu primo consideratur, habet tantum rationem facultatis: ut vero operans in actu secundo, non tam rationem facultatis, quam actus obtinet, siquidem ut sic tota sese in actum effundit: lex autem prohibens, vel præcipiens non dirigitur ad voluntatem spectatam in actu primo, sed in actu secundo; siquidem non voluntatem ipsam, sed ipsius actum prohibet, vel præcipit; adeoque rectitudo illa per conformitatem ad legem inducenda non in ipsam voluntatem, ut facultas est, sed in ipsum actum est refundenda.

Objiciunt 2. Varios Scripturæ contextus, quibus peccatum per resistentiam, transgressionem, prævaricationem, et fornicationem explicatur: sed hæc omnia sunt quid positivum: ergo revera peccatum est etiam quid positivum. Pater *major* ex illo Job. c. 9. *Quis restitit ei, et pacem habuit?* Ecclesiastici cap. 31. peccatum explicatur per positivam transgressionem his verbis: *Erit illi gloria æterna qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit:* et passim apud Prophetas idem peccatum explicatur per prævaricationem, et fornicationem, quæ sunt actus voluntatis sese a Deo libere avertentis. Similiter S. Augustinus supra a nobis semel, et iterum laudatus, peccatum definiens, ait illud esse *dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei:* sed dicere, facere, et concupiscere, est aliquid positivum: ergo peccatum formaliter est quid positivum. — **Distinguo minorem**: hi omnes actus sunt quid positivum quatenus considerantur materialiter, et entitative, et sub ratione actus humani voluntarii, et liberi, concedo; quatenus considerantur sub ratione formali peccati, nego. Ut sic enim nihil aliud formaliter important, quam ipsam disconvenientiam cum lege divina, cujus dicuntur transgressiones, et prævaricationes: hæc autem disconvenientia nihil aliud est, quam privatio rectitudinis, et conformitatis, quam actus ille debebat habere ad legem. Simili modo respondet Subtilis Doctor dist. 37. quæst. 1. n. 11. ad illud sancti Augustini: dictum, factum, concupitum sunt quid positivum materialiter, et quatenus actus humani sunt, concedit; formaliter, et ut sunt actus peccaminosi, negat. *Dictum*, inquit, *factum, concupitum accipiuntur tamquam materiale: sed dictum, et factum, ut materiale remotum; sed concupitum dicit materiale proximum; contra legem Dei, dicit formale peccatum.*

Objiciunt 3. Illud est de ratione formali peccati, per quod formaliter peccatum distinguitur: sed peccata distinguuntur per variam conversionem ad creaturas: ergo illæ conversiones sunt de ratione

formali ipsorum: at illæ conversiones sunt actus positivi: ergo, etc. *Confirmatur* ex S. Augustino, lib. 12. *Confess.*, cap. 11. ubi Deum alloquens ait: *hoc solum a te non est, quod non est, motusque voluntatis a te, qui es, ad id quod minus est, quia talis motus delictum atque peccatum est:* ergo censet August. peccatum esse quid positivum, nempe motum voluntatis. — **Distinguo minorem:** Peccata distinguuntur per diversam conversionem materialiter consideratam, et quatenus est motus voluntatis humanæ, nego: formaliter consideratam, et quatenus nempe motus ille caret rectitudine, et conformitate ad legem præcipientem, vel prohibentem, concedo; ut sic autem non est quid positivum. Simili ratione solvenda est S. August. auctoritas, vel absolute negari potest *major:* quamvis enim relationes distinguantur penes distinctionem terminorum, tamen termini non sunt de ratione formali relationum: ergo a simili quamvis peccata distinguerentur juxta distinctionem conversionum, inde non sequitur, quod illæ conversiones sint de essentia, et ratione formali peccatorum.

Objicies 4. Eatenus peccatum est privatio, quatenus est corruptio boni debiti subjecto: sed non apparet cujus boni peccatum possit esse corruptio: ergo talis esse nequit; proindeque nec privatio. — **Negat minorem Doctor** *ibidem:* est enim corruptio rectitudinis, quæ debebat inesse actui, et non inest: unde, inquit, sequitur quidem, quod illa rectitudo non corrumpitur corruptione, quæ est mutatio ab esse ad non esse: sed corrumpitur formaliter per hoc, quod ejus privatio inest, et non ipsa; sicut peccatum originale corrumpit justitiam originalem qua privat, non tamen prius inexistentem, et ita illam formaliter corrumpit.

Objiciunt 5. Contra secundam partem conclusionis, nempe *quod illa carentia rectitudinis sit privatio conformitatis ad legem:* Aliquis actus humanus potest esse peccaminosus quamvis non esset prohibitus: ergo ratio formalis peccati non consistit in illa carentia conformitatis ad legem prohibentem. Patet *antecedens:* odium Dei, et blasphemia v. g. sive prohibeatur, sive non, semper habet rationem mali, et peccati: ergo illius malitia non pendet necessario a disconvenientia cum lege prohibente. — **Distinguo antecedens:** actus humanus potest esse malus, et peccaminosus formaliter, et complete quamvis non sit prohibitus, nego: materialiter, et initiative, concedo. Actus itaque humanus potest considerari dupliciter: vel quatenus opponitur alicui perfectioni divinæ, puta odium divinæ bonitati, mendacium summæ veritati etc. et ut sic habent quamdam initiativam malitiam, quatenus nempe repugnant alicui ex divinis perfectionibus entis supreme et infinite boni; hæc enim contrarietas et repugnantia, est ratio, et fundamentum cur Deus per legem æternam, et naturalem hujusmodi actus prohibeat: sicut enim naturaliter determinatur ad amorem sui, suarumque perfectionum, sic etiam determinatur ad odio habendum, et prohibendum id omne, quod suis perfectionibus opponitur et adversatur; unde ab hac difformitate cum illa prohibitione, vel illo divino præcepto, actus humanus habet, quod sit complete et formaliter malus.

Corollarium. — De definitione peccati personalis. — Ex his colligenda est definitio peccati personalis, quæ ut legitima sit, sic efformandam esse censeo: *Peccatum personale est actio, vel omissio voluntaria, transiens, vel subsistens moraliter, Dei offensiva, utpote contra divinam legem.* Cujus quidem definitionis veritas constabit ex singularum ejus partium declaratione.

Primo itaque dicitur *actio, vel omissio;* nam inquit S. Augustinus lib. *De perfectione justitiæ*, cap. 5. *Omne peccatum fit, vel faciendo quod est prohibitum, vel omittendo quod præceptum est.* Hinc subdit, omnia divina præcepta ad hæc duo esse referenda: *diliges* etc. e *non concupisces: Quidquid enim*, inquit, *Dei lege prohibemur, et quidquid jubemur facere, ad hoc prohibemur, et jubemur, ut duo ista compleamus. Et fortasse generalis prohibitio est* non concupisces, *et generalis jussio* diliges. *Unde breviter, et Apostolus Paulus quodam loco*, nempe ad Rom. 12. *utrumque complexus est: prohibitio enim est:* nolite conformari huic sæculo: *jussio autem:* sed renovamini in novitate mentis vestræ. *Illud pertinet ad non concupiscere, hoc ad diligere; illud ad continentiam, hoc ad justitiam; illud ad declinandum a malo, hoc ad faciendum bonum: non concupiscenda enim vetustate expoliantur, et novitate induimur diligendo.*

Secundo additur *voluntaria;* nam inquit S. August. lib. 3. *De libero arbitrio*, cap. 19. *Illud proprie peccatum, quod libera voluntate, et a sciente committitur.* Loquitur autem generaliter de peccato proprie dicto; addit enim ibidem, quod ex talis peccati supplicio necessario consequitur. vocari interdum etiam peccatum, sed improprie. Hinc lib. *De vera religione*, cap. 14. diserte pronuntiat: ✻ " Nunc vero « usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit pec- « catum, si non sit voluntarium; et hoc quidem manifestum est, ut « nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. « Quare autem negandum est peccatum committi, aut fatendum est « voluntate committi; non autem recte negat peccasse animam, qui « et pœnitendo eam corrigi fatetur, et veniam pœnitenti dari, et per- « severantem in peccatis justa lege Dei damnari. Postremo si non vo- « luntate male facimus, nemo objurgandus est omnino aut monendus « quibus sublatis christiana lex et disciplina omnis religionis aufe- « ratur necesse est. Voluntate ergo peccatur. At quoniam peccati non « dubium est per hoc quidem dubitandum video, habere animas li- « berum voluntatis arbitrium. Tales enim servos suos meliores esse « Deus judicavit, si ei servirent liberaliter, quod nullo modo fieri posset « si non voluntate, sed necessitate servirent. » Quæ verba expendens lib. 1. *Retract.* cap. 13. « Usque adeo, inquit, peccatum voluntarium « malum est, ut nullo modo sit peccatum si non sit voluntarium. Po- « test videri falsa hæc definitio, sed si diligenter discutiatur, inve- « nietur esse rectissima; peccatum quippe illud cogitandum est, quod « tantummodo peccatum est, non quod est etiam pœna peccati, sicut « superius ostendi, cum quædam commemorarer ex libro tertio *De li- « bero arbitrio*, quamvis et illa quæ non immerito non voluntaria pec- « cata dicuntur, quia vel a nescientibus, vel a coactis perpetrantur « non omnino possunt sine voluntate committi; quoniam et ille qui « peccat ignorans, voluntate utique facit, quod cum faciendum non

« sit, putat esse faciendum. Et ille qui concupiscente adversus spiri-
« tum carne, non ea quæ vult facit, concupiscit quidem nolens, et in eo
« non facit quod vult; sed si vincitur, concupiscentiæ consentit volens,
« et in eo non facit, nisi quod vult, liber scilicet justitiæ, servusque
« peccati. Et illud quod in parvulis dicitur originale peccatum, cum
« adhuc non utantur arbitrio voluntatis, non absurde vocatur etiam
« voluntarium, quia ex prima hominis mala voluntate contractum,
« factum est quodammodo hæreditarium. Non itaque falsum est quod
« dixi: usque adeo peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo
« sit peccatum, si non sit voluntarium. » " * Hinc merito in Bullis Pii V. Gregor. XIII. Urbani VIII. damnatur hæc Baji propositio n. 46: *Ad rationem, et definitionem peccati non pertinet voluntarium: nec definitionis quæstio est, sed causæ et originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium: unde peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla relatione et respectu ad voluntatem a qua originem habuit.* Quapropter jure merito sacra Parisiensis Facultas Theologica in censura lata die 27. Junii anni 1560. notavit hæresis hanc propositionem similem præcedenti: *Homo necessario peccat, etiam damnabiliter in aliqua specie peccati, et actus ad quem necessario fertur est illi peccatum: quare ut libere feratur in actum, non est conditio necessaria ad peccandum.*

Additur tertio *transiens*, vel *subsistens*, quibus comprehenditur peccatum tam actuale, quam habituale; actuale namque est operatio, vel omissio transiens: habituale vero eadem actio, vel omissio moraliter perseverans, ut infra constabit.

Quarto subditur, *Dei offensiva:* omne namque peccatum est offensa Dei, non quod effective ipsi noccat: nam, inquit Job. cap. 35. *Si peccaveris, quid ei nocebis? et si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum?* sed quia ipsi nocet in affectu peccantis: omnis enim qui mortaliter peccat, ex affectu saltem interpretativo, Deo si posset malum vellet irrogare, illumque honore debito spoliare; imo quantum in se est, ipsi summam injuriam irrogat: nam qui sciens, et volens transgreditur legem ab aliquo præscriptam, vere ipsum Legislatorem offendit; quia ejus voluntati contradicit, eique debitam subjectionem et obedientiam denegat. Nec id solum, sed etiam ipsum offendit ut *justum judicem*, intentatas ab eo pœnas, et ingeminata supplicia parvi faciendo: ut *testem*, ipsius præsentiam nec reverendo, nec attendendo: ut supremum et *summum Dominum*, denegando ei servitutem debitam: ut *amicum*, et *benefactorem*, exhibendo se ipsi adversarium et ingratum: ut *primam causam*, primumque principium, abutendo illius concursu ad ipsius legem infringendam: denique ut *summum bonum*, et ultimum finem; quia per quodlibet peccatum mortale peccator voluntarie sese avertit a Deo tamquam fine ultimo, seque ad creaturas convertit. — An autem hæc ratio Dei offensæ ita sit intrinseca peccato, ut ipsi essentialiter conveniat, aut solum per accidens, rem censeo esse levioris momenti, quæ nos diutius detineat: affirmandum nihilominus verius arbitror, revera hanc rationem offensæ, et injuriæ divinæ, ita esse peccato intrinsecam, ut non foret peccatum, si non esset Dei offensivum; quia cum Deus efficacissimæ detestetur peccata, congruentius ea vetuit, non solum tamquam Legislator, seu titulo dominii jurisdictionis, sed etiam tam-

quam supremus Dominus, seu titulo dominii proprietatis, quo peccatores magis a peccato avertantur: ideo namque dominium proprietatis, et jurisdictionis inseparabiliter se habent, et unum in altero fundatur; idcirco enim jus habet imperandi, ut sua voluntas impleatur, et ideo vult suam voluntatem impleri, ut suum jus inviolabiliter servetur: hinc quidquid est contra jus Dei, etiam in ejus voluntatem militat, et vice versa; sicut enim habet jus ut sua voluntas fiat, sic habet voluntatem ut suum jus servetur.

Denique dicitur *contra divinam legem;* peccatum enim omne est divinæ legis transgressio, ut supra diximus: *Non enim,* inquit S. Amb. lib. 1. *De Paradiso,* cap. 8, *consisteret peccatum, si interdictio non fuisset; quid enim est peccatum, nisi divinæ legis prævaricatio, et cælestium inobedientiæ præceptorum?*

QUÆSTIO SECUNDA.

QUOTUPLEX, ET QUALIS SIT PECCATORUM DIVISIO.

Etiamsi peccatum formaliter spectatum pura sit, nudaque privatio, proindeque nec speciem habeat, nec formam aliquam, ratione cujus distingui possit, et unum ab alio per se secerni; varias tamen peccati species assignant Theologi, juxta variam sui considerationem. *Primo* namque peccatum ratione *principii* a quo velut a vitiato fonte dimanat, distribuitur in *originale* et *personale.* Originale est quod aliena voluntate commissum naturali propagatione et generatione contrahitur: personale vero quod propria peccantis voluntate et actione committitur, nec ab alio derivatur aut traducitur. *Secundo,* ratione *operationis,* dividitur in *actuale* et *habituale.* Primum est actus ille humanus libere, ac prævia cognitione elicitus, vel omissus, contra regulas morum, legisque præscriptum. Secundum vero est ipsa præterita legis transgressio moraliter manens per modum habitus, seu cujusdam maculæ in anima relictæ ex actuali peccato, et in ea remanentis, donec per gratiam sanctificantem eluatur. *Tertio,* ratione *reatus,* et *maculæ,* distribuitur in *mortale* et *veniale.* Mortale est deliberata transgressio legis divinæ graviter obligantis, ratione cujus solvitur amicitia hominis cum Deo, et ab homine removetur gratia et charitas, quarum præsentia vivebat anima; quarumve jactura et absentia spiritualem mortem incurrit. *Veniale* est transgressio præcepti levis, vel non perfecte deliberata et libera, quæ nec cum Deo amicitiam solvit, nec gratiam aut charitatem ab anima removet; sed ejus dumtaxat fervorem imminuit; nec ab ultimo fine removet, sed solum ab ejus consecutione remoratur. Veniale autem dicitur, vel quia levis est offensa comparatione peccati mortalis; vel maxime quia est venia dignum. — *Quarto,* ratione *transgressionis* præscriptæ legis, dividitur in peccatum *commissionis* et *omissionis.* Illud consistit in actu elicito contra præscriptum legis et regulas morum; istud autem est carentia, seu privatio alicujus actus debiti, et lege præcepti. Primum adversatur præcepto negativo quo aliqua realis actio fieri prohibetur; sic v. g. furtum pugnat cum hoc præcepto, *Non furtum facies.* Secundum vero adversatur præcepto affirmativo, quo videlicet fieri præcipitur aliqua realis actio præcepta, puta omissio annuæ confessionis, et sacræ

communionis in Paschate. Unde contra legem præcipientem peccatur omissione actus injuncti; contra prohibentem peccatur commissione actus vetiti. Nam, inquit S. Augustinus, lib. *De perfectione Justitiæ*, cap. 3, *Duobus modis constat esse peccatum, si aut fiant illa quæ prohibentur, aut illa non fiant quæ jubentur.* Hujus autem divisionis in commissionem, et omissionem meminit inter alios S. Augustinus q. 20. in Levit. exponens illud Levitici 7. *Sicut pro peccato offertur hostia, ita et pro delicto.* Ubi censet per *peccatum*, commissionem; per *delictum*, omissionem intelligi. *Ut quemadmodum*, inquit, *in laudabili vita aliud est declinare a malo, et aliud facere bonum quod admonemur, dicente Scriptura: Declina a malo, et fac bonum: ita in damnabili, aliud sit declinare a bono, aliud facere malum: et illud delictum, hoc peccatum sit. Nam quid aliud sonat delictum, nisi derelictum?* — *Quinto*, ratione *affectus* et *objecti*, in *carnale* et *spirituale:* quam divisionem indicat Apostolus 2. ad Corinth. 7. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, et spiritus.* Carnalia peccata dicuntur ea quæ fiunt circa objecta sensibilia, et adjunctam habent delectationem carnis, et sensuum; sic gula, et luxuria dicuntur peccata carnalia, quia in ciborum et actuum venereorum delectatione consummantur. *Spiritualia* vero ea sunt quæ circa objecta spiritualia versantur, et annexam habent delectationem spiritualem: sic superbia, invidia, et similia, quæ in sola apprehensione alicujus rei ultra modum, et præscriptum concupitæ, vel ad votum habitæ consummantur. Hinc S. Gregorius lib. 31. *Moral.* cap. 31. docet ex septem peccatis capitalibus, duo esse potissimum carnalia, scilicet *gulam* et *luxuriam;* alia autem quinque spiritualia. Carnalia plus habent de conversione ad creaturam, quam de aversione Dei; spiritualia vero e contra plus de aversione quam de conversione: unde ista quoad culpam sunt graviora, illa quoad adhæsionem majora; sive, ut ait S. Gregorius, *peccata carnalia minoris sunt culpæ, et majoris infamiæ:* quia peccata carnalia minus habent adjunctum rationis et discursum et lumen, minoremque deliberationem et libertatem, eo quod sint circa delectationes tactus et gustus, quæ nobis et brutis communes sunt. Hinc per peccata carnalia homo brutis assimilatur; per spiritualia vero diabolo fit similis. — *Sexta peccati divisio* fit ratione *offensæ* in ea peccata quæ in *Deum, proximum* et *seipsum* committuntur: peccatum enim est actus inordinatus solvens ordinem a divina Providentia stabilitum: triplex autem in homine ordo potissimum distinguitur; unus quidem per comparationem ad Deum, cui in omnibus obtemperare debet, ejusque divinæ legi tamquam supremæ suarum actionum regulæ famulari: alius secundum comparationem ad regulam rationis, quatenus videlicet omnes actiones, et motus tam animi quam corporis secundum rationis dictamen debent elici. Denique cum homo sit animal politicum, et societatis capax, tertium habet ordinem ad homines quibuscum vivere, et conversari debet. Hinc dum homo a primo ordine deviat, et debitum Deo amorem ac famulatum detrahit, dicitur in Deum peccare, ut sacrilegus, hæreticus, blasphemus, etc.; dum exorbitat a secundo ordine, nec rationis dictamen sequitur, in seipsum peccare dicitur, ut avarus, gulosus, luxuriosus, etc.; dum vero a tertio ordine deficit, offenditque societatem humanam quam naturaliter ser-

vare debet, tunc in proximum dicitur peccare, ut fures, homicidæ, adulteri. — *Septima divisio* fit ratione *facultatum* a quibus peccata procedunt, in peccata *oris, cordis* et *operis*. Quæ divisio dupliciter spectari potest; scilicet vel ratione facultatis elicientis actum, vel ratione gradus ejusdem peccati. Primo modo *peccatum cordis* dicitur, quod ex natura sua consummatur in corde; ut hæresis, desperatio, odium. *Peccatum oris*, quod in ore consummatur, ut detractio, perjurium, blasphemia. *Peccatum* denique *operis*, quod consummatur in opere, ut furtum, homicidium, etc. Secundo, ut distinguantur tres gradus ejusdem peccati, quod in opere consummatur, v. g. in primo est consensus in corde, deinde verba incentiva in ore, denique opus inhonestum: quæ sunt partes integrantes unum actum moraliter completum; quia alioquin tantum est inchoatus et incompletus; vel ut ait S. Gregorius, lib. 4. *Moral.*, cap. 27, alio modo illi peccatorum gradus distinguuntur; peccatum enim, inquit, suggestione concipitur, delectatione lactatur, consummatur consensu: suggestio fit per adversarium, delectatio per carnem, consensus per spiritum. — *Octava divisio*, ratione *modi* quo peccatur, fit in peccatum *ex ignorantia, ex passione*, seu *infirmitate*, et *ex malitia*. Peccatum ex ignorantia dicitur, quod procedit ab ignorantia culpabili et vincibili, adeoque relinquente sufficiens voluntarium ad peccati rationem; nam invincibilis ignorantia, cum rationem voluntarii omnimode auferat, etiam excusat a peccato, sive sit facti, sive juris naturalis; siquidem, ait S. Augustinus, lib. *De libero arbitrio*, cap. 19. *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras*. Peccatum ex infirmitate seu passione dicitur illud quod procedit ex gravi aliqua tentatione, et motione appetitus sensitivi trahentis voluntatem ad consensum, adeoque minuente libertatem voluntarii; ut cum quis peccat ex agitatione iræ, gravis tristitiæ, aut motibus concupiscentiæ. Peccatum ex malitia dicitur, quod sine ejusmodi ignorantia aut passione, adeoque ex perfecta libertate perpetratur. Hinc peccatum ex malitia gravius, ex passione minus, ex ignorantia vero minimum locum obtinet. Vel, ut ait S. Gregorius, lib. 15. *Moral.*, cap. 16, *Gravius quidem infirmitate quam ignorantia, sed multo gravius studio quam infirmitate peccatur*. — Quamvis autem omne peccatum generaliter sit contra Deum trinum et unum, tamen appropriate peccata quædam dicuntur in Patrem, alia in Filium, alia in Spiritum sanctum: nam, inquit S. Bonaventura in Centiloquio 1. p. sect. 25. *In Patrem, cui attribuitur potentia, peccare dicitur, quando quis peccat ex infirmitate: in Filium, cui attribuitur Sapientia, qui peccat ex ignorantia: in Spiritum sanctum, cui attribuitur Bonitas, qui peccat ex industria, sive ex certa malitia.* — *Tandem* ratione *subjecti* peccatum dividitur in *proprium* et *alienum;* proprium dicitur quod ab ipso peccante committitur; alienum vero quod licet ab alio perpetretur, nobis tamen imputatur ratione consilii, præcepti, suasionis, adulationis, protectionis, vel propter defectum fraternæ correctionis. His ita præmissis, tria maxime occurrunt hac in Quæstione resolvenda: *Primum*, quid sit peccatum habituale. *Secundum*, quid peccatum commissionis, et omissionis. *Tertium*, quid peccatum veniale, et qualiter a mortali distinctum. Quæ ut facilius resolvantur, et appareant,

placet hanc Quæstionem sub diversis Paragraphis, totidem titulis, et conclusionibus distributam proponere.

§ I. — In quo sita sit ratio formalis peccati habitualis.

Notandum est ex præterito peccato actuali quamdam in anima peccatoris remanere maculam, ratione cujus peccator dicitur inquinatus, immundus, Deo invisus, et odiosus, ut pluribus sacra Scriptura significat. Sic Eccli. 31. *Beatus vir qui inventus est sine macula.* Hierem. 2. *Maculata es in iniquitate tua coram me.* Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris;* et alibi sæpe. Similiter Scriptura frequenter asserit peccato actuali transacto, hominem adhuc denominari peccatorem, et manere in statu peccati, donec illi remittatur, ut Roman. 5. *Cum adhuc peccatores essemus,* et alibi sæpissime. Et Trid. sess. 6. cap. 7. docet, in justificatione hominem ex injusto fieri justum, et ex inimico amicum. Illud autem a quo, transacto peccato actuali, denominatur homo peccator, recte dicitur *macula peccati,* ad similitudinem scilicet maculæ in rebus corporalibus repertæ : sicut enim corpus aliquod maculari dicitur, quando ex contactu, et commixtione alterius non solum nativum primum splendorem, seu nitorem deperdit, sed etiam quadam fœditate conspurcatur, et inquinatur; ita anima maculam spiritualem contrahit, dum inordinato voluntatis affectu, qui est veluti quidam animæ tactus, creaturæ adhærens, deperdit nitorem et splendorem quem ex gratiæ sanctificantis præsentia obtinebat. *Anima enim,* ait S. Augustinus, *media inter Deum, et creaturas, conversione ad Deum illuminatur, melioratur, et perficitur : conversione vero ad creaturas, obtenebratur, deterioratur, et corrumpitur.* Hæc autem macula tamdiu in homine remanet, quamdiu non fuerit remissum peccatum, nec restitutus pristinus animæ splendor per infusionem gratiæ sanctificantis. Unde hæc macula se habet per modum habitus, idemque apud Theologos quod peccatum habituale significat; cum tamen hoc discrimine, quod peccatum habituale clarius designet hominem Deo offensum, et ingratum; macula vero ipsummet inquinatum, et immundum coram Deo melius exprimat. In quo autem reponenda sit hujus maculæ, vel peccati habitualis ratio, non conveniunt invicem Auctores ; quid autem verius in tam ancipiti, et varia Auctorum sententia visum fuerit, patebit infra.

Conclusio prima. — Ratio formalis peccati habitualis non consistit in privatione nitoris gratiæ sanctificantis, nec in solo reatu pœnæ, sive destinatione hominis peccantis ad pœnam: sed est ipsum actuale peccatum præteritum moraliter perseverans in voluntate peccatoris, ratione cujus gratia privatur, et ad pœnam ordinatur, donec peccatum eluatur, et condonetur. Hæc Conclusio tribus partibus constat : quarum

Primam probat Doctor in 4. d. 14. q. 1. n. 3. ubi primo subtiliter præmonet, quod scilicet est duplex justitia, « habitualis, inquit, scilicet « gratia, et charitas; et actualis, scilicet rectitudo nata inesse actui elici « cito, quia actus natus est elici conformiter suæ regulæ, et in ista « conformitate consistit rectitudo ejus : ita cum opposita æque multi-

« pliciter dicantur, erit duplex injustitia, habitualis, scilicet privatio « gratiæ in eo cui debet inesse, et actualis, scilicet privatio istius « rectitudinis in actu cui deberet inesse. Post autem actum intrinse- « cum, et extrinsecum transeuntem, manet quædam injustitia habi- « tualis. » His præmissis, probat rationem illius habitualis peccati non in sola gratiæ privatione esse reponendam : alioquin, inquit, « qui « commisisset duo peccata mortalia, et qui unum, essent æque pec- « catores intensive, et extensive : quia in eis est tota gratia quantum « ad intensionem, et solà ipsa quantum ad extensionem privatur, tam « in eo qui commisit unum, quam in eo qui duo millia : et ideo unus « non dicitur minus peccator post actum transeuntem quam alius ». Probat *antecedens :* « Quia in quolibet peccato mortali ita fit privatio « gratiæ quod nihil ejus remaneat, et per consequens per nullum suc- « cedens peccatum potest ista privatio fieri intensior, neque extensior, « loquendo de privatione ita habituali ; quia non privat nisi unum « habitum ; sicut non est natus, nisi unicus inesse. » Ita Doctor : quibus aperte demonstrat peccatum habituale non in sola privatione gratiæ consistere ; sequeretur enim inde quod qui plura admitteret peccata, post primum peccatum, nihil iniquitatis, et malitiæ contraheret ; siquidem novam non incurreret gratiæ privationem ; gratia namque per primum peccatum omnino supponitur extincta ; adeoque nulla ejus induci potest privatio per subsequentia peccata. — *Secundo,* peccatum veniale etiam post se quamdam maculam relinquit ; adeoque habere potest etiam rationem peccati habitualis ; et tamen gratia non privat, nec ex toto, nec ex parte ; adeoque peccati habitualis ratio non consistit in ipsa gratiæ privatione. *Minor* patet, quia peccatum veniale neque formaliter, neque effective, neque meritorie gratiæ opponitur, ut suppono ex dicendis, et ex communi Theologorum sententia ; subindeque gratiæ privationem non inducit. *Major* etiam constat : peccatum enim veniale manet habitualiter donec remittatur ; subjicitur enim sacramento Pœnitentiæ per confessionem, et aliis remediis a Christo Domino institutis ; deque illo verum est id quod dicitur primæ Joan. 3. *Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato :* et illud Ephesiorum 5. *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam neque rugam :* et per consequens peccatum habituale saltem generaliter sumptum, prout complectitur tam mortale quam veniale, non est formaliter privatio gratiæ. — *Tertio,* potest esse perseverans privatio gratiæ absque ullo prorsus peccato : ergo in ea non est reponenda ratio formalis peccati perseverantis. Patet *antecedens;* tum quia in statu naturæ puræ fuisset peccatum, et peccati macula ; nec tamen in eo statu esset aliqua gratiæ privatio, quippe status ille nullatenus ad ens supernaturale ordinatur ; tum quia absolute loquendo posset esse peccatum mortale, et non destrui gratia, ut suppono ex dicendis in Tractatu de Pœnitentia, quia admisso mortali peccato Deus non necessitatur absolute ad tollendam gratiam ab eo, qui peccat : neque gratia per solum actum malum, vel per omissionem actus præcepti aliter tollitur, quam quia Deus, a quo physice dependet, desinit eam conservare : ideoque si Deus non eam conservare desineret, gratia subsisteret cum peccato non dimisso ; et e contra posset condonari peccatum, adeoque illius

macula deleri absque ulla gratiæ restitutione : subindeque peccatum non consistit in ejus privatione : tum denique quia posset aliquis habere debitum habendi gratiam, et conservandi per annum dumtaxat, et intra illum annum peccare mortaliter : elapso autem anno cessaret debitum habendi gratiam, et consequenter cessaret gratiæ privatio, nec tamen propterea peccatum habituale mortale desineret donec remitteretur : ergo peccatum mortale habituale non est ipsa gratiæ privatio. Patet suppositio facta in *majore ;* non enim implicat Deum ordinare aliquem ad gratiam sanctificantem intra aliquod tempus, ultra quod nolit eam conservare, sive interim homo ille peccet, sive non, neque ulterius ipsum ad illam gratiam ordinare.

Probatur etiam secunda pars, nempe quod habituale peccatum formaliter non consistat in sola ordinatione ad pœnam : tum quia ordinatio ad pœnam fit a voluntate divina, adeoque non est mala moraliter, neque Deum offendit : atqui peccatum habituale nec est a Deo, nec quid moraliter bonum, sed est turpitudo quædam, et Dei offensa : ergo non in sola ordinatione ad pœnam est reponendum : tum quia sæpe contingit quod peccator efficaciter et absolute ordinetur ad pœnam temporalem perferendam, remisso etiam peccato mortali et veniali, ut plurimis sacræ Scripturæ textibus evincitur ; docetque Concilium Trident. sess. 14. cap. 8. Ergo in illa ordinatione ad pœnam non consistit ratio formalis peccati perseverantis, et habitualis. Patet *consequentia,* quia peccato remisso per contritionem, vel per Sacramentum, plerumque remanet obligatio, et ordinatio in homine quamvis justificato, et mundato ab omni culpa, ad aliquam pœnam, vel in hac vita, vel in Purgatorio luendam : ergo etc. Tum denique quia etsi nullam pœnam Deus ordinasset, peccare posset homo, maneret tamen, perseveraretque in statu peccati, et contractæ maculæ, donec remitteretur ; sed in ea hypothesi non ordinaretur ad pœnam, subindeque peccatum habituale in illa ordinatione ad pœnam non consistit.

Probatur denique tertia pars, nempe quod peccatum habituale nihil sit aliud quam ipsum peccatum actuale moraliter perseverans, donec remittatur, aut exhibeatur et acceptetur condigna satisfactio. Tum quia præter illud peccatum præteritum sic moraliter permanens nihil aptius et convenientius potest assignari, quo homo possit æstimari et denominari peccator : ergo ratio formalis habitualis peccati revera censetur in eo reponenda. Patet *antecedens* ex improbatione aliarum sententiarum : *consequentia* etiam est evidens : sicut enim ab actu existente homo denominatur actu peccator ; ita ab eodem moraliter, et habitualiter perseverante, denominari debet peccator habitu, sive reatu. Tum quia si aliquid obesset quominus ratio formalis peccati in actuali peccato moraliter perseverante esset reponenda, maxime, quia actus ille physice transit, nec proinde potest moraliter perseverare : sed hæc ratio nulla est. Quod sic *probo :* licet enim plures actus humani physice non subsistant amplius, nihilominus perseverant moraliter in ordine, vel ad aliquam denominationem, vel ad obligationem, et effectus morales, ut patet in contractibus, qui tamdiu perseverant donec dissolvantur ; item in votis, quæ subsistunt donec vel sint impleta, vel per dispensationem relaxata, etiamsi hominem pœniteat illius initi contractus, aut voti eliciti, seu quantumvis ipsum

actum revocet et retractet per contrariam voluntatem. Idipsum constat in offensa, et injuria alteri homini illata; hæc enim licet physice evanuerit, nihilominus tamdiu moraliter permanet, donec aut plena sit satisfactio, aut gratuita injuriæ remissio: ergo similiter Dei offensa censetur habitualiter permanere in ordine ad maculandam animam, et tribuendam denominationem peccatoris, quousque Deus offensam condonet, vel satisfactionem liberaliter acceptet: igitur tota deformitas peccati habitualis consistit in actu præterito moraliter perseverante in ordine ad odium, et aversionem Dei, gravem, aut levem, ex quibus sequitur ordinatio ad pœnam subeundam. Tum denique quia hoc ipsum edocet S. August. lib. 1. *De Nuptiis, et Concup.* c. 26. ubi sic ait: *Hoc est non habere peccatum, reum non esse peccati: nam si quisquam v. g. fecerit adulterium, etiamsi numquam deinceps faciat, reus est adulterii, donec reatus ipsius remittatur. Habet ergo peccatum, quamvis illud quod admisit jam non sit, quia cum tempore quo factum est præteriit. Nam si a peccato desistere, hoc esset non habere peccatum, sufficeret ut hoc nos moneret Scriptura:* Fili, peccasti, non adjicias iterum: *Non autem sufficit, sed addit:* et de pristinis deprecare ut tibi dimittantur. *Manent ergo nisi remittantur; sed quomodo manent si præterita sunt, nisi quia præterierunt actu, manent autem reatu?* Hoc est, ut explicat lib. 6. *Ad Julianum*, cap. 19, *Manent in memoria, occultis legibus Dei, quæ conscriptæ sunt quodammodo in mentibus Angelorum, ut nulla sit iniquitas impunita nisi quam sanguis Mediatoris expiaverit.*

Dices 1: Hæc sententia aperte adversatur Subtili Doctori: ergo minus recte a nobis assignata, et probata. Patet *antecedens* ex loco supra a nobis laudato num. 6. ubi cum impugnasset sententiam S. Thomæ affirmantis peccatum habituale consistere in privatione gratiæ, et Magistri Sentent. illud constituentis in dissimilitudine animæ ad Deum quæ remanet ex peccato actuali, concludit: *Non est ergo ibi aliquid absolutum, vel relativum positivum, vel privativum a quo dicatur peccator a tempore cessationis actus usque ad pœnitentiam: sed tantummodo quædam relatio rationis in quantum est objectum intellectus, vel voluntatis Dei: quia postquam commisit, Dei voluntas ordinat ipsum ad pœnam correspondentem peccato: et tunc intellectus prævidet, et pro omni tempore, donec pœna debita sit soluta.* Idque confirmat tum auctoritatibus S. August. tum ex eo quod post actus meritorios qui gratiam non auxerunt, remanet tantum relatio rationis in justificato, quatenus nempe ordinatur per voluntatem divinam ad talem vel talem gloriam propter ista merita: ergo censet Subtilis Doctor peccatum habituale in sola ordinatione ad pœnam consistere. — **Nego antecedens**: quamquam enim hæc videatur plurium Subtilis Doctoris discipulorum sententia, tamen ut recte admonet doctissimus ejus scholiastes Cavellus, non ea fuit ipsius Doctoris Subtilis mens; vult equidem nihil medium dari inter actum peccati, et obligationem ad pœnam, quibus quis dicitur peccator; non tamen ait illam relationem ad pœnam esse peccatum habituale: imo censet ipsum esse actum præteritum manentem virtualiter et moraliter, ut colligere est ex iis quæ tum hic tum alibi profert; etenim loco mox laudato n. 5. infert ut absurdum relationem realem esse id quo quis esset peccator,

quia hæc relatio esset a Deo : sed relatio realis ad pœnam etiam esset a Deo : ergo non censet in ea formaliter esse peccatum habituale reponendum. Insuper dist. 21. q. 1. ait : *Secundum sanctos Patres distingui remissionem culpæ a remissione pœnæ.* Ergo reatum culpæ perseverantis distinguit ab obligatione ad pœnam. Insuper ibidem pro eodem sumit peccatum habituale, et mortale non remissum. Dum ergo hic dicit habituale peccatum consistere in relatione ad pœnam, intelligendus est non formaliter, sed effective ; ita quod ejus mens fuerit rationem peccati habitualis non esse formaliter reponendam in ipsa ordinatione ad pœnam, sed tantum quod hæc ordinatio ex ipso actu peccaminoso moraliter perseverante proveniat.

Dices 2: Peccatum habituale est effectus peccati actualis : ergo non est ipsummet peccatum actuale moraliter perseverans ; nihil enim est effectus sui ipsius. — **Respondeo**, peccatum habituale posse considerari dupliciter, nempe vel physice, secundum inclinationem realem quam homo peccata iterans contrahit ad alia facilius et proclivius perpetranda, eo scilicet modo quo per repetitos actus generantur habitus ; vel moraliter, et sub formali ratione peccati, quatenus nempe est quædam macula in anima perseverans post admissum actuale peccatum. Quibus præmissis, distinguo *antecedens;* peccatum habituale physice consideratum, est effectus peccati actualis, concedo ; vitiosus enim habitus nonnisi per vitiosos actus generatur : moraliter consideratum, est effectus peccati actualis, nego : ut sic enim est ipsummet actuale peccatum perseverans, donec omnimode a Deo condonetur.

Dices 3: Si peccatum habituale esset peccatum ipsum actuale non condonatum, sequeretur quod Deum condonare peccatum, esset velle efficaciter, ut peccatum illud sit condonatum, adeoque illa divina condonatio haberet seipsam pro objecto, quod est ridiculum. — **Respondeo,** objectum condonationis non esse ipsammet condonationem ; sed jus illud quod Deus habebat odiendi, et puniendi peccatorem, quod utique jus Deus relaxat dum peccatum remittit, et consequenter efficit ut peccatum illud non maneat amplius moraliter, nec Deus habeat amplius jus, et occasionem ad ipsum peccatorem odio habendum, et puniendum : sicut enim actus voluntatis divinæ, quo Deus rationabiliter odio habebat peccatorem, et eum punire decreverat, habebat pro objecto jus ad odium illud, necnon ad pœnam rationabiliter infligendam : ita voluntas efficax non retinendi, seu illa condonatio peccati habet pro objecto idem jus ad relaxandum ; possunt enim diversi actus voluntatis circa idem occupari volendo, et nolendo.

§ II. — An peccatum omissionis possit esse absque ullo positivo actu voluntatis.

Notandum evidens esse ex Quæst. præcedenti quod peccatum commissionis sit actus liber voluntatis contra legis præceptum elicitus : grandis autem remanet solvenda difficultas de peccato omissionis ; an videlicet quemdam habeat junctum actum, ratione cujus omissio voluntatis censeatur peccaminosa. Certum est quidem non dari ullam omissionem culpabilem absque aliquo positivo actu intellectus ; omissio namque non potest esse culpabilis, nisi sit voluntaria, nec voluntaria sine cognitione : voluntarium enim est id quod procedit a principio

libere cum cognitione: illa tamen cognitio non censetur esse causa omissionis, imo sæpius ab ea revocat, puta quando intellectus dictat voluntati conveniens esse sacrum audire die Dominica, et annuam confessionem facere, ut fiat satis Ecclesiæ præceptis. An autem ad illam omissionem culpabilem requiratur etiam aliquis actus voluntatis, quo nempe homo velit positive actum præceptum omittere: anve dari possit omissio culpabilis absque omni prorsus actu voluntatis, varie controvertitur apud Theologos: quid autem nobis verius dicendum videatur, aperiet

Conclusio secunda. — PROBABILIUS EST PECCATUM OMISSIONIS CULPABILIS FIERI POSSE ABSQUE ULLO ACTU POSITIVO VOLUNTATIS, QUI SIT ILLIUS CAUSA.

Probatur primo: peccare peccato omissionis, est non ponere actum debitum: sed voluntas potest libere non ponere actum debitum absque eo quod ullum actum positivum exerceat, sed tantum prævideat se debere illum actum exercere: ergo etiam peccare potest peccato omissionis absque ullo prorsus actu positivo, qui sit illius omissionis causa. *Major* constat. *Minor* vero patet ex Aristotele 5. Ethic. cap. 3. docente non minus in potestate voluntatis esse non agere, quam agere, cum utrumque pendeat a libertate ipsius: ergo cum ad contrahendam peccati malitiam non requiratur actus positivus, quo intendatur illius malitia, sed satis sit, quod prævideatur, et prævisa non impediatur, etiam poterit absque ulla contradictione voluntas culpabiliter actum debitum omittere, nullum actum positivum exercendo, sed solum prævidendo instantis præcepti obligationem, et tunc ab omni actu cessare.

Deinde, voluntas præcedente cognitione ad libere operandum necessaria, aliisque omnibus ad agendum prærequisitis, libera est ad operandum, vel non operandum, tam per se, quam per aliam potentiam inferiorem sibi subordinatam: ergo potest abstinere ab omni actu, tam suo, quam alterius potentiæ; proindeque sicut urgente præcepto amandi Deum v. g. aut honorandi parentes, potest eos amare, et honorare sine aliquo actu prævio quo id velit; alioquin fieri deberet processus in infinitum in actibus voluntatis, si ipsa non posset velle sine alio prævio actu volitionis: similiter potest absque ullo actu elicito cessare ab omni actu amoris, vel honoris, in quo peccabit non ponendo actum debitum.

Denique, si non posset omittere actum debitum absque aliquo actu positivo elicito; maxime *vel* quia actus istè voluntatis est liber, *vel* quia est peccaminosus, *vel* quia aliunde talis actus positive elicitus necessario prærequiritur: sed ex neutro capite repeti potest necessitas illius actus eliciti. Non quidem ex ratione peccati: manifestum enim est fieri peccatum quoties omittitur aliquid, quod fieri potest, et debet: adeoque illa omissio actus debiti semper erit peccaminosa, sive præsupponat actum positivum, sive non. Non etiam id provenit ex ratione voluntarii, et liberi; ut enim aliquid sit voluntarium, et liberum, non est necesse, ut voluntas circa illud operetur; sed satis est, quod sit in voluntatis potestate aliquid facere, vel non facere: ergo sicut primum velle potest esse liberum et voluntarium sine omni alio actu, sic etiam non velle, seu abstinere ab omni actu volendi, potest esse voluntarium

et liberum, sine omni alio actu; ac proinde omissio potest esse voluntaria, ac libera, sine ullo prorsus actu positivo. — *Confirmatur,* omnis actus liber debet esse in potestate, et dominio voluntatis: sed si non possit dari omissio libera, sine omni actu præsupposito, nullus actus erit in potestate, et dominio voluntatis: ergo si non potest dari omissio pura libera, nullus actus erit liber. *Major* est certa; alias non esset discrimen inter causas necessarias, et liberas. *Minor* vero probatur: si non potest dari omissio pura libera sine omni actu, nullus actus erit in potestate voluntatis, ut sit, vel non sit, quia actus ille est in potestate, et dominio voluntatis, quem pro arbitrio suo potest ponere, vel non ponere; nam digestio cibi sumpti non est in potestate voluntatis, quia postquam sumptus est cibus, velit nolit voluntas, cibus digeritur: item cum fit sonus, et apertæ sunt aures, auditio soni non est in nostro dominio, quia possumus quidem audire, sed non possumus non audire: sed si voluntas non potest omittere ullum actum, nisi ponendo alium actum imperantem, quo impediatur actus omissus, nullus omnino erit actus, quem voluntas possit ponere, et non ponere pro suo arbitrio, quia si potestatem habemus, et dominium actuale in unum actum per alium actum imperantem, quæro, an habeamus dominium in ipsum actum imperantem per se solum? si habemus in illum per se solum, et sine alio actu; ergo datur aliquis actus, quem possumus libere omittere, et suspendere sine alio actu: si non habeamus per se, et immediate: ergo habeamus per tertium actum, et in tertium per quartum imperantem, et ita in infinitum. Sed implicat nos habere dominium in aliquid per illud in quod non habemus dominium, sed necessario debet dari aliquid in quod per se, et ratione sui habeamus dominium: ergo implicat, ut habeamus per aliquem actum dominium actuale in unum actum, in quem per se, et ratione sui non habeamus dominium: ergo vel necessario actus nostri non sunt in nostra potestate, quod est negare libertatem, vel fatendum est nos habere potestatem ponendi, et non ponendi actus liberos per se, et ratione sui, et sine alio actu.

Dices 1: Experimento compertum est, nullam esse actus debiti, sive interioris, sive exterioris omissionem absque aliquo actu, qui sit causa, aut occasio illius: ergo falsum est dari posse omissionem puram absque alio prorsus actu positivo. *Patet antecedens:* primo quidem de omissione actus exterioris; nusquam enim culpabiliter potest aliquod præceptum omitti, v. g. audiendi Missam, nisi homo aut velit expresse illam assistentiam omittere, vel voluntarie aliquid faciat, quo ab audienda missa impediatur, et revocetur; idcirco enim aliquis non audit Missam die sacro, vel quia scribit, aut ambulat, aut aliquid aliud exequitur, nec aliqua assignari potest omissio externa, cujus causa non fuerit aliqua exterior occupatio, vel aliquis actus, qui pugnet cum observatione præcepti. Idem dicendum de omissione actus interioris; idcirco namque voluntas actum debitum elicere omittit, quia alio actu detinetur; semper enim in alicujus objecti dilectione versatur; sicut intellectus in alicujus objecti cognitione. — **Respondeo** *ad primum;* cum Martinone, et aliis nostræ sententiæ assertoribus, omissionem actus, vel quasi actus externi dari quidem non posse sine alio actu, vel quasi actu externo; illum tamen posse procedere a voluntate per

puram omissionem actus interni; si quis enim v. g. jam diu domi sedeat, aut studeat, potest urgente tempore audiendi Sacri omittere Sacrum audire per hoc solum, quod non habeat voluntatem relinquendi locum illum, aut studium; nec necesse est, quod voluntas hic et nunc velit positive sedere, aut studere, sed satis est quod non velit imperare potentiis externis motum, et egressum necessarium ad executionem præcepti. *Ad secundum* dico falsum esse, quod voluntas semper in alicujus objecti dilectione actuali detineatur; et quamvis ita contingeret, inde non sequeretur dilectionem illam esse necessario causam omissionis; non enim necesse est, quod voluntas non velit, aut non diligat unum objectum, eo quod in alterius dilectione occupetur: sed ex mera sua libertate potest dilectionem cujuslibet objecti sufficienter propositi omittere; ratio namque non agendi aliquid potest esse alia, quam amabilitas alicujus alterius objecti, v. g. molestia operis injuncti, difficultas eundi ad Sacrum tempore pluvioso, etc.

Objiciunt 2. Non potest dari peccatum sine exercitio libertatis: sed libertas per puram omissionem actus exerceri nequit: ergo pura omissio, secluso quocumque actu voluntatis eam antecedente, vel concomitante, nequit esse peccatum. *Major* patet. *Minor* probatur: exercitium voluntatis, ut est libera, debet esse vitale: voluntas enim, ut est libera, est potentia vitalis: ergo exercitium illius, ut liberæ, est exercitium vitæ, et consequenter vitale: sed pura omissio, et negatio actus nequit esse vitalis; nam vivere in actu secundo est se movere ab intrinseco, voluntas autem non se movet per negationem actionis, et motus, adeoque omissio pura actus non est actus vitæ: ergo libertas per puram omissionem, et negationem actus non potest exerceri. — **Nego minorem**, et ad ejus probationem dico, ad vitam in actu secundo non requiri motum positivum, sed sufficere voluntariam negationem motus, qua nempe positis omnibus ad agendum prærequisitis, videlicet sufficienti cognitione præcepti obligantis ad actum, necnon et aliis ad operandum desideratis, voluntas pro suo arbitrio pure non vult id quod tenetur velle hic et nunc; hæc enim voluntaria actus negatio cum proveniat a voluntate libere actum omittente, tam censeri potest indicium vitæ, quam positio actus; cum enim ex se sit indifferens ad agendum, vel non agendum, evidens est quod quando ad utramlibet partem contradictionis sese determinat hæc determinatio sit aliquod saltem interpretativum vitæ et libertatis exercitium; nam illud omne, ad quod est potentia voluntatis liberæ, censetur esse illius exercitium. Hæc pariter negatio actus sufficit ad peccatum; sicut enim voluntas censetur peccare, quando libere elicit, aut imperat actum prohibitum, ita peccare dicenda est, quoties libere omittit actum præceptum.

Instant: Voluntas tunc solum peccat, quando se determinat voluntarie ad alteram partem contradictionis contra præceptum prohibitivum, vel imperativum actus: sed ita se determinare non potest absque aliquo actu positivo: ergo etc. Probatur *minor:* voluntas se determinare nequit, nisi transeat a statu actus primi ad statum actus secundi: sed hic transitus fieri nequit absque aliquo actu positivo. Quod ut intelligatur evidentius, concipiantur duo instantia, in quorum priori voluntas sit in actu primo, et indifferens ad se determinandum, nec adhuc ha-

bens aliquem actum; in posteriori vero etiam careat omni actu; quæro quid plus habebit in posteriori, quam in priori? nihil certe; quippe cum actum positivum non habeat, subindeque non magis censenda est determinata in posteriori instanti, quam in priori: ergo nec magis censenda est peccare. *Confirmatur:* illud est absolute necessarium, ut voluntas transire censeatur de actu primo ad actum secundum, præter quod omnia alia possunt ipsi competere in statu actus primi: sed omnia alia, quæ ad peccatum concurrunt, possunt competere voluntati in statu actus primi, præter ipsum actum physicum, ergo sine illo actu physico positivo, nec se determinare, nec peccare potest. Probatur *minor:* præter actum physicum solum potest in voluntate considerari præceptum cum sufficienti cognitione illius obligationis, necnon et carentia operationis: sed voluntati in statu actus primi convenit advertentia ad præceptum; convenit etiam operationis carentia; quamdiu enim est in actu primo, non operatur: ergo omne aliud præter actum physicum positivum convenit voluntati in statu indifferentiæ, et actus primi. *Confirmatur* iterum: posita in intellectu sufficienti cognitione obligationis præcepti ad librandam voluntatem, et eam inclinandam ad actum, vel ipsa peccat non volendo actus elicitionem, vel non peccat: si primum, ergo peccat ante omnem determinationem: si secundum, ergo ipsi aliquid advenit in statu actus secundi, quod non habuerat in statu actus primi: hoc autem nihil aliud est præter actum positivum: ergo etc. — **Nego minorem**, determinatio enim voluntatis satis potest intelligi ex eo, quod voluntas libere abstineat ab actu, quem elicere posset, si vellet: cum enim indifferentia libertatis sit ad agendum, vel non agendum, positis omnibus ad operationem desideratis, hoc ipso quod potens agere, non agit, determinat se ad alteram partem contradictionis, et transit a statu actus primi ad statum actus secundi; non quidem per positionem actus, sed per liberam ejus omissionem: cum enim illa omissio pendeat ab ipsa voluntatis libertate, quando omittit agere, quod exequi posset si vellet, censetur interpretative velle non agere, et in eo esse statu, ac si ita decerneret, nolo agere: adeoque pariter censetur transire a statu actus primi ad statum actus secundi. Neque sunt concipienda duo instantia, in quorum uno voluntas sit indifferens in actu primo, et in altero careat actu, velut duo instantia durationis successive sibi correspondentia; sed solum intelligendum est, quod in eo ipso instanti, quo voluntas libere omittit operari, illa omissio pendet ab ejus libertate, ita ut possit velle actum elicere, vel non velle: igitur quando actum omittit, ideo omittit, quia interpretative vult illum non ponere. *Ad confirmationes* similiter dico, equidem voluntatem in actu primo posse habere advertentiam ad obligationem præcepti, et in eo statu non peccare, sed manere in indifferentia, et suspensione: reduci autem ad actum secundum per illam non volitionem interpretativam, et idcirco peccare: quia nempe posita in intellectu sufficienti cognitione ad operandum, aliisque ad agendum prærequisitis, voluntas pure non vult id, quod tenetur velle hic et nunc. Unde non sequitur, quod peccet ante omnem determinationem: per hoc enim, quod voluntas potens agere et non agere, nec agit, virtualiter seu interpretative censetur velle non agere, ac proinde sufficienter sese determinare ad non agendum: nam illud omne ad

quod immediate est potentia voluntatis liberæ, censetur illius exercitium, et determinatio.

Urgent: Volitio illa interpretativa non sufficit, nec ad determinationem voluntatis, nec ad peccatum: ergo revera ad determinationem, et peccatum volitio positiva desideratur. Probatur *antecedens:* ad rationem determinationis, et peccati requiritur, ut sit aliquid in ipso determinante, et peccante: sed volitio interpretativa non est in ipsa voluntate a parte rei, sed in solo intellectu interpretante illam omissionem quasi volitionem actualem: ergo ab ea volitione interpretativa non potest voluntas censeri sese determinare, et peccare. — **Nego antecedens,** et ad ejus probationem, distinguo *majorem:* requiritur, ut sit aliquid per modum actus positivi formaliter, et actu, nego: fundamentaliter, et virtualiter, concedo. Itaque volitio illa interpretativa est quidem formaliter, et actualiter in intellectu interpretante, et judicante illam omissionem esse voluntariam et peccaminosam, sed fundamentaliter, et virtualiter est in ipsa voluntate, quatenus nempe potest velle elicitionem actus debiti, nec tamen pro sua libertate vult eum actum elicere, vel imperare.

Objiciunt 3. Omne voluntarium debet procedere ex inclinatione voluntatis circa objectum propositum, nec non ex motione et influxu objecti specificativi: sed illa voluntatis inclinatio, et objecti motio non potest fieri absque aliquo actu positivo et physico: ergo non potest esse pura omissio voluntaria. Probatur *minor:* omittere ex motivo alliciente est omittere amore illius motivi; v. g. abstinere a peccato ex motivo alliciente placendi Deo, est abstinere ex amore et desiderio ipsius divini beneplaciti; sicut abstinere a peccato ex motivo deterrente, quia Deo displicet, est abstinere ex timore displicendi Deo: sed amor et timor sunt actus positivi voluntatis; ergo in talibus omissionibus semper concurrit aliquis actus positivus voluntatis. — **Nego minorem**; et ad ejus probationem dico, dari posse omissionem actus sine ullo motivo retrahente aut removente voluntatem ad operandum.

Instant: Debet dari aliquid, per quod voluntas transeat a statu indifferentiæ, in quo potuit omittere actum, vel non omittere, ad statum determinatum, in quo revera omittit illum: sed in omissione pura nihil datur hujusmodi: ergo remanet in statu indifferentiæ. — **Respondeo:** distinguo *majorem:* debet dari aliquid reale positivum semper, nego *majorem;* debet dari aliquid saltem negativum, et interpretativum, concedo *majorem.* Distinguo pariter *minorem,* et nego *consequentiam;* nam datur quidem aliquid in intellectu, scilicet cognitio boni, vel mali, sed in voluntate non semper requiritur aliquid positivum, quia sicut determinatur, et tollitur voluntatis indifferentia ad agendum positive per ipsum actum, quem ponit, nec requiritur alius actus, alias daretur actus ad actum, ita determinatur ad omittendum per non actum, seu per actum interpretativum, qui dicitur etiam negativus, hoc ipso quod talis omissio, seu talis actus negativus est in ejus potestate.

Objicies 4. Impossibile est, ut voluntas omittat libere, quin moveatur ab aliquo bono amabili, aut avertatur ab aliquo malo, quia dum motivum movet voluntatem, voluntas movetur: at voluntatem moveri, est transire a non actu ad actum positivum: ergo ejusmodi

motio non potest esse sine aliquo actu positivo. — **Respondeo:** distinguo *majorem:* quin moveatur positive, nego *majorem:* interpretative, concedo *majorem.* Distinguo pariter *minorem*, et probationem: nam voluntatem moveri positive, est eam elicere aliquem actum positivum ob rationem boni vel mali quod proponitur: voluntatem autem moveri interpretative, est eam habere in sua potestate agere, vel non agere; et tamen non agere, et suspendere omnem actum circa objectum, et motivum positivum: nam sicut cum motivum movet ad actum positivum, nihil efficit immediate in voluntate, quia motivum est solum in intellectu; ita cum motivum movet ad omissionem puram, nihil efficit in voluntate, nec ullum in ipsa elicit actum; nam voluntas seipsam determinat, tam ad suos actus, quam ad omissionem actuum; non autem determinatur ab objectis intrinsece; alias non esset magis libera, quam animalium appetitus.

Instabis: Omissio debet poni vi motivi: sed omissionem poni vi motivi, vel est tantum motivum esse in mente, et omissionem in re: vel non. Neutrum dici potest; quia si est tantum motivum esse in mente, et omissionem in re: omissio non pendebit a motivo: nullum igitur habebit motivum, et inde non erit libera. Quod si est aliquid aliud, non potest esse nisi actus positivus: vel igitur non erit libera, vel inerit actus positivus: — **Respondeo:** concedo *majorem;* ad *minorem* dico, tria requiri, ut omissio ponatur complete vi motivi: scilicet 1. debet esse motivum in mente, 2. debet esse omissio in voluntate, et 3. nullus debet esse actus, qui prohibeat omissionem; quia hoc ipso quod est motivum in mente sufficienter applicatum, et nullus est alius actus prohibens omissionem, eo ipso est in potestate voluntatis omittere, vel non omittere, quia voluntas, positis omnibus requisitis, semper habet ex se potentiam suspendendi omnem actum. Hinc si Petrus sit in lecto die Dominica, qua sacrum audiendum est, et offerant se tria motiva omittendi sacri; scilicet cogitet *primo* suave esse molliter in lecto quiescere; cogitet *secundo* jucundum esse in lecto confabulari cum amico præsente; cogitet *tertio* molestum esse æstivis caloribus in templo versari cum frequenti populo: tunc si omittat propter singula, fiet triplex omissio libera, non una; quia tribus vicibus erit in potestate voluntatis omittere, vel non omittere Sacrum. — *Quod si supponant* adversarii, tria motiva simul apprehendi ab intellectu, et triplex illud malum, seu disconvenientiam triplicem simul proponi voluntati, ita ut libere omittat Sacrum, tum omissio pendet a motivo illo triplici, nec omittit Sacrum ex uno tantum motivo, sed ex tribus partialibus. — *Quod si dicant* omissionem debere ordinari ad motivum, ut pendeat a motivo; *respondebo,* proprium esse rationis ordinare, non voluntatis; quia voluntas est cæca facultas quæ non ordinat, nec refert unum ad aliud. *Deinde* nihil est aliud quam motivum esse causam suspendendi actum, et omittendi; sicut motivum actus positivi nihil est aliud, quam illud esse causam cur ponatur actus positivus, nec requiritur alius actus, quo primus actus referatur ad motivum; alias daretur processus in infinitum. Sed contra

Urgent: Cum proponuntur simul tria motiva ad aliquid positive faciendum, puta ad audiendum Sacrum, possum velle positive audire Sacrum propter unum tantum ex tribus motivis, non propter alia duo,

puta propter impetrandam pluviam, non propter impetrandam scientiam, nec propter convertendos peccatores: ergo a pari si potest dari omissio pura libera, et proponantur simul tria motiva omittendi, potero omittere propter unum ex tribus, non propter alia duo; at hoc dici non potest; ergo non potest explicari per quid omissio pendeat ab uno motivo, et non pendeat ab alio. — **Respondeo**: supponendum est tria illa motiva esse apta, et singula sufficientia ut moveant ad omissionem; alias inutilis esset hæc hypothesis, et tunc concedo *antecedens*, distinguo *consequens*: poterit omittere propter unum, non propter alia duo, si positive rejiciat illa duo, concedo *consequentiam*: si non rejiciat positive, nego *consequentiam*: sicut si velit positive audire Sacrum propter unum tantum ex tribus; puta propter impetrandam scientiam, tunc, vel positive debet rejicere alia motiva, dicendo, nolo audire Sacrum propter impetrandam pluviam; vel saltem debet suspendere actum voluntatis circa illa motiva quorum gratia non audit Sacrum. Pari modo poterit omittere propter unum tantum si positive dicat, nolo omittere Sacrum, nec propter molestum caloris æstum, nec propter suavem lecti mollitiem; sed nisi positive rejiciat illa duo, non potest omittere propter unum sed propter omnia simul; quia, ut dictum est, tria simul faciunt unam causam totalem, cur omittat: ergo propter illa simul est in potestate voluntatis ponendi, vel non ponendi omissionem Sacri.

Petes: *an, et quomodo omnis actus conjunctus cum omissione culpabili, et incompossibili cum observantia præcepti affirmativi, sit peccatum?*

Respondeo, actum positivum qui est causa directa omissionis culpabilis, esse peccatum ratione illius omissionis, etiamsi ex sua specie, et objecto aliunde esset bonus: actum vero qui nullatenus in omissionem influit, sed ad illam mere per accidens, et tantum concomitanter se habet, nisi alias malus esset, ex omissione cui conjungitur, non vitiari.

Prima pars hujus responsi communis est apud Doctores, et adeo certa, ut sola explicatione videatur indigere. Ex hypothesi ergo quod aliquis ex nimio studendi vel ludendi desiderio omittat audire Sacrum die festo, ita ut per studium, et lusum impediatur ab auditione Sacri, studium illud revera malum est; est enim causa omissionis malæ: sicut eleemosyna, quamvis de se bona et honesta, vitiosa foret et contaminosa, si hominem ad furtum commoveret, unde posset aliquid habere quod pauperibus erogaret; quod enim per se est causa mali, malum est. Non aliam tamen studium illud habet malitiam quam peccati omissionis; unde qui Sacrum propter studium omitteret, non magis peccat quam peccaret, si toto illo tempore quo instat præceptum audiendi Sacri, maneret otiosus; si enim aliqua ratione studium illud per se malum existeret, maxime quia peccaret contra regulas, et rectitudinem virtutis studiositatis; at ita non est; audiens enim Sacrum die festo ex motivo vanitatis, v. g. privat auditionem Sacri rectitudine religionis quam tale motivum vitiat; nec tamen auditio Sacri contra religionem est, nec contra Ecclesiæ præceptum; alias sic audiens Sacrum, præceptum illud violaret, et consequenter peccaret mortaliter,

non solum contra humilitatem ratione vanitatis, sed etiam contra religionem ratione ejusdem vanitatis, quod a nullo Theologorum admittitur: ergo ex eo quod studium illud omissionem causans careat honestate morali virtutis studiositatis, non recte infertur esse contra istam virtutem, et duplicem malitiam distinctam contrahere, unam contra religionem, alteram contra studiositatem.

Dices: Qui Sacrum omittit ratione aviditatis studii, directe peccat contra virtutem studiositatis, tum quia studet tempore indebito: tum quia id præstat ex inmoderato et nimio affectu; virtus autem studiositatis utrumque moderari debet et emendare: ergo qui Sacrum omittit propter studium, non solum contra virtutem religionis, sed etiam contra studiositatem peccat; adeoque duplicem contrahit malitiam specie diversam: unam contra religionem, alteram contra studiositatem. — **Nego antecedens**, et ad ejus probationem dico, primo quidem eum qui studet urgente præcepto Sacri audiendi, non studere tempore indebito ex regulis præcise studiositatis, sed solum indebito ratione alterius præcepti occurrentis; studiositas enim, quantum est ex se, id solum regulandum habet, ut moderetur nimium affectum circa proprium objectum, impediendo videlicet ne quis studeat rebus prohibitis vel inanibus, neve diuturniori tempore studiis incumbat, quo ejus incolumitas et vita pessundetur; quare hac servata regula, si quis alteri præcepto tunc observando contraveniat, non censetur peccare contra studiositatem; sed contra alteram virtutem, quæ actum illum præcipiebat, qui omittitur: caret quidem studium illud honestate studiositatis: non tamen habet inhonestatem studiositati oppositam, sed vitiatur ex circumstantia alterius præcepti, cujus transgressionem infert.

Instabis: Qui propter studium omittit Sacrum audire, constituit in studio rationem ultimi finis, diligendo nempe studium magis quam Deum, qui est auctor præcepti de audiendo Sacro: sed sic diligere studium vel quodlibet aliud creatum, non solum est contra virtutem studiositatis et religionis, sed etiam contra charitatem, quæ præcipit amorem Dei super omnia: ergo in eo actu est multiplex malitia, alia contra religionem, alia contra charitatem. — **Nego minorem**: cum enim aversio a Deo ut ultimo fine consequatur omnia prorsus peccata mortalia, speciale non infert malitiam contra charitatem nisi a peccante expresse et directe volita sit; quod vix, aut raro contingit. Addo tamen non potius videri constituere suum studium tamquam ultimum finem, nec proinde plus peccare, quam qui omittit Sacrum ut maneat domi nihil aliud operans, sed otiosus permanens; sed hic non videtur constituere rationem ultimi finis in mansione domi, nec illam plusquam Deum diligere; proindeque nec speciale aliquod peccatum contrahere, omnes fatentur: ergo nec ille censendus est ob studium tempore indebito aliquod speciale peccatum contrahere.

Patet etiam secunda pars responsi, nempe quod *actus ille qui tantum concomitanter, et per accidens se habet ad omissionem, nullatenus sit vitiosus.* V. gr. si quis statuat revera quidem audire Sacrum, ne tamen interea maneat otiosus, vult vacare studiis, etc. si tamen inde contingat ipsum non cogitare de Sacro audiendo nisi post meridiem, quo amplius facultatem non habet Sacrum audiendi, dico quod studium illud non vitiatur, quia nullo modo est causa illius omissionis:

alias si omnis actus concomitans omissionem ab illa vitiaretur, sequeretur eum qui statuit non audire Sacrum debere tunc omnem alium actum quantumvis honestum suspendere, et manere otiosum; si enim aliquem exerceret, in ipso censeretur peccare; quod nullus Theologorum admiserit; itaque causa occasionalis et per accidens nullam malitiam in opus quod in illam, ut finem, non ordinatur, derivare potest. Unde nec obstat quod tales actus sint incompossibiles cum observatione præcepti; nam inde non sequitur quod sint causa cur præceptum non impleatur, quia scilicet non habent liberam voluntatem adjunctam omittendi præcepti: causa enim adæquata omissionis peccaminosæ est nolle accedere ad Missam, aut carere voluntate accedendi: per accidens autem est quod interim homo maneat domi, aut studeat; æque enim Sacrum omitteret, etsi non esset domi, nec studio incumberet.

§ III. — Quomodo peccatum veniale a mortali distinguatur.

Notandum, fide constare non omnia peccata, quæ in hac mortali vita ab hominibus perpetrantur, esse mortalia, nec gratiam sanctificantem et justitiam ab anima prorsus auferre; quod utique aperte satis designat Scriptura sacra, variis quidem Oraculis, maxime vero ex illo Proverb. 24. *Septies enim cadet justus, et resurget; impii autem corruent in malum.* Constat etiam ex Concilio Milevitano, cui S. Aug. interfuit, definitur enim Can. 7. *Item placuit ut quicumque dixerit in oratione Dominica ideo dicere sanctos,* dimitte nobis debita nostra, *ut non pro seipsis hoc dicant, quia non est in eis jam necessaria ista petitio, sed pro aliis qui sunt in suo populo peccatores, et ideo non dicere unumquemque Sanctorum,* dimitte mihi debita mea, *sed;* dimitte nobis debita nostra; *ut hoc pro aliis potius quam pro se petere intelligatur, anathema sit.* Quibus verbis significatur quædam esse peccata, quæ charitatem et gratiam sanctificantem non auferunt ab eis, qui illa perpetrant: subindeque iis mortem animæ non inferunt. Quod utique expressius declaravit Concilium Africanum, ut constat ex ejus Epistola 95. inter Epistolas S. Aug.; nam in ejus fine legimus, multos esse fideles, qui post suam ad Deum conversionem vivunt toto tempore vitæ sine querela: hoc est, inquit Concil. *sine crimine,* neque tamen sunt sine quotidianis et levibus offensionibus. Hanc autem veritatem definivit Trid. Sess. 6. cap. 11. his verbis: *Licet in hac mortali vita, quantumvis Sancti et Justi in levia saltem et quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata, quandoque cadant, non propterea desinunt esse Justi: nam Justorum illa vox est, et humilis, et verax,* dimitte nobis debita nostra. — An autem, et qualiter peccatum veniale ex intrinseca sua ratione a mortali discrepet, maxime nobis superest cum hæreticis hujus temporis pugna: nam Joannes Wiclef docuit omnia peccata esse mortis æternæ inductiva, de facto tamen in solis reprobis illam inducere, adeoque omnia præscitorum esse mortalia; omnia autem prædestinatorum esse venialia. Similiter Calvinus lib. 3. *Inst.* c. 4. ait: *Fidelium peccata venialia esse: non quia non mortem mereantur, sed quia Dei misericordia non imputantur, quia venia delentur.* Lutherus pariter docuit omne peccatum natura sua esse mortale; fieri autem veniale credentibus.

Conclusio tertia. — PECCATUM VENIALE EX NATURA SUA, ET NON SOLUM EX IMPUTATIONE, VEL NON IMPUTATIONE DIVINA, A MORTALI DISTINGUITUR.

Probatur, primo quidem ex Scriptura sacra; idque ex illo Matthæi 5. *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio; qui dixerit racha, reus erit concilio; qui dixerit fatue, reus erit gehenna ignis.* Ex quo divino oraculo sic argumentor: manifestum convicium constituit reum gehennæ ignis, ac per hoc est peccatum mortale: iracundia sono vocis expressa, sed ad malum convicii non pertingens, facit reum concilii, idest, non constat an mereatur gehennam, seu ea, aut minori pœna digna sit; inveniuntur igitur peccata quædam quæ leviora sunt, quam ut gehennam ignis mereantur. Quorsum enim cogeretur Concilium ad discernendum, num aliqua culpa gehenna ignis punienda esset, si omnes culpæ gehennam ignis mererentur? Sunt igitur culpæ aliquæ divino judicio sola pœna temporali mulctandæ. Rursus iracundia, quæ nullo signo externo foras erupit, non facit reum concilio, sed judicio; hoc est, non constat, an mereatur pœnam aliquam, an nullam; ex quo sequitur, ut sine dubio, si pœnam meretur, temporalem, non æternam mereatur; cum sit levior culpa, quam ea esset, de qua dubium esse poterat, temporale supplicium, an æternum mereretur. — Rursus Lucæ 6. Christus Dominus hypocritam interpellans, *Quid,* inquit, *vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est non consideras?* At festucæ non possunt per se excæcare oculum in quo sunt: ergo sunt quædam levia peccata, quæ non tantum actu non extinguunt gratiam, animæ lumen, ut faciunt mortalia, quæ per trabem designantur; sed quæ nec extinguere possunt; subindeque ex natura sua a levitate intrinseca venialia sunt, et a mortali distincta. Ad eamdem confirmandam veritatem S. Amb. serm. 20. in Psal. 118. August. lib. 21. *De Civit.,* cap. 26. et alii proferunt illud Pauli 1. ad Corinth. 3. *Si quis,* inquit, *superædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam,* etc. *salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Quibus Apostolus peccata venialia rebus natura sua levissimis comparat, nempe ligno, fœno, stipulis; quemadmodum enim per aurum, argentum, et lapides pretiosos significat opera perfecta et laudabilia, quæ in judicio Dei examinata, nihil nisi mercedem promerentur; ita per lignum, fœnum, et stipulas designat opera inutilia et reprehensione digna, sed venialia, quæ detrimentum quidem afferant, et purgatione indigeant, non tamen a salute faciant excidere: at nusquam S. Paulus peccata venialia cum fœno et stipulis comparasset, nisi revera essent peccata minuta atque levissima, ut ait S. Gregorius lib. 4. *Dialog.,* cap. 39. *Peccata enim ex natura sua mortalia ferro potius, æri vel plumbo forent comparanda.*

Eadem est concors omnium SS. Patrum sententia, quos proferunt Vasquez disp. 147. et Suarez lib. 1. *De Statu peccati,* cap. 10. Unicus autem ad id confirmandum sufficit Aug. qui pluribi edocet maxime lib. *De Natura, et Gratia,* cap. 36. quædam esse peccata quæ gratiam sanctificantem non auferunt; *Nam,* inquit, *excepta Virgine Maria, si omnes sanctos et sanctas cum hic viverent congregare possemus, et interrogare, utrum essent sine peccato; quantalibet donati fuerint excel-*

lentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent; si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.

Objiciunt hæretici plurima Script. testimonia, quibus evincere nituntur omne peccatum ex natura sua esse mortale, siquidem de peccato generatim Scriptura pronuntiat Deuteron. 27. *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis hujus.* Ezechielis 18. *Anima quæ peccaverit ipsa morietur.* Rom. 6. *Stipendia peccati mors.* Jacobi 2. *Qui peccat in uno, factus est omnium reus:* ergo etc. — **Respondeo**, hos Scripturæ sacræ textus non de peccatis generatim, sed solum de mortalibus esse intelligendos; si enim omnia prorsus etiam venialia denotaret, sequeretur hominem justum non solum posse, sed etiam revera excidere a vera vita gratiæ, vel maledici a Deo, vel excludi continuo ab hæreditate regni cælestis, vel fieri totius divinæ legis violatæ reum: igitur verba illa non de venialibus delictis, sed de criminibus tantum accipienda sunt.

Objiciunt 2. SS. Patres: primo quidem Basilium in quæstionibus compendio explicatis, interrogatione 1. ubi ait: *de omni peccato dictum esse quod sit mortis stimulus.* Et interrog. 293. *Differentiam,* inquit, *magnorum et parvorum peccatorum in novo Testamento discere non datur.* Insuper S. August. pluribi docet, quod multa venialia simul collecta hominem damnent, maxime tractatu 11. in Joan. *Quomodo,* inquit, *minuta peccata si negligantur occidunt? Minutæ sunt guttæ quæ flumina implent: minuta sunt grana arenæ: sed si multa arenæ imponatur, premit atque opprimit. Hoc facit sentina neglecta, quod fluctus irruens paulatim per sentinam intrat: sed diu intrando, et non exhauriendo mergit navim:* ergo revera censet, quod minima etiam peccata mortem æternam possint inferre. — **Nego consequentiam**, et ad S. Basilium dico eum venialia peccata mortis stimulum appellasse, non quod eam reipsa inferant, sed quod ad illam disponant, quatenus venialia disponunt ad mortalia, maxime quando frequentius admittuntur. Ad secundum dico quod forte Basilius alludit ad differentiam pharisaicam inter mandata gravia, et minima a Christo reprehensa; ipsi namque præceptum de adulterio, de homicidio, et dilectione proximi sic exponebant, ut dicerent externum quidem opus esse prohibitum, at non internos animi motus iræ, concupiscentiæ, etc.; similiter amicos quidem esse diligendos, non ita inimicos: quam differentiam culpat Christus Dominus Matthæi cap. 5. non enim negare potest S. Basilius, quin in Novo Testamento aperta sit differentia inter maxima et levia peccata, ut constat ex textibus supra laudatis. — Ad S. August. dico eum ita esse interpretandum, ut velit quod si venialia contemnantur et negligantur, paulatim hominem ad mortale crimen disponant et inducant; quemadmodum vulnus curabile, si negligentius curetur, paulatim apostema lethiferum gignit, et eo modo mortem infert. Quod aperte tatetur S. Greg. lib. 10. *Moral.*, cap. 14. *Si curare parva negligimus,* inquit, *insensibiliter seducti audenter etiam majora perpetramus.*

Objiciunt 3. Omnis offensa infinita de se, et ex natura sua, pœnam secundum durationem infinitam promeretur: sed peccatum veniale, cum sit offensa Dei, qui est infinitus, censetur esse infinita; crescit enim offensa juxta dignitatem personæ læsæ: ergo natura sua

pœnam æternam promeretur; subindeque non habet ex levitate sua intrinseca, quod veniale sit; sed tantum ex Dei misericordia talem pœnam aliquibus peccatis benigne relaxantis. — **Nego minorem**; quamvis enim peccatum veniale sit offensa Dei infiniti, non tamen est infinita, sicut peccatum mortale; quia nempe non avertit hominem a Deo tamquam ab ultimo fine, ut eum ad creaturam convertat; sed tantum imminuit fervorem ejusdem dilectionis, et amoris; ideoque non in infinitum, eo modo quo peccatum mortale, quod includit Dei contemptum, et ex contemptu illo infinitæ Majestatis divinæ contrahit malitiam veluti moraliter infinitam. Ex his constat peccatum veniale recte definiri a Seraphico Doctore *in Centiloquio* parte prima, cap. 6. *Peccatum veniale*, inquit, *est libido, sive amor voluptatis in creatura citra Deum*. Addit ibidem, peccatum veniale triplex distingui: nam quoddam est veniale *ex subreptione*, et ideo veniale est, quia non potest vitari tunc: et quia committitur præter rationem, semper est veniale. « Quoddam est veniale *ex cognitione sine consensu:* et ideo « veniale, quia non plene consentitur, ut in cogitatione et delecta- « tione de muliere, citra consensum in delectatione: et ideo veniale « fit mortale per complacentiam et consensum. Quoddam est veniale « *cum delectatione, et consensu:* et ideo veniale est, quia non est deor- « dinatio contra præceptum, ut ebrietas et mendacium jocosum: et « istud cum sit veniale propter delectationem, quæ est citra Deum, « tamen potest fieri mortale propter nimiam libidinem et contemptum. « Non tamen intelligendum est quod aliquod veniale per essentiam « fiat mortale; sed quia de veniali fit transitus ad mortale per com- « placentiam et consensum, sive per libidinem et contemptum. Cu- « ratur autem peccatum veniale per actus, in quibus est aliqua humi- « liatio, et devotio, qui quidem actus gratia informati repugnant veniali: « et sic ad actum cura ionis et delectationis venialium, gratiam gratum « facientem coadjuvant et vigorant. Hujusmodi his versibus conti- « nentur:

Confiteor, tundo, respergo, conteror, oro,
Signor, edo, dono, per quæ venialia pono,
Unctio, pœna lenis, compassio, quæ fit egenis.

« Hæc enim remedia sunt: 1. generalis confessio, 2. pectoris tunsio, « 3. aquæ benedictæ aspersio, et cordis contritio, 4. Dominica oratio, « 5. Signatio ab Episcopo, 6. Eucharistiæ sumptio, 7. Offensæ condo- « natio, 8. Extrema-unctio, 9. levis pœnitentia, 10. compassio fra- « terna ».

Petes 1., *qualiter peccatum veniale a mortali secernatur?*

Respondet Doctor in 2. dist. 21. n. 3. quod « peccatum mor- « tale non distinguitur a veniali in hoc, quod unum est respectu finis, « ut mortale, et aliud eorum quæ sunt ad finem, ut veniale; sed utrum- « que potest esse, et circa ea quæ sunt ad finem, et circa finem: sed « in hoc distinguuntur, quia peccatum mortale est deordinatio oppo- « sita ordinationi, sine qua finis non potest sequi aliquo modo; quæ « quidem ordinatio habet præceptum, contra quod deordinatio fit: et

« ideo omnis deordinatio cadens sub præcepto, avertit a fine neces-
« sario. Sed alia est ordinatio, quæ potest esse respectu finis sequendi,
« quæ non est necessaria, sed utilis, quæ non est de præcepto, sed
« potius de consilio: et deordinatio opposita huic, est peccatum ve-
« niale, nec facit cadere a fine necessario; sed facit, quod actus non
« procedat meliori modo, quo potest ».

Advertendum autem primo, Doctorem non intendere, quod omnis actus contra aliquod consilium evangelicum elicitus sit peccatum veniale; nam habemus consilium dandi eleemosynam, aut operandi quod perfectius est semper cum possumus; tamen non est peccatum veniale nolle dare eleemosynam, aut operari aliquando quod est minus perfectum, seu operari indifferenter. Itaque quamvis omne peccatum veniale sit contra consilium, non tamen omne quod est contra consilium est peccatum veniale.

Advertendum secundo, quod cum Doctor dicit peccatum mortale esse contra præceptum; veniale vero contra consilium; *præceptum* non usurpat pro eo omni quod inducit aliquam obligationem, sive gravem, sive levem, et cujus transgressio imputatur ad aliquam culpam; certum est enim veniale hac ratione etiam esse contra præceptum. Sed ibi præceptum usurpat modo loquendi Scripturæ sacræ, necnon et SS. Patrum dicentium plenitudinem legis, hoc est observantiam mandatorum et præceptorum, consistere in dilectione Dei et proximi, quo fit ut qui in uno mandato offendit, fiat omnium reus: ex quo loquendi modo colligi videtur nihil esse contra mandatum, nisi quod tollit dilectionem Dei et proximi; ac proinde hac ratione peccatum veniale censeri non potest esse contra mandatum et præceptum; siquidem Dei dilectionem non extinguit; sed solum ejus fervorem imminuit. Similiter dum ait veniale esse contra consilium, nomine *consilii* non intelligit suasionem, seu inductionem ad aliquid faciendum citra omnimodam obligationem; sic enim veniale non esset contra consilium tantum; quippe cum sit aliqua obligatio illud vitandi, alias non censeretur esse peccatum; sed nomine consilii intelligit Doctor suasionem alicujus faciendi, sive sine obligatione, sive cum obligatione levi non inferente separationem perpetuam a Deo.

Ex quibus sequitur germanam genuinamque distinctionem peccati venialis a mortali ex eo maxime repetendam, quod mortale sit gravis offensa et injuria gravisque transgressio; veniale autem tantum levis et imperfecta.

Petes 2. *An peccatum veniale specifice differat a mortali?*

Respondeo, non differre physice, et secundum entitatem actus: sicut enim præceptum grave, et præceptum leve circa eamdem materiam non differunt secundum essentiam, sed secundum intensionem; sic a pari ita non differunt offensæ in materia ejusdem speciei gravis aut levis; quia fiunt contra Dei præceptum grave aut leve; ideoque furtum unius assis, et furtum centum millium non differunt specie physica; quia versantur circa eamdem materiam, et contra idem præceptum, *Non furtum facies*. Differunt tamen specie morali, quia unum ex natura sua est separativum a Deo, alterum non est; et sicut illud quod est malum ex natura sua morali constituitur in diversa specie

malitiæ moralis, per hoc quod prohibeatur alia prohibitione ; ita etiam licet peccatum quod dicitur veniale, et illud quod dicitur mortale secundum se, seclusa prohibitione sub pœna tali, essent ejusdem speciei ; tamen accidentali prohibitione possent constitui in diversa specie morali, de quo tamen non potest esse alia difficultas, quam de nomine. *Confirmatur:* quia si non competeret mortali, ex natura sua specifica morali, separare a Deo, sed ex differentia aliqua accidentali, majoris intensionis v. gr., non posset ostendi quomodo plura peccata venialia non possent separare a Deo : sed certum est quod non separent, quantumvis multiplicentur : ergo non ex intensione majori convenit mortali sic separare, sed ex natura sua specifica morali.

PETES 3. *An peccatum veniale fieri possit mortale?*

RESPONDET SERAPHICUS DOCTOR lib. 3. Compendii Theologicæ veritatis cap. 12. quod peccatum veniale sub ratione formali peccati venialis consideratum nusquam possit fieri mortale, nec quantum ad actum, nec quantum ad maculam; quia nulla res potest mutare suam speciem: peccatum autem veniale, et mortale sunt diversæ species peccati. — *Respondet secundo,* quod actus qui ex se est de genere venialis, potest fieri mortalis quatuor modis: *Primo ex conscientia:* « quia quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam, etiam « si sit contra erroneam; et hæc est ratio: quia cum in peccato duo « sint, scilicet aversio, et conversio, penes primum judicatur peccatum; « quoniam aversio a Deo est quasi formale; et conversio ad creaturas « materiale. Quamvis ergo levare festucam, vel calamum dextera, vi- « deatur esse leve, et indifferens, tamen quando fit contra conscien- « tiam, peccatum est mortale; quia spernitur bonum incommutabile; « et ita fit aversio a Creatore. *Secundo ex complacentia:* unde Aug. « nullum peccatum adeo est veniale, quod non fiat mortale, dum « placet. *Tertio ex dispositione,* quia frequenter per lapsum in ve- « nialia, disponitur homo ad mortalia, et hoc secundum illud Gre- « gorii: *Vitasti saxa grandia, vide ne obruaris arena:* et hoc ideo « dicit, quia sæpe de minimis peccatis venitur ad magna, sicut de « modica scintilla quandoque surgit magnus ignis : *Qui minima spernit « paulatim decidet. Quarto ex progressu,* quia quando insurgit veniale, « si non prohiberetur, posset progredi usque ad mortale; non quia « ipsum veniale in substantia posset fieri mortale, sed quia ex ipso « occasionaliter fieret progressus ad mortale: et istud patet in primis « motibus, qui inter venialia computantur ; sed quando delectatio « convalescit in tantum quod consensus accidit, jam peccatum est « mortale. »

PETES 4. *Quibus maxime notis peccatum mortale a veniali discernatur?*

RESPONDEO, has quatuor sequentes regulas esse attendendas, ut ejusmodi fiat discretio: *Prima* est quod ad peccatum mortale gravitas præcepti divini est attendenda, quæ vel ex Scriptura, vel traditione divina, vel ratione innotescit. Nam quæ in Scriptura sub pœna mortis, execrationis, abominationis, et exclusionis a regno Cælorum, aut similibus interminationibus prohibentur, intelligenda sunt graviter vetari; quale est illud primæ ad Corinthios 6. *Nolite errare, neque for-*

nicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. — Ratione vero dignoscitur præcepti gravitas, spectando ad materiæ dignitatem, naturam, cui existimandum est Deum pro sua benignitate, et suavi providentiæ suæ administratione sese accommodare, ita ut levia leviter, gravia graviter præcepisse censeatur; nisi aliunde gravissimæ pœnæ adsit adjuncta interminatio; fieri namque potest, ut super materia levi, imo etiam per se indifferente, feratur præceptum grave, sufficiens ad mortale peccatum, si præceptum illud integra libertate violetur; quale fuit præceptum datum primo Parenti *Gen.* 2. erat enim de re per se levi, et indifferente; nihilominus mandatum erat grave, sufficiens ad peccatum mortale, utpote sub pœna mortis injunctum his verbis: *In quacumque die comederis morte morieris.* — *Secunda regula* est, quod quamvis præceptum sit grave, nihilominus potest esse levis transgressio, si nempe fiat non ex plena et sufficienti deliberatione; sed ex subreptione, et indeliberatione voluntatis. Cum enim peccatum omne debeat esse voluntarium, eo gravius aut levius censendum est, quod majori vel minori voluntatis deliberatione consummatur. — *Tertio* juvat etiam observare, num actus peccaminosus sit immediate contra præceptum divinum, aut immediate contra humanum, et solum mediate, et consequenter contra divinum: etenim hac posteriori ratione valde minuitur peccati gravitas: cum enim potestas hominibus concessa non sit simpliciter summa, nec sine restrictione, sed ordinata ad finem, et illi contemperata, inde fit quod nec parva bona ita severe ab hominibus præcipi, nec parva mala maxima sub pœna prohiberi ab hominibus possint, ut eorum grave mandatum semper sufficiat ad peccatum mortale; cujus ratio est quod minus malum non bene nec utiliter redimatur majori malo. Est autem majus malum ut sit periculum peccandi mortaliter, quam ut parvum bonum prætermittatur, et hac ratione parvum malum admittatur: ergo cum homines non habeant potestatem præcipiendi aut prohibendi nisi *in ædificationem, non autem in destructionem*, ut loquitur S. Paulus de potestate Apostolica sibi concessa, secundæ ad Corinthios 13, inde fit quod non possunt circa parva, et levia constituere grave mandatum, cujus transgressio sit peccatum mortale.

Nec dicas, summos Pontifices interdum præcipere graviter levia quædam circa modum administrandi Sacramenta v. g. celebrandi Missam. — Respondeo, id non esse leve, sed grave, ut sacrificium ordine convenienti celebretur, et Sacramenta ritu congruo administrentur, maxime cum hæc spectent ad Dei gloriam, et reverentiam rei sacræ.

Quarto denique in præceptis humanis non sufficit ad peccatum mortale, quod res sit gravis, sed etiam requiritur ut graviter eam præcipere intendat legislator; unde recte advertit Sanchez lib. in Decalog. cap. 1. et cum eo Martinonus Disp. 18. Sect. 5. quod non quæcumque Pontifex interdicit aut jubet, quamvis dicat ex divini Numinis affectu se firmiter ea jubere, aut interdicere, obligant subinde sub mortali; sed id ex materiæ præceptæ gravitate, aut necessitate, atque pœna transgressoribus statuta deducendum est.

QUÆSTIO TERTIA.

A QUIBUS PETENDA SIT SPECIFICA, ET NUMERICA PECCATORUM DISTINCTIO.

Notandum 1. Peccata considerari posse vel materialiter, et physice secundum entitatem actus, aut quasi actus vitiosi: vel formaliter, et moraliter secundum illorum deformitatem, et disconvenientiam ad objectum, præceptum, finem, circumstantias, et regulas bene probeque agendi. Certum est autem peccata priori modo spectata invicem interdum specie distingui; alia enim sunt peccata commissionis a peccatis omissionis: similiter alia sunt interna peccata, quæ per actus pure internos perpetrantur, ab eis quæ externo opere complentur; aliud namque est videre mulierem ad concupiscendam eam, et aliud cum ea adulterium committere: unde solum hic superest examinandum a quibus maxime peti debeat specifica ac numerica peccatorum distinctio secundum eorum esse morale: an videlicet a circumstantiis, quibus afficiuntur, an a præceptis in quæ pugnant, an ab objectis circa quæ versantur.

Notandum 2. Distinctionem præceptorum posse considerari dupliciter: nimirum, vel ex parte præcipientis, vel ex parte rei præceptæ. Priori modo aliud est præceptum naturale, ipso videlicet naturæ ductu, et lumine singulis hominibus insinuatum, et aliud positivum per edictum et legem a superiore præscriptam et positam. *Rursus*, positivum distribuitur in divinum, et humanum: humanum autem in ecclesiasticum, et civile. Posteriori modo præcepta distinguuntur juxta diversitatem virtutum, quas præcipiunt, aut vitiorum, quæ prohibent. Cum autem quælibet virtus plures habeat actus specie diversos, diversasque agendi regulas, quibus regulari debet, quo fit ut contra eam multipliciter peccari possit; sic quia virtus temperantiæ v. gr. versatur circa moderationem in cibo, potu, ludo, et voluptatibus corporis, inde fit quod contra eam varie peccari possit, nempe per gulam, per ebrietatem, per fornicationem etc.; hinc est quod eadem virtus possit præcipi variis præceptis. Imo etiam contingit interdum, quod unus, idemque virtutis actus possit multis præceptis esse illicitus, aut necessarius; nam v. g. peccatum usuræ est prohibitum jure naturæ, atque etiam positivo divino ecclesiastico et civili. Potest similiter idem actus pluribus virtutibus adversari; sic furtum rei sacræ, aut percussio Clerici repugnat simul justitiæ, et religioni, seu reverentiæ debitæ rebus, et personis Deo dicatis, atque etiam obedientiæ erga Deum, et superiores, a quibus hæc peccata prohibentur.

Notandum 3. Quod quemadmodum superiores præcipientes, diversa habent jura, quibus inferioribus possunt imperare; ita inferiores varias, et distinctas contrahunt obligationes eis obediendi: unde fit quod quando titulus, quo eis obtemperare tenemur, est specie diversus, etiam inobedientia, quæ contra eorum præcepta committitur, est specie diversa. Sic quia jus Prælatorum Regularium imperandi suis religiosis est quid religiosum ortum ex voto obedientiæ, quæritur an inobedientia contra illos commissa, sit peccatum contra virtutem religionis specie diversum ab inobedientia, quæ fieret erga alium superiorem; seu an qui non

obedit superiori præcipiendi auctoritatem habenti, cui ex voto parere tenetur, duplicem malitiam contrahat per illam unicam inobedientiam, unam quidem contra virtutem, cujus rectitudo præcipitur, et in cujus specie res præcepta constituitur; alteram contra voti religionem.

His ita prælibatis, tria hic occurrunt determinanda: *Primum*, an specifica peccatorum distinctio petatur interdum a circumstantiis, quibus actus afficiunt: *Secundum*, an ob objectis, circa quæ versantur: *Tertium*, an a præceptis, in quæ militant.

Conclusio prima. — Specifica peccatorum distinctio petitur interdum a circumstantiis specie differentibus. Hæc est communis inter Theologos, contra Durandum in. 2. d. 38. qu. 1. ubi docet nullam circumstantiam tribuere actui humano bonitatem aliquam, vel malitiam, quia, inquit, cum illam tribuit, transit in rationem objecti, et desinit esse circumstantia. Censet equidem aliquas esse circumstantias morales in ordine ad entitatem physicam actus, cui accidunt, sed non in ordine ad actum, ut moralis est, ut sic enim circumstantiæ, inquit, induunt rationem objecti.

Probatur itaque conclusio: ab eo peccatum dicitur esse specie distinctum, a quo habet novam et specie distinctam difformitatem cum ratione et regulis bene vivendi: sed id aliquando habet a circumstantiis actum concomitantibus; adeoque ab eis peccata diversam speciem induunt. *Major* constat. *Minor* probatur: *Primo* ex Concil. Trident. Sess. 14. Canone 7. ubi definit in confessione aperiendas esse circumstantias, quæ speciem peccati immutant: idemque docet ibidem cap. 5. his verbis: *colligitur præterea etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant.* Censet ergo aliquas circumstantias novam peccati speciem in actum inducere. *Secundo*, eadem *Minor* constat ex doctrina SS. Patrum, qui mirum in modum exaggerant malitiam, et deformitatem, quam actus peccaminosi et mali induunt a circumstantia, vel personæ, vel loci, vel temporis. Sic S. Isidorus lib. Sententiarum cap. 18. peccatum ex conditione personæ aggravari docet; *Peccata*, inquit, *quæ incipientibus levia sunt, perfectis viris gravia deputantur; tanto enim gravius cognoscitur esse peccatum, quanto major, qui peccat habetur. Crescit enim delicti cumulus juxta ordinem meritorum, et sæpe quod minoribus ignoscitur, majoribus imputatur.* Hinc Salvianus lib. 1. *De Providentia*, Christianos gravius, quam infideles eumdem actum vitiosum elicientes peccare demonstrat. *Omnis enim*, inquit, *Christianorum culpa Divinitatis injuria est, atrocius sub sancti nominis professione peccamus; ipsa errores nostros religio, quam profitemur, accusat.* Similiter ex sanctitate loci per peccatum vitiati, ac profanati, peccatorum diversitatem et gravitatem SS. Patres interdum colligunt: sic S. Hieron. Sabinianum Diaconum increpat, quod Virginem quamdam sacram e Monasterio Bethleemetico ad stuprum, fugamque sollicitaverit, hujusque immanitatem sceleris a circumstantia loci sacri, in quo commissum fuerat, explicat his verbis: *Infelicissime mortalium, tu speluncam illam, in qua Dei filius natus est, et Veritas de terra orta est, et terra dedit Fructum suum, de stupro conducturus ingrederis? Non times ne de præsepi Infans ragiat, ne puerpera Virgo te videat, ne Mater Do-*

mini contempletur? Angeli clamant, Pastores currunt, stella desuper rutilat, Magi adorant, Herodes terretur, Jerosolyma conturbatur, et tu cubiculum Virginis decepturus virginem irrepis? Pareo miser, et tam mente, quam corpore perhorresco, non possum ultra progredi, prorumpunt lacrimæ antequam verba, indignatione pariter ac dolore in ipso meatu faucium spiritus coarctatur. — Denique etiam peccati immanitatem ex temporis circumstantia colligunt SS. Patres. Sic S. Leo Sermone 7. de Passione gravitatem sceleris Judæorum exaggerat ex eo quod Christum occiderint in festo Paschali. *Quando,* inquit, *qui ornare templum, mundare vasa, et victimas providere, et legitimis purificationibus sacratiorem diligentiam adhibere debuerant, parricidalis odii furore concepto, ad unum opus vacant, in unum facinus simili crudelitate conjurant.*

Dices 1: Ut aliquid humanis actibus malitiam conferat, debet esse volitum: sed omne quod est volitum est objectum volitionis, sicut omne cognitum est objectum intellectus: ergo non a circumstantia, sed ab objecto malitiæ speciem et gravitatem induunt. — **Distinguo majorem:** debet semper esse volitum per se primario, et directe, nego: secundario, et indirecte, concedo. Et similiter distincta *minore,* nego *consequentiam.* Quamvis enim solum objectum essentialiter actum specificans sit volitum directe et primario, tamen circumstantiæ sunt volitæ secundario et indirecte, propter summam necessitudinem, quam habent cum objecto actum specificante; cum enim voluntas sit potentia spiritalis non alligata organo, reflecti potest supra seipsam, et voluntarie tendere non solum in objectum specificativum, sed etiam in circumstantias actum concomitantes, vel in ipsum actum, licet affectum tali vel tali circumstantia.

Dices 2: Bonitas, vel malitia moralis, est quid intrinsecum actui humano; circumstantiæ vero sunt ipsi quid extrinsecum: sed nihil intrinsecum desumi potest ab extrinseco; nihil enim intrinsece denominatur a forma, quæ ipsi non inest: ergo actus humanus non potest esse, nec denominari vitiosus a circumstantiis. — **Distinguo minorem:** nihil intrinsecum physice, et entitative denominari potest ab extrinseco, concedo; nihil intrinsecum moraliter denominari potest ab extrinseco physico; nego. Alias enim sequeretur, quod objectum non daret actui humano aliquam bonitatem, vel malitiam moralem intrinsecam; tam enim extrinsecum est objectum, quam ipsæ circumstantiæ. Igitur qua ratione actus humani desumunt ab objecto bonitatem, vel malitiam intrinsecam, specificam et essentialem, propter ordinem transcendentalem et intrinsecum, quem ipsi actus habent ad illud objectum conveniens vel disconveniens regulis recte vivendi, pari jure suam bonitatem, vel malitiam moralem mutuantur a circumstantiis extrinsecis, propter similem ordinem, quem actus humanus ad illas circumstantias habet. Consule quæ ex Doctore supra diximus, Trac. *De Angelis,* pag. 401.

Conclusio secunda. — Distinctio specifica peccatorum non desumitur ab objecto entitative spectato, sed quatenus illa objecta materialia diversam induunt disconvenientiam cum regulis bene vivendi, privantque diversa rectitudine,

QUÆ ACTIBUS INESSE DEBERET. Hæc est Doctoris in 2. d. 37. num. 9. ubi cum dixisset, quod cum privationes distinguantur specie ex distinctione specifica habituum, et numero ex distinctione habituum numerali, subdit: « peccata, quæ sunt privationes quædam, scilicet rectitudinum, quæ deberent inesse actibus, distinguuntur formaliter ex « distinctione talium rectitudinum, ut quando debent haberi diversæ « rectitudines specie, sunt carentiæ diversæ specie. Et ita non per « comparationem ad objecta, quæ non sunt mala, nisi materialiter, « distinguuntur ipsa peccata: sed formalis ratio in eis distinguitur in « comparatione ad rectitudinem aliam, et aliam specie, quæ deberet « inesse. »

Patet hujus conclusionis veritas quantum ad utramque partem: entitativa namque objectorum diversitas potest aliquando ab eodem actu peccaminoso attingi: furtum namque tendere potest in res specifice diversas, puta in panem, pecuniam, vestes, etc. nec ab eis diversitatem specificam induit, nisi quando in illis objectis materialibus apparet diversa et dissimilis indecentia et dissonantia cum regulis bene vivendi: sic ablatio vitæ, honoris, et bonorum fortunæ diversam specie inferunt peccati malitiam, diversamque speciem actus peccaminosi constituunt, nempe homicidium, detractionem, et furtum: propterea quod ablationes illæ rerum diversarum diversam indecentiam, et dissonantiam ad regulas bene vivendi conferunt. — Ut autem objectum actui humano conferat specialem bonitatem, vel malitiam formalem, non est necessum, quod illa malitia objectiva sit directe, vel per se cognita, et volita, sed sufficit eam esse cognitam, et volitam indirecte: differentia enim inter actus bonos, et malos ex parte cognitionis, et volitionis, hæc potest affirmari, quod ad formalem bonitatem actui tribuendam debet voluntas velle bonum et honestum, quia bonum est: ad malitiam vero sufficit velle malum propter aliquid aliud, et non abstinere ab illo, ut agamus id quod aliunde placet, aut omittamus id quod aliunde displicet; nam, inquit Martinonus, Disputatione 10. Sectione 2: qui orat in loco sacro, non dat actui suo specialem bonitatem ex illa circumstantia, nisi reverentia loci sacri eum moveat ad ibi orandum, et oret in loco sacro, quia sacer est. At vero si quis occidat in loco sacro, contrahit ex eo malitiam sacrilegii, tametsi non occidat in loco illo, quia sacer est; sufficit enim, quod non abstineat ab homicidio perpetrando propter reverentiam loci, cui illam debet, et velit odio suo satisfacere, non obstante reverentia loci sacri. Ratio generalis est, quia turpe est et indecens naturæ rationali, velle aut acceptare malum, non modo directe et propter se (et quidem impossibile est per se pure, et præcise illud velle, aut acceptare) sed etiam propter aliud: damnanturque in Scriptura, qui dicunt: *Faciamus mala, ut eveniant bona.* Rom. 3. versu 8. Voluntas enim, quæ vult malum, idest, inhonestum, hoc ipso mala est, ex quocumque motivo illud velit, quia hoc ipso postponit honestatem turpitudini contra rectam rationem, et contra quam facere debeat. Sic ut aliquis peccet peccato furti formaliter, non est necesse, ut furetur propter malitiam furti, sed sufficit furari ex quocumque fine. Idemque est de odio, invidia, intemperantia, sacrilegio, homicidio, et aliis peccatis, sive exterius consummentur, sive interius; et qui furatur, ut

adulteretur, non desinit esse fur proprie et formaliter, licet ad furtum moveatur ex affectu alterius peccati.

Conclusio tertia. — DISTINCTIO SPECIFICA PECCATORUM NON RECTE INFERTUR EX DIVERSITATE PRÆCEPTORUM, QUÆ FIUNT A SUPERIORIBUS IDEM PRÆCIPIENTIBUS IN EADEM SPECIE VIRTUTIS, SIVE EX EODEM MOTIVO: SECUS AUTEM SI RESPICIANT DIVERSAS VIRTUTES, ET HABEANT MOTIVA FORMALIA DIVERSA. Hæc conclusio duas habet partes, quarum

Prima per se patet: diversitas enim peccatorum pensanda est ex objecto quod prohibetur, non autem ex parte præcipientis, seu legislatoris, qui se habet instar causæ extrinsecæ: plures autem causæ extrinsecæ concurrentes ad eumdem effectum non variant ejus rationem formalem: ergo nec diversitas præcipientium, aut prohibentium eumdem actum, illius specificam diversitatem efficit. *Confirmatur:* furtum v. g. prohibetur de facto lege divina, quæ est actus Dei, et humana, quæ est actus hominis; sed exinde non censetur esse multiplex peccatum, quando idem actus furandi versatur circa idem objectum, et cum eodem motivo: ergo diversitas præcipientium non efficit diversitatem peccati.

Partet etiam secunda pars, quia quoties præceptum est specie diversum, toties peccata illi opposita habent distinctum objectum, et motivum; toties enim peccatur contra diversum titulum, diversamque regulam agendi secundum dictamen rectæ rationis; sed quælibet virtus habet præcepta specie diversa, seu diversas agendi regulas: *aliud* enim est præceptum, quo temperantia præcipit moderationem in jocis, ludis, et voluptatibus corporis, contra quod peccatur per scurrilitatem, luxuriam, et alia vitia: et *aliud*, quo præcipit moderationem in cibo, et potu, contra quæ peccatur per ebrietatem et gulam: ergo cum ab objectis, et motivis peccata specificentur, et distinguantur, consequens est, ut præcepta ita distincta inferant specificam distinctionem peccatorum.

EX HIS COLLIGE, quod violenta percussio Clerici v. g. duplicem induit speciem malitiæ, scilicet injustitiæ, et sacrilegii, quia hujusmodi actus jure naturali, et positivo prohibetur ex duplici motivo specie diverso, nempe ex motivo justitiæ proveniente a jure naturali, et ex motivo religionis a jure positivo. Secus vero dicendum de eo, qui frangit jejunium in vigilia incidente in quatuor tempora, vel omittente Sacrum die festo, qui in die Dominica occurrit: licet enim duplex concurrat præceptum de jejunando ipso die, unum quidem ratione vigiliæ, aliud ratione quatuor temporum, nihilominus quia utrobique est idem finis intrinsecus, et respicitur immediate materia ejusdem virtutis, videlicet abstinentiæ, inde fit quod illius præcepti transgressio sit unicum peccatum. Idem dicendum de omissione Missæ in die festo occurrente die Dominica. Qui plura desiderat consulat nostram Academicam Philosophicam, Disp. de bonitate et malitia actuum humanorum.

QUÆSTIO QUARTA.

AN, ET QUAS PECCATUM HABEAT INTERIORES CAUSAS EFFICIENTES.

Etiamsi peccatum nullam proprie dictam causam efficientem habeat, ut subtiliter monet S. August., lib. 12. *De Civit.*, cap. 7. dicens: *Nemo quærat efficientem causam malæ voluntatis, non enim est efficiens, sed deficiens, quia nec illa effectio est, sed defectio; deficere namque ab illo, quod summe est, ad id quod minus est, hoc est incipere habere malam voluntatem. Causas porro istarum defectionum cum efficientes non sint, ut dixi, sed deficientes, velle invenire, tale est, ac si velit quisquam videre tenebras, vel audire silentium.* Licet, inquam, peccatum causam efficientem nullam proprie dictam agnoscat; nihilominus nonnullæ ipsius quasi causæ solent assignari; illæque duplicis generis: aliæ quidem interiores in ipso homine peccatore residentes; aliæ vero exteriores, et extra ipsum subsistentes. Prioris generis tres communiter numerantur; nempe *ignorantia* ex parte intellectus; *concupiscentia* ex parte appetitus, et *malitia* ex parte voluntatis. Posterioris etiam generis tres pariter assignantur; nempe *dæmon* per suggestionem, et tentationem, *Adamus* per traductionem, et propagationem, necnon et quivis peccator per scandalum, consilium, impulsum, etc. *Denique* hæretici Deum ipsum in peccati causam efficientem assignant, non solum quatenus concurrit ad entitatem actus peccaminosi; sed etiam prout illum actum præcipit, ad eumque eliciendum humanam voluntatem imperio suo et impulsu inducit. In præsenti Quæstione sermo erit de causis intrinsecis peccati; in sequenti vero de causis extrinsecis.

Notandum 1. Triplicem generatim distingui peccandi modum: primus quidem ex ignorantia intellectus; secundus ex passione seu infirmitate appetitus: tertius ex malitia, et libertate voluntatis, qua voluntas pro libito, et nulla præcedente ignorantia, nec incitante passione, vult peccatum sub aliqua ratione boni utilis, aut delectabilis. Cum enim voluntas non habeat necessitatem amplectendi id quod honestum ab intellectu monstratur, sed sponte et motu proprio ferri possit in id quod deterius est, etiam contra dictamen rationis; inde fit quod peccare potest, non solum ex ignorantia, seu ex defectu cognitionis, quæ si adesset retraheret a peccato, nec solum ex concupiscentia, quæ moveat et alliciat voluntatem ad sibi obsequendum; sed etiam peccare potest ex malitia: quando videlicet scienter, et libere, ac sponte sua, suoque nutu, ac motu solo in peccatum labitur; qua ratione censetur peccasse Adamus: quippe peccavit non motus concupiscentia, qua tunc carebat, neque ignorantia, vel errore inductus, quia non fuit seductus in prævaricatione 1. ad Timoth. 2. Tria autem hæc peccatorum genera colliguntur ex Scriptura sacra: nam de peccatis ex ignorantia loquitur David Psal. 24. Deum sic orans: *Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris, Domine.* Et Apostolus 1. ad Timoth. 1. *Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* De peccatis concupiscentiæ loquitur Daniel cap. 23. *Species te decepit, et concupiscentia subvertit cor tuum.*

Similiter S. Jacobus cap. 1. *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua* etc. De peccatis vero ex malitia fit sermo Job. 34. *Quasi de industria recesserunt a Deo, et omnes vias ejus intelligere noluerunt.* Eadem tria peccatorum genera agnoscunt SS. Patres, maxime S. Aug. qui lib. 83. qq. quæst. 26. ait: « Alia sunt peccata infirmitatis, alia « imperitiæ, alia malitiæ. Infirmitas contraria est virtuti; imperitia « contraria est sapientiæ; malitia contraria est bonitati ». Similem sententiam S. Gregorii Magni refert Gratianus distinct. 2. *De Pœnitentia* cap. 22. in hæc verba: « sciendum est, quod peccatum tribus « modis committitur; nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio « perpetratur. Et gravius quidem ex infirmitate, quam ignorantia; « sed multo gravius studio, quam infirmitate peccatur. » Quoniam autem peccatum ex malitia maxime dicitur militare in Spiritum sanctum, idcirco de hoc peccati genere specialis erit nobis sermo, dum de donis Spiritus S. disseremus. Hic itaque solum superest determinandum, qualiter ignorantia et concupiscentia possint esse culpabiles, et ad peccatum inductivæ.

Notandum 2. Quod concupiscentia sit causa peccati; nam inquit S. Jacobus capite 1. *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus: deinde concupiscentia cum conceperit parit peccatum, peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem.* Idem docet S. Paulus ad Rom. 7. dicens: *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Licet autem hoc vitium sit in parte inferiori hominis, quæ sensualitas appellatur, ferturque impotenter ad bona sensibilia et delectabilia, præsertim gustus et tactus: propter quod Apostolus Roman. 7. concupiscentiam appellat *legem membrorum; et habitans in carne peccatum;* tamen in voluntate ipsa simile aliquod vitium residet: nam voluntas, sive superior hominis pars, prona est ad concupiscenda bona utilia, et delectabilia honesto repugnantia, idque etiam resistente rationis dictamine, et sæpissime vel eam præveniente, vel, quod pejus est, eam superante. Unde Apostolus ad Galatas 5. cum dixisset, quod *caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem,* inter opera concupiscentiæ carnis recenset non solum ea, quæ ad sensualitatem pertinent, puta fornicationem, immunditiam etc., verum etiam illa, quæ ad partem hominis superiorem, vel ad utramque spectant, nempe idolorum servitutem, inimicitias, contentiones, æmulationes, iras, rixas, etc. Quæ omnia appellat *opera carnis,* intelligens per *carnem* totum hominem prout carnaliter vivit, non secundum Deum, sed secundum seipsum. Quoniam autem jam pluries sermonem fecimus de concupiscentia, tum in *Disp. de statu naturæ puræ,* tum in superiori Articulo, ubi aperuimus eam non esse peccatum proprie dictum; idcirco solum hic de ignorantia est disserendum. Quapropter

Notandum 3. Ex Seraph. Doctore in *Centiloquio* 1. *p. Sectione* 7. ignorantiam distingui posse multiplicis generis, *Primo* namque ratione formæ vel absentis vel præsentis; *Alia est,* inquit, ignorantia negationis, alia privationis, alia pravæ dispositionis. *Ignorantia negationis* est in parvulis, quæ non est culpa, neque pœna usque ad præfinitum tempus. *Ignorantia privationis* est in adultis, qui tempore determi-

nato ignorant quæ possunt scire, vel obliviscuntur quæ aliquando didicerunt. *Ignorantia pravæ dispositionis* est qua quis opinatur contraria fidei, quæ potest erronea dici, et est in hæreticis. *Secundo, ratione objecti* dividitur in *speculativam* et *practicam*. Prior opponitur positive, vel privative cognitioni speculativæ: posterior vero cognitioni practicæ. Similiter alia est ignorantia facti, alia juris. Juris, aut juris naturalis, et hæc non excusat, cum sit scriptum in corde hominis: vel juris divini, ut legis, Prophetarum, Evangelii, et doctrinæ Apostolicæ, et ista accusat sicut de magno, et mortali delicto, Prælatos, maxime Episcopos, et Metropolitanos, qui tenentur de fide, et spe reddere rationem. Accusat autem sicut de veniali Clericos simplices et illiteratos, qui cum potuissent discere, noluerunt. Laicos vero in nullo accusat, quia ad ipsos non pertinet, dummodo non contemnant. Si est juris positivi, ut legum, et decretorum, solos judices accusat. Si est ignorantia juris continentis morales constitutiones Ecclesiasticas, ad discernenda peccata, accusat Sacerdotes et Confessores. Si vero est ignorantia facti, aut indifferentis, sic sufficienter excusat, aut necessarii ad salutem, et sic aut non potest vitari sicut in amente, qui a nativitate caruit judicio rationis, et hæc excusat; aut potest vitari, sicut in Judæis et Paganis, qui potuerunt scire Christum passum fuisse pro salute hominum, et hæc non excusat. *Tertio, ratione intellectus, et voluntatis*, alia est *ignorantia cognita*, et quædam *non cognita:* alia voluntaria, et quædam involuntaria: alia culpabilis, et quædam inculpabilis, non enim idem est ignorantiam esse voluntariam, et eam esse culpabilem; nam ut culpabilis sit, debet esse contra debitum; quæcumque autem ignorantia voluntaria non est contra debitum, quia nobis licet, imo expedit plura ignorare. *Rursus* ignorantia voluntatis est duplex: una dicitur *affectata*, quæ est directe volita: alia *crassa* vel supina; non affectata quidem, sed non vitata cum omni diligentia debita, sed aliqua cum negligentia. Hæc autem negligentia varios habet gradus: nam quod aliquis non satis devitet, et repellat ignorantiam, procedit aliquando ex infirmitate, eo quod in ipsa depellenda sit tædium et molestia; aliquando ex mera libertate; aliquando vero ex defectu intelligentiæ; quia nempe ignorantia ipsa, vel debitum sciendi, non ita perfecte innotescit, ac opus est. *Quarta respectu et comparatione ad actus voluntatis*, quædam ignorantia dicitur *antecedens*, quædam *subsequens*, et quædam *concomitans*. Prima est causa actus, quatenus sine illa non fieret id quod agitur, ut cum venator hominem occidit cum putans esse feram; revera namque eum non occideret, si hominem esse sciret. *Secunda* est cujus aliquo modo voluntas est causa, ut cum venator dubitans id, quod inter dumeta, vepres, aut sylvas movere deprehendit, sit ne homo, aut fera, negligit diligentius inquirere, et interim telum vibrat. *Tertia*, non est causa actus, sed tantummodo est cum actu, qui non minus fieret, si ipsa non adesset, ut si venator putat quidem feram esse, id in quod telum torquet, cum tamen sit homo, non minus tamen occidisset, etsi hominem esse scivisset; non est autem dubium hanc ignorantiam esse peccati causam, cum omnino voluntarie ad homicidium inducat. *Quinto ratione subjecti*, alia est ignorantia *vincibilis*, alia *invincibilis*. Invincibilis illa dicitur, quando non est in potestate alicujus scire id, quod

ignorat, seu quando non potest omni humana adhibita diligentia ignorantiam suam vincere et a se depellere; qualis est ignorantia mysteriorum fidei in illis infidelibus qui nihil de Evangelio audierunt, nec audire potuerunt, nullo apud eos Evangelium prædicante, qui idcirco infideles negative appellantur. *Vincibilis* est, quæ adhibita morali diligentia, superari potest, idque dupliciter, nam, inquit Seraph. Doctor, alia potest removeri cum magna difficultate, qualis est in valde hebetibus, hæcque excusat a tanto, non vero a toto reatu culpæ, si sit de necessariis ad salutem: alia potest removeri cum facilitate, ut in ingeniosis; hæc autem non excusat. Similiter invincibilis per naturam, ut in puero, qui non utitur ratione, et in decrepito, qui non discernit, et in eo qui nascitur amens; hæc excusat a toto. Alia est invincibilis per culpam, ut in eo qui per culpam efficitur furiosus, et hæc secundum quosdam, inquit Seraph. Doctor, non excusat a toto. — Rursus ignorantia invincibilis est duplex: una quidem *facti*, alia vero *juris*. Prior est qua aliquod factum ignoratur, nec sciri potest, nisi alius edocuerit, et aperuerit: talis fuit ignorantia Abimelech, qui uxorem assumpserat Saram nesciens eam esse Abrahæ conjugem: unde cum hujusce facti a Deo argueretur, merito respondit: *Domine num gentem ignorantem, et justam interficies? Nonne ipse dixit mihi, Soror mea est, etc... Dixitque ad eum Deus: ego scio quod simplici corde feceris.* Posterior vero est ignorantia alicujus legis. Hæcque iterum duplex: alia quidem *ignorantia invincibilis legis naturalis*, puta ignorantia illius præscripti, *Deus est colendus, honorandi sunt parentes, alteri non est faciendum quod tibi fieri non vis:* altera vero *legis positivæ*, qualis v. g. est ignorantia illius legis Evangelicæ præscribentis necessitatem baptismi ad salutem consequendam, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, etc. Quoniam autem omnes præfatæ ignorantiæ species maxime ad vincibilem et invincibilem revocantur: ideo de his potissimum erit sermo in sequentibus Conclusionibus, quarum *Prima* aperiet, an ea quæ fiunt ex ignorantia sint peccata. *Secunda*, an ipsa ignorantia sit speciale peccatum ab aliis distinctum, sub ratione formali ignorantiæ. *Tertia denique*, an quæ fiunt ex ignorantia invincibili deputentur ad culpam, ut contendunt aliqui recentiores hæretici, affirmantes ea quæ fiunt ex ignorantia invincibili facti, vel juris positivi, non censeri culpabilia; secus vero de his, quæ fiunt ex ignorantia invincibili juris naturalis.

Conclusio prima. — IGNORANTIA VINCIBILIS INTERDUM EST CAUSA PECCATI: NON DIRECTA, SED INDIRECTA. Hæc Conclusio tribus partibus constat: quarum

Prima patet ex variis Scripturæ textibus, quibus homo dicitur peccare per ignorantiam: sic Levitici 4. *Si peccaverint principes per ignorantiam;* et rursus: *Si peccaverit anima per ignorantiam:* et cap. 5. statuuntur sacrificia offerenda pro illis, qui peccaverint ex ignorantia. Similiter ad Hebræos 9. Apostolus affirmat, quod semel in anno summus Judæorum Pontifex introibat non sine sanguine in sancta Sanctorum, quem offerret, inquit, *pro sua, et populi ignorantia*, hoc est, pro suis, et populi peccatis ex ignorantia commissis. Tandem Oseas, cap. 1. proferens causam vitiorum in terram inundantium, solam igno-

rantiam, seu scientiæ Dei defectum assignat. *Non est,* inquit, *veritas, non est scientia Dei in terra : Maledictum, mendacium, et homicidium, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit.*

Hanc ipsam veritatem egregie demonstrat S. Bernardus Epist. 77. ad Hugonem de Sancto Victore, quæ nunc inter speciales Tractatus locum habet in tomo 4. *ejus operum,* ubi refellens errorem negantis peccatum fieri ex ignorantia, cum præfatos Scripturæ textus retulisset, inde sic colligit: « si ignorantia, inquit, numquam peccatum est, « cur dictum est in Epistola ad Hebræos, *quia in secundo tabernaculo « semel in anno solus Pontifex intraret non sine sanguine quem offer- « ret pro sui, et populi ignorantia?* Si peccatum ignorantiæ nullum « est, non ergo peccavit Saulus quod persecutus est Ecclesiam Dei, « quoniam quidem hoc fecit manens in incredulitate. Bene itaque « faciebat quod erat blasphemus, et persecutor, et contumeliosus, « quando erat spirans minarum, et cædis in discipulos Domini, in hoc « ipso quippe abundanter æmulator existens paternarum suarum tra- « ditionum. Non ergo debuit dicere *Misericordiam consecutus sum*, sed « *mercedem recepi*, quippe quem ignorantia a peccato reddebat immu- « nem, insuper et æmulatio remunerabilem judicabat. Si, inquam, « ignorantia numquam peccatur, quid ergo causatur adversus occiso- « res Apostolorum? quoniam quidem non solum malum esse nescie- « runt interficere illos, sed insuper quoque id faciendo arbitrati sunt « obsequium se præstare Deo? Sed et frustra in cruce Salvator pro « suis orabat crucifixoribus, quippe nescientibus, ipso teste, quid face- « rent, et nequaquam ita peccantibus. Neque enim fas est ullatenus « suspicari mentitum fuisse Dominum Jesum aperte perhibentem eos « ignorare quid facerent. Et si forte de Apostolo dubitet quis quod « carnem suam æmulans, sicut homo mentiri potuerit, ubi ait: *Si enim « cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent ;* numquid ex « iis apparet in quantis jaceat ignorantiæ tenebris qui ignorat peccari « posse interdum per ignorantiam? »

Hoc ipsum edocet Subtilis Doctor in 2. d. 13. n. 2. ubi resolvit quomodo peccatum ex passione sit contra Patrem, ex ignorantia contra Filium, ex malitia seu ex plena libertate contra Spiritum sanctum. *Voluntas,* inquit, *quia conjuncta est appetitui sensitivo, nata est condelectari sibi : et ideo peccans occasionaliter ex inclinatione appetitus sensitivi ad suum delectabile, peccat ex passione, quod dicitur peccatum ex infirmitate, sive ex impotentia, et est appropriate in Patrem, cui attribuitur potentia. Ipsa etiam agit per cognitionem intellectualem, et ideo ratione errante, ipsa recte non vult, et peccatum ejus ex errore rationis dicitur peccatum ex ignorantia, et est contra Filium, cui attribuitur sapientia. Tertium etiam esset peccatum ipsius secundum se ex libertate sua, non condelectando appetitui sensitivo, neque ex errore rationis, et istud est recte ex malitia, et appropriate contra Spiritum sanctum, cui appropriatur bonitas.* Censet ergo Doctor revera peccari posse ex ignorantia.

Patet etiam secunda pars, nempe quod *ignorantia non sit causa peccati per se, et directe :* cum enim ignorantia sit privatio et carentia necessariæ cognitionis, nequit habere aliquem influxum positivum directe in actum peccaminosum ; privatio namque, cum sit non ens,

nulla prorsus activitate, nulloque influxu donari potest: concurrit tamen ad actum peccaminosum indirecte, et per accidens, quatenus nempe removet prohibens peccatum, tollendo videlicet scientiam et cognitionem, quæ si adesset, peccatum impediret: eo fere modo, quo quis removens muros domus tectum fulcientes, dicitur esse causa lapsus illius tecti; non quod ipsum tectum directe diruat ac disturbet, sed quia aufert fulcrum, quo nitebatur ac fulciebatur. — Hoc autem intelligendum est de ea omni prorsus ignorantia, quæ conferre potest ut aliquid mali agatur, quod sine illa non fieret, juxta dispositionem affectus operantis, qui ita secundum voluntatem est dispositus, ut si adverteret malum esse id quod facit, non faceret; exempli gratia, si sciret hunc esse Clericum, illum non percuteret; si sciret id, quod inter vepres movetur, esse hominem, telum in ipsum non vibraret, nec interficeret.

Conclusio secunda. — Ignorantia non est speciale peccatum distinctæ malitiæ ab eo peccato quod ratione illius committitur.

Probatur: Eatenus ignorantia illa, secundum se spectata, esset peccatum speciale, quatenus opponeretur virtuti alicui particulari, ab aliis virtutibus distinctæ; vel saltem quatenus speciali modo opponeretur aliis virtutibus: sed nulla potest assignari virtus particularis, cui hæc ignorantia opponitur; ignorantia namque non opponitur per se nisi virtuti studiositatis; hæc autem virtus non importat obligationem sciendi omnia, omnesque suos actus debita cognitione præmuniendi; sed tantum præscribit regulas, et modum in scientia comparanda; adeoque ignorantia, quæ actus peccaminosos comitatur, huic virtuti non censetur opponi.

Probatur 2. Non potest assignari cur aliqua sit ratio mali in ignorantia invincibili, aut negligentia ejus deponendæ, potius quam in quacumque altera ignorantia, nisi quatenus superior aliquis eam ignorantiam specialiter prohibet, aut quatenus per eam exponitur periculo committendi aliquod aliud peccatum: sed etiam ignorantia vincibilis puta rerum philosophicarum, secundum se non est peccatum, nisi quatenus per superiorem specialiter prohibetur, aut ad eam sequeretur periculum alicujus alterius peccati committendi: ergo qua ratione ignorantia invincibilis non est ex se speciale peccatum, sed tantum aliquatenus prout est contra præceptum superioris prohibentis talem ignorantiam; eadem ratione ignorantia vincibilis eatenus tantum potest esse peccatum, quatenus adversatur voluntati superioris illam prohibentis; sicque non censetur aliud esse peccatum, quam inobedientia: siquidem ideo tantum est mala, quia adversatur voluntati superioris.

Probatur 3. et præcedentes rationes firmantur: Ignorantia eatenus tantum est mala, quatenus est dedecens, et contra debitum: sed quatenus est causa peccati non est contra debitum speciale, et distinctum ab illo actu peccaminoso cujus censetur esse causa: ergo, etc. Probatur *minor:* ignorantia potest intelligi esse contra debitum dupliciter: primo ratione sui, si nimirum debitum sit aliquid sciendi per se, nempe ratione studiositatis, vel ratione fidei supernaturalis: sed hac

ratione non censetur esse speciale peccatum, quatenus est ignorantia præcise et directe, sed tantum quatenus induit rationem vitiorum et defectuum ipsis virtutibus oppositorum; adeoque non potest esse speciale peccatum a cæteris distinctum, sub ratione formali ignorantiæ. *Vel secundo,* ignorantia censetur esse mala, non quidem ratione sui, sed ratione periculi, vel mali ex ea secuturi. Sic autem ignorantia non potest etiam esse speciale peccatum ab illo periculo, et malo voluntario distinctum: tota enim culpa peccantis per ignorantiam est circa malum in illa cognitum, propter quod ipsa ignorantia vitanda est: hæc autem ignorantia non est speciale peccatum distinctum ab eo opere, quod ratione illius admittitur; nam pro diversitate illius mali, quod sit, est diversa ratio ignorantiæ; si enim sit periculum injustitiæ, ignorantia illa rationem injustitiæ induit; si vero sit periculum intemperantiæ, vel alterius actus peccaminosi, etiam est diversa malitia in ista ignorantia; adeoque illa non censenda est secundum se esse distinctum et speciale peccatum.

Dices 1: Qui curam assumit Concionatoris aut Confessarii aut Rectoris animarum, eo ipso censetur peccare, si vincibiliter ignorat, quæ docere debet, etiamsi nullum ex hoc secuturum esset aliud peccatum: ergo ignorantia vincibilis est peccatum speciale. — **Nego consequentiam,** eatenus enim ille censeretur peccare, quatenus nempe ageret vel contra obedientiam, si docendi curam ex præcepto suscepisset; vel contra justitiam, si ratione hujus doctrinæ stipendium acciperet; vel contra charitatem, si nempe ratione illius ignorantiæ secuturum esset aliquod damnum proximo, maxime in spiritualibus, et in eis quæ spectant ad salutem: adeoque in illo casu ignorantia non esset speciale peccatum distinctum ab inobedientia, vel injustitia, vel defectu charitatis.

Dices 2: Quilibet Christianus tenetur scire articulos fidei, præcepta Decalogi, et universalis Ecclesiæ, sicut et Religiosus debitum habet sciendi præcepta suæ regulæ, necnon et Sacerdos ritum dicendi Officii, et Sacri faciendi: ergo vincibilis ignorantia eorum erit peccaminosa: sed non potest assignari ulla malitia alterius peccati, quæ ipsi ignorantiæ competat: ergo hæc præcise ratione sui, et quatenus ignorantia est, censetur esse mala; adeoque specialem malitiam ab aliis peccatis distinctam habet. — **Nego subsumptum:** eodem enim præcepto, quo obligatur Christianus ad observanda mandata, Religiosus ad suam implendam regulam, et Sacerdos ad debite Sacrum faciendum, et recitandum Officium, obligantur etiam ad cognitionem ad hoc desideratam, et consequenter si, quæ scire debent, culpabiliter ignorant, peccabunt equidem contra ejusmodi præcepta sibi injuncta, non autem speciali peccato afficientur ratione tantum illius ignorantiæ.

Conclusio tertia. — Ignorantia invincibilis, etiam illa quæ versatur circa jus naturale, excusat a peccato. Hæc est communis inter Theologos contra Recentiores hæreticos Lutheri et Calvini sequaces, docentes ignorantiam invincibilem facti, et juris positivi excusare quidem a peccato; at non ita ignorantiam invincibilem juris naturalis.

Probant autem conclusionem quotquot in Novatores acerrime pugnaverunt, maxime vero Antonius Deschamps lib. 3. *De Hæresi Jansenïana*, disp. 4. Martinonus in *Antijansenio*, disp. 18. et probant, inquam, *Primo* quidem ex Scriptura sacra, maxime vero ex Joan. 15. ubi Christus de Judæis fidem, et venerationem sibi ut Messiæ et Dei filio debitam dare recusantibus, sic ait: *Si opera non fecissem, quæ nemo alius facit, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo*; perspicue affirmans excusandos fuisse a peccato, si ipsum talem esse ignorassent, et nisi ipse per opera mirabilia talem se esse sufficienter probasset. Si autem (ut recte argumentantur quidam docti recentiores) ignorantia invincibilis obligationis excusat a culpa eos qui non agnoscunt Deum personaliter in Christo sibi loquentem, par est ratio ut excuset eos qui non illum agnoscunt ore quasi alieno per dictamen rationis, et jus naturale præcipientem.— Similiter S. Paulus ad Rom. 1. dicit Gentiles ideo esse inexcusabiles, quia cum Deum cognovissent per ejus opera visibilia, non sicut Deum glorificaverunt, significans fore excusabiles, nisi Deum tali saltem modo cognovissent, et totali atque invincibili ejus ignorantia laborassent; si autem talis ignorantia excusaret a culpa non glorificantes Deum, cui certe gloria et adoratio debetur jure naturali, maximeque ad illud pertinet, par est ratio ut excuset circa cætera eodem jure naturali debita.

Suadetur hæc eadem veritas ex SS. Patribus, maxime vero ex S. Aug. cujus auctoritate potissimum niti videntur Adversarii. Hic, inquam, sanctissimus Doctor lib. 3. *De libero arbitrio*, cap. 19. sermonem faciens de illa ignorantia quæ oritur ex peccato Adami, quamque Adversarii dicunt esse juris naturalis, affirmat id omne quod per eam fit, non esse peccata nisi improprie, et metonymice; quia nempe sunt effectus peccati originalis, sicut locutio dicitur lingua, quia lingua fit; et scriptura vocatur manus, quia manu fit: « Illud, inquit, « quod ignorans quisque non recte facit, et quod recte volens facere « non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis primi Parentis originem ducunt: illud enim præcedens meruit « ista sequentia. Nam sicut linguam dicimus, non solum membrum « quod movemus in ore dum loquimur, sed etiam illud quod membri « hujus motum consequitur, idest, formam tenoremque verborum, « sic non solum peccatum illud dicimus, quod proprie vocatur peccatum, libera enim voluntate, et a sciente committitur: sed etiam illud « quod jam de hujus supplicio consequatur necesse est. » Et eodem capite, murmurantibus et conquerentibus de ignorantia et cæcitate ex peccato Adami contracta, respondet hac generali assertione: *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras.* Idemque repetit, et confirmat lib. *De Natura, et Gratia*, cap. 67. et lib. 1. *Retractationum*, cap. 9. necnon et lib. 22. *Contra Faustum*, cap. 44. ubi docet incestum Loth ebrii non ei fuisse culpabilem, et imputabilem, quia ignorans fecit: sed solam in eo culpandam fuisse ebrietatem, quam scienter admisit; ideoque non fuisse puniendum nisi quantum merebatur ebrietas. — Idem docent cæteri quique Patres: Chrysost. Hom. 15. in Epistolam ad Rom. *Nemo*, inquit, *ignoranter peccavit.... Si enim ignoranter peccaverunt, indigni utique*

erant qui pœnas darent. Eodem quoque spectant illa omnia testimonia, quibus prima Quæstione probatum est, peccatum necessario debere esse voluntarium, idest, scienter et libere patratum.

Probatur similiter conclusio ratione theologica, Primo quidem : ignorantia illa ab omni peccato excusat, quæ omnem adimit rationem voluntatis ; siquidem, ut diximus, ipsa ratio naturalis suadet peccatum usque adeo voluntarium esse, ut nullatenus censeatur esse peccatum, si non sit voluntarium : sed ignorantia invincibilis omnem ab actu voluntarii rationem adimit, cum auferat ab intellectu cognitionem, sine qua voluntarium esse nequit, juxta receptam ab omnibus definitionem Aristotelis : voluntarium illud est, quod est a principio cognoscente, etc.: ergo ignorantia invincibilis non est peccati causa, sed ab illo excusat. — *Secundo,* Deus ad impossibilia hominem non adigit: sed impossibilia præciperet, si invincibilis ignorantia non excusaret a peccato. *Probatur :* voluntas nostra cum sit potentia cæca, nec possit ferri in incognitum, id dumtaxat censetur habere in sua potestate quod ipsi ab intellectu faciendum vel omittendum ostenditur : sed ignorantia invincibilis omnem intellectus advertentiam, et cognitionem de re facienda vel omittenda adimit ; adeoque ignorantia illa impedit quominus illud faciendum vel omittendum sit in potestate voluntatis : et consequenter si homo teneretur ad implenda præcepta juris naturalis aut positivi quæ invincibiliter ignorat, censeretur ad impossibilia teneri. — *Tertio* denique probatur eadem veritas, solvendo præcipuum Adversariorum fundamentum. Idcirco ignorantia invincibilis juris naturalis esset culpabilis, non vero ignorantia juris positivi, aut facti, quia, inquiunt, scientia juris naturalis humanæ naturæ connaturalis est, eique naturaliter debita, et illa fuissent omnes homines præditi in statu innocentiæ, si perseverasset ; ideoque ejus ignorâtio est vitiosa, nec potuit nisi in pœnam peccati infligi : secus autem cognitio factorum, aut juris positivi, etiam divini ; cum enim lex Dei positiva ab ipsius libera voluntate pendeat, quæ tot ac tales leges, eoque tempore, et loco, et occasione ferre potest, quod absconditæ ipsius providentiæ, et consilio visum fuerit ; et idcirco illius legis positivæ scientia, neque angelicæ neque humanæ naturæ connaturalis est: sed sicut ejus legislatio, ita et ejus revelatio a Dei libertate pendet. Similiter facta, quia singularia sunt, sine fine variari possunt, neque naturam rationalem eorum cognitio naturaliter perficit, sicut veritatum illarum generalium practicarum, quæ jure naturæ continentur, vel ut ait Zanchius, Luthero-Calvinista in *Theologico Tractatu*, lib. 1. cap. 12. *Omnis ignorantia eorum quæ quis scire tenetur, peccatum est : quia pugnat cum lege, qua jubetur illa cognoscere : sive ea cognoscere jam possis, sive non possis. Quod enim jam non possis, peccato Adæ, quod et tuum est, quia in eo omnes peccaverunt, factum est. Quare falluntur Scholastici, cum talem ignorantiam, quam invincibilem vocant, ideo a peccato excusant, quia invincibilis est, ut loquuntur : Quamquam evincere etiam possumus, eam non esse simpliciter invincibilem, cum voluntarium Adæ peccatum sit consecuta.* — **Sed hæc ratio nulla est** ; primo namque falsum est quod dicitur, ignorantiam invincibilem juris naturalis non excusare a peccato, quia originalis peccati pœna est ; inde namque esset consequens quod amentia, furor, et phrænesis a peccato

non excusarent, quia et ipsæ peccati pœnæ sunt, ut concedunt Adversarii. Similiter sequeretur hominem a nativitate cæcum, qui ex illa cæcitate aliquid perperam committeret; puta infantem interficeret dum allatrantem canem nititur abigere, a peccato non excusari, quia cæcitas, quam prætexere posset, peccati pœna est: quod certe nullus sanæ mentis potest admittere. Falsum pariter quod ajunt, ignorantiam juris positivi ideo excusare a peccato, quia non est in peccati pœnam inflicta, ignorantia enim Evangelii in infidelibus v. g. qui nihil de Christo audierunt, est pœna peccati originalis: et eadem ignorantia est ignorantia juris positivi divini, ut concedunt Adversarii. Ergo ignorantia juris positivi divini est pœna peccati originalis. Probatur *major:* omnis effectus reprobationis, ex Adversariorum sententia, proficiscitur a judicio Dei punientis atque reprobantis propter peccatum originale: atqui ignorantia Evangelii in infidelibus est effectus reprobationis; quia, inquiunt, est derelictio seu desertio qua Deus illorum non miseretur: ergo ignorantia Evangelii in infidelibus, ex adversariorum sententia, proficiscitur a Dei judicio punientis illos atque reprobantis propter peccatum originale: ac proinde pœna est peccati originalis; subindeque falsum est quod proferunt, nempe ignorantiam juris positivi non esse culpabilem, quia non infligitur in pœnam peccati originalis.

Objiciunt Adversarii varios Scripturæ sacræ textus, quibus probare nituntur nonnulla facta ex ignorantia invincibili, peccata appellari, et censeri: sic *Gen.* 20. actio Regis Abimelech accipientis in uxorem Saram, quam invincibiliter ignorabat esse conjugem Abrahæ, vocatur peccatum. Et 1. Regum 14. damnatur morte Jonathas eo quod mel gustasset contra Patris imperium ipsi ignotum. Et Luc. 12. dicitur quod servus ignorans voluntatem Domini, et non faciens, dignus sit qui vapulet paucis, præ illo qui voluntatem sciens non fecerit. Et Actorum 3. S. Petrus Judæos reprehendit quod Auctorem vitæ interfecissent: cum tamen id ignoranter fecerint; *Si enim cognovissent numquam Dominum gloriæ crucifixissent*, inquit Apostolus primæ ad Corint. 2. Ergo revera ignorantia invincibilis juris naturalis censenda est culpabilis. — **Nego consequentiam**, omnes enim illi fere textus significant ignorantiam vel facti, vel juris positivi, quam Adversarii concedunt excusare a peccato; nam in primo textu sermo est de ignorantia Abimelech, qui nesciebat Saram esse uxorem Abrahæ, quæ certe erat ignorantia facti. Ad condemnationem Jonathæ dico eam fuisse injustam; peccavit namque Saul præceptum illud tam severi jejunii sub interminatione mortis statuens, non peccavit autem Jonathas gustans paululum mellis in gravi necessitate, maxime cum Patris sui præceptum ignoraret: quod tametsi cognovisset, exigua tamen aut nulla fuisset ejus culpa ob parvitatem materiæ, et gravem edendi necessitatem qua ille premebatur, viribus jam præ lassitudine deficientibus. Nec refert quod Deus, ut odem cap. scribitur, noluerit respondere velut iratus propter factum Jonathæ: voluit enim Deus hoc silentio inquiri prodique Jonatham, ut ipse palam omnibus patefaciendo suam præcepti ignorantiam se excusaret, ne videretur Deus aut Saul personarum acceptator. Adde quod illa ignoratio fuerit legis positæ a Saule, non autem juris naturalis. *Ad tertium*, dico ibi ser-

monem esse de servo non penitus ignorante præceptum Domini, sed non æque cognoscente, neque peccante ex certa scientia plenaque advertentia; adeoque peccante ex ignorantia vincibili. *Ad ultimum*, dico sensum illius esse, quod si Judæi Christo credidissent, illiusque Divinitatem penitus agnovissent, tantum scelus non admisissent: hæc autem eorum ignorantia non fuit invincibilis, sed vincibilis, et affectata ac voluntaria, ut patet ex illo Joan. 15. *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.*

Objiciunt 2. S. Aug. adversus Pelagianos acriter contendit ignorantiam malam esse, et quæ ex illa fiunt, esse peccata: sed non loquitur de ignorantia vincibili; siquidem ait persæpe fateri Pelagianos ignorantiam vincibilem a peccato non excusare: multo minus agit de ignorantia invincibili facti, aut juris positivi; cum alibi doceat ejusmodi ignorantiam invincibilem culpam omnem abstergere: ergo de sola ignorantia juris naturalis intelligendus est S. Aug. quoties adversus Pelagianos acriter contendit. Probant *majorem* S. Aug. textibus, maxime vero ex Epistola 15. ad Sixtum, ubi postquam præmisisset: *Humana superbia tamquam præsumens de viribus liberi arbitrii excusatum se putat, quando ignorantiæ, non voluntatis est, quod peccat:* tandem de ignorantia sive voluntaria, sive necessaria, hoc est, sive vincibili, sive invincibili, sic concludit: *Ac per hoc inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat, sive qui judicat, sive qui non judicat: quia et ipsa ignorantia, in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est; in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati: ergo in utrisque non est justa excusatio, sed justa damnatio.* Ecce inexcusabilem dicit omnem esse peccatorem, justamque damnationem ejus, sive peccaverit, quia scire quid lex jubeat noluit, sive quia scire non potuit. *Confirmant* 1. ex eo quod Synodus Palæstina damnaverit hanc Cælestii propositionem, *Oblivio, et ignorantia non subjacent peccato, quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem.* Loquebatur autem Cælestius, inquiunt, de sola ignorantia juris naturalis: ergo censet Synodus eam ignorantiam esse culpabilem. *Confirmant* 2. ex eo quod S. Hieron. qui post illam Synodum scripsit Dialogum inter Catholicum sub nomine *Attici*, et Pelagianum sub nomine *Critobuli*, multis Scripturæ textibus confirmat illius propositionis Cælestii damnationem, tamquam legitime a Concilio factam; quærente autem Critobulo per hoc videri hominum accusare naturam, et invidiam referri in Deum quod tales homines condiderit, ut oblivione, et ignorantiæ peccato carere non possint, nihil aliud reponit Atticus quam scriptum esse: *Altiora te ne quæsieris, etc.* et *O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei!* Quibus significat ibi sermonem esse de ignorantia juris naturalis. — **Respondeo primo**, his omnibus nihil quidquam adversus veritatem Conclusionis posse colligi. Ut enim quidquam urgerent, necessum esset demonstrare: *Primo*, quod Pelagianus locutus fuisset tantum de ignorantia invincibili. *Secundo*, cum ignorantia invincibilis triplex esse possit, una facti, altera juris positivi, tertia juris naturalis, opus esset etiam demonstrare Pelagium de sola ignorantia juris naturalis fuisse locutum. Sed neutrum horum colligi

potest, nec ex S. Aug. nec ex S. Hieron. nec ex Synodo Palæstina. *Non quidem ex S. Augustino*, siquidem generaliter affirmat contra Pelagianos, omnem ignorantiam esse malam, etiam ignorantiam facti, et juris positivi, quod luculenter edocet lib. 3. *Contra Julianum*, c. 19. ubi cum arguens quod diceret ignorantiam esse justitiam, probaretque exemplo Abimelech cui dixit Deus, *Sciebam quia in corde mundo fecisti hoc:* sic eum carpit S. Aug. *Non attendisti, homo, qui non vis judicio divino quemquam non suis, sed alienis plecti posse peccatis, quomodo fieri potuerit ut Abimelech peccaret, quamvis nec ipse adulterino corde peccaverit, et Deus quantulumcumque peccatum ejus in mulieribus ad eum pertinentibus vindicaret.* Censet ergo S. August. ignorantiam facti, qualis erat illa ignorantia Abimelech, etiam videri malam; siquidem eam *quantulumcumque peccatum* appellat; adeoque falsum est quod S. Aug. solam ignorantiam invincibilem juris naturalis malam esse dixerit. *Deinde* S. August. illam ignorantiam dicit esse malam quam Pelagiani dicebant esse primordia, non supplicia naturæ: sed id affirmabant de omni ignorantia invincibili, tam juris positivi quam juris naturalis. Volebant enim Pelagiani, ignorantiam et concupiscentiam non esse pœnam peccati, sed naturæ primordia: ut testatur S. August. lib. *De Dono perseverantiæ*, cap. 11. *Dicunt*, inquit, *Pelagiani ignorantiam, et difficultatem* (id est concupiscentiam) *sine quibus nullus homo nascitur, primordia, non supplicia esse naturæ.* Quin etiam asserebant perfectam ignorantiam, idest, totalem, et invincibilem, bonam esse, justitiamque appellari: ut de Juliano videre est apud Aug. lib. 3. *Contra eumdem*, cap. 19. qui ad id probandum adducebat illud Gen. 20. *Domine, num gentem ignorantem, justam interficies?* Et paulo post versu 6. *Ego scio, quod simplici corde feceris, et ideo custodivi te, ne peccares in me.* Addebatque: *ex hoc intelligi debere perfectam ignorantiam, justitiam nominari; quia dixit Deus ad Abimelech qui cum Sara erat concubiturus, ignorans quod uxor erat alinea: Et ego sciebam, quia in corde mundo fecisti hoc.* Quam utique absurdam sententiam refellit Aug. tum eodem libro, tum pluribus aliis locis, probans ignorantiam et concupiscentiam ideirco esse malas, quia sunt originalis peccati appendices. Neque istud de sola juris naturalis ignorantia, quæ in adultis cernitur, affirmabat, sed de illa etiam ignorantia, qua recens ex utero matris puerulus obruitur, *Nesciens ubi sit, quid fit, a quo creatus, a quibus genitus, jam reus delicti, nec dum capax præcepti, tam profundæ ignorantiæ caligine involutus, et pressus, ut neque tamquam de somno excitari possit, etc.* Sic parvulorum ignorantiam describit lib. *De peccat. meritis*, cap. 36. atque hanc peccati pœnam esse sic probat: *Si natura est hominis sic incipere, et non jam vitiosa est ista natura: cur non talis creatus est Adam? Cur ille capax præcepti?* Non igitur vult S. Aug. ut contendunt Adversarii, ignorantiam invincibilem juris naturalis esse peccatum vere ac proprie dictum, sed tantum contendit ignorantiam invincibilem, illam etiam quam ab utero materno trahimus, sive circa jus naturale, sive circa alia, pœnam esse peccati primi Parentis, et malum divinæ gratiæ illustratione purgandum: ut liquet ex libro 6. *Contra Julianum*, cap. 1. ubi eum sic alloquitur: *Ecce merito reprehendisti eos, et graviter, qui supersederunt scienda cognoscere. Numquid hoc de his qui excordes nati*

sunt, potes dicere? Nec tamen eis sub Deo justo, unde hoc accidere potuerit, inventurus es, si nulla ex parentibus trahuntur merita filiorum. — *Ad confirmationes* dico, propositionem damnatam in Synodo Palæstina generalem fuisse, et comprehendisse omnem ignorantiam invincibilem tam facti aut juris positivi, quam juris naturalis; adeoque si quid urgeat illa damnatio, etiam in ipsos Adversarios militat; quippe volunt ignorantiam invincibilem juris positivi et facti non esse culpabilem. Quod utique subtiliter probat Antonius Deschamps libro *supra laudato*, cap. 2. ex ipsamet Adversariorum assertione; affirmant enim, inquit, illa Cælestii verba eo sensu damnata esse, quem præseferunt, quia non sunt ab Episcopis accuratiori examine discussa, sed statim atque cum aliis ejusdem farinæ proposita sunt, ne expectata quidem Pelagii responsione, succlamarunt Episcopi: *Hoc reprobat sancta Synodus, et sancta Dei Catholica Ecclesia.* Ergo cum illa Cælestii sententia universim loquatur de omni prorsus ignorantia, quæ secundum necessitatem evenit, sive illa facti sit, sive juris, hoc quoque sensu proscripta est. — *Confirmatur:* si Palæstinæ Synodi Patres Cælestii propositionem eatenus tantum damnarunt, quatenus ignorantiam juris naturalis spectabat, cur istud non monent? Cur S. Aug. qui illius Synodi acta ita descripsit, ut singulas Pelagii fraudes, quibus peregrinis Episcopis illusit, solerter ac dilucide explicet, cur, inquam, ne verbo quidem monet Cælestii propositionem veram esse atque Catholicam, si de ignorantia facti, aut juris positivi sermo sit, at falsam et hæreticam, si de ignorantia juris naturalis loquatur? Cur denique universim proscripta est illa sententia, quæ cum triplicem habeat sensum, in duobus vera est, in uno tantum falsa? *Addo* probabilius videri Concilium proscripsisse potius ignorantiam facti, et juris positivi, quam juris naturalis, ut constat tum ex ipsius verbis: addit enim, *Cum in lege sacrificia pro ignorantia sicut pro peccato offerantur:* tum ex S. Hieronymo lib. 1. *Dialog. adversus Pelagianos*, ubi convincens falsitatis dogma Pelagii, sententiamque Synodi Palæstinæ confirmans multis Scripturæ testimoniis, non alia fere profert, nisi ea quæ loquuntur de ignorantia facti, aut juris positivi: ut illud num. 35. vers. 22. ubi qui fortuito occiderit, puta qui hominem interfecerit credens esse feram (quæ est ignorantia facti) jubetur recurrere ad Civitates refugii, ibique manere, donec summus Sacerdos moriatur. Et illud *Levit.* 5. vers. 2. ubi qui tetigerit aliquid immundum, quod non liceat tangere, et fecerit per ignorantiam (nesciens scilicet immundum esse, quæ ignorantia facti est, aut ignarus legis positivæ de non tangendo) et postea didicerit, pronunciabit peccatum suum, in quo peccasse se perspicit. Et quod addit ex c. 22. *Levit.* quod de simili ignorantia manifeste intelligendum est, si comederit homo de sanctificatis per ignorantiam, imputatur ei iniquitas atque delictum. Et ex 1. *Regum* 12. refert ad eumdem finem quæ dicuntur de Jonatha, ubi de ignorantia juris positivi, Regii scilicet præcepti, sermo est. Ergo Synodus Palæstina significans ignorantiam esse peccatum, non solum de ignorantia invincibili juris naturalis, sed etiam de ignorantia invincibilis juris positivi, et facti intelligenda est. Invincibilis autem ignorantia peccatum appellatur ab Augustino, Synodo, et Hieronymo, non quod sit peccatum proprie dictum, sed eo scilicet modo quo concupiscentia

peccatum appellatur ab Apostolo : quia scilicet tam concupiscentia quam ignorantia sunt effectus peccati originalis, et ad peccatum inducunt : non vero censent illam ignorantiam esse peccatum, quasi imputetur ad culpam ; nam S. Augustinus fatetur etiam illam ignorantiam perseverare in baptizatis, lib. 16. *Contra Julian.*, c. 16. de baptizato dicens : *Omni peccato caret, non omni malo. Quod planius ita dicitur : Omni reatu caret omnium malorum, non omnibus malis... Numquid caret ignorantiæ malo, per quod a nescientibus innumerabilia perpetrantur mala?* Subdit: *an parvum malum est ignorantia, per quod homo non percipit quæ sunt spiritus Dei? de baptizatis nempe dicebat Apostolus : Animalis homo non percipit quæ sunt spiritus Dei : stultitia est enim illi.* Tum concludit: *non igitur caruerant tanto ignorantiæ malo in lavacro regenerationis, ubi tamen omnibus caruerant sine dubitatione peccatis.* Quibus patet ignorantiam quam dicit Augustinus, non censeri peccatum proprie dictum, ut volunt Adversarii, quippe cum per baptismum non eluatur.

QUÆSTIO QUINTA.

QUÆNAM SINT CAUSÆ EXTERIORES PECCATI.

Notandum 1. Causam exteriorem peccati distingui posse duplicem, *directam* videlicet, et *indirectam*. Directa est illa, quæ ad peccatum una cum voluntate peccatoris immediate concurrit. Indirecta, quæ tantum allicit, suadet, et instigat ad peccandum. Exteriores causæ indirectæ esse possunt extrinseca objecta, quatenus ad peccandum alliciunt ; diabolus, et homo, quatenus suadent et instigant ad peccandum, objecta proponendo, rationibus suadendo, præcipiendo, comminando, interiorem phantasiam immutando. Causa vero exterior directa peccati nulla creata esse potest ; quia nulla creatura immediate concurrere potest cum ipsa voluntate peccatoris ad actum peccati, nisi solus Deus, et ideo de eo tantum movetur præsens Quæstio.

Notandum 2. Deum esse causam peccati, intelligi posse variis modis: vel quatenus nempe ipse est causa voluntatis peccantis ; vel quatenus peccatum non impedit, cum tamen præpedire posset ; vel quatenus ipse totalis esset causa productiva peccati ; vel prout concurreret immediate suo concursu positivo ad entitatem, et formalitatem peccati ; vel denique quatenus ipse voluntatem creatam ad peccandum impelleret, vel suo præveniente et determinante decreto ; vel concurrendo ad actum peccaminosum, eadem ratione, qua concurrit ad actus bonos et meritorios, ratione cujus concursus dicitur bonorum nostrorum operum artifex, et causa. — Certum est autem Deum esse causam et opificem creatæ voluntatis peccantis, quam utique si non produceret non fieret peccatum : subindeque hac ratione censeri posset peccati artifex. Certum pariter, quod pro suo nutu, et in creaturas imperio præpedire posset omnia peccata, si ita statueret, et vellet : nempe vel paratam voluntatem ad peccandum annihilando, vel non concurrendo cum intellectu ad cognitionem, et propositionem objecti ad peccandum allicientis : vel ipsum suum concursum voluntati denegando, ne in actum erumpat : vel denique ita abundantem ac efficacem largiendo gratiam, ut non solum ab actu peccaminoso voluntas revocetur, sed etiam in actum

bonum oppositum propendat. Certum est etiam Deum a nullo unquam hominum dictum fuisse causam totalem peccati; alias creata voluntas nullius peccati foret rea; siquidem actus peccaminosus in Deum solum refundendus esset, ea nempe ratione, qua gratiæ infusio, non ipsi creatæ voluntati gratiam recipienti, sed soli Deo illius largitori tribuitur. Nemini pariter est dubium, quod Deus ad ipsam formalitatem actus peccaminosi non concurrat directe, et immediate: maxime vero in eorum sententia, qui nobiscum sentiunt, rationem formalem peccati in simplici, ac nuda privatione rectitudinis consistere; fatentur etiam omnes pene Theologi contra Durandum, Deum concurrere concursu positivo ad entitatem physicam actus peccaminosi; quam sententiam ita certam existimat Albertus Magnus in 2. dist. 35. art. 7. ut oppositam tamquam hæreticam suo tempore proscriptam asserat; *Hæc*, inquit, *opinio* (nempe quæ negat actus malos, quatenus actus, et entia sunt, esse a Deo tamquam a causa prima movente, et concurrente) *quæ obtinuerat plures antiquorum, fere cessit ab aula, et a multis modernorum reputatur hæretica.* — Hinc maxime præsens movetur difficultas, num Deus dici possit peccati auctor, quatenus speciali aliquo concursu, vel impulsu creatam voluntatem ad peccandum inducat.

Notandum 3. Varios hæreticos, maxime vero Cerdonistas, Marcionistas, Priscillianistas, et Albigenses, in eam blasphemam sententiam ivisse, ut ore sacrilego cum Manichæis duo statuerint suprema rerum omnium Principia: unum quidem bonum, quod esset virtutum, ac bonorum operum artifex: malum alterum, a quo omnia mala tam culpæ, quam pœnæ exundabant. Verum tanto his nequiores apparent nostri temporis hæretici, quanto majori cum impietate, non in malum Deum, uti veteres illi Hæresiarchæ, sed in bonum, verum, ac solum Deum omnium peccata referunt. Cujus quidem execrandæ assertionis auctor fuit Florinus quidam, teste S. Irenæo apud Bellarm. lib. 2. *De statu peccati*, c. 1. quam utique diabolicam doctrinam ab inferis pridem sepultam revocavit omnium hæresum recoctor Calvinus. Hic namque licet aperte non profiteatur Deum esse peccati auctorem, rem tamen expresse docet; asserit namque omnia hominum peccata fieri non solum Deo permittente, sed etiam volente, mandante, instigante, et ab æterno prædefiniente. Hinc lib. 1. *Institutionum*, cap. 18. Theologorum communem distinctionem de *agere*, et *permittere* irridens, ait, *Absurdum videtur volente, ac jubente Deo excæcari hominem, qui mox cæcitatis suæ pœnas daturus est: Tergiversando itaque effugiunt Dei tantum permissu, non etiam voluntate hoc fieri.* Et num. 2. ait: *Dei voluntatem ita rerum omnium esse causam, et providentiam ejus moderatricem in cunctis hominum consiliis, et operibus, ut non tantum eim suam exerat in electis, sed etiam reprobos in obsequium cogat.* Et lib. 2. cap. 4. num. 3. diserte affirmat, *Deum ad exequenda sua judicia per ministrum iræ suæ Satanam, et consilia impiorum destinare, quo visum est, et voluntatem excitare, et conatus firmare.* Et lib. 3. cap. 23. num. 8. ait: *Cadit igitur homo Dei providentia sic ordinante.* Et num. 9. addit, *Necessitatem peccandi ex Dei ordinatione injici.* Contra quam blasphemiam sit

Conclusio unica. — Deus nullatenus dicendus est auctor, et causa peccati. Hæc Conclusio est de fide, eamque Catholici adversus Hæreticos probant

Primo, variis Scripturæ sacræ oraculis, in quibus aperte dicitur Deus non velle, sed odisse peccata, nec ea præcipere, sed prohibere, nec ad illa patranda homines impellere, sed repellere: sic Psalm. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Ezechielis 18. *Numquid voluntatis meæ est mors impii?* Habacuc 1. *Mundi sunt oculi tui, ne videant malum, et respicere ad iniquitatem non poteris.* At quomodo diceretur iniquitatem non velle, ad malum non aspicere, si ea vellet, definiret, præciperet, executioni mandaret? Sapientiæ 11. *Nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Et 14. *Odio est Deo impius et impietas ejus.* At quo pacto odio esset impietas, si tantopere, ut ea executioni mandaretur, procuraret? Vel quo pacto non diceretur Deus odisse eos, eorumque mortem voluisse, quos ex se, independenter ab eorum voluntatibus, æterno, prædefinitivoque suo decreto ad peccata destinasset, ad eaque varios præparasset modos, ac media, quibus homines impelleret? Insuper Eccli. 15. *Nemini mandavit impie agere.* Jeremiæ 19. *Ædificaverunt excelsa Baalim, quæ non præcepi: nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum.* Ubi ut ostendat Propheta quam alienum sit a voluntate Dei, ut velit peccata, non solum ait, ea Deum non præcipere, sed ne quidem cognoscere. *Ignorare enim se dicit Deus*, ait in hunc locum S. Hieronymus, *quæ indigna reputat sua notitia*, juxta illud Lucæ 12. *Nescio vos, discedite a me operarii iniquitatis.* Si autem Deus peccata indigna reputat sua notitia, qua ratione ea ex se velle poterit? Jacobi 1. *Nemo cum tentatur dicat, quoniam a Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat.* Eccles. 15. *Non dicas: ille me implanavit.* At quæ major implanatio, quam homines ad peccata prædestinare, ad eaque impellere ac necessitare? — Quod autem omnia prorsus peccata eveniant non impellente Deo, nec decernente, sed solum permittente, clarissime definitum est, primo quidem in Concilio Arausicano cap. 23. ubi Patres decernunt, *Aliquos esse prædestinatos ad malum divina voluntate non credimus, et si est, qui ita credit, in eum cum omni detestatione anathema dicimus.* Et clarissime in Concilio Trident. Sess. 6. Canon. 6. *Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari; non permissive solum, sed etiam proprie, et per se, adeo ut sit proprium ejus opus, non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.*

Ne autem nobis obtrudant hæretici hanc Concilii Trident. assertionem, recens esse Scholasticorum dogma, quo divina permissio a voluntate distinguitur, lubet hanc ipsam distinctionem **SS. Patrum Oraculis firmare.** Imprimis itaque Tertullianus adversus Hermogenem, *Jam ergo*, inquit, *malum ab ipso, qui est mali, si non auctor, quia non effector, certe permissor, quia dominator.* Chrysost. Homil. 8. in Epist. secundam ad Timoth. in 2. parte Morali. *Hoc*, inquit, *solum scito, quod Deus omnia prævidet, quod liberi arbitrii conditi sumus, quod alia quidem operatur, alia vero permittit, quod nihil mali vult fieri: quod non ex sola ipsius voluntate fiunt omnia, sed ex nostra quoque; mala omnia ex nostra tantummodo: bona omnia ex volun-*

tate nostra, et ipsius adjutorio; August. 13. *De Trinitate,* cap. 12. *Modus autem iste,* inquit, *quo traditus est homo in diaboli potestatem, non ita debet intelligi, tamquam hoc Deus fecerit, aut fieri jusserit; sed tantum permiserit.* Fulgentius lib. 8. *ad Monimum,* cap. 13. *Posset,* inquit, *peccatum aliquod ex prædestinatione Dei esse, si posset aliquis hominum juste peccare, nullus autem hominum juste peccat, quamvis eum juste Deus peccare permittat.* Damasc. lib. 2. *De Fide,* cap. 29. *Dicitur igitur prima præcedens voluntas, et acceptatio ex ipso existens: secunda vero voluntas sequens, et permissio ex nostra causa existens.* Et paulo post: *Mala,* inquit, *neque antecedenter vult, neque consequenter vult; sinit tamen arbitrium ad illa liberum.*

Hanc veritatem plurimi pluribus rationibus solito probant Theologi, quarum varias ut invalidas, et insufficientes respuit, et impugnat Doctor in 1. dist. 37. qu. 1. et 2. additque hanc veritatem sufficienter probari sequenti ratione: Quotiescumque duæ causæ partiales concurrunt ad aliquem effectum deficientem, defectus ille potest esse ab una ex illis causis, absque eo quod proveniat ab altera. Sic v. g. quoniam, ut volunt plurimi, cognitio intellectus concurrit cum voluntate ad volitionem physice eliciendam, potest esse defectus in ipsa volitione ex parte voluntatis, absque eo quod tribuatur intellectui. Siquidem etiam recta suadente intellectu, voluntas pro suo arbitrio potest vel actum suspendere, vel præcipere intellectui ut ad oppositum objectum sese convertat: « Ita igitur a pari, inquit Doctor qu. 2. « num. 14, si ad velle volitionis creatæ concurrunt duæ voluntates, « scilicet voluntas creata, et divina: potest esse defectus in ipso velle « ex defectu alterius causæ, et hoc, quia ista causa posset rectitu- « dinem dare actui, quam tenetur dare, et tamen non dat: alia autem « licet non tenetur eam dare, tamen quantum ex se est, daret, si vo- « luntas creata cooperaretur. Universaliter enim quidquid Deus dat « antecedenter, daret illud consequenter quantum ex se est, nisi esset « impedimentum: dando autem voluntatem liberam, dedit antece- « denter opera recta, quæ sunt in potestate voluntatis, et ideo quan- « tum est ex parte sui, dat rectitudinem omni actui voluntatis, et vo- « luntati ex consequenti daret, si voluntas quemcumque actum elicitum « recte ageret ex parte sui. Est igitur defectus in effectu duarum cau- « sarum, non propter defectum causæ superioris, sed inferioris; non « quia causa superior causet rectitudinem in effectu, et inferior obli- « quitatem: sed quia causa superior quantum est de se causaret, si « causa inferior secundum suam causalitatem causaret, et ideo recti- « tudinem non causari est propter hoc, quia secunda, quantum ad se « pertinet, non causat. » Quibus Doctor diserte explicat quod etsi Deus concurrat positive ad entitatem physicam actus peccaminosi, tamen defectus et carentia rectitudinis illius actus ipsi non debeat adscribi, sed voluntati creatæ, eo quod ipse non concurrat ad actum, ut causa particularis determinativa, sed tantum ut causa universalis determinata per voluntatem creatam.

Confirmatur hæc probatio, et simul præcedens ratio roboratur: Ut aliquis vere, ac proprie peccare censeatur, tria in ejus opere desiderantur: Primum, ut ejus actio repugnet legi, quia peccatum nihil aliud est, nisi prævaricatio legis, et extra controversiam est, actionem

non esse malam, quæ nulli legi repugnat: per legem autem non solum intelligimus scriptam, sed etiam naturaliter insitam, et æternam. Secundum est, quod actio fiat a causa libera. Hac enim ratione animalia bruta, pueri, stulti, dormientes non peccant, quamvis ea faciant, quæ videntur esse turpia, et cum regula rectæ rationis pugnant, ut psittaci qui blasphemiam proferunt. Tertium, ut qui actionem turpem facit, non solum libere faciat, sed ut causa particularis; causa enim universalis, cum sit indifferens ad hanc actionem, et illam, non potest dici, quod actio sit specialiter ab illa; sed solum a particulari, a qua procedit, licet universalis concurrat. Cum igitur deformitas, quæ cernitur in peccato, consequatur actionem particularem, non potest in causam universalem, sed proprie in particularem referri. Et certe cum oriuntur monstra, nemo dicit causam in Cœlum, vel in solem referri debere; sed solum in causam propinquam: non enim magis causa universalis in hunc, quam in illum influit effectum; sed solum particularis. Sicut igitur peccatum naturæ attribuitur causæ proximæ, per Cœlum enim non stetit, quin perfectus produceretur homo, sed impedimentum in causa proxima extitit; sic quamvis Deus concurrat cum homine ad actionem quamlibet, ut causa universalis, eodem modo semper se habens tamquam immutabilis et invariabilis, facile potest intelligi, quomodo et actionis causa sit, et causa peccati non sit. Est enim vere causa actionis, quia vere concurrit ad illius entitatem; non tamen dicendus est causa peccati, quia tantum ad eam actionem concurrit concursu universali, qui creatum voluntatem ad illam actionem malam non determinat, imo potius ab ea determinatur.

Repones, voluntatem creatam non posse censeri determinativam voluntatis divinæ ad actum peccaminosum: vel enim illa determinaret per suam entitatem, vel per suam activitatem, suumque concursum: sed neutrum potest affirmari. Non quidem primum: si enim creata voluntas divinam voluntatem determinaret ad entitatem physicam, et materialem actus peccaminosi per suam entitatem, consequens esset, quod nusquam fieri posset actus bonus. Siquidem ipsa voluntatis entitas ex se ad actum peccaminosum propendens, ad eumdem semper concursum voluntatis divinæ determinaret. Secundum etiam dici nequit; voluntas enim creata non potest censeri divinam determinare per suam activitatem, suumque concursum, nisi concursus illæ creatæ voluntatis censeatur esse prior concursu voluntatis divinæ; hoc autem nullus Theologorum nec Philosophorum admittet; alioqui Deus non esset prima causa: proindeque voluntas creata nullatenus censetur esse divinæ voluntatis determinativa ad actum peccaminosum, et subinde nulla apparet præcedens ratio Subtilis Doctoris. — **Verum respondeo**, nihil inde contra veritatem prætatæ rationis inferri, nec ejus vim infringi; eatenus enim dicitur creata voluntas divinam voluntatem ad entitatem actus mali determinare, non quod revera ipsam, ut indifferentem ad illum actum determinet per exigentiam, et influxum procedentem a sua entitate, vel activitate, quo eam moveat: hoc enim implicat: sed ideo dicitur Deus per voluntatem creatam determinari ad concurrendum ad elicitionem entitatis actus mali, quia nempe in illis circumstantiis, in quibus actus malus elicitur, prævidet quod creata voluntas, si posset agere absque ullo divino concursu, essetque

ex se causa totalis sui actus, eum actum peccaminosum eliceret. Unde cum ipse sit causa universalis, cui incumbit omnem subministrare concursum actualem causis ad agendum paratis, hinc fit quod illum concursum subministret creatæ voluntati ad actum malum eliciendum, quoties videt eam ex se fore determinatam ad illum actum, positis talibus circumstantiis; et consequenter illa determinatio potius in creatam, quam in divinam voluntatem est refundenda.

Probatur 2. Eatenus Deus dici posset causa peccati, quatenus vel necessitaret voluntatem physice aut moraliter ad actum peccaminosum eliciendum: vel illam ad ipsum laudibus, et præceptis induceret: vel denique quia ipsum actum consuleret: sed neutrum ex his potest affirmari. Non quidem primum; tum quia si sic necessitaret creatam voluntatem ad actum peccaminosum, jam actus ille non censeretur liber, adeoque nec moraliter malus; tum quia taliter non necessitat ad actum bonum: absurdum est autem quod Deus infinite bonus magis necessitaret ad malum quam ad bonum; tum denique, quia peccatum summe displicet Deo: ergo ad ipsum nec physice nec moraliter inducit; absurdum enim videtur ex terminis, quod summa bonitas determinet moraliter, aut physice ad id quod ipsi summe displicet, quodque ipsa prohibet fieri. Secundum, et tertium etiam dici nequit. Certum enim est ex Scripturæ et SS. Patrum Oraculis supra laudatis, quod Deus prohibeat, et dissuadeat peccatum, etiam sub gravissimis pœnis: ergo nec præcipit, nec consulit ipsum, alias præciperet, et non præciperet, suaderet, et non suaderet. *Deinde,* si Deus præciperet, aut suaderet peccatum, esset bonum, et non esset peccatum; quod repugnat: quia sine dubio, qui facit quod præcipit, aut prohibet Deus, bene facit; nec ulla regula securior bene agendi, quam quod res agenda præcipiatur, aut consulatur a Deo: sicut nec mali agendi ulla melior regula ostendi potest, quam quod prohibeatur actio facienda, aut dissuadeatur a Deo. *Tertio denique:* si Deus hominem ad peccatum induceret, vel hoc faceret volens, vel nolens: non nolens, quia nihil invitus facit, sed operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ; nec etiam volens: *Quia,* inquit Regius Propheta, *non Deus volens iniquitatem tu es:* ergo nulla ratione hominem ad peccatum inducit. *Confirmatur;* si Deus esset auctor, vel causa peccati, sequeretur quod vellet hominem velle id quod non vellet eum velle. Vellet quidem, si eum peccare ordinaret, et ad peccatum induceret. Non vellet autem, quia peccatum fieri prohibet: ergo simul idem vellet, et non vellet; quod contradictionem implicat. *Denique* si Deus voluntatem creatam ad peccatum induceret, sequeretur eam esse simul justam, et injustam. Justam quidem, *quia,* inquit S. Anselm. lib. *De lib. arb.* cap. 8. *justa est hominis voluntas qua vult id, quod Deus vult eam velle; injusta vero e contrario, qua vult id quod Deus non vult eam velle:* voluntatem autem esse simul justam, et injustam respectu ejusdem, implicat: ergo repugnat pariter Deum voluntatem creatam ad peccatum inducere.

Objiciunt 1. Hæretici varios Scripturæ textus, quibus nonnulla peccata Deo ut causæ tribuuntur, sicque argumentantur: ille revera censendus est peccati auctor et causa non solum physica sed et moralis, qui peccatum fieri decernit, præcipit, ordinat, et consulit:

sed hæc omnia Deus præstat: ergo revera censendus est peccati auctor. *Major* constat ex dictis: *minorem* probant: primo quidem quod Deus peccatum decernat, apparet ex illo *Gen.* 45. ubi Joseph fratribus suis a quibus proditorie venditus fuerat, ait: *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Et cap. 59. eosdem alloquens, ait: *Nolite timere, num Dei possumus resistere voluntati?* quibus verbis significat fratrum suorum scelus esse excusandum; quia illa venditio a Deo decreta fuerat, et ordinata. Idem confirmant ex illo Act. 2. ubi S. Petrus Judæos alloquens, qui Christum crucifixerant, ait ipsum *definito consilio, et præscientia Dei traditum:* et rursus cap. 4. *Convenerunt in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes, et Poncius Pilatus cum Gentilibus, et populis Israël, facere quæ manus tua, et consilium tuum decreverunt fieri.* Quod autem peccatum interdum Deus præcipiat, suadetur ex lib. 2. *Regum,* cap. 16. ubi David de Semei sibi maledicenti, ait: *Dominus præcepit ei ut malediceret David:* sed illa maledictio, quam ibi pessimam appellat, haud dubie peccatum erat; subindeque Deus peccatum præcipit. *Insuper* 3. Regum cap. ultimo legimus quod cum Dominus inquireret: *Quis decipiet Achab?* Dæmon sese ei obtulit, et ait: *Ego decipiam.... et ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus:* cui Dominus ait, *Decipies, et prævalebis, egredere, et fac ita.* Denique quod Deus peccatum ordinet, et consulat, etiam ipsa S. Scriptura indicat, maxime ex illo Psalm. 104. *Convertit cor eorum ut odirent populum ejus.* Et Psalm. 118. *Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam.* Insuper Deus dicitur homines excæcare, indurare, decipere, tradere in reprobum sensum. Sic Exodi 7. *Induravit Dominus cor Pharaonis.* Isaiæ 63. *Quare errare nos fecisti de viis tuis? Indurasti cor nostrum; ne timeremus te.* Joan. 12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias; Excæcavit oculos eorum, et indurarit cor eorum:* ergo revera Deus censendus est peccati artifex. — **Nego minorem:** et ad *primam* ejus *probationem* dico, in his, et similibus Dei operibus duo maxime esse consideranda: nempe finem quem Deus intendit, et media quibus intentum finem executioni mandat. Sic in venditione Josephi, et Christi morte, proximus finis fuit Josephi exaltatio, et generis humani redemptio: media vero fuerunt ipsa Josephi venditio, et Christi crucifixio. Primum Deus per se intendit, et suo æterno decreto prædefinivit independenter ab hominum voluntate; quia nempe illud est per se bonum: secundum vero tantum permissum ex præscientia futuri peccati: prævisa namque prava voluntate futura, et fratrum Josephi ipsum vendentium, et Judæorum Christum crucifigentium, decrevit Deus, et hanc et illam actionem peccaminosam permittere ad majorem ipsius Christi, et Josephi gloriam: quod utique egregie declarat S. Leo Serm. 16. *De Passione Domini,* ubi cum dixisset: *Numquid iniquitas persequentium Christum ex Dei est orta consilio?* Respondet: « non hoc « plane de summa justitia sentiendum est, quia multum diversum, « multumque contrarium est, id quod in Judæorum malignitate præ« cognitum, et quod in Christi est passione dispositum. Non inde pro« cessit voluntas interficiendi, unde moriendi; nec de uno extitit spiritu « atrocitas sceleris, et tolerantia Redemptoris: non enim impias fu« rentium manus immisit in se Dominus, sed admisit: nec præsciendo

« quod faciendum esset coëgit ut fieret, cum tamen ad hoc carnem « suscepisset ut fieret. » *Ad secundum* dico, morem Scripturæ hunc esse, ut interdum significet Deum facere, et imperare id quod dumtaxat permittit, et sinit, ut patet ex lege repudii data Judæis *Deuteronomii* 21. illa namque lex, quam simplicem permissionem Christus appellat Matthæi 19. *Quoniam Moyses*, inquit, *ad duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras:* eadem præceptum nominat Marci 10. Christus enim Pharisæos alloquens ait: *Quid vobis præcepit Moyses?* Quibus dicentibus: *Moyses permisit libellum repudii:* respondens Christus ait: *ad duritiem cordis vestri scripsit vobis præceptum istud:* quibus apparet, eamdem uxoris dimissionem, permissionem et præceptum appellari. Idcirco autem Deus eadem interdum præcipere dicitur, quia in permissione mali semper Deus bonum aliquod intendit; nam inquit August. in *Enchiridio*, cap. 100: *non sineret bonus fieri male, nisi omnipotens etiam de malo facere posset bene: bene utens et malis tamquam summe bonus ad eorum damnationem, quos juste prædestinavit ad pœnam: et eorum salutem, quos benigne prædestinavit ad gloriam.* Hinc inquit S. Basilius Homilia quod Deus non sit auctor peccatorum: *Quemadmodum medicus utitur veneno viperæ, quod ipse non fecit, ita Deus utitur malitia hominis, cujus tamen ipse non est auctor.* Unde S. August. in Psalm. 54. *Ne putetis gratis malos esse in hoc mundo, et nihil boni agere de illis Deum: omnis enim malus aut ideo vivit ut corrigatur, aut ideo vivit ut per illum bonus exerceatur.* Ex his facile solvuntur illi omnes textus, quibus dicitur Deus peccatum ordinare; eatenus enim ordinat, quatenus illa fieri permittit, et ex eis bonum aliquod deducit. *Ad ultimum* dico, Deum equidem interdum homines obdurare, non positive, quasi animum a bono avertat, et in malum per pravam aliquam qualitatem inditam inducat; sed tantum privative, substrahendo nempe congruum auxilium, quo sublato, mens divinitus non instruitur ad recte videndum, nec cor allicitur ad honeste vivendum. Quod utique aperte docet S. August. Epist. 105. ad Sixtum his verbis: *Non obdurat Deus impertiendo malitiam: sed non largiendo misericordiam.* Et tractatu 53. in Joan. *Sic*, inquit, *excæcat Deus, sic obdurat deserendo, non adjuvando quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest.* Hoc etiam modo dicitur Deus decipere, et in reprobum sensum tradere: nempe justa de causa hominem deserendo atque adjutorio gratiæ uberioris, et specialis ipsum spoliando.

Objiciunt 2. S. Augustinum, qui variis in locis docere videtur Deum ad peccatum inducere. Sic lib. *De correptione et gratia*, cap. 7. ubi aperte testatur, Christum elegisse Judam ad effundendum sanguinem suum. *Cum*, inquit, *audivimus: Nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est? illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per judicium. Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum, illum ad effundendum sanguinem suum.* Et lib. *De gratia, et libero arbitrio*, c. 20. docet hominum voluntates ita esse in Dei potestate, *ut eas quo voluerit, quando voluerit, faciat inclinari, vel ad beneficia quibusdam præstanda, vel ad pœnas quibusdam ingerendas:* intelligit autem ibi pœnas, peccata ipsa. sic enim subjungit: *Nam invenimus aliqua peccata etiam pœnas esse*

aliorum peccatorum, sicut sunt vasa iræ, quæ perfecta dicit Apostolus in perditionem: sicut est induratio Pharaonis, cujus et causa dicitur ad ostendendam in illo virtutem Dei. Et infra loquendo de Semei maledicente Davidi ex mandato Dei: *Ejus,* inquit, *voluntatem proprio vitio suo malam in hoc peccato, judicio suo justo et occulto inclinavit.* Et c. 21. sic tandem concludit: *Satis, quantum existimo, manifestatur operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum.* — **Respondeo ad primum,** mentem S. Augustini esse quod electus fuerit Judas ad Christi sanguinem effundendum, non antecedenter, sed consequenter: quia nimirum prævisa ab æterno ipsius perversa voluntate ad Christi traditionem determinata, Deus ea uti voluit ad opus redemptionis perficiendum. Quæ ordinatio malæ voluntatis Judæ ad redemptionem consummandam appellatur ab August. electio; non quod sit ordinatio ipsius voluntatis ad peccatum sed quod sit destinatio ejusdem voluntatis prævisæ jam peccaturæ, ad opus redemptionis consummandum. Quod utique significavit S. August. verbis immediate præcedentibus dicens: « Ab illo quippe electus « est, qui novit bene uti etiam malis, ut et per ejus opus damnabile, « illud propter quod ipse venerat, opus venerabile compleretur. » Quibus verbis non dicit eum elegisse voluntatem Judæ ad opus redemptionis perficiendum, sed ea prævisa peccatura usum fuisse ad opus redemptionis consummandum. *Ad alias auctoritates* dico, id solum velle S. Augustinum, non quod Deus hominum voluntates malas efficiat, easque ad peccatum inclinet, sed tantum quod illas vitio suo malas in bonum ordinet, ut ex ejus verbis liquet.

Objiciunt 3. Deus est per se causa entitatis actus peccaminosi: ergo est etiam causa peccati. Probat *antecedens* Doctor in 2. d. 37. q. 1. n. 1. Tum quia, inquit, actus peccaminosus est aliquod ens, et non a se: ergo ab alio, et ita a Deo: *Tum quia* dare eleemosynam, prædicare Christum, facere miracula, generare filium, sunt opera ejusdem rationis in esse naturæ, sive fiant bene moraliter sive male: ergo habent causam ejusdem rationis quantum ad esse naturæ eorum: Deus autem est causa istorum actuum quando sunt boni moraliter: ergo et quando sunt mali moraliter. Patet etiam *consequentia:* eatenus enim creata voluntas censetur esse causa actus peccaminosi qua peccatum est, quia est causa omnis entitatis positivæ illius peccaminosi actus: ergo cum Deus sit etiam causa illius entitatis, erit pariter causa formalitatis peccati. — **Nego consequentiam**; rationem autem disparitatis, cur Deus licet concurrat ad entitatem actus peccaminosi, sicut et creata voluntas, non tamen sicut ipsa censeatur esse causa peccati, varii variam proferunt, ut videre est apud Poncium in Comment. ad præfatam Doctoris Subtilis quæstionem; Mæratium disp. 21. Sect. 2. Martinonum disp. 22. Sect. 8: sed omissis aliorum sententiis, *respondeo* genuinam rationem hujusce diversitatis ex eo esse repetendam, quod Deus non concurrat ad ipsum actum peccaminosum materialiter, aut formaliter concursu physico determinante, et ut causa particularis, sed tantum concursu generali, quem præstare debet ut causa universalis determinata a voluntate creata ad ipsum actum peccaminosum eliciendum: et quia præterea ad ipsum actum Deus non

concurrit moraliter, ipsum nempe suadendo, et præcipiendo, sed potius ab illo deterret per prohibitionem, comminationem, illustrationes, et pias motiones ad oppositum. Neque etiam vult illum actum peccaminosum voluntate antecedenti, imo potius vult illum non esse; neque ad eum finem vires naturales indidit, et naturam rationis liberique arbitrii compotem fecit ut peccaret; sed ut juxta præscriptum rectæ rationis viveret. Unde cum suum concursum exhibet, intendit illius bonum usum: adeoque dum physice, et immediate ad actum malum concurrit, id præstat præter primam intentionem, et ut libertati creaturæ sese accommodet, permittatque illam juxta naturæ suæ conditionem operari, et naturale dominium suorum actuum exercere, sine quo ejus actus nec possunt esse boni, nec mali moraliter: quocirca quasi invitus illum concursum exhibet. Quapropter Isaiæ 43. peccanti, sic exprobrat: *Verumtamen servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* « Addit Doctor dist. 37. qu. 2. n. 20. quod non « propter hoc imputatur peccatum voluntati « creatæ, quia ipsa per accidens causat defectum; sed quia ipsa te« netur agere recte, in quantum effectus est sub potestate sua, et non « agit recte; non sic autem tenetur voluntas divina; et ex hoc ipsa « in se peccare non potest; neque etiam ipsa potest non causando « primo deficere respectu rectitudinis debitæ in actu, ita quod tunc « fiat debita, quando non est ex defectu voluntatis creatæ. » Hoc est, ideo malitia peccati non Deo, sed creatæ voluntati est adscribenda, quia voluntas creata cum subdatur legi, debeatque ipsi se conformare in actibus eliciendis, etiam tenetur actui suo tribuere rectitudinem seu conformitatem cum lege: Deus autem cum nulli legi subjiciatur, non debet actui, ad quem concurrit, illam rectitudinem tribuere; tribueret tamen si homo vellet, quia ex se omnia opera hominum recta vellet efficere, si hoc ipsum etiam homines vellent, nec ipsius divinæ voluntati obsisterent:

Instabis: Deus tantum concurrit ut causa universalis ad actum bonum: nec minus censetur esse causa illius actus boni moraliter: ergo pari ratione, censebitur causa actionis malæ moraliter; quippe cum ad eam concurrat concursu generali. — **Nego paritatem**, longe enim aliter censetur Deus concurrere ad actiones bonas moraliter quam ad actiones malas; nam actiones bonæ, si sint supernaturales, fiunt a Deo per auxilium speciale, et habent ab ipso ut sint supernaturales. Si vero sint bonæ tantum moraliter, sic sunt quidem a Deo per auxilium generale; tribuuntur tamen ipsi duas ob causas: primo quidem quia ab ipso intenduntur; ad hoc nempe nos condidit, et libero donavit arbitrio ac auxilium generale subministrat, ut iis recte uteremur ad vitam juxta dictamen rectæ rationis traducendam; quamvis permittat ut secus, etiam si libuerit, faciamus: secundo quia Deus actiones bonas suadet, imperat, laudat, atque ad eas hortatur, et invitat: simili vero ratione non potest actio mala Deo tribui, quia neque eam intendit, neque imperat; imo potius improbat, vetat, atque ab ea deterret, et avertit.

Urgebis: Quod est causa causæ, est etiam causa causati: sed Deus est causa entitatis actionis, a qua exurgit peccati deformitas: igitur est etiam causa ipsius deformitatis. — **Distinguo majorem**: quod est

causa causæ in genere physico, est etiam causa causati in eodem genere, concedo ; quod est causa causæ in genere physico, est etiam causa causati seu effectus, vel quasi effectus in genere morali, nego. Et sic distincta *minore*, neganda est *consequentia:* Deus enim concurrit tantum ad entitatem physicam actionis, non vero ad ipsius deformitatem quæ est quid morale; non quidem positivum, sed privativum; neque est effectus, sed potius defectus; unde, ut supra monuimus, non habet causam efficientem, sed deficientem. Alias similes instantias jam solvimus, tum in Disput. de divina providentia; tum pariter in tractatu de Causis, ut videre est in nostra Academica Philosophia.

Objiciunt 4. Sæpe accidit ut unum peccatum sit pœna alterius peccati, ut diserte probat S. August. lib. 5. contra Julianum cap. 3. et 4: sed Deus est auctor omnis pœnæ creaturis inflictæ; igitur etiam censendus est auctor peccati, quod est alterius pœna. — **Respondeo** *primo*, peccatum considerari posse dupliciter; nempe, vel quatenus procedit a voluntate, et est actio quædam ; vel quatenus in ipsa voluntate recipitur, et passio nominatur. Priori modo non est pœna, sed culpa; pœna enim non actionem, sed passionem significat. Posteriori vero dici potest pœna, non quidem proprie : omnis namque pœna proprie dicta simpliciter est involuntaria ; peccatum autem voluntarium est; sed dicitur pœna latiori modo, et improprie, quatenus nempe privat rectitudine debita, necnon et auxiliis, divinisque charismatibus a Deo concedendis animæ, si illi peccatum non inesset. *Respondet secundo* Doctor d. 3. qu. 2. n. 25. distinguendo *minorem:* omnis pœna positiva est a Deo effective, concedit: omnis pœna privativa, negat: ab eo namque hæc non procedit nisi permissive, et denegante auxilia abundantiora: « Pœna namque, inquit Doctor, dicitur duobus modis: « uno modo quatenus est carentia boni convenientis naturæ intelle- « ctuali, sicut est carentia visionis, et fruitionis Dei; et hæc est pura « privatio. Alio modo potest dici pœna aliquod positivum, et tamen « disconveniens tali naturæ: sicut calor excellens est aliquod posi- « tivum disconveniens carni. Omnes pœnæ secundo modo dictæ pos- « sunt poni a Deo, quia sunt aliqua positiva, et de istis debet intel- « ligi illud primi Retract. cap. 25. et 26. ait enim: *In bonis operibus « Dei bona opera sunt ista punitiva, licet sint mala istis punitis, quia « disconveniunt eis.* Sed pœnæ primo modo non sunt a Deo efficiente, « quia non sunt effectibilia; nec deficiente primo, sed tantum propter « demeritum voluntatis in actu peccati, non coagendo voluntati nunc « ad illud bonum habendum, ad quod operatus fuisset, quantum est « ex se. Talis ergo pœna est a Deo non infligente, vel efficiente, nec « deficiente primo, sed deserente, idest, naturam quæ deficit relin- « quente in suo defectu, et in omnibus defectibus consequentibus ad « illum defectum, ubi includuntur multæ carentiæ perfectionum con- « venientium tali naturæ : sic ergo pœna, quæ est peccatum, non est « a Deo efficiente, vel deficiente primo; sed tantum est a Deo dese- « rente voluntatem ratione primi demeriti, quæ deserta a Deo cadit « in secundum demeritum. »

QUÆSTIO SEXTA.
DE AFFECTIONIBUS PECCATORUM.

Affectiones peccatorum appello eorum connexionem, vel disjunctionem; æqualitatem vel inæqualitatem; gravitatem vel levitatem; quæ ut pateant,

Notandum 1. Certum esse non omnia peccata inter se connecti; quædam enim aliis contraria sunt, et pugnantia, ut prodigalitas, et avaritia, nec necesse est, ut qui unum committit, cætera dicatur admittere, qui enim furatur non propterea in Deum blasphemat, nec adulterii reus est. Adde quod cum objecta peccatorum sint bona appetibilia, eaque diversa et disparata, non opus est, qui unum appetit, appetat cætera; nec proinde qui illicite circa unum objectum detinetur, etiam indebito appetitu circa cætera versari debet. Neque huic veritati obest illud S. Jacobi, cap. 2. dictum: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus:* sensus enim illius oraculi est quod qui transgreditur unum præceptum legis divinæ, fit transgressor legis quam totam implere debuit; estque omnium reus secundum quid, nempe secundum aversionem a Deo legislatore, qui omnia ista præcepta mandavit, ut significat idem Apostolus cum addit: *Qui enim dixit, non mœchaberis, dixit et non occides:* quare qui unum præceptum transgreditur, videtur recedere ab universa lege, eo quod ab auctore legis avertatur. Vel, ut exponit S. Aug. Epist. 29, cum vinculum charitatis sit initium totius legis servandæ, et hæc uno peccato mortali amittatur, qui delinquit in unum præceptum censetur esse reus omnium, quia nempe charitatem non habet; dilectio namque est legis plenitudo. Vel, ut addunt alii, dicitur esse omnium reus, quia nempe nudatur ac spoliatur gratia sanctificante, quæ est animæ vita, et reatum damnationis æternæ incurrit, ac si in omnibus peccasset. Quocirca nihil hic de necessaria peccatorum invicem connexione dicendum superesse judico. Solum hic itaque determinandum occurrit a quo repetenda sit peccatorum gravitas aut levitas; æqualitas, et inæqualitas.

Notandum 2. Ex Seraphico Doctore lib. 2. *Compendii Theologici*, cap. 5. quod unum peccatum dicitur majus altero multis modis; scilicet *causalitate*, ut peccatum Luciferi: vel *generalitate*, ut peccatum Adæ: vel *deformitate*, ut peccatum Judæ: vel *difficultate remittendi*, ut peccatum in Spiritum S.: vel *periculositate*, ut peccatum ignorantiæ: vel *inseparabilitate*, ut peccatum cupiditatis: vel *pronitate*, ut peccatum carnis: vel *offensione*, ut peccatum idololatriæ; vel *expurgandi difficultate*, ut peccatum superbiæ: vel *mentis cæcitate*, ut peccatum iræ. Monet insuper quod nihil est peccatum in viro perfecto, quod non sit peccatum in imperfecto, nisi in his quæ novit: nam perfectio non mutat genus peccati: sed ejus quantitatem auget.

Notandum 3. Nomine gravitatis peccati nihil aliud intelligi, nisi modum quemdam, et mensuram malitiæ, ratione cujus peccatum dicitur magis vel minus disconveniens naturæ rationali, atque etiam magis, vel minus offensivum Dei. Moralis enim magnitudo pravitatis, quæ inest peccato, gravitas nuncupatur, et ex eo quod suo quasi pon-

dere peccatores a summo bono ad miseriam trahat. *Insuper:* duplex a Theologis assignatur gravitas in peccati, nempe una essentialis seu specifica, altera accidentalis. Accidentalis vero iterum subdividitur in intensivam, et extensivam. Prima est quam habet peccatum ex sua specie præcise: altera quæ illi competit accidentario, sive quæ advenit actui jam in sua specie constituto. Intensiva autem est illa quam habet ex intensione actus; extensiva vero est ea quam accipit, vel ex ejusdem actus duratione, vel ex quantitate, et multiplicatione objecti, vel ex aliis circumstantiis, ad quas revocari potest modus agendi causæ, ex majori scilicet, aut minori libertate et advertentia.

Conclusio prima. — Omnia peccata non sunt æqualis malitiæ, sed unum est altero gravius. Hæc est de fide contra Stoicos Philosophos, qui, ut refert Tullius Paradoxo tertio, docebant peccata omnia esse æqualia, nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum occiderit cum opus non fuerit, quam qui Patrem suffocaverit. Quos secuti sunt varii hæretici maxime Jovinianus, ut constat ex S. Hieron. lib. 2. contra ipsum edito.

Probaturque ex Scriptura sacra, quæ diserte unum peccatum altero majus et gravius pronuntiat. Sic Threnorum 4. *Major effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum.* Jeremiæ 7. *Pejus operati sunt quam Patres eorum.* Et Joan. 19. Christus Dominus Pilatum alloquens, qui graviter peccabat cum damnando ad mortem, de Juda proditore ait: *Propterea qui me tradidit tibi majus peccatum habet:* constat hæc eadem veritas illis omnibus Scripturæ textibus, necnon et SS. Patrum oraculis, quibus supra probavimus peccata quædam esse mortalia; alia autem venialia; hæcque esse levioris, illa autem gravioris offensæ.

Probatur eadem assertio ratione: Peccata specificantur, suamque desumunt malitiam ab objectis, circa quæ indebite versantur, vel a virtutibus in quas militant: at objecta quædam naturam rationalem magis, aut minus dedecent quam alia; similiter quædam virtutes sunt aliæ aliis præstantiores; adeoque etiam peccata debent esse alia aliis graviora. *Deinde*, inter virtutes, et opera bona datur perfectionis inæqualitas, diversoque, et inæquali præmio donantur: ergo etiam eadem inæqualitas inter vitia ipsis opposita necessario est statuenda: contrariorum namque, et oppositorum est eadem ratio. *Denique*, eo peccatum censetur esse gravius, quo majus bonum adimit; eoque major offensa, quo digniorem personam afficit: subindeque gravius est hominem interficere, quam injuste bona ipsius auferre; vita namque bonum excellentius est, quam quælibet alia bona temporalia: pejus similiter est in Deum blasphemare, et ipsi irreverentiam exhibere, quam injuria plebejum hominem afficere, infinite namque Deus hominem præcellit.

Dices 1: Peccatum est transgressio præcepti; unde peccator idem præstat in moralibus præscriptam a lege rectitudinem transgrediendo, quam qui in physicis terminum lineæ præfixum transiliret: sed illa transgressio consistit in indivisibili: et consequenter sicut ad transiliendam lineam non refert quod quis longius recedat aut minus longe; utroque enim modo verum est quod terminum præfixum transgrediatur:

ergo pariter cum omnia peccata transgrediantur regulam rationis, necessario debent esse æqualia, licet ipsam magis aut minus transgrediantur. — **Distinguo majorem:** peccatum est transgressio legis, tantum generice et universaliter spectatæ, nego; specifice et in individuo consideratæ, concedo. Cum autem præcepta, et leges secundum rationem particularem possint esse majoris vel minoris momenti, etiam ipsorum transgressiones possunt esse majoris vel minoris malitiæ; quamvis enim lex generice spectata quodlibet peccatum in universum æqualiter prohibeat; tamen hæc aut illa lex sigillatim, et in particulari considerata, potest magis prohibere unum peccatum quam alterum; v. g. avaritiam magis quam prodigalitatem, aut e contra: ergo quamvis utrumque esset transgressio præcepti liberalitatis, et in illa ratione generica convenirent, tamen una transgressio ex illis posset esse unius speciei, et altera alterius; et hac ratione possunt invicem disconvenire, et una esse magis peccaminosa quam altera.

Dices 2: Peccatum est privatio rectitudinis, quæ actui deberet inesse: sed una privatio non magis tollit rectitudinem quam quævis altera: ergo unum peccatum non est altero gravius. — **Nego minorem:** quamvis enim una privatio non magis auferat rectitudinem quam altera, tamen una potest tollere meliorem rectitudinem quam altera; si nempe sit privatio nobilioris virtutis: et ratione hujus privationis, peccatum cum quo connectitur, censetur esse gravius altero, non quia per ipsum magis tollitur rectitudo quam per alterum, sed quia præstantior rectitudo adimitur, per ablationem nempe majoris perfectionis, quæ fuisset in actu, si actus ille fuisset actus virtutis nobilioris.

Conclusio secunda. — Gravitas et inæqualitas peccatorum desumitur interdum ex oppositione cum nobiliori, vel minus nobili virtute: interdum vero ex objecto præstantiori; nonnumquam ex præceptis; necnon ex adjunctis quibusdam circumstantiis. Hæc Conclusio tres habet partes, quas omnes edocet Doctor in 2. d. 21. q. 2. n. 3. dicens: *Gravitas peccati vel concluditur ex hoc quod opponitur magis intensæ bonitati: vel quia bonitas opposita est magis necessaria, scilicet quia peccatum tale est magis contra plura præcepta, et magis ardua quam aliud peccatum etc.* Quasi diceret: gravitas peccati quoad speciem intrinsecam suam determinatur vel ex eo quod opponatur perfectiori bonitati, idest, præstantiori virtuti; unde fit quod cum perfectio amoris divini sit major quam perfectio obedientiæ, propterea gravius est odisse Deum, quam non obedire ipsi: et quia præstantius est obedire Deo, quam reddere proximo quod suum est, ideirco gravius est peccatum inobedientiæ erga Deum, quam injustitiæ erga proximum. Vel, ut addit, gravitas aut levitas peccati colligitur interdum ex eo, quod militet in actum virtutis, qui magis est necessarius ratione plurium præceptorum, quibus præcipitur aut prohibetur; sic gravius est non obedire Deo, quando præcipit aliquid quod est de jure naturæ servandum, quia magis necessarium est, seu quia major, et strictior est obligatio servandi duo præcepta, nempe positivum et naturale, quam unicum.

Quod autem major etiam peccati gravitas interdum ex circumstantiis accedat, ibidem docet num. 1. dicens, *Peccatum potest aggravari*

ex circumstantia accidentali, propter excellentiam personæ et dignitatem, quæ ex hoc magis debet præcavere peccatum: item propter fortitudinem et possibilitatem resistendi. Unde si duo committerent unum peccatum; et unus ita perfectam cognitionem malitiæ peccati non haberet quam alter, nec esset ita fortis ad resistendum, nec tantam haberet obligationem vitandi peccati, sequeretur ex iis circumstantiis, quod peccatum ipsius levius esset quam alterius.

Dixi autem: *interdum unum peccatum esse gravius alio, ex eo quod opponatur nobiliori virtuti;* nam, ut recte advertit Poncius *in appendice* ad dist. 35. num. 101, universaliter non est verum, quod peccatum semper censeatur gravius ex eo quod præstantiorem virtutem excludat; nam peccatum blasphemiæ gravius est, quam non amare Deum, quando quis actum amoris tenetur elicere: attamen religio, cui opponitur blasphemia, minus est perfecta, quam charitas cui opponitur defectus amoris Dei. *Rursus,* hominem interficere gravius est peccatum, quam non audire Sacrum die festo; et tamen justitia, cui opponitur homicidium, non est præstantior virtus religione, quæ ad Sacrum audiendum obligat. *Denique,* prodigalitas majus est, aut minus vitium quam avaritia, nec tamen opponitur perfectiori virtuti; utrumque enim juxta communem Philosophorum sententiam in liberalitatem militat.

His adde, quod interdum peccatum oppositum virtuti inferiori ratione quantitatis, vel deliberationis sit gravius aliquo peccato opposito virtuti nobiliori in re levi, aut cum imperfecta advertentia et deliberatione commissum: sic levis negligentia contra virtutem religionis est peccatum minus grave, quam sit furtum mille aureorum, quod justitiæ adversatur; quodlibet enim peccatum mortale gravius est quolibet veniali. Similiter, licet virtus sit præstantior, si tamen ejus actus non sunt adeo necessarii, etiam illorum omissio non est adeo gravis, ac foret omissio actus magis necessarii virtutis inferioris: sic omittere actum gratitudinis vel charitatis leviter necessarium est minus peccatum, quam omittere actum restitutionis maxime necessarium. Inde fit quod circa peccati gravitatem vel levitatem vix præscribi possint generales regulæ: sed alterutra juxta dictamen rationis, et viri prudentis, aliquando ex præstantiori virtute, alias ex nobilioribus objectis in quæ peccatum militat, interdum ex variis concurrentibus præceptis, necnon et adjunctis circumstantiis est colligenda.

SECTIO SECUNDA.

DE PECCATIS CAPITALIBUS SIGILLATIM.

Ne quid in hoc Opere nostro desideret lector, post delineatam generatim peccati naturam, distributionem, ac varias appendices, placet hic nonnulla ex variis Seraphici Doctoris opusculis de peccatis capitalibus sigillatim referre. — Capitalia peccata sunt numero septem; nempe superbia, invidia, ira, acedia, avaritia, gula, et luxuria. Inter quæ quinque præcedentia sunt peccata spiritualia, duo vero ultima sunt carnalia. Horum autem numerum et seriem ita colligit Seraphicus Doctor in *Breviloquio,* 3. parte cap. 9. Voluntas, inquit, nostra deordinatur, aut quia appetit quod non est appetendum: aut quia refugit quod non est refugiendum. Si quid appetit quod non est ap-

petendum, utpote bonum ut nunc, sive commutabile, sive apparens bonum, aut est interius, et sic est privata excellentia quam amat *superbia:* aut exterius, et sic sufficientia quam amat *avaritia:* aut interius, et sic aut delectabile, quia ad conservationem individui, et sic alimentum quod est delectabile secundum gustum, et appetitur a *gula:* aut quia ad conservationem speciei, et sic coitus, qui est delectabilis secundum tactum, et appetitur a *luxuria.* Si autem voluntas deordinatur, quia refugit quod non est refugiendum; hoc potest esse tripliciter secundum triplicem modum refugiendi. Aut enim refugit secundum perversum instinctum ipsius rationalis, et sic est *invidia:* aut secundum instinctum irascibilis, et sic *ira:* aut secundum instinctum concupiscibilis, et sic est *acedia.* Unde quia quatuor sunt principalia appetibilia, et tres vires secundum quarum instinctum est fuga, ideo tantum septem sunt capitalia peccata. — *Paulo aliter eamdem distributionem colligit in Centiloquio,* 1. parte cap. 15. Accipitur, inquit, sufficientia septem capitalium vitiorum penes pronitatem ad apparens bonum: hæc autem pronitas, si est respectu boni quod respicit spiritum secundum se, potest esse quadruplex, secundum quatuor conditiones boni ad quod appetitus hominis inclinatur. Appetit enim quis bonum sub ratione dignitatis, et sic est *superbia:* aut sub ratione proprietatis, et sic est *invidia:* aut sub ratione securitatis, et sic est *ira:* aut sub ratione quietis et tranquillitatis, et sic est *acedia.* Si vero sit pronitas respectu boni, quod respicit carnem sive spiritum in carne, sic potest esse tripliciter. Nam spiritus carnalis appetit bonum sub ratione sufficientis, et sic est *avaritia:* aut sub ratione demulcentis, et sic est *luxuria:* aut sub ratione reficientis, et sic est *gula:* et ex hoc patet numerus, et sufficientia vitiorum capitalium. *Advertit ibidem Seraphicus Doctor,* illa capitalia vitia invicem sic ordinari secundum connexionem, qua fit ut unum ex altero proferatur. Nam *superbus* non vult subesse majoribus, vult præferri æqualibus, vult conculcare minores. Et si non potest, *invidet* majoribus, quia principantur: æqualibus, quia prosperantur: minoribus, quia exaltantur. Et cum sic nihil proficiat, concipit *iram* de facili ad majores, mediocres, et minores. Deinde decidit in *acediam*, qua mentis tranquillitas perturbatur. Et tunc cum interiorem consolationem amiserit, ad exteriorem per *avaritiam* se convertit; et sic factus opulentus immoderate per *ingluviem* sarcit ventrem, et postremo ad *luxuriam* resolvit carnem, a summo rationis vertice, usque ad carnis infimum depravatus. Sic patet quod quinque prima sunt spiritualia, duo vero ultima sunt carnalia. Ut autem aliqualis horum omnium capitalium peccatorum habeatur ratio, placet hic ex eodem Seraphico Doctore subsequentibus Paragraphis nonnulla delibare.

§ I. — De Superbia.

Circa superbiam, *inquit Seraphicus Doctor mox laudatus,* tria sunt attendenda: scilicet definitio, differentia, et gradus. Superbia definitur sic a Bernardo: *Superbia est propriæ excellentiæ appetitus.* Sic ab Augustino: *Superbia est amor propriæ excellentiæ.* Item ab eodem: *Superbia est perversæ celsitudinis appetitus.*

Secundum S. Gregorium l. 23. *Moral.* c. 1. **habet quatuor differentias.** *Prima* est quando homo attribuit sibi bonum quod habet.

Secunda est quando etsi non sibi, tamen suis meritis. *Tertia* est quando jactat se habere, quod non habet. *Quarta* est quando se existimat aliis prævalere : unde versus:

A se, pro meritis, falso, plus omnibus instat.

Secundum S. Anselmum libro *De Similitudinibus*, c. 21. quatuor **sunt exaltationis species:** quædam est exaltatio in opinione, quædam in voluntate, quædam in sermone, quædam in opere. *Exaltatio in opinione* est cum quis reputat se dignum Episcopatu, vel aliqua dignitate, tamen nollet eam habere. *Exaltatio in voluntate* est, cum quis vellet habere Episcopatum, tamen non reputat esse dignum, vel etiam opinatur. *Exaltatio in sermone* est, quando nec se dignum reputat, nec vellet habere, tamen loquitur ampullosa de aliqua scientia ut magis appareat. *Exaltatio in opere* est, quando aliquis nec se dignum reputat, nec vellet habere, nec loquitur magna ; tamen exaltatur in opere, ut quando vocatur ad consilia, et hujusmodi.

Gradus superbiæ secundum Bernardum Tract. *De Grad. humilit.* Parag. 1. et sequentibus, sunt duodecim : scilicet curiositas, levitas mentis, inepta lætitia, jactantia, singularitas, arrogantia, præsumptio, defensio peccatorum, simulata confessio, rebellio, libertas peccandi, consuetudo. His quasi quibusdam passibus superbus diligenter ad finem quem intendit pervenit. *Curiositas* est quando superbus diligenter inquirit rumores, scilicet quid de ipso dicatur, *Levitas mentis* est, quando leviter aliquis mutatur de delectatione ex verbis laudis, in tristitiam propter verba vituperii. *Inepta lætitia* est, quando lætatur ex defectibus et criminibus aliorum. *Jactantia* est, quando narrat quæ habet ut laudetur. *Singularitas* est, quando præter consuetudinem aliqua singulariter operatur, ut solus appareat et laudetur. *Arrogantia* est, quando jactat se habere quod non habet. *Præsumptio* est, quando ingerit se ad faciendum quod ad eum non pertinet. *Defensio peccati* est, quando peccatum suum, et errorem defendit et excusat quis manifeste et aperte. *Simulata confessio* est, quando peccatum suum excusat occulte. *Rebellio*, quando dissidet, scilicet superioribus, paribus, et inferioribus : superioribus obviat, inferiores opprimit, pares molestat, et perturbat. Tum *libertas peccandi* succedit, quia nec Deum timens, nec homines reverens, peccat libere, consuetus ad mala in profundum decidens peccatorum.

Addit *in Dicta salutis* tit. 1. cap. 30. superbiæ malum maxime per novem comparationes comparari. *Comparatur* 1. *vento*, propter tria ; quia ventus extinguit lucem, et exsiccat rorem, et exsufflat pulverem : sic superbia extinguit lucem sapientiæ, exsiccat rorem gratiæ, et exsufflat pulverem vanitatis mundanæ, et ideo cum homo sit pulvis ex sua conditione, juxta illud, *Pulvis es, et in pulverem reverteris :* magis timendus est ventus superbiæ in alto quam in basso, idest, in statu prælationis, quam subjectionis, quia ventus si in alto pulverem inveniret, citius exsufflaret quia *perstant altissima venti*, ut dicit Poeta. — *Secundo*, comparatur superbia *fumo*, quia sicut fumus magis ascendendo deficit, sic superbus quo plus exaltatur, plus evanescit, juxta illud : *Mox ut honorificati fuerint et exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient.* — *Tertio* comparatur *paleæ*, propter levi-

tatem, et inconstantiam, et defectum valoris ; quia sicut torrens trahit paleas, et ista levia ad oceanum : sic torrens tentationis trahit secum vanos, non humiles ad oceanum inferni. — *Quarto* comparatur *stillæ aquosæ,* quæ inflat, et statim annihilatur : et vesicæ, quæ mox deficit, dum tamen acu pungatur : sic superbus mox inflando deficit, et punctus modica febre vel tribulatione annihilatur. — *Quinto* comparatur *aranecæ,* quia sicut Aranea se eviscerat texendo telam, ut muscas capiat, sic superbus perdit animam, ut capiat laudem humanam. Unde dicitur : *Telas Araneæ texuerunt.* — *Sexto* comparatur *feretro,* quia sicut feretrum tunc solum ornatur, cum mortuus in eo ponitur : sic viri, et mulieres præcipue tunc ornant feretrum corporis sui per exteriorum vestium paraturam, cum anima intus est mortua per superbiam. — *Septimo* comparatur superbus *luctatori incauto.* Nam si in lucta unus de luctatoribus possit levare pedem alterius, dejicit ipsum : sic si dæmon possit levare pedem, idest, hominis affectionem per superbiam, dejicit eum in damnationem æternam. Unde dicitur : *Dejecisti eos dum allevarentur.* — *Octavo* comparatur *gallinæ,* quia sicut gallina statim cantat cum posuerit ovum, sic superbus statim vult videri cum fecerit aliquod opus bonum. — *Nono* comparatur *lupo.* Dicitur enim quod lupus uno mense vivit de vento : sic superbus uno mense, idest, mensura vitæ suæ vivit, vel pascitur vento gloriæ mundanæ, juxta illud : *Ephraim pascit ventum,* idest, gloriam mundanam, *sequitur æstum tota die,* idest, superbus est semper famelicus laudis humanæ.

Damna vero, quæ superbia facit in homine, sunt specialiter quinque. *Primum* enim hominem arefacit, ut melius accendatur, idest, illum sine humore gratiæ, et sine compassione efficit. Unde dicitur : *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ;* et sequitur : *Ut non derelinquaris ut lignum aridum in eremo,* idest, in inferno, *ubi concremabuntur arbores infructuosæ,* idest, peccatores. *Secundo,* hominem consumit, idest, omne bonum hominis annihilat et perdit, juxta illud : *Consumit brachia ipsius,* idest, hominis superbi, *primogenita mors,* idest, superbia, quæ est primogenita filia peccati, vel diaboli. *Tertio,* homines infatuat, et decipit, cujus signum est, quia superbus præciosa vilipendit, idest, gratiam, et gloriam, et vilia care emit, idest, gloriam transitoriam, juxta illud : *Arrogantia, et superbia cordis tui decepit te. Quarto,* hominem præcipitat ; et ideo hominem ad alta levat, ut major et gravior sit ruina, de qua dicitur : *Qui se exaltat humiliabitur. Quinto,* hominem penitus facit infelicem. Superbus enim ab eo est infelix, quia de bono semine malam messem colligit : quæ enim sunt bona aliis, in malum convertit. De sanitate enim infirmatur, de vita moritur, de medicamine vulneratur, a victo vincitur, a mortuo superatur, atque occiditur. Hæc omnia eveniunt superbo, quia de dono suo gloriatur, et sic de bono efficitur malus, et de virtute efficitur vitiosus ; juxta illud : *Contritio, et infelicitas in viis eorum,* idest, superborum.

Ex Compendio Theologico, l. 3. c. 22. Monet idem Seraphicus Doctor advertendum esse, quod vana gloria interdum mortale est peccatum ; interdum autem veniale. Vana gloria, inquit, ex suo genere est peccatum veniale, quia genus operis sumitur ex objecto. Vanum autem secundum se non est objectum peccati mortalis, sed venialis. Unde

cum vana laus sit hujus peccati objectum, patet quod non semper est peccatum mortale. Erit tamen vana gloria mortalis, scilicet ratione finis, propter quem laus appetitur. Opus namque tale est, quale est id, propter quod appetitur. Item ratione operis, in quo laus quæritur. *Circa primum* dicendum est, quod quadruplici fine laus appetitur. 1. ad vitandum malum infamiæ, sicut Samuel se laudavit. 2. propter aliquam utilitatem spiritualem, ut est gloria Dei, vel ædificatio proximi, sicut Paulus se commendavit. 3. propter lucrum avaritiæ, sicut Pharisæi qui devorabant domos viduarum, longas orationes simulantes. 4. propter actum aliquem venialis peccati, sicut quando quis laudari vult, eo quod venialiter in laude delectetur. Primum est prudentiæ : secundum est charitatis : tertium est peccatum mortale, et idem intelligendum est, quandocumque mortale peccatum finis alicujus operis ponitur : secus est veniale. — Sequitur secunda causa quare vana gloria sit peccatum mortale ; scilicet ratione operis, per quod laus quæritur. Hoc autem potest fieri tripliciter ; quia laus quandoque quæritur per opera illicita, quandoque per opera ex se indifferentia, quandoque per opera virtutum. Si primo modo, sic tale est peccatum, quale et illud illicitum, scilicet mortale, aut veniale. Si secundo modo, sic est peccatum veniale, ut habere divitias, vel vestes pretiosas cum abusu talium in laudem. Verumtamen si talia sunt de se ordinata, ut sint occasio peccati mortalis, secundum quod mulier cum ornatu meretricio præparat se ad animas capiendas, vel si factum illud est illicitum ex prohibitione superioris, ut torneamenta, et hujusmodi, quæ excedunt præceptum Ecclesiæ, sic sunt peccata mortalia. Si tertio modo, idest, si laus quæratur per opera virtutum, hoc est dupliciter : vel quia appetitus laudis adjungitur operi virtutis tamquam incidens, sicut contingit in cantu, vel in prædicatione quandoque, et tunc est veniale : vel laus est finis principaliter præstitutus operi virtutis, et operanti, ita quod ibi constituit finem ultimum; et sic est mortale : quia tunc inhæret ei, ut fini ultimo. Nota quod majus est peccatum gloriari de bonis spiritualibus, quam de temporalibus; quia minus habent motivum, eo quod minus appareant extra, quam temporalia.

§ II. — De Invidia.

Ex Centiloquio, *Invidia* dicitur aliquando nomine *iræ*, ut dicitur in *Genesi : Quare irasceris?* Glossa, *livore torqueris.* Aliquando nomine *odii,* ut habetur in eodem : *Oderant eum fratres,* idest, *invidebant.* aliquando nomine *æmulationis,* sicut constat ex primo Regum : *Affligebat eum æmula ejus etc.* Tamen æmulatio quatuor habet significationes hoc versiculo comprehensas: *æmulus inflatur, amat, invidet, ac irritatur.* Aliquando nomine proprio, et sic Damascenus dicit, quod quatuor sunt species tristitiæ, scilicet *Acedia,* quæ est tristitia aggravans : *Achos,* quæ est tristitia vocem auferens : *Misericordia,* quæ est tristitia de alieno malo : *Invidia,* quæ est tristitia de alieno bono.

Definitur autem sic invidia ab Augustino : *Invidia est odium felicitatis alienæ.* A Remigio sic : *Invidia est dolor de alieno bono.* A Damasceno : *Invidia est tristitia de alienis bonis.* A Philosopho : *Invidia est tristitia in apparenti felicitate alicujus inimici.* Item aliter : *Invidia est dissensio ab alieno bono, æstimato diminuere proprium.*

Differentiæ Invidiæ materialiter assignatæ, secundum Augustinum, sunt tres, scilicet invidere superioribus, paribus, et minoribus, sive inferioribus. Invidet enim homo *superioribus*, quia eis non æquatur: *paribus*, quia in melius prosperantur: *inferioribus*, ne ei æquentur. — Opponitur autem timor Domini superbiæ, ratione humilitatis quam generat: et pietas invidiæ, ratione charitatis ex qua generatur: prima enim, et potissima filia charitatis est pietas, quæ ad omnia valet. — Filiæ invidiæ secundum B. Gregorium sunt quinque, scilicet odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi, afflictio in prosperis ipsius. *Odium* est voluntas affectans proximo malum, ut careat contristante bono. *Susurratio* est voluntas loquendi seminans discordias inter fratres, ut persequatur proximum propter ipsius bonum contristans. *Detractio* est voluntas famam proximorum per verba denigrans, ut destruat in aliorum opinione contristans bonum. *Exultatio* in adversis proximorum, est voluntas procurata in proximi adversitate delectans. *Afflictio* in bonis proximi est voluntas procurans malum suo desiderio, per eventum prosperitatis contrariæ defraudata.

Invidia ex suo genere est peccatum mortale; qui enim invidet, secundum Remigium, sic dolet de bono alieno, contrariatur directe claritati, quæ non æmulatur, sed congaudet veritati. Charitati vero nihil est contrarium, nisi peccatum mortale. Tamen illud quod ex genere est mortale, potest esse veniale, vel prout in primo motu consistit, vel extra suam rationem trahitur. Dolor autem de alieno bono est quadruplex. *Vel* qui est primo primus motus ex natura veniens, sicut quidam naturaliter invidi sunt: et hoc nullum peccatum est, cum nullo modo sit in potestate nostra: *Vel* est secundo primus motus, quando scilicet appetitus sine completa deliberatione, tali passione afficitur, et sic est veniale peccatum: *Vel* est actus voluntarius deliberative, et sic est mortale peccatum. Vel trahitur per intentionem extra suam rationem, ut quando dolor de alieno bono surgit cuiquam ex causa bona, sicut quando dolet aliquis de bono temporali alterius, quia videt illud redundare in detrimentum animæ illius, vel etiam in detrimentum communitatis: talis dolor bonus est, quia majus bonum magis est appetendum. Notandum vero quod per dolorem boni comprehenditur gaudium de malo, quod ex ipso causatur.

Ex Dicta salutis tit. 1. c. 1. Invidia habet multas similitudines odiosas; est enim sicut vermis in ligno, rubigo in ferro, tinea in vestimento. Nam sicut ista produnt proprium subjectum, et consumunt illud plusquam alia, sic invidia rodit invidum, et plus invidus nocet sibi, quam aliis. — 2. Est sicut draco; quia sicut draco insidiatur elephantis partui ut ipsum pungat, et mordeat, et comedat: sic invidus bono alieno insidiatur judicio pravæ suspicionis, et postea mordet vel pungit aculeo murmurationis, et inficit veneno detractionis: unde et de invido dicitur: *Frater fui draconum, et socius struthionum.* — 3. Similis est leproso, Judæ proditori, et diabolo. Leprosus enim vellet quod nullus esset sanus, et diabolus quod nullus esset bonus. Unde dicitur: *Invidia diaboli, mors intravit in orbem terrarum.* Judas contristatus fuit de effusione unguenti super Christum, ut habetur in Matthæo. Sic invidus instar leprosi, et diaboli dolet de bono proximi, etiam ad modum Judæ proditoris tristatur de bona fama fratris, et

odore virtutis. Unde magnam injuriam faceret Dominus invido, si eum poneret in Paradiso, moreretur enim præ dolore, ubi videret alios gaudere. — 4. Similis est invidus oculo menstruatæ. Nam sicut illa inficit speculum cum respicit illud ; sic invidus inficit proximum, cum respicit ejus bonum, quoniam omni studio laborat ponere aliquam maculam in proximo. Unde dicitur: *Bona in mala convertit insidiator, et in electis ponit maculam.* — 5. Similis est invidus noctuæ, et igni græco. Noctua enim de nocte videt, et de die excæcatur; et ignis græcus in aqua fortius inardescit, sive succenditur : sic invidia in aquis gratiarum fortius exardescit, unde deberet extingui, et ad modum noctuæ a luce excæcatur, unde deberet illuminari, sicut Heli, qui non poterat videre lucernam, donec extingueretur, ut dicitur in libro Regum. — 6. Invidus similis est aquæ, et navi, et candelæ serpentinæ. Nam in aqua, virga recta apparet tortuosa : et in navi existentibus cum ipsi fortiter descendunt, videtur quod montes currunt velociter : et ad lucem candelæ serpentinæ, omnes paleæ videntur serpentes. Fit autem candela serpentina de cera temperata in aqua, in qua serpens coctus est, et post cum candela illa facta de tali cera ardet, videtur hominibus, quod omnes paleæ et omnes aliæ candelæ quæ ibi ardent sunt serpentes : sic invidus ad modum aquæ, recta facit tortuosa; et instar existentium in navi ; quia cum ipsi invidi ad infernum descendunt, videtur eis, quod montes, idest, viri sancti, et stabiles ad damnationem currant : et ad lucem serpentinæ scilicet invidiæ, innocentes, et bonos existimant serpentinos : omnia enim in malum convertunt, ut dicitur in Ecclesiastico : *Bonum in malum convertit insidiator.* — 7. Comparatur invidus Cain, de quo dicitur: *Quicumque invenerit me, occidet me:* sic invidum interficit omnis homo ; quia aut videt bonum in homine, et tunc dolet, aut malum, et sic gaudet, et sic in omni homine peccat, vel moritur per peccatum. — 8. Invidus comparatur Acrisiæ Sodomorum, idest, cæcitati qua percussit Dominus Sodomitas, ut dicitur in Genesi. Acrisia autem est passio quæ aufert judicium : et dicitur *a* quod est sine, et *crisis*, quod est judicium ; quia invidus non judicat illa, quæ oportet videre, et judicare. — 9. Invidus similis est nihilo, pro eo quod dissimilis est tam Creatori, quam omni creaturæ, sive bono creato : Creator enim communicat bona sua liberaliter, et creatura similiter. Nam videmus in sole, quod lumen suum communicat omnibus creaturis, et ignis calorem suum, et sic de aliis : sed invidus non solum non communicat bona sua, sed etiam, quantum in se est, annihilat aliena, quia sibi valde displicent, et etiam cum solus invidus sit, nihil ita vellet, quod nihil nisi invidia esset.

Damna Invidiæ sunt specialiter quinque. *Primum* est, quia claudit viam salutis, et aditum Paradisi ; est enim blasphemia in Spiritum sanctum, quæ non remittitur in hoc sæculo, neque in futuro, ut dicitur in Matthæo : sunt autem sex peccata in Spiritum sanctum, quorum invidia est unum, scilicet invidentia fraternæ gratiæ, impugnatio veritatis agnitæ, præsumptio de impunitate, obstinatio mentis, desperatio, et finalis impœnitentia. Dicuntur enim peccata in Spiritum sanctum, scilicet quia impugnant gratiam Spiritus sancti. *Secundum* est, quod implet hominem omni malo. Unde ut dolium plenum vino, quod

vulgo dicitur, *est plenum usque ad oculum:* sic invidus cujus signum est, quia malitia invidi per oculum exit. Nam dicitur in Ecclesiastico: *Nequam est oculus invidi.* Et in Matthæo: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Tertium est,* quod spoliat hominem omni bono, et causa est, quia odit, et impugnat omne bonum. Alia namque vitia opponuntur uni virtuti, ut superbia humilitati, luxuria castitati, avaritia largitati, et sic de aliis: invidia vero, ut dictum est, opponitur omni bono, unde non tantum dicitur mala, sed pessima. *Hæc est enim fera pessima, quæ devoravit Joseph,* ut dicitur in *Genesi. Quartum est,* quia facit hominem penitus immisericordem, sicut patet in Cain, qui ex invidia non pepercit Abel fratri suo innocenti: sicut patuit etiam in filiis Jacob, qui invidia stimulante non pepercerunt Joseph innocenti: sicut patuit etiam in Judæis, qui non pepercerunt Christo innocentissimo, immo innocentiæ Domino, cujus causa fuit invidia, ut patet in Matthæo, quia Pilatus sciebat quod per invidiam tradidissent eum. *Quintum est,* quia facit hominem penitus infelicem; invidus enim de bonis aliorum affligitur, et de melioratione deterioratur, de profectu deficit, de pinguedine marcescit, de sanitate infirmatur, de vita moritur, et ipse amittere se putat quod alii lucrantur. Et sicut *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, ita invido omnia cooperantur in malum. Unde quidam pulcherrime describens Invidiam ait:

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto.
Nusquam recta acies, livent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno.
Risus abest, nisi quem visi movere dolores.
Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis,
Sed videt ingratos, intabescitque videndo
Successu hominem, carpitque, et carpitur una.
Suppliciumque suum est.

§ III. — De Ira.

Ex *Compendio Theolog.* cap. 17. *Ira*, ut ait Augustinus, *est ulciscendi libido;* et secundum Cassian. *Ira est motus animi concitatus ad pœnam.* Hæc est definitio iræ per vitium, non per zelum, de qua est hic agendum. Ira igitur duplex habet esse, scilicet *esse naturæ*, et *esse moris.* Prout ergo deordinat ab optimo, habet esse morale, quo vitium est; quia ira non est peccatum ratione puræ passionis, immo pœna: sed cum hac dicit quamdam actionem per quam deordinat hominem, et quantum ad Deum, et quantum ad proximum; vult enim expetere vindictam, quam non debet expetere nisi a Deo, vel a judice sub Deo constituto.

Utrum autem teneatur quis remittere injuriam inimico petenti; nota distinctionem: quia ex injuria solent oriri tria: *Primum* est rancor in affectum. *Secundum* est rancoris signum in effectu. *Tertium* est actio contra injuriantem. *Primum* tenetur quis statim remittere, etiamsi non rogetur. *Secundum* tenetur remittere veniam veraciter petenti, idest, parato emendare secundum facultatem suam. *Tertium* non tenetur remittere. Si vero volueris scire utrum ille cui facta est

injuria, debeat amicitiam quærere : sciendum quod duplex est debitum: *Primum est* necessitatis, sine quo non est salus. *Secundum est* perfectionis. Quantum ad primum debitum, non tenetur quis reconciliationem quærere sive amicitiam. Sed de secundo dicit Chrysostomus quod debet quærere reconciliationem, ut duplicem coronam consequatur : unam, quia injuriam passus est : aliam, quia prior rogavit. Dominus autem ponit tres gradus circa reatum iræ, cum dicit : *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio ; qui autem dixerit Racha, reus erit concilio ; qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* De his dicendum est, quod ubi crevit gradus culpæ, crevit et ordo pœnæ. Unde recte ira sine voce punienda est judicio : ira cum voce concilio : ira cum voce contumeliæ gehennæ ignibus mancipatur : secundum Augustinum enim in primo est ira tantum; in secundo ira et sermo ; in tertio ira est et certa expressio irrisionis. Dicit autem Gregorius, quod judicium est causæ discussio ; concilium sententiæ definitio; gehenna ignis, sententiæ executio. — *Notandum* quod *reddere malum pro malo* est fragilitatis, sicut fecit Joab, quando interfecit Abner, scilicet interfectorem fratris sui Azaël. Sed *reddere malum pro bono* est perversitatis, sicut fecit Judas tradendo Christum. *Reddere bonum pro bono,* est æquitatis, sicut fecit Assuerus, quando Mardochæum honoravit. *Reddere bonum pro malo* est perfectionis, sicut fecit beatus Stephanus, quando pro inimicis oravit.

Filiæ iræ secundum Greg. sunt sex: *Prima est rixa;* hæc est audax voluntas vindicandi injuriam factam, per se. *Secunda est tumor mentis,* hæc est vindicandi causa fugiens adversarium, ne cum eo colloquium habeatur propter æstimatas inimicitias, *Tertia est contumelia*, quæ est voluntas se vindicans per exprobrationem malorum. *Quarta est clamor,* quæ est voluntas se vindicans in exaltando vocem per vituperium exprobratum, ad aliorum aures perveniens. *Quinta est indignatio,* quæ est voluntas se vindicans per signum molestiæ exterius declaratum. *Sexta est blasphemia*, quæ est voluntas se vindicans per opprobrium Deo, vel Sanctis illatum.

Ex ira veniunt multa mala. Hospitium Spiritus sancti turbat, Greg. Dum ira animum pulsat, Spiritus sanctus hospitium suum turbat. Nam sicut in pace factus est locus Dei, sic in discordia locus diaboli : tales sunt incendiarii domus Dei : unde Psalmista : *Incenderunt igni sanctuarium tuum Domine in terra : polluerunt tabernaculum nominis tui.* Unde isti sunt similes Draconi, qui emittit ex ore ignem ; quod Dei est sibi usurpat, scilicet vindictam. Propheta: *Mihi vindicta, et ego retribuam.* Talis se facit judicem, et Deum vult esse tortorem, sicut dicit S. Augustinus : *Dicit enim malus in orationibus suis: Domine occide malum inimicum meum.* Respondet ei Dominus: *Quem vestrum? ambo estis mali.* Imo talis vult esse actor et judex in eadem causa ; sed stultum se demonstrat, qui per cor suum immittit gladium, ut lædat tunicam inimici sui. Imo si sapienter faceret, prius se de ipso vindicare deberet, iram scilicet, zelum adversus iram suam propter vitium assumendo : sed e converso limam purgationis convertit in rubiginem depravationis. Adversitates enim, quæ ipsum deberent a peccato purgare, per impatientiam magis inquinant, et fornax probationis mutat ei aurum in cuprum, et flagellum ex grano facit pa-

leam. Unde duram sententiam talis in judicio expectabit. Cum enim Dominus improperaturus sit quibusdam: *Nudus fui, et non cooperuisti me,* quid dicturus est illis, qui non solum nudos non vestiunt, sed vestitos spoliant? Bellum mundi, carnis, et diaboli contra se instaurant, sed sapientes sedant minores guerras propter majores, quæ imminent: malam faciunt commutationem, quia auferendo pallium bonæ famæ, dant tunicam innocentiæ.

Remedia iræ sunt silentii observatio. *Cum defecerit lingua extinguetur ignis:* quia sicut ex collisione duorum corporum elicitur ignis, ita ex amaris verbis aliquorum ira concitatur: *Responsio mollis frangit iram, et sermo durus excitat furorem, quasi qui apprehendit carnem auribus, etc.* Dominicæ Passionis consideratio. S. Greg. *Si passio Domini ad memoriam revocetur, nihil adeo durum est, quod non æquanimiter toleretur.* Hoc figuratum est, ubi respicientes serpentem æneum sanabuntur. Item præmii tolerantiæ animadversio: unde consideratio præmii minuit vim flagelli.

Ex Centiloquio Sect. 20. **Species seu differentiæ iræ sunt tres**, secundum S. Damascenum, scilicet fel, mania, cotus. *Fel,* sive fellea passio, dicitur subitus animi motus, impatiens læsionis; et accidit ex parte corporis a commotione fellis; et ex parte animæ ex corruptione vis irascibilis: et tunc movetur fel ad vindictam ut expellatur tristitia: de qua dicit S. August. *Ira est commotio passionis illatæ.* Hæc ira cito transit. *Mania* dicitur manens ira, et memoriæ tradita. *Cotus* est ira observans tempus ad vindictam.

Ex Dicta salutis cap. 6. **Ira plures habet adaptationes et figuras**, inter quas, *Primo* comparatur igni; nam sicut ignis domum ligneam, et omnem materiam aridam accendit; sic ira accendit præcipue aridos, idest, homines iracundos, qui carent humore gratiæ. Unde homo iracundus est sicut homo habens domum ligneam, qui mane est dives, et in vespere nihil habet: quia ignis iræ combussit sibi domum: idest, conscientiam, et per consequens abstulit sibi quidquid habebat. — *Secundo,* iracundus est similis ollæ bullienti: sicut enim olla bulliendo emittit aquam, et omnia alia: sic iracundus ebulliendo per iram, emittit stultitiam, et verba inordinata, juxta illud: *Os fatuorum ebullit stultitiam.* — *Tertio,* iracundus similis est apro, nam sicut aper ex furore impingit, et currit contra gladium; sic iracundus currit ad peccatum, scilicet contentionem, injuriam, et homicidium. De talibus dicitur: *Pedes eorum ad malum currunt:* et S. Greg. in Pastorali: *Mentem impellit furor, quo non trahit desiderium, et agit incommoda velut nesciens, quæ postea dolet sciens.* — *Quarto,* iracundus similis est insano, vel arreptitio, qui præcipitat se in ignem vel aquam; sic iracundus in quamcumque malitiam. Unde dicitur de illo arreptitio, quod ubicumque apprehendit illum, allidit eum: sic ira iracundum allidit, per impatientiam molestando, et spumat per clamores contendendo vel contemnendo; et stridet dentibus malitiam machinando: et aresci odium et rancorem concipiendo. Hæc enim sunt signa iræ, et opera iracundiæ. *Quinto,* iracundus similis est calculo emittenti ignem: nam sicut calculus percussus malleo emittit scintillam, sic iracundus tactus verbo ostendit impatientiam suam: et sicut calculus non emittit ignem, nisi tangatur aliquo duro, sic multi reputantur patientes, qui

tamen exardescunt in iram tacti aliquo verbo contumelioso. Dicitur enim quod lapis calore solutus, in æs convertitur : lapis est animus durus, et lapideus, qui quando solvitur calore iracundiæ, statim ad modum æris, reddit sonum indignationis, et contumeliæ. — *Sexto*, iracundus similis est rhamno. Rhamnus enim est quidam frutex spinosissimus, habens ita duras spinas, quod ad impetum venti emittit scintillas, ut dicit Josephus : sic iratus propter ventum indignationis emittit scintillas spinosissimæ contentionis : unde dicitur: *Egrediatur ignis de rhamno, et devoret cedros Libani*, idest superbos et potentes hujus sæculi, quia specialiter consueverunt esse iracundi. — *Septimo*, iracundus est similis vasi vacuo posito juxta ignem. Videmus enim quod si vas vacuum, et terreum ponatur ad ignem, frangitur; si autem sit plenum aqua, in nullo læditur : sic homo, qui est de sua conditione terreus, si ponatur ad ignem adversitatis vel tribulationis, statim frangitur per impatientiam si sit gratia vacuus, si autem sit gratia plenus, non læditur, et ideo dicitur : *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis.*

Damna iræ sunt specialiter quinque. *Primo* enim excæcat rationis oculum : nam dicitur : *Turbatus est a furore oculus meus*, idest rationis : et per consequens non potest videre iratus quid sit justum vel injustum : unde dicitur: *Ira enim viri justitiam Dei non operatur :* et Seneca dicit, quod duo impediunt consilium ; scilicet festinantia, et ira. *Secundo*, ira facit hominem pronum ad quodcumque peccatum : vulgo namque dicitur de homine valde irato vel accenso, quod omnia faceret ; et ideo dicitur: *Qui ad indignandum facilis est erit ad peccandum proclivior. Tertio*, reddit hominem stultum, et quasi rabidum : unde eo tempore quo homo est iratus, perit ratio, et humanitas in homine, et sic per consequens mutatur homo et efficitur bestia ; nam homo est animal mansuetum natura, ut dicit Philosophus. De stultitia hominis iracundi dicitur: *Virum stultum interficit iracundia. Quarto*, aufert homini seipsum, sicut vulgo dicitur quod homo turbatus vel iratus non est in seipso. Satis autem damnificatur, qui perdit seipsum. De tali damno dicitur : Qui *impatiens, est, sustinebit damnum*, scilicet sui ipsius : sic e contrario patientia servat hominem sibi ipsi : nam dicitur: *In patientia vestra possidebitis animas vestras. Quinto*, aufert ab homine omnem misericordiam et compassionem ; ideo dicitur: *Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor.* Unde homo iratus fugiendus est, sicut canis rabidus, et leo concitatus.

Ex compendio Theologico cap. 24. **Ira ex suo genere est peccatum mortale**, quia secundum S. Isidorum, *Ira est animus concitatus ad pœnam provocanti inferendam.* Talis autem motus contrariatur charitati, quæ *non irritatur, nec cogitat malum.* Ira igitur *vel* dicit iram zeli, quæ est detestatio vitii, et hæc non est peccatum, sed est perfectionis. Potest etiam quis sibi per hunc modum irasci, sicut dicit glossa super illud Psalmi : *Irascimini, et nolite peccare: Quid est,* inquit, *homo pœnitens, nisi irascens? Vel* dicit remissionem affectus circa proximum, per quem homo non dolet de malo proximi, nec gaudet de bono ejus, licet etiam non doleat de bono, nec gaudeat de malo ejus ; sed est indifferens ei; et sic non est mortale, sed imperfectio charitatis : *Vel* dicit actualem impatientiam absque appetitu vindictæ ; et talis motus

etiam deliberatus est peccatum veniale ; quia habet incompletam rationem iræ, sicut ex supra dicta patet definitione. *Vel* dicit impatientiam cum appetitu vindictæ, et hoc est tripliciter ; quandoque enim hoc est a natura, sicut in melancholicis, in quibus secundum Philosophum continue mordetur natura, propter quod semper sunt turbulenti : et sic nullum est peccatum, cum sit motus naturalis : quandoque est ab appetitu indeliberato, et sic est veniale, sicut alii primi motus : quandoque est a voluntate deliberativa, et tunc est peccatum mortale.

§ IV. — De Acedia.

Ex *Centiloquio*, *Sect.* 21. Sequitur videre de Acedia quantum ad tria, scilicet quantum ad definitionem, oppositionem, et filias. Definitur autem sic a S. Augustino : *Acedia est tædium æterni boni.* A Richardo: *Acedia est torpor animi, bonum inchoare negligentis.* A S. Damasceno: *Acedia est tristitia aggravans.* A Magistris: *Acedia est diffidentia de propriis viribus, et auxilio Dei implendi ardua, sive mandata.* Opponitur autem Acedia, in quantum est diffidentia implendi præcepta, virtuti spei, cujus est confidere. In quantum est tædium interni boni, in quo generatur pusillanimitas, opponitur virtuti fortitudinis. In quantum vero quod est facile reputat difficile, opponitur virtuti charitatis, quæ omnia etiam difficilia facit facilia reputari. Quantum vero ad suam essentiam, quæ est tristitia, opponitur gaudio spiritus.

Acedia secundum S. Gregorium, lib. 31. *Moral.*, cap. 17. **habet sex filias**, quæ sunt videlicet malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor, vagatio mentis circa illicita. *Malitia* est voluntas gravedinis impatiens, machinans malum illius, quem æstimat inferentem. *Rancor* est voluntas ex impotentia gravedinis amaricata, amaritudinem intus clausam per signum exterius manifestans. *Pusillanimitas* est voluntas immoderate metuens gravedinem in aggressu agendorum, sive de propriis viribus immoderate diffidens. *Desperatio* est voluntas gravedinem reprimens, de adjutorio ad perficienda agenda diffidens, sive de remuneratione divina, propter sustinentiam gravedinis, qua est in implendis præceptis diffidens. *Torpor* est voluntas gravedinis impatiens, tepida, vel pigra ad expletionem agendorum inchoatorum. *Vagatio* mentis circa illicita est voluntas interno gaudio destituta, in rebus exterioribus illicitis quietem, vel consolationem quærens. — Secundum S. Isidorum, lib. *in Deuteronom.*, cap. 16, aliæ sunt filiæ tristitiæ, aliæ acediæ ; ipse enim tristitiam vocat *voluntatem, in quantum a gravi debito se avertit:* Acediam vero vocat *voluntatem, in quantum se ad quietem indebitam convertit.* Dicit ergo : de tristitia exeunt rancor, pusillanimitas, amaritudo, desperatio. De acedia secundum ipsum oriuntur otiositas, somnolentia, importunitas, inquietudo mentis, corporis instabilitas, verbositas, curiositas.

Ex Diæta salutis cap. 7. **Acedia habet multas figuras, et similitudines detestandas:** *Primo*, comparatur salicibus quæ sunt arbores infructuosæ, et solum faciunt umbram : sic acediosi, et otiosi nullum faciunt fructum, sed solum umbram diabolo, et refrigerium : unde dicitur de diabolo in Job : circumdant eum, scilicet, diabolum, salices

infructuosæ. *Secundo,* comparatur acedia febri hecticæ, vel phtisicæ, vel lapsæ, vel paralysi. Febris hectica, vel phtisica, fit a consumptione humoris naturalis: sic acedia fit, quia deficit humor divinæ dilectionis, et devotionis: similiter febri lapsæ comparatur; nam febris hujusmodi vix aut numquam curatur; sic piger, vel otiosus, cum sit semi-mortuus, vix corrigitur. Est etiam languor de quo dicitur in Ecclesiastico: *Languor prolixior gravat medicum.* Comparatur etiam paralysi, quæ facit membra arida, et impotentia: sic acedia facit pedes impotentes ad ambulandum, manum ad operandum, et membra omnia ad laborem pœnitentiæ sustinendum. Unde de talibus dicitur in Psalmo: *Manus habent, et non palpabunt: pedes habent, et non ambulabunt. Tertio,* comparatur Adonibezech, de quo dicitur, quod *amputavit manus, et pedes septuaginta regibus.* Adonibezech interpretatur *Dominator egestatis,* et significat acediam, quæ facit subditos suos egentes, et inopes: nam dicitur in Proverbiis: *Egestatem operata est manus remissa,* idest pigra. Iste Adonibezech amputat manus, et pedes regibus; quia ad litteram Reges et Prælati volunt vivere otiosi; *Vel* Reges dicuntur viri religiosi, juxta illud *Ecclesiastici,* c. 47. *Qui ungis Reges ad pœnitentiam.* Religiosi quidem deberent esse, et alios regere per vitam et doctrinam; sed aliqui habent manus et pedes amputatos per acediam. *Quarto,* comparatur otiosus famelico cani; hujusmodi enim piger et otiosus, ad modum canis esurit, et omnes sensus universalem famem patiuntur, juxta illud Psal. 58. *Famem patientur ut canes:* os enim ejus esurit cibaria delicata, lingua verba vana, manus vilia, cor honores, auris rumores, et oculi vanitates; ideo dicitur in Proverbiis: *Desideria occidunt pigrum. Quinto,* comparatur otiosus vel piger ferro, terræ, et aquæ, et vesti, scholari negligenti, homini stanti, et non ambulanti; istis enim sex eadem ratione adaptantur; ferrum quidem quod non tractatur, cito rubiginatur; terra quæ non colitur, malas herbas generat; aqua quæ non movetur, cito corrumpitur; vestis quæ non portatur, de facili a tinea corroditur; scholaris negligens qui non addiscit de necessitate nihil scit; homo stans qui non vadit, facilius cadit, quam ille qui semper incedit. Sic acediosus, quia non exercet se in aliquo bono opere, ideo succumbit vitiis, et vincitur tentatione: unde dicit S. Hieron. ad Rusticum Monachum: *Semper aliquid boni facito, ut te diabolus non inveniat otiosum.* Facilius enim diabolus occupat illos, quos in bono opere non invenit occupatos; nam *Immundus spiritus cum invenit domum vacantem,* scilicet per acediam, *assumit alios septem spiritus nequiores se,* idest universa vitia, *et ingressi habitant ibi,* ut dicitur in Matth. *Sexto,* comparatur otiosus, et piger lethargico, qui moritur dormiendo, sicut Sisara de quo dicitur, quod *soporem morti socians defecit, et mortuus est;* et sicut vulgo dicitur, quod *nimis fortiter, et profunde dormit, qui culcitram sibi furari permittit:* sic piger nimis oppressus est somno acediæ, qui permittit sibi furari culcitram, idest, quietem bonæ conscientiæ.

Damna Acediæ sunt specialiter septem: *Primum est paupertas,* quæ facit hominem egentem tam corporaliter, quam spiritualiter; ideo dicitur in Proverbiis: *Egestatem operata est manus remissa.* Et in Matth. dicitur de servo pigro: *Tollite ab eo talentum;* quia vere ta-

lentum gratiæ meretur amittere, qui illud negligit multiplicare. *Secundum est vilitas,* facit enim acedia hominem vilem: unde dicitur in Ecclesiast. *In lapide luteo lapidabitur piger;* lapis luteus potest dici peccatum immundum, ad quod acedia facit hominem pronum. *Tertium est timor,* vel pusillanimitas, quæ facit hominem pavidum, et pusillanimem ad modum leporis; unde dicitur in Proverbiis: *Timor dejicit pigrum,* scilicet de cacumine virtutis. *Quartum est spiritualis corruptio,* corrumpitur etiam ad instar aquæ non motæ; unde dicit Hierem. *Moab non est transfusus de vase in vas.* Moab interpretatur acediosus, qui de vase in vas non est transfusus, quia in bonis operibus non est occupatus. *Quintum est vitiorum accumulatio,* replet enim acedia hominem universis vitiis; nam dicitur in Proverbiis: *Per agrum hominis pigri transivi, et ecce totum repleverant urticæ.* Urtica recte figurat acediam; nam urtica habet molle folium; sed in folio habet aculeum pungitivum: sic acedia ad modum urticæ in mollitie remissionis habet aculeum pungitivæ tentationis. Sicut asinus libenter pascitur hujusmodi pungitivis, idest carduis, sic piger libenter pascitur hujusmodi pungitivis, idest delectationibus perversis, quasi aculeatis. *Sextum est exprobrabilis accusatio,* facit enim acedia hominem exprobratione dignum; unde dicitur in Proverbiis: *Usquequo piger dormies?* et ideo ad confusionem suæ negligentiæ, immittitur otiosus in scholam formicæ ad discendum, juxta illud quod scribitur in Proverbiis: *Vade ad formicam, o piger,* et satis est homini magna confusio, quod oporteat eum addiscere a tam parvo et despecto magistro.

Ex compendio Theologico cap. 25. **Acedia ex suo genere est peccatum veniale**; quia secundum S. August. acedia est tædium interni boni: hoc autem non opponitur charitati; sed dicit diminutionem fervoris charitatis, in quo consistit omne veniale: istud ergo tædium, vel est motus naturalis, et sic nullum est peccatum: vel est motus appetitus contristati de opere spirituali laborioso, et sic est veniale; quamvis etiam appetitus ille naturalis sit deliberativus, quia consensus in veniale non est nisi veniale; acedia vero ex suo genere, et per se venialis est; vel hoc tædium redundat in omissionem eorum, quæ sunt necessaria saluti, ut frangere præcepta Dei, vel Ecclesiæ sine causa rationabili, et tunc est mortale: si autem tædium illud ex omissione boni, et difficultate aggrediendi bonum, ducit in desperationem, tunc jam accedit ad peccatum in Spiritum sanctum: et si tædium illud crescit, quod etiam ducit in tædium vitæ, in tantum quod injiciat sibi manus, tunc jam similis est Judæ, qui laqueo se suspendit.

§ V. — De Avaritia.

Ex *Diæta salutis* cap. 6. Avaritia est immoderatus amor pecuniæ acquirendæ, vel retinendæ; de qua nota specialiter tria: scilicet typum ridiculosum, et damnum periculosum, et partum perniciosum.

Avaritia multas habet comparationes. *Primo* comparatur mari, morti, et inferno; nam sicut mare numquam redundat, ut dicitur in Ecclesiaste, *sic avarus numquam redundat dando eleemosynam, vel faciendo satisfactionem:* licet ad modum maris omnes fluvios mundi bibat, idest, absorbeat omnes divitias per cupiditatem: unde ratione

hujus insatiabilitatis comparatur mari: et eodem modo morti, vel inferno, quia numquam satiatur illa occidendo, et iste deglutiendo: unde de avaro dicitur: *Dilatavit quasi infernus animam suam, et ipse quasi mors, et non adimplebitur.* — *Secundo,* avarus est similis talpæ, in quatuor. Avarus enim ad modum talpæ est piger per nequitiam; cæcus per ignorantiam; quot habet possessiones, tot habet tumulos, in quibus sepelit seipsum, per continuam sollicitudinem; quidquid fodit, ponit supra se, quia de omnibus facit Deum. — *Tertio,* comparatur sterquilinio, quia sicut sterquilinium congregatum corrumpitur, et fœtet, dispersum vero facit agros fructificare; sic divitiæ avari quamdiu sunt congregatæ, animam corrumpunt; sed dispersæ pauperibus, ipsos nutriunt, et divitum peccata redimunt juxta illud: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis:* de hoc sterquilinio dicitur: *Aurum eorum in sterquilinium erit.* — *Quarto,* avarus similis est rotæ molendini; quantumcumque enim, et quotiescumque vertatur, semper tamen in eodem invenitur loco: sic avarus qui nudus in mundum venit, quantumcumque laboret, nudus tamen recedit de mundo: unde dicitur: *Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc.* — *Quinto,* avarus similis est porco; porcus enim nihil valet dum vivit, sed quando moritur, valere incipit: sic avarus non valet aliquid in vita, quia vivens non vult restituere, nec eleemosynam dare: sed moriens quandoque incipit liberalis esse, de hoc quod non potest secum portare; quia diaboli habent animam, vermes corpus; amici divitias, quia divitiæ deserunt eum, non ipse divitias. Sicut canis sequens duos homines, in capite viarum ostendit, quis sit dominus ejus, quia tunc sequitur dominum suum proprium, et dimittit extraneum, sic divitiæ in capite mortis sequuntur mundum, et dimittunt avarum; nam dicit Apostolus: *Nihil enim intulimus in hunc mundum, nec dubium, quin nec auferre quid possumus.* — *Sexto,* similis est avarus pixidi perforatæ superius, quæ recipit pecuniam quam numquam potest reddere nisi frangatur: sic avarus, et præcipue usurarius, pecunias et divitias haurit et congregat; sed numquam nisi morte frangatur, eas restituere curat. Ideo dicitur de avaro: *Comminuetur, sicut conteritur lagena figuli, contritione pervalida.* — *Septimo,* avarus est similis trunco arboris; nam sicut dominus qui habet truncum in horto, potest inserere ramum cujuscumque generis voluerit: sic diabolus quando potest in corde hominis inserere avaritiam vel cupiditatem, omnia vitia inserit: quia jam habet omnium malorum radicem et principium, juxta illud Apostoli: *Radix omnium malorum est cupiditas.* — *Octavo,* avarus similis est gallinæ, nam gallina naturaliter surda est in Augusto, vel æstate: sic avarus in æstate, idest, in statu meriti, vel in tempore gratiæ, quando debet colligere bonorum operum messem, ad modum gallinæ surdus est, quia non vult audire prædicatores. Unde avaris dicitur in persona Domini: *Vocavi, et renuistis,* etc. — *Nono,* avarus similis est apostemati, quod est proximum cordi, et rei quæ ponitur immediate super pupillam oculi. Apostema enim tunc est periculosum, quando est juxta cor: sic divitiæ sunt mortiferæ quando diliguntur nimio amore; unde dicitur in Psal. *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Per eamdem etiam rationem comparatur rei, quæ ponitur immediate super pupillam oculi. Num-

quam enim res bene potest videri, quæ nimis est propinqua oculo; ideo avarus male videt divitias, quia nimis prope apponit mentis oculum, et nimis diligit eas; ideo dicit idem Psal. *Oculos suos statuerunt declinare in terram.*

Damna avaritiæ sunt præcipue novem, *Primo* enim facit hominem nudum, unde dicitur in Apocalypsi: *Dicis quia dives sum, et locupletatus, et nullius egeo; et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus.* Nota hic quinque infortunia avari; est enim miser, quia divitias cum labore acquirit: miserabilis, quia cum timore custodit: pauper, quia cum dolore perdit: cæcus, quia nihil aliud respicit: et nudus, quia nullum aliud bonum facit. *Secundo,* avaritia facit hominem servum; nam divitiæ non sunt avarorum, sed avari sunt divitiarum; ideo signanter dicit Propheta in Psal. *Viri divitiarum,* non *virorum divitiæ. Tertio,* avaritia facit hominem stultum; nam stultus non præcavet periculum quamvis sit propinquum: sic avarus non fugit periculum inferni, cum sit etiam morti propinquus. Unde dicitur avaro Lucæ 12. *Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te,* scilicet dæmones, *hæc autem quæ parasti,* idest, congregasti, *cujus erunt?* quia *Thesaurizat impius, et ignorat cui congregabit ea. Quarto,* avaritia facit hominem abominabilem; unde dicitur in Osea: *Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt.* Non enim mirum est si Deus abominatur avarum, cum ipse tantum Deum contemnat; quia plus diligit nummum, vel obulum quam Deum; cujus signum est, quia pro obulo aliquando non veretur mentiri, nec vult dare obulum pauperi pro amore Dei. *Quinto,* facit insatiabilem: unde avarus comparatur hydropico, qui bibit et numquam satiatur: unde dicit Ecclesiastes: *Avarus non implebitur pecunia. Sexto,* facit hominem insociabilem vel solitarium; nam sicut aves rapaces volant non congregatim, sed solitarie, sic avarus est solitarius semper, quia numquam vult socium in pecunia: unde de avaro dicitur in Ecclesiaste 4. *Unus est, et secundum non habet;* et ideo sua est hæc maledictio quæ ibidem scribitur: *Væ soli, quia si ceciderit, etc. Septimo,* facit hominem obliviosum propriæ salutis: et in signum hujus Manasses, et Ephraim fuerunt fratres, ut habetur in *Genesi.* Manasses interpretatur *oblivio,* Ephraim *fructificans,* vel *crescens,* et figurat avarum, qui est crescens Ephraim, idest, in divitiis, et est Manasses, quia scilicet obliviscitur propriæ salutis. *Octavo,* facit hominem angustiosum; nam dicitur in Ecclesiaste 10. *Labor stultorum affligens eos.* Ideo divitiæ dicuntur spinæ in luco, quia cruciant possidentes, sicut videmus quod spina in pede non sinit quiete dormire. *Nono,* facit hominem tempestuosum, numquam enim cupidus, vel avarus potest habere, nec in conscientia, nec in domo propria pacem: unde dicitur in proverbiis: *Conturbat domum suam qui sectatur avaritiam.* Est enim talis sicut canis, qui dum rodit os, irascitur omni appropinquanti sibi, sive sit extraneus, sive notus; quia vulgo dicitur, *quod canis non vult socium in coquina.*

Filiæ autem avaritiæ sunt duodecim, scilicet usura, rapina, latrocinium, talliæ injustæ, fraus negotiatorum, deceptio advocatorum, acceptio munerum, simonia pro promotione consanguineorum, peccata Anachoitarum, idest, illorum qui promoventur favore et potentia principum, fraus mercatorum, avaritiæ, scientiæ, et iniquitas lusorum.

Ista enim peccata, quæ generat avaritia, figurantur per duodecim duces, quos Ismaël generavit. Ismaël enim erat idololatra, et figurat avarum: de quo dicitur ad Ephesios: *Avaritia est idolorum servitus;* filii ejus recte dicuntur duces, quia fere totus mundus ducitur, et regitur istis duodecim peccatis, quæ ex avaritia nascuntur; nam dicit Isaias c. 56. *Omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam, a summo usque ad novissimum:* et in Jeremia dicitur c. 6. *Quod a minori ad majorem omnes avaritiæ student.*

§ VI. — De Gula.

Ex *Centiloquio*, *Sect.* 23. Sequitur videre de gula quantum ad quatuor, scilicet quantum ad definitionem, oppositionem, differentiam, et filias. Definitur autem gula quantum ad excessum in cibo sic: *Gula est immoderatus amor edendi.* Quantum vero ad excessum in potu, dicitur ebrietas, quam definit Seneca sic; *Nihil aliud definio ebrietatem, quam insaniam voluntariam.* Quantum vero ad excessum cibi et potus, sic potest definiri: *Gula est immoderatus amor alimenti.* Item sic: *Gula est immoderatus amor delectationis ejus quæ est circa, vel secundum gustum.* Secundum hæc gula potest sumi stricte pro immoderantia in cibo, et sic opponitur ei parsimonia: vel large potest accipi pro immoderantia in cibo et potu pariter et sic opponitur ei sobrietas, quæ modum servat in utroque.

Differentiæ sive conditiones gulæ, secundum Isidorum, sunt quatuor, scilicet quid, quantum, quando, quomodo. *Quid* ad ipsam rem pertinet: *quando* si ante legitimum tempus appetat: *quantum* ad immoderantiam refertur: *quomodo,* si nimis ardenter appetat. Secundum beatum Gregorium sunt quinque differentiæ, hoc versu comprehensæ:

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

Præpropere pertinet ad sumptionem cibi ante tempus: *Laute* pertinet ad cibi substantiam, cum scilicet ex se pretiosus et delicatus est: *Nimis* ad cibi quantitatem. *Ardenter* attenditur ex parte affectivæ: *Studiose*, ex parte cognoscitivæ. Duas istas ultimas differentias, secundum sanctum Gregorium, sub illa quæ est quarto modo comprehendit Isidorus.

Ex Dicta salutis cap. 8. **Gula multis rebus detestabilibus comparatur.** *Primo* est squinantiæ similis; nam squinantia est morbus gutturis, et cito suffocat hominem; sic gula, quæ ad litteram est gutturis vitium, faciliter strangulat hominem per peccatum. Unde dicitur in Ecclesiastico cap. 37. *Propter crapulam multi obierunt;* morte quadruplici, scilicet morte naturæ, culpæ, infamiæ, et gehennæ. — *Secundo,* comparatur morbo regio; nam ille morbus requirit magnas expensas, et inde dicitur regius, quia soli reges, et homines potentes possunt specialiter sufficere ad expensas tam grandes: sic gulæ vitium est magnarum expensarum, quod vix potest ei aliquid sufficere; nam dicitur in Ecclesiaste c. 6. *Omnis labor hominis est in ore suo*, idest, quidquid ex labore acquirit, ore suo gulose consumit. — *Tertio,* comparatur bolismo; nam bolismus est caninus appetitus, qui interficit hominem gulosum, quia non potest satiari: sic gula maledicta, ad modum appetitus canini, interficit gulosum, qui numquam potest

satiari. Unde dicitur in Proverbiis c. 13. *Venter impiorum insaturabilis.* — *Quarto,* comparatur gulosus sacco pertuso, vel perforato in fundo, qui quantumcumque ex una parte accipit, tantum ex altera parte perdit: talis saccus est gulosus homo, qui ex una parte habet coquinam ad implendum ventrem, et ex altera latrinam ad evacuandum; et talis est miser homo, qui semper est deditus tam vili officio. Unde dicitur Aggæi c. 1. *Qui mercedes congregavit, et misit eas in sacco pertuso.* — *Quinto,* gulosus comparatur porco, nam porcus est animal deditum gulæ; diabolus autem nutrit et impinguat porcos, et bachones suos, scilicet gulosos, et postea fumum inferni ponit eos, ut in æternum devoret et pascatur: unde dicitur in Matthæo cap. 8. *Si ejicis nos hinc, mitte nos in porcos,* idest, in gulosos. — *Sexto,* comparatur gula fræno; nam sicut sessor ducit equum quocumque voluerit postquam ipsum infrænavit: sic gula ducit gulosum ad omne peccatum, ex quo homo vitio gulæ infrænari se permittit: ideo de guloso dicitur in Psal. 31. *In chamo, et fræno maxillas eorum constringe.* — *Septimo,* comparatur gulosus Esau, qui pro cibo lenticulæ vendidit primogenita sua: sic gulosi pro gula vendunt præmia æterna; nam dicitur in Threnis cap. 1. *Dederunt quæque pretiosa pro cibo.* — *Octavo,* comparatur pisci, et avi; nam sicut piscis per guttur capitur cum hamo, et avis per collum laqueo tenetur; sic gulosus per guttur capitur gulæ vitio, et præcipue inter aves, gulosus similis est avibus pinguibus, propter tria specialiter: Primo quippe quia avis pinguis non potest multum alte volare; sic gulosus nec cælestia desiderare. Item aves pingues, sicut sunt coturnices, in vindemiis quando sunt bene pingues, de facili capiuntur ab accipitre; sic homines dediti gulæ facile vincuntur a tentatione. Item sicut avis pinguis, scilicet accipiter, quando est bene saturatus non vult venire ad manum domini, quantumcumque illi ostendantur carnes: sic gulosi fugiunt manus Dei, quantumcumque ostendat eis carnes rubeas, scilicet benedictæ passionis Christi: nam in Deuteronomio c. 3. dicitur de guloso: *Incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum.* Comparatur gulosus cani, qui ducit cæcum in lutum: nam canis ducens cæcum, propter id quod videt in luto, ducit cæcum in lutum: sic gula ducit gulosum in lutum, scilicet in immunditiam peccati, et ideo suadet Sapiens: *Post concupiscentias tuas non eas.*

Damna gulæ sunt specialiter sex: *Primum est mentis brutalitas* quantum ad rationis defectum; nam dicit S. Petrus: *Hi,* scilicet gulosi, *sunt velut irrationabilia pecora;* et etiam quantum ad defectum compassionis; nulla enim compassione movetur gulosus ad pauperem, et afflictum, ac si esset animal brutum. Unde dicitur in Amos: *Bibentes vinum in phialis, nihil compatiebantur super contritione Joseph,* idest pauperis: exemplum de divite epulone, qui non est compassus Lazaro, cui tamen compatiebantur canes, ejus ulcera lingendo. *Secundum est corporis infirmitas;* nam dicitur in Ecclesiastico: *In multis escis non deerit infirmitas;* et etiam mors triplex, scilicet naturæ, culpæ, et gehennæ. *Tertium est oris loquacitas,* sicut patet de Herode, qui in convivio temere promisit et juravit saltatrici puellæ se daturum quidquid peteret, et ad petitionem ejus præcepit amputari caput Joannis Baptistæ, ut dicitur in S. Marco. *Quartum est inopia rerum. Exem-*

plum de filio Prodigo, qui dissipavit omnia bona sua, quousque fuit ita pauper, quod cupiebat de reliquiis porcorum satiari ; quæ idem sunt quod furfur secundum aliquos, et secundum alios cortices fabarum. *Quintum est carnis luxuria ;* nam ex vicinitate membrorum, scilicet ventris, genitalium, intelligitur confœderatio vitiorum: ideo dicit Jeremias ; *Saturavi eos, et mœchati sunt. Sextum est cordis stultitia ;* unde dicitur in proverbiis : *Quicumque his delectatur non erit sapiens :* et Oseas dicit, quod *vinum et ebrietas auferunt cor.*

Filiæ gulæ sunt duæ; scilicet gastrimargia et ebrietas. Gastrimargia est excessus in cibo, et dicitur a *castro* et *mergo,* ideo quod anima pergit in castro ventris. Ebrietas est excessus in potu, et dicitur ebrietas, quasi *extra briam :* nam *bria* dicebatur antiquitus calix vel poculum, qui erat mensura potus; nam vinum dabatur ad mensuram. Et istæ duæ filiæ sunt illæ filiæ, de quibus dicitur in proverbiis, *Sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes, Affer, affer.* Sanguisuga dicitur venter, quia ad modum sanguisugæ citius obruitur, quam satiatur, ut dicit S. Bernardus. Hujusmodi ergo sanguisugæ, scilicet ventris, duæ sunt filiæ, scilicet gastrimargia, et ebrietas, dicentes, affer: nam gastrimargia dicit, affer cibum; ebrietas dicit, affer potum: unde vult aliquantulum comedere post potum, et aliquantulum bibere post cibum ; et sic in infinitum.

§ VII. — De Luxuria.

Ex *Dicta salutis.* Luxuria est appetitus immoderatus secundum tactum. De luxuria nota specialiter tria: scilicet quod habet typum odiosum, damnum remorsivum, et partum perniciosum.

Luxuria habet multas figuras detestabiles et similitudines odiosas. *Primo enim* comparatur gehennæ: nam in gehenna sunt specialiter tria, scilicet ignis ardens, vermis rodens, et sulphur fœtens: sic in peccato luxuriæ est ignis concupiscentiæ; vermis, scilicet remorsus conscientiæ; et sulphur, scilicet fumus infamiæ; et ideo qui est in peccato luxuriæ, jam quodammodo est in supplicio gehennæ. Unde dicitur in Matth. *Expedit tibi,* scilicet luxuriose, *ut pereat unum membrum,* scilicet illud vilissimum et innominandum, *quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. — Secundo,* comparatur luxuriosus fatuo mercatori, qui rem pretiosam dat pro vili pretio: sic luxuriosus dat animam suam pro vili pretio, scilicet pro peccato; unde dicitur in Proverbiis c. 6. *Pretium scorti vix est unius panis, mulier autem pretiosam animam viri capit :* et facit magnam injuriam iste fatuus mercator Christo, qui carissime emerat animam: debuisset enim dixisse diabolo qui emit animas ad tam vile pretium: non possum tibi vendere animam meam, quia alius, scilicet Christus, satis majori pretio emit eam; juxta illud quod dicit Apostolus 1. ad Corinth. 6. *Empti enim estis pretio magno.* Iste enim fatuus mercator, scilicet luxuriosus, qui tam magnum forum fecit de mercibus suis, non est mirum si cito emisit capitale suum ; et ideo inter omnes peccatores luxuriosus veniet ad judicium pauperrimus ; nam ipse vendidit et destruxit quidquid habebat, scilicet Deum, et Sanctos, animam, famam, gloriam, substantiam, et gratiam. — *Tertio,* comparatur luxuriosus corvo, qui cadaveribus adhæret, ut dicitur in *Genesi:* sic facit luxuriosus, quia

dimissa arca continentiæ, et castitatis, adhæret cadaveribus, idest, delectationibus immundis. — *Quarto,* luxuriosus comparatur fatuo bellatori, scilicet inermi, qui vix cavet hostem suum, quando ipsum melius videt armatum; arma namque diaboli sunt mulieres, illæ enim sunt balistæ diaboli de longe infigentes: tunc enim fatuus est luxuriosus, qui non curat hostem suum fugere: sed attendit pulchritudinem balistæ. Similiter mulier compta, et pulchra cum suis ornamentis est gladius diaboli bene scindens, et bene limatus. Luxuriosus est tantum infatuatus et attentus circa pulchritudinem istius gladii, quod non curat fugere ictum inimici sui. Similiter mulieres sunt castra in quibus diabolus ponit vexilla, idest, diversa paramenta: luxuriosus nimis appropinquat ad castrum ubi videt arma diaboli; quia non cavet, percutitur et jaculatur, tantum tactus est pulchritudine vexillorum! unde bene figuratur luxuriosus per Abimelech, de quo dicitur Judic. cap. 9. *quod veniens ad oppidum Abimelech, appropinquavit ad turrim, et ecce una mulier fragmen molæ desuper caput ejus jaciens, confregit caput ejus, cerebrumque effudit.* Abimelech iste nimis appropinquans ad turrim, est homo luxuriosus, incaute appropinquans ad mulierem; fragmen molæ quod mulier jecit, et Abimelech interfecit, est tentatio quæ a muliere procedit, et miserum luxuriosum interfecit. — *Quinto,* comparatur luxuria sagenæ, nam sagena omne genus piscium capit, nec facit aliquam differentiam; sed quidquid invenit apprehendit: sic peccatum luxuriæ fere totum mundum involvit; nam dicitur de diabolo Habacuc cap. 1. *Qui piscatur cum hac sagena, totum in hamo subtraxit, totum traxit in sagena sua.* — *Sexto,* comparatur luxuria igni græco: ignis enim græcus horribiliter ardet, et aquas comburit, et vix potest extingui: sic ignis luxuriæ, etiam in frigidis et mortificatis ardet, et fere omnia devorat; nam dicitur de luxuria: *Ignis est usque ad consummationem devorans.* Et in Joële cap. 1. *Ignis,* scilicet luxuriæ, *comedit speciosa deserti,* idest, pulchros viros et mulieres hujusmodi. Et nota quod ignis iste græcus consuevit extingui cum duobus; scilicet cum arena, et cum aceto: quia luxuria habet ista duo magna remedia, arenam, idest, considerationem infructuositatis hujus mundi, et acetum, idest acrimoniam et austeritatem pœnitentiæ. — *Septimo,* comparatur luxuriosus equo: nam equus nihil valet sine calcaribus, et fræno: sic homo nisi habeat frænum continentiæ cum calcaribus pœnitentiæ, efficitur inutilis ad modum equi non frænati, propter luxuriæ lasciviam: ideo dicitur in Psal. *Nolite fieri sicut equus, et mulus.* — *Octavo,* comparatur luxuriosus navi, quæ a nauta sine ullo gubernatore ducitur; sed solum aquæ fluxum sequi permittitur; juxta illud quod vulgo dicitur: *Qui vadit ad votum suum, vadit ad dolorem suum:* navis enim nunquam per se ad portum ducitur, nisi recte a nauta ducatur, vel regatur: caro nostra est navis, et spiritus est nauta, sed nunquam caro veniet ad portum salutis, nisi a spiritu ducatur gubernaculo virtutis: imo sequeretur fluxum aquæ, idest, impetum luxuriæ, et tandem præcipitaret hominem in mare oceanum damnationis æternæ. In figura hujus dicitur in Matth. quod *navicula operiebatur fluctibus:* quia vere caro nostra mergeretur fluctibus tentationis, nisi adesset auxilium divinæ virtutis. — *Nono,* comparatur luxuria stercori, et luto, propter vilitatem; nam sicut porcus movetur

in luto, equus jacet in proprio fimo: sic luxuriosi perseverantes, interdum moriuntur in proprio peccato; et ideo dicitur in Joële: *Computruerunt jumenta in stercore suo:* super quo dicit S. Gregorius: *Jumenta in stercore suo putrescere, est luxuriosum in fœtore luxuriæ vitam finire.*

Damna luxuriæ sunt sex: *Primo* enim hominem ducit ad maximam paupertatem: aufert siquidem gloriam, gratiam, et propriam substantiam; sicut filius prodigus, per quem luxuriosus figuratur, dissipavit substantiam suam in meretricibus, vivendo luxuriose. *Secundo,* dejicit in pessimam servitutem, facit enim quod turpior et vilior pars quæ est in homine, dominetur ei. Hæc servitus figuratur per servitutem Ægypti, quæ erat servitus luti, et lateris, ut dicitur in Exodo, per quam bene intelligitur luxuria quæ est servitus lutosæ delectationis. *Tertio,* projicit hominem in maximam vilitatem, quia hominem qui similis est Deo, et Angelis, facit esse parem brutis: unde dicitur in Psalmo: *Homo cum in honore esset non intellexit,* scilicet quod ad imaginem Dei creatus sit, *comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis. Quarto,* luxuria hominem omni ratione, sicut animalia bruta turpiter infatuat: sicut patet in Salomone, qui tantæ fuit sapientiæ, et tamen de ipso dicitur quod *depravatum est cor ejus propter mulieres. Quinto,* hominem acriter mortificat; occidit enim triplici morte, scilicet morte culpæ, morte infamiæ, morte gehennæ; et ideo dicitur in Ecclesiaste: *Inveni amariorem morte mulierem:* mors enim naturæ simplex est, et transitoria: sed mors luxuriæ multiplex est, et sempiterna. *Sexto,* hominem fortiter illaqueat: unde dicitur etiam in Ecclesiaste de muliere: *Laqueus venatorum est,* idest, dæmonum, qui venantur animas peccatorum: *Sagena cor ejus, vincula sunt manus illius.* Et nota hic de muliere triplex genus capturæ; scilicet laqueum quo capiuntur volatilia, sagenam qua capiuntur natatilia; et vincula, quibus capiuntur animalia sylvestria, et terrestria. Luxuria vero capit volatilia, idest superbos: natatilia, idest delitiosos: et animalia terrestria, idest avaros; et sic fere nihil sibi evadit.

Filiæ luxuriæ sunt quinque, scilicet *fornicatio,* quæ fit cum muliere soluta: *adulterium,* quod fit cum conjugata: *stuprum,* quod est cum virgine, vel religiosa: et *incestus,* qui est cum affine, vel consanguinea: et *peccata contra naturam.* De his quinque filiabus habetur figura in quarto Regum, ubi dicitur quod *quarta pars cadi stercoris columbarum, quinque argenteis vendebatur.* Stercus columbæ, quæ est avis luxuriosa, figurat immunditiam luxuriæ; quinque argentei quibus stercus emitur vel venditur, sunt quinque ista peccata, quibus delectatio luxuriæ procreatur. Et bene quarta pars cadi stercoris emitur quinque argenteis, quia cum quatuor sint in peccato luxuriæ, scilicet cogitatio, delectatio, consensus, et operatio; unum solum de istis, scilicet delectationem, idest quartam partem peccati præcipue eruit, et procurat luxuriosus.

Ab his omnibus vitiis supradictis nos clementer absolvat, et potenter eripiat Pater, Filius, et Spiritus sanctus. Amen.

Hæc omnia ex diversis Seraphici Doctoris libris exscripta idcirco hic inserenda duxi, ut singulorum vitiorum fontem detegere, indeque scaturientes malorum rivos percipere posset lector.

IMPRIMATUR:

Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. *Magister.*

IMPRIMATUR:

Joseph Ceppetelli, Archiepiscopus Myrensis, *Vicesgerens.*

INDEX

DISPUTATIONUM, ARTICULORUM, SECTIONUM, ET QUÆSTIONUM

Quæ in hoc Quarto Tomo continentur.

pag.

TRACTATUS SECUNDUS.

De Creaturarum Corporalium, seu totius Mundi formatione, et ordinatione 5

DISPUTATIO PRIMA.

De opere primæ Diei . . . 6
Quæres I. Quid significare voluerit Moyses per hæc vocabula: In principio creavit Deus. . . . . ib.
Quæres II. Quid per Cælum, et Terram Moyses intellexerit 12
Quæres III. Quid significetur per hæc vocabula: Tenebræ erant super faciem abyssi. 22
Quæres IV. Quid indigitent hæc sequentia verba, Spiritus Domini ferebatur super aquas 24
Quæres V. Qualiter accipienda sint hæc verba: Dixit Dominus: Fiat lux 26

DISPUTATIO SECUNDA.

De opere secundæ diei. . . 32
Quæres I. Quid nomine Firmamenti hic significetur . ib.
Quæres II. Quid significetur per Aquas quæ sunt supra Firmamentum 35
Quæres III. Cur Moyses non dixerit hac die, id quod dixit in ceteris: Et vidit Deus quod esset bonum. . . . 38

DISPUTATIO TERTIA.

De opere tertiæ diei . . . 40
Quæres I. Cum aqua ante diem tertium omnem undique terram operiret, qua ratione potuerit tertia die tota in unum locum terræ congregari . . . . . ib.

pag.

Quæres II Qualiter aquæ in unum colligi queant. . . 45
Quæres III. Qualiter terra hoc ipso tertio die herbam virentem dicatur germinasse 46

DISPUTATIO QUARTA.

De opere quartæ diei . . . 47
Quæres I. Cur tantum quarto mundi orientis die, Deus, Solem, Lunam, et Astra formaverit 48
Quæres II. Unde facta sint sidera 49
Quæres III. Quid significetur his verbis: Fiant luminaria in firmamento Cæli . . . 50
Quæres IV. Quo sensu Sol, et Luna dicantur duo luminaria magna. 51

DISPUTATIO QUINTA.

De operæ quintæ diei . . . 52
Quæres I. An Aves ex aqua, sicut et Pisces, formatæ fuerint. . . . . ib.
Quæres II. Cur pisces proprio nomine non expresserit Moyses, sed reptilia nominaverit. 55
Quæres III. Quid significare voluerit Moyses per Cete grandia . . . . . ib.

DISPUTATIO SEXTA.

De opere sextæ diei. . . . 57
Quæres I. An omnes animalium species a Deo conditæ sufficienter præfatis Moysis verbis exprimantur . . . 59
Quæres II. An minutissima animalia, et quæ ex putri materia formari solent etiam ipso sexto die Deus creaverit . . . . . ib.

pag.

Quæres III. An etiam productæ sint a Deo hac die hibrides, seu animalia, quæ ex diversa specie generantur 60
Quæres IV. An producta sint animalia in igne sicut in aqua . . . . . ib.
Quæres V. An res meliores Deus potuerit facere, vel creare, quam creaverit, et fecerit 61
Quæres VI. An revera Deus post universi productionem cessaverit ab omni opere suo. 62

TRACTATUS TERTIUS.

De mirando Hominis opificio, ejusque varia sorte . . . 65

DISPUTATIO PRIMA.

De statu pure naturali hominis: Seu de nativis, et ingenitis hominum dotibus . 66
ARTICULUS I. De naturali hominis statu, et ingenita ejus præcellentia 67
Quæstio I. An possibilis sit naturæ puræ status . . . ib.
Quæstio II. Qualis esset Naturæ puræ status, seu an iisdem corporis et animæ defectibus, quibus nunc præmimur, subjaceret . . 84
Quæstio III. Qualiter homo per ingenitas suas præcellentias cunctis creaturis præcellat 98
ARTICULUS II. De Dignitate, et præcellentia humani Corporis 103
Quæstio I. Qualis, et quam miranda sit humani Corporis fabrica 104
Quæstio II. Quanta sit hominis dignitas ex recta ejus dispositione 115
Quæstio III. Quanta sit humani Corporis dignitas ex ejus unione cum anima rationali 120
ARTICULUS III. De Animæ rationalis dignitate, et præcellentia 124
Quæstio I. Quid, qualis, et ex quo sit Anima rationalis. 125

pag.

Quæstio II. An, et quomodo anima rationalis formata sit ad imaginem, et similitudinem Dei 139
Quæstio III. In quo maxime sita sit ratio imaginis et similitudinis Dei in homine. 146
Quæres, An sit aliquod discrimen inter esse imaginem, et ad imaginem Dei. 152

DISPUTATIO SECUNDA.

De statu naturæ innocentis . 153
ARTICULUS I. De Paradiso terrestri protoparentum innocentium domicilio . . . ib.
Quæstio I. Quid sit Paradisus terrestris 154
Quæstio II. Quis, et qualis sit Paradisi terrestris situs. 161
Quæstio III. Quænam sit Paradisi terrestris magnitudo, et amœnitas 176
Quæstio IV. Quibus præcipuis arboribus Paradisus terrestris fuerit consitus . 183
ARTICULUS II. De naturalibus, et ingenitis hominis innocentis dotibus. . . . 204
Quæstio I. Quænam fuerit Protoparentum corporea formatio, et exercitatio . . . 206
Quæstio II. Qualis, et quanta fuerit Protoparentum in statu innocentiæ sapientia, et scientia 217
Quæstio III. Qua ratione propagatum esset genus humanum in statu innocentiæ. 224
ARTICULUS III. De eximiis hominis innocentis corporis, et animæ supernaturalibus dotibus 231
Quæstio I. Quæ, et qualis fuerit primorum Parentum justitia originalis 232
Quæstio II. Qualis, et quanta fuerit gratia primis Parentibus concessa 239
Quæstio III. An, et quale homo innocens dominium habebat in animantes, et alios homines 253

DISPUTATIO TERTIA.

De statu naturæ lapsæ. . . 259

pag.

ARTICULUS I. De tentatione, lapsu, et pœna primorum Parentum 261
SECTIO I. De tentatione primorum Parentum. . . . ib.
QUÆSTIO I. Quonam instrumento Diabolus usus fuerit ad primos Parentes tentandos . . . . . ib.
QUÆSTIO II. Quonam motivo ductus fuerit diabolus, ut Protoparentes nostros tentaret 266
QUÆSTIO III. Quis fuerit serpentinæ tentationis progressus, et ordo 270
SECTIO II. De primariæ Legis impositione, transgressione, et vindicta 276
QUÆSTIO I. Qua de causa Deus Legem præscripserit Protoparentibus non edendi ex fructu arboris scientiæ boni, et mali . . . . . ib.
QUÆSTIO II. Quonam mortali peccato divinam Legem sibi præscriptam Adamus, et Eva primario fuerint transgressi. 286
QUÆSTIO III. Qualis, et quanta fuerit peccati primorum Parentum gravitas 293
SECTIO III. De pœna primis Parentibus ob eorum perduellionem irrogata . . 299
QUÆSTIO I. Quibusnam specialibus pœnis primi Parentes in sui reatus vindictam fuerint affecti . . . 300
QUÆSTIO II. Quid primis Parentibus contigerit post divinam in eos animadversionem 307

pag.

ARTICULUS II. De peccato originali ab Adamo in omnes ejus posteros grassante 315
QUÆSTIO I. Quibus momentis probari possit originalis peccati existentia 316
QUÆSTIO II. Quid sit peccatum originale 343
QUÆSTIO III. Qualiter, et in quos peccatum originale traducatur 365
QUÆSTIO IV. Quinam sint præcipui effectus peccati originalis 379
QUÆSTIO V. Quænam sint pœnæ propter peccatum originale luendæ post mortem. 387
ARTICULUS III. De peccato personali 403
SECTIO I. De peccato personali generatim spectato. ib.
QUÆSTIO I. In quo maxime consistat ratio formalis peccati. . . . . ib.
QUÆSTIO II. Quotuplex, et qualis sit peccatorum divisio. 418
QUÆSTIO III. A quibus petenda sit specifica, et numerica peccatorum distinctio. 441
QUÆSTIO IV. An, et quas peccatum habeat interiores causas efficientes 446
QUÆSTIO V. Quænam sint causæ exteriores peccati . 459
QUÆSTIO VI. De Affectionibus peccatorum 470
SECTIO II. De Peccatis Capitalibus sigillatim . . . 473

INDEX

RERUM ET SENTENTIARUM, QUÆ IN HOC QUINTO VOLUMINE CONTINENTUR.

pag.

A

Abyssus.

Abyssus quid significet . . 22

Acedia.

Acediæ definitiones 484
Acedia quibus virtutibus opponatur . . . . . ib.
Acedia sex habet filias. . . ib.
Acediæ multiplex similitudo. ib.
Acediæ damna sunt septem . 485
Acedia ex suo genere est peccatum veniale 486

Actus.

Actus malus qualiter sit capax rectitudinis 412
Actus per se malus qualiter dici possit privatus rectitudine, quam habere potuit . 413
Actus externus potest procedere a voluntate per puram omissionem actus interni . 427
Actus non prohibitus potest esse malus moraliter, et initiative, non vero formaliter, et complete 415
Actus, qui ex se est peccatum veniale, potest fieri mortalis quatuor modis 439
In actu peccaminoso septem sunt distinguenda. . . . 406

Adam.

Nomen *Adam* interdum cuilibet homini tribuitur . . 311
Adam dicitur amisisse naturalem possibilitatem, sed revera non perdidit . . . 74
Adam formatus est extra Paradisum 208
Adamus habuit rerum omnium cognitionem naturalem perfectissimam 218
Adamus non fuit deceptus, sed Eva. 219
Adamus novit siderum, et elementorum naturales proprietates 220

pag.

Adamus fuit omnibus posteris sapientior, etiam Salomone. 220
Adamus habuit notitiam rerum supernaturalium 221
Adamus novit supernaturali lumine: 1. Deum auctorem gratiæ, et gloriæ: 2. Mysterium SS. Trinitatis: 3. Divini Verbi Incarnationem: 4. Angelorum casum: 5. Sui ipsius cognitionem, non vero suum lapsum 222
Adamus potuit peccare venialiter in statu innocentiæ . 211
Adamus Eva longe præstantior erat 273
Adamus quid ageret dum Eva tentabatur 275
Adamus Dei præceptum violavit, ne Evam contristaret. 289
Adamus sepultus est in Palæstina 310
Adami corpus dicitur formatum ex quatuor mundi partibus 206
Adami contemplatio ita erat sublimis, ut frequenter esset extatica 224
Etymon nominis *Adam* . . 206
Cur Deus Adamo non maledixerit, sicut et serpenti . . 305

Amor.

Amor Dei est duplex, naturalis, et supernaturalis . . . 78
Amor castus Dei quid sit. . 80
Qualiter S. Augustinus asserat omnem amorem vel esse charitatem, vel cupiditatem . 81

Amicitia.

Mira corpus inter et animam amicitia 121

Anima.

Animæ collatio cum corpore in triplici statu, innocentiæ, culpæ, et gratiæ 104
Anima rationalis est vere for-

pag.
ma non assistens, sed informans 120
Animam rationalem cur Deus corpori unierit, triplex est ratio . . . . . ib.
Anima corpore est præstantior. ib.
Anima copori summam dignitatem confert in ordine naturæ 121
Anima corpori quanta conferat in ordine gratiæ 122
Anima qualiter conferat ad corporis beatitudinem . . ib.
Animæ dignitatis egregia commendatio 123
Animæ dignitas tanta est, ut eam Deo adæquaverit Plato. 124
Animam esse ex traduce docuit aliquando Sanctus Augustinus 126
Animam rationalem spiritualem esse docent S. Scriptura, SS. Patres, Philosophi, et ratio . . . . . ib.
Animæ spiritualitas impugnatur 128
Anima corporis passionibus qualiter afficiatur 129
Animæ immortalitas probatur . . . . . ib.
Animam mortalem esse dicunt impii, ut liberius peccent . 131
Animæ operationes duobus modis a corpore pendent . 133
Anima rationalis non est ex traduce . . . . . ib.
Animam rationalem cur Deus infundat in corpore per adulterium genito 139
Anima est imago Dei secundum quod Divinam Trinitatem adumbrat 150
Anima una non magis inficitur peccato originali, quam altera 379

Animal.

Animalia aquatica longe grandiora sunt terrestribus . . 56
Animalia terrestria cur Deus condiderit sexta die . . . 57
Animalium terrestrium omnes species sexta die conditæ sunt 59
Animalia quædam an sint igne creata 60
Animalia etiam sævissima homini innocenti subjici possunt quatuor modis . . . 253

Appetitus.

Appetitus sensitivus an perfecte paruisset rationi in statu innocentiæ, incertum indicat Doctor 238

Aqua.

Aquarum egregia commendatio 25
Aquis sanctitas est indita. . 26
Aquæ super firmamentum quare sint positæ 36
Aquæ non sunt supra cælum sidereum 38
Aquæ in eum locum quem occupant primitus confluxerunt 43

Arbor.

Arborum species tres fuerunt in Paradiso 183
Arbor vitæ quid sit, et quæ ejus virtus 184
Arbor vitæ diuturnitatem, non vero immortalitatem contulisset 187
Arboris vitæ virtus fuit supernaturalis 198
Arbores Paradisi semper suis foliis virent 199
Arbores Paradisi exsiccari potuissent, sed aliis succrescentibus 200
De Arboribus Paradisi egregia S. Bonaventuræ doctrina . 184
De Arboribus scientiæ boni, et mali varia figmenta . . 183
De Arbore vitæ Hebræorum fabula 187

Avaritia.

Avaritia multiplices habet comparationes 486
Avaritiæ damna sunt novem. 488
Avaritiæ filiæ sunt duodecim. ib.

Auxilia.

Auxilia gratuito concessa sunt, vel supernaturalia, vel naturalia 68

B

Baptismus.

In Baptismo plena fit peccatorum remissio. 89
Tria sunt hominum genera sine Baptismo decedentium. 390

pag.

Parvuli sine Baptismo decedentes nullam habebunt pœnam, nec sensus externi, nec interni. 390

Benedictio.

Quare Deus suam benedictionem animantibus terrenis, et aqueis, et aëreis non fuerit largitus 60

C

Cœcitas.

Cœcitas cordis non est formaliter peccatum 351

Calamitas.

Calamitas corporis duplex est: naturalis scilicet, et pœnalis. 84

Calamitates omnes tum corporis, tum animæ ab originali peccato derivantur . . . 379

Canticum.

Canticum puerorum non recenset res eo ordine, quo productæ sunt 38

Causa.

Causæ efficientes peccati quænam sint. 446

Christus.

Christus Dominus non fuit originali peccato infectus . 376

Christus non solum pro peccato originali, verum et pro actuali passus est. . . . 400

Christus non tantum non assumpsit defectus, qui sunt formaliter peccata, sed et eos, qui sunt peccata virtualiter 353

Cœlum.

Cœlum, et Terra, et Aqua ante primum diem creata sunt; ex eis autem cœtera fuerunt producta 23

Cœlum empireum primo die creatum est . . . . . ib.

In Cœli creatione cur Deus non dixit, fiat 30

Cognitio.

Cognitio Dei est quadruplex. 217

Cognitio qualis requiratur ad malitiam moralem, et formalem. 445

Concupiscentia.

Concupiscentia tripliciter usurpatur 81

pag.

Concupiscentia existere posset in statu pure naturali . 91

Concupiscentiam Deus sinit esse in homine juxto . . ib.

Concupiscentia non est peccatum ex Jacobo 348

Concupiscentia quomodo pariat peccatum 349

Concupiscentia non est peccatum formaliter sed est effectus peccati originalis, et causa actualis 350

Concupiscentia non opponitur rectæ rationi formaliter, sed causaliter. 352

Concupiscentia tunc dicitur peccatum cum ei succumbit homo . . . . . ib.

Concupiscentiæ motus non sunt experti primi parentes, dum erant innocentes . . 232

Concupiscentiæ motus omnes non sunt peccata: sed ii tantum, quibus homo cadere premitur in pœnam præcedentis peccati 351

Quomodo intelligendus sit S. Augustinus dum concupiscentiam appellat peccatum. ib.

Cur tam acriter invehatur S. Augustinus in concupiscentiam 373

Corpus.

Corporis humani fabrica, quam miranda sit 103

Corpus confert animæ ad scientias capessendas 104

Corpus humanum Dei manibus figuratum est 105

Corpus humanum ex materia elementari formari debuit . 1 6

Corpus qualiter sit intelligendum esse corruptum, et ejus consortio anima maculari . 351

Corporis humani egregia delineatio 108

Corporis vilitatis expressio . 123

D

Dæmon.

Dæmon quare Evam prius, quam Adam tentaverit . . 272

Denominare.

Denominari potest res aliqua extrinsece ab aliquo extrin-

pag.
seco moraliter, non vero physice 143
Deus.
Deus qualiter dicatur die septima quievisse 62
Deus qualiter dicatur mortis et non mortis, necnon et afflictionis corporeæ, ac miseriæ artifex. 90
Deus qualiter solus dicatur immortalis 132
Deus qualiter non permiserit diabolo, ut aliam, quam serpentis figuram assumeret ad tentandos primos parentes . 263
Deus variis modis dicitur causa peccati. 459
Deus non est causa peccati, nec ipsius auctor 461
Deus non concurrit ad actum peccaminosum ut causa particularis, et determinans, sed ut universalis, et determinata 462
Deus non necessitat, nec inducit ad peccatum . . . 464
Deus non permittit aliqua mala fieri nisi propter aliqua bona, quæ exinde oriunda prævidet 466
Deus indurat interdum homines privative . . . . . ib.
Deus perversa voluntate uti voluit ut opus nostræ salutis, et redemptionis perficeret 467
Deus quare dicatur causa entitatis peccati, non vero malitiæ . . . . . ib.
Deus, an concurrat ad formale peccati, tamquam causa particularis . . . . . ib.
Deus cur dicatur causa actus boni moraliter, non vero mali 468
Dei nomen quare in plurali a Moyse scriptum fuerit . 12
Deus quas, et qualiter res præstantiores condere potuerit. 61
Diabolus.
Diabolus facilius mulierem, quam virum expugnavit. 271
Ut diabolus bestia tamquam instrumento uteretur ad tentandos primos parentes triplici ratione congruum erat. 262
pag.
Ut diabolus serpentis figuram assumeret ad tentandos primos parentes congruum quoque erat. 263
Dies.
Dies primus mundi respondet primæ hebdomadæ . . . 31
Dies tertia duplici opere fuerit commendabilis 40
Die quinta piscium, et avium genera fuerunt formata. . 53
Differentia.
Differentia inter hominem peccatorem, et in puris naturalibus constitutum 235
Differentia inter malum, peccatum, et culpam 403
Dissimilitudo.
Dissimilitudo duplex in Deo. 357

E

Ejectio.
Ejectio Adami e Paradiso . 307
Ejecti e Paradiso primi parentes, Judæam et Palestinam incoluere 310
Elohim.
Elohim nomen Dei quid significet 11
Eva.
Eva formata est in Paradiso. 209
Eva quare fuerit formata ex Adami costa. 211
Evæ nominis etymon unde derivatum sit 207
Evæ nomen an fuerit ante lapsum impositum, incertum est . . . . . ib.
Evæ dignitas quanta fuerit . 272
Eva inferior fuit Adami nobilitate . . . . . ib.
Eva cur ad colloquium serpentis non obstupuerit . . . ib.
Excrementum.
Quænam excrementa habuisset homo innocens. . . . 227
Exhortatio.
Exhortatio eximia ad conjuges 275

F

Facultas.
Facultas triplex distinguenda est in homine, unde oritur totuplex appetitus. . . . 380

pag.

Figmentum.

Figmentum cordis quid significet 317

Figura.

Figura duplex est, corporea et spiritualis 111

Firmamentum.

Firmamentum factum est die secunda 32

Firmamentum quid sit. . . 31

Firmamentum totum spatium, quod est Cælum inter et Terram comprehendit . . 35

Flumen.

Quæ sint Flumina Tygris, et Euphrates 169

Quæ sint duo alia Flumina, Phison, et Geon 171

G

Generatio.

Generativa vis ad animam spectat per modum agentis, et ad corpus per modum illius quo producitur . . . 138

Gloria.

Vana gloria utrum, et quando sit peccatum mortale, aut veniale 476

Gratia.

Gratia non est homini, neque Angelo naturalis 71

Gratia dupliciter naturam perficit. 1. Juvando: 2. Ejus defectus emendando . . . 240

Gratiam divinam recuperarunt primi parentes per pœnitentiam. 312

Gratiæ, et justitiæ originalis privatio tollitur tantum consequenter per Baptismum . 358

Gratiæ privatio perseverans non potest esse absque peccato 422

Nomine gratiæ quid significetur 71

Duplex est confirmatio in gratia: una tollit posse peccare, altera tollit de facto peccare: prima solis Beatis, secunda hominibus innocentibus potuisset competere . 250

Gula.

Gulæ definitiones variæ sunt. 489

pag.

Gulæ differentiæ sunt quatuor 489

Gulæ variæ comparationes . ib.

Gulæ damna quot et quæ sint. 490

Gulæ filiæ duæ sunt . . . 491

Egregia Tertulliani contra Gulam sententia 287

H

Habitus.

Habitus vitiosus in statu innocentiæ quare non generetur ex peccato veniali . . 249

Homo.

Homo in statu naturæ puræ et innocentis mortalis esset. 85

Homo juxta triplicem statum triplicis generis dotes, et operationes habet 116

Homo quare formatus sit ex terra 208

Homo in statu innocentiæ triplicem habuit cognitionem. 217

Homo in statu innocentiæ varias habebat dotes, variasque virtutes, quas per peccatum amisit 231

Homo quare dicatur vulneratus in naturalibus. . . . 236

Homo qualiter admisso peccato veniali statum innocentiæ potuisset deserere, et pœnas pro ipso luere. . . . 246

Homo innocens habuit dominium universale in animantes 253

Homo non est substantialiter malus 346

Homines ex matrimonio, immo ex adulterio procreati boni sunt secundum opus Dei, mali vero secundum opus Adami 336

Hominis multiplex encomium 66

Hominis triplex est status, ac perfectionum genus . . . 98

Homo cæteris omnibus præcellit 99

Hominis perfectionis detegendæ triplex est modus . . 98

Hominis causæ quatuor sunt. 207

Hominis curvitas quid sit. . 233

pag.

I.

Ignoratia.

Ignorantia triplex est . . . 85
Ignorantia an vigere possit in statu innocentiæ 91
Ignorantia multiplex distinguitur 447
Ignorantia vincibilis interdum est causa peccati . . 449
Ignorantia vincibilis non est causa peccati directa . . 450
Ignorantia non est speciale peccatum distinctæ malitiæ ab eo, quod ratione illius committitur 451
Ignorantia invincibilis excusat a peccato. 452
Ignorantia invincibilis triplex est 456
Ignorantia est pœna peccati. 457
Ignorantia eodem modo dicitur peccatum quomodo concupiscentia 458

Imago.

Discrimen inter rationem imaginis, et vestigii 139
Duplex est in imagine imitatio 140
Quid præcise significent hæc verba *ad imaginem, et similitudinem*. . . . . ib.
Hominem ad imaginem Dei formatum esse, probat Seraphicus Doctor . . . . ib.
Septem potissimum sunt rationes morales cur Deus hominem ad sui similitudinem, et imaginem creaverit . . 141
Discrimen inter imaginem, et similitudinem 145
Homo non est formatus ad imaginem solius Filii Dei. 147
Imago non debet esse perpetua formaliter, sed sufficit, quod sit talis fundamentaliter 152
Cur homo ab aliquibus dicatur non imago, sed ad imaginem Dei . . . . . ib.

Immortalitas.

Immortale, et mortale tribus modis usurpantur 132
Immortales esse dicuntur Angeli, et animæ rationales non natura, sed gratia . . ib.

pag.

Imperium.

Imperium hominis in homines duplex est. 254
Imperium in animantes habuit homo innocens . . . . . ib.
Imperium in animantes viguit in sanctissimis etiam post lapsum, cæteri cum difficultate illud imperium obtinent 255
Imperium civile fuisset inter homines in statu innocentiæ 256

Inclinatio.

Inclinatio triplex est hominibus ad bonum prosequendum 380

Infantes.

Infantes an habeant causam moralem transgressionis Adæ 364

Injustitia.

Injustitia an in Deo sit . . 257
Injustitiæ, aut justitiæ nomine S. Anselmus intelligit actualem, non vero habitualem justitiam, aut injustitiam . . . . . ib.

Instans.

Cœlum, et Terra, et Elementa condita fuerunt in instanti. 28

Invidia.

Invidia est vitium diabolicum. 266
Invidia ex suo genere est peccatum mortale 478
Invidia infert quadruplicem dolorem . . . . . ib.
Invidia multas patitur divisiones odiosas . . . . . ib.
Invidiæ multiplex definitio . 477
Invidiæ quot, et quæ sint filiæ 478
Invidiæ quinque sunt damna. 479

Ira.

Iræ definitiones quot, et quales sint 480
Iræ reatus quantus sit, et qualiter puniendus. 481
Iræ quot, et quæ sint filiæ ex S. Gregorio . . . . . ib.
Iræ species sunt tres ex S. Damasceno 482
Iræ figura multiplex. . . . ib.
Iræ damna sunt quinque . . 483
Ex ira quot, et quanta mala procedant. 481

pag.

Ira qualiter, et quando sit peccatum mortale. . . . 483

Jus.

Jus Dei ad odium, et pœnam est objectum condonationis. 425

Justitia.

Justitia originalis quare sic dicta, et quid sit 233
Justitia originalis revera non erat donum supernaturale. 234
Justitia originalis adæquate distinctos habitus complectebatur 237
Justitia originalis distinctum requirebat subjectum . . 238
Justitia originalis erat distincta a gratia sanctificante . 236
Justitia originalis quid præbebat in intellectu speculativo, quid in pratico, quid in voluntate, quid tandem in appetitu sensitivo. . . 238

L

Lapsus.

Lapsus primorum parentum, quam fuerit toti humano generi exitiosus 260
Egregia S. Chrysostomi de lapsu primorum parentum doctrina 259

Laus.

Laus appetitur quadruplici fine. 477

Lex.

Lex primis parentibus imposita fuit matrix omnium legum, et Decalogi præludium, ac synopsis. . . . 276

Luna.

Luna quare dicatur luminare magnum 52

Lux.

Lux quid significet. . . . 26
Lux ab initio fuit formata . 27
Lux primigenia fuit corporea, et sensibilis. 28
Lux primigenia non illuminavit totum terrae, et aquæ globum . . . . . ib.

Luxuria.

Luxuriæ varia, et multiplex similitudo 191
Luxuriæ damna sex recensentur. 493

pag.

M

Maledicere.

Cur Deus Adamo non maledixerit sicut et serpenti . . 305
Quomodo Deus maledixerit terræ . . . . . ib.
Cur potius maledicta fuit terra, quam quodlibet aliud elementum . . . . . ib.

Maledictio.

Qualiter fuerit terra post maledictionem . . . . . ib.

Malum.

Etiamsi non detur summum malum simpliciter potest tamen dari secundum quid, et in genere 379

Mare.

Mare non est terra altius . 41
Mare unum est licet pro diversis varias sortiatur appellationes 13

Mons.

Qualis dicatur altiorum montium ubertas 165
Mons Calvariæ unde nomen acceperit. 310
Montes omnes non fuerunt diluvio deportati, nec omnia sepulcra diruta . . . 311

Mors.

Mors fuit pœna sancita pro primo peccato 283
Mors denuntiata pro transgresso præcepto animam spectabat, sed maxime corpus. 284
Mors hominis quadruplex assignatur 285
Triplici de causa Deus potius mortem, quam pœnas inferni fuit ei minatus. . . 283

Mundus.

Mundus factus est ex nihilo a Deo 8
Mundus triplex est, quem homo compendio tenet . . 98

N

Natura.

Natura quamvis recta potest deficere 96
Natura humana quomodo dicatur propagari 313

pag.

Naturale.

Naturale sumi potest duobus modis 342
Quare quædam naturalia sint pudenda 95

O

Omissio.

Omissio culpabilis nulla datur sine aliquo actu positivo intellectus 426
Omissio ut complete ponatur vi motivi tria requiruntur. 431
Omissio ordinatur ad motivum, et motivum est causa suspendendi actum, et omittendi . . . . . ib.
Omissio culpabilis est peccatum quatenus est omissio. 432

Opposita.

Oppositum non semper est effectus similis ipsis . . . 252

Opus.

Opus divinæ potentiæ in Incarnatione Ver biest triplex. 123
Opera Domini præcipua tria sunt, scilicet creationis, redemptionis, et beatificationis 122

P

Paradisus.

Paradisus terrestris locus est corporeus, et sensibilis . . 155
Paradisus terrestris locus est aliquis determinatus. . . 158
Paradisus terrestris non fuit extra hunc orbem . . . 160
Paradisus terrestris fuit in Oriente constitutus . . . 162
Paradisus terrestris ob diluvium cavendum non debuit in altiori loco, et monte constitui 166
Paradisus in Mesopotamia fuit constitutus . . . . . ib.
Paradisus triplex distinguitur. 154
Paradisi nominis etymon, et significatio . . . . . ib.
Paradisi situs qualis fuerit. 163
Paradisi terrestris amœnitas delineatur 179
Paradisum terrestrem fuisse constitutum in aliqua Orientali insula probabile est. 175

pag.

Paradisum terrestrem adhuc esse est problema. . . . 200
Quam difficilis sit de Paradiso sermo 153
An bruta in Paradiso habitaverint incertum est . . . 176
Si Adamus non peccasset omnes tamen ejus posteri non propterea Paradisum incoluissent 178
Dei misericordia fuit ut homo ejiceretur e Paradiso ne fieret perpetuo miser . 188
Plusquam uno die Adamus stetit in Paradiso. 208

Parvuli.

Parvuli qualiter judicio extremo aderunt 396
Parvuli in hac vita puniuntur pœna sensus tantum per accidens 399
Parvuli cum peccato originali decedentes recludentur in locis subterraneis . 401

Peccatum.

Peccatum Adami, et Evæ non fuit gravissimum quantum ad malitiam intrinsecam. 291
Peccatum Adami, et Evæ traduci potest tripliciter . 366
Peccatum Adami est unum physice sed moraliter multiplex 361
Peccatum Adami qualiter dici debeat causa peccati originalis 362
Peccatum Evæ fuit quintuplex 286
Peccatum Evæ fuit gravissimum. 294
Peccatum Evæ in quibus gravius fuit Adami peccato, et in quo levius 297
Peccatum Evæ fuit gravius peccato Adami propter tria momenta. 302
Peccatum primum Evæ fuit inordinatus sui amor, Adæ vero fuit inordinatus uxoris suæ amor 287-288
Peccatum habituale non consistit formaliter in sola ordinatione ad pœnam. . . 423
Peccatum habituale non consistit in sola privatione gratiæ sanctificantis; nec

pag.

est solus reatus pœnæ, sed est actuale præteritum, moraliter tamen perseverans. 421
Peccatum mortate a veniali differt, ex eo quod sit deordinatio opposita ordinationi, sine qua finis non potest aliquo modo sequi. 437
Peccatum mortale iterum a veniali distingui quatuor regulis cognosci potest . . 439
Peccatum omissionis etiam culpabilis fieri potest sine aliquo actu positivo voluntatis, qui sit ejus culpa . 426
Peccatum originale maxime ex infantium pœnis colligit S. Augustinus 77
Peccatum originale ex corporeis miseriis qualiter SS. Patres apprime colligant . . 91
Peccatum originale non esse referendum in Deum, sed in primos parentes . . . 336
Peccatum originale esse probatur 318
Peccatum originale virtualiter habent parentes in virtute seminis. 338
Peccatum originale qualiter sit voluntarium 339
Peccatum originale in nobis voluntarium est, non physice, sed moraliter . . . 341
Peccatum originale ad hoc ut sit voluntarium non opus est ut posteri suum jus, et consensum commiserint Adamo. ib.
Peccatum originale non est substantialis animæ corruptio. 345
Peccatum originale qualiter dicatur fons, et origo omnis mali 347
Peccatum originale non est concupiscentia, aut fomes peccati . . . . . ib.
Peccatum originale non est morbida qualitas 353
Peccatum originale traducitur per seminalem propagationem via communis generationis 368
Peccatum originale contraxerunt omnes, et soli Adæ posteri. 375

pag.

Peccatum originale est in omnibus æquale 377
Peccatum originale vitiavit nativam hominis ad bonum propensionem, non intrinsece, sed extrinsece . . . 386
Peccatum originale vocatur affectio malæ qualitatis non physice, sed moraliter . . 351
Peccatum originale non est privatio gratiæ originalis . ib.
Peccatum originale non reddit vituperio et increpatione dignum, neque etiam pœna sensibili et positiva . . . 393
Peccatum originale non tollit ordinem naturalem, sed supernaturalem, scilicet privationem gratiæ, et carentiam divinæ visionis. . . 391
Peccati originali causa fuit solus Adamus, et non Eva. 376
Peccati originalis etymologia quænam sit. 315
Peccatum originale qua ratione dici nequeat unicuique proprium 361
Peccatum originale non est peccatum per imputationem internam tantum, sed etiam per intrinsecum reatum . 362
Peccatum originale explicatur quomodo sit peccatum Adæ. 364
Peccatum originale cum febre egregie a S. Augustino comparatur 350
Peccatum personale quomodo dividatur. 418
Peccatum veniale triplex est. 211
Peccatum veniale potest habere rationem peccati habitualis, etsi non privet gratia 122
Peccatum veniale ex natura sua a mortali distinguitur. 431
Peccatum veniale etsi secum importet offensam Dei infiniti, non tamen est infinitum 437
Peccatum veniale quid, et quotuplex . . . . . ib.
Peccatum veniale decem remediis vitiari, et expiari potest . . . . . ib.
Peccatum veniale qualiter dicatur mortiferum 436

pag.

Peccatum omne non est actio, vel omissio 116
Peccatum potest considerari vel materialiter, vel formaliter 141
Peccatum quomodo sit corruptio rectitudinis, quæ inest actui malo 415
Peccatum necesssario debet esse voluntarium 116
Peccatum qualiter sit Dei offensivum 417
Peccatum spectari potest dupliciter, vel quatenus a voluntate procedit, et est actio, vel quatenus in ea recipitur, et est passio. . . 469
Peccatum formaliter sumptum consistit in carentia conformitatis. 406
Peccatum non consistit in privatione gratiæ sanctificantis, nec in privatione habituum acquisitorum . . . 409
Peccatum triplex est naturæ, artis, et moris 403
Peccatum multipliciter dividitur 418
Peccatum quodlibet non evertit rectitudinem animæ innocentis 215
Peccatum qualiter regnet in corpore 347
Peccatum non est illud omne, quod conducit ad pœnam . 352
Peccatum septem respectus importat 403
Peccatum unum potest dici altero majus multis modis. 470
Peccatum non imputatur creaturæ, eo quod per accidens causet defectum; sed quod ipsa recte agere teneatur, et non agat 468
Peccatum aliquo modo virtuti inferiori oppositum ratione quantitatis gravius est aliquo peccato virtuti nobiliori opposito jure levi commisso. 473
Peccati gravitas undenam sit repetenda. 293-472
Peccati gravitas non est desumenda ex privatione boni, neque ex majori pœna inflicta 296
Peccati gravitas nihil aliud est, quam modus aliquis, et mensura malitiæ, quæ duplex est 470
Peccata suam interdum desumunt malitiam a circumstantiis 472
Peccata omnia non sunt æqualis gravitatis et malitiæ. 471
Peccati affectiones variæ sunt. 470
Peccatorum specifica distinctio interdum a circumstantiis specie diversis petitur. 112
Peccatorum specifica distinctio petitur non ab obiecto entitative sumpto, sed quatenus illa obiecta materialia diversam induunt circumstantiam cum regulis bene vivendi 113
Peccatorum specifica distinctio unde desumi possit . 115
Peccati causa duplex est directa, et indirecta 159
Non omnia peccata esse mortalia fides edocet 131
Peccata capitalia septem sunt, quinque spiritualia, et duo carnalia 173
Peccato originali non inficeretur, qui miraculose crearetur 376
A peccato originali eximi possunt aliqui divinitus. . . 377
Ex peccato actuali præterito quædam remanet macula in anima peccatoris 421

Peccare.

Triplex est peccandi modus . 116
Ad peccandum duo sunt requisita, quæ Deo convenire nequeunt. 462
Si Beatus peccaret ejus peccatum foret mortale. . . . 216
In statu innocentiæ licet peccarent homines, non propterea forent aliqui reprobi. 252
Pueri non peccant physice peccato actuali, sed moraliter peccato originali. . . 342

Percussio.

Percussio gravis Clerici duplicem induit malitiæ speciem. 115

Piscis.

Pisces intelliguntur per cete omnes grandiores forma . 55
Pisces ex aqua formati sunt. 52

pag.

Pisces quomodo dicantur reptilia 55

Pœna.

Pœna Evæ, et ejus posteris inflicta est 301
Pœna Adamo ob suam prævaricationem triplex injuncta est. 304
Pœna duplex est, quæ respicit mortem . . . . . ib.
Pœnæ serpenti quinque illatæ sunt 300
Pœnæ omnes peccati originalis non oriuntur a privatione gratiæ sanctificantis, et gratiæ originalis, sed ab ipso reatu culpæ . . . 358
Quatuor ob causas multiplicatio conceptuum dicitur esse pœna multiplex 303
Parvuli non baptizati nullam patiuntur pœnam sensus, nec vermis 389

Posteri.

Posteri non denominantur præcise peccatores a peccato Adæ quia fuit moraliter proprium peccatum singulorum. 364
Posteri moraliter tantum peccaverunt unde non eamdem cum Adamo pœnam merentur, quia ipse peccavit physice. 365
Posteri parentum fidelium peccato originali inficiuntur 377

Præceptum.

Præceptum de non edendo fructu vetito injunctum fuit tam mulieri, quam viro . 277
Præceptum de non edendo fructu vetito facile, et difficile erat observatu . . . . . ib.
Tria nos a violando præcepto removent. 283

Principium.

Quid significetur his vocabulis, *in principio Deus creavit Cœlum et Terram* . . 6
Manichæi duo admittebant rerum omnium principia suprema, unum quidem bonum, alterum vero malum. 160

pag.

R

Reatus.

Reatus parentum non transit in posteros 363

Rectitudo.

Rectitudo hominis duplex, spiritualis, et corporea . . . 115
Rectitudo non omnis est perfectionis summæ indicium. 116
Rectitudo hominis conducit ad ipsius status naturalis commendationem . . . . ib.
Rectitudo confert ad futuram gloriam spectandam, et sperandam 118
Quam, et qualem rectitudinem per peccatum amiserit homo 119
Quam rectitudinem haberet homo in statu naturæ puræ. 235

Regula.

Regula humanæ voluntatis in genere duplex est, scilicet humana ratio, et lex æterna. 410

Remittere.

Quomodo, et quando teneamur remittere 480

Reptile.

Quot sint reptilium genera . 55

S

Scientia.

Triplex est modus procedendi in scientia 218

Similitudo.

Similitudo quadruplex est. 139
Similitudo in imagine attenditur penes ordinem, et proportionem, et non penes identitatem 144

Sol.

Sol, et Luna non faciunt noctem, sed dividunt . . . 50
Sol quot milliaria peragat in conficiendo suo cursu . . 51
Solis, et Lunæ quænam sint signa . . . . . ib.

Spatium.

Spatium quod cælum inter, et terram jacet, cur aqua dicatur 23

Spina.

Plurimi e SS. Patribus censent spinas et tribulos non

pag.

fuisse ante peccatum, verisimilius est tamen spinas anté peccatum terram protulisse, non in pœnam, sed in oblectamentum . . . 305

Spiritus.

Quid significetur per hæc verba: *Spiritus Dei ferebatur super aquas* 24

Status.

Status hominis quintuplex, scilicet naturæ puræ, innocentis, lapsæ, reparatæ, et beatificæ 65

Status naturæ puræ nusquam extitit, neque futurus est, non tamen est impossibilis. 68

Duo ad statum puræ naturæ sunt necessaria. 67

Status naturæ puræ non implicat 72

Homo in statu innocentiæ revera nusquam fuisset mortuus 195

Status innocentiæ eleganter delineatur a Sancto Augustino 205

In statu innocentiæ homines incoluissent terram . . . 160

Stella.

Plures stellæ, et planetæ sunt Luna majores 52

Subjectio.

Subjectio mulieris ad virum longe diversa est post lapsum ab ea quæ ante; illa enim voluntaria, ista vero acerba et involuntaria . . 257

Subjectio involuntaria, et ærumnosa mulieris ad virum est sibi inflicta in pœnam. 304

Superbia.

Superbia habet quatuor differentias 471

Superbia habet duodecim gradus 475

Superbia infert varia damna. 476

Superbiæ multiplex, et varia comparatio 475

Superbiæ, iræ, et invidiæ motus aperiuntur 266

Sidus.

Sidera ex Cælorum materia fuerunt formata 49

Sidera comprehenduntur sub nominibus Solis, et Lunæ. 50

pag.

T

Tentatio.

Tentatio spectari potest quinque modis 271

Egregia S. Scripturæ explicatio tentationis 270

Tria in verbis Moysis tentationem protoparentum referentis notanda sunt . . . 261

Tentare.

Quare tentator non dicatur Diabolus, sed serpens . . 262

Terræ.

Terra qualis fuerit ab initio. 19

Terra ante diluvium non fuit rotunda 42

Terra arida, idest aquis siccata 45

Terra dicitur germinasse non non active, sed passive. . 46

Terra quomodo germinet, et fructus producat 47

Terra fœcunditatem accepit a Deo 46

Egregia terræ commendatio. 47

Cur Deus non creaverit terram suo decore ornatam . 21

Tormentum.

Tormenta omnia inferorum ad tria revocantur. 387

Transgressio.

Transgressio potest sumi dupliciter, vel universaliter, vel specifice. 472

V

Virgo.

Mulieres in statu innocentiæ parientes non remansissent virgines 228

Virginalis integritatis corruptio tria importat. . . . 225

Virtus.

Quae, et in quo sint veræ virtutis regulae 82

Virtutes morales exerceri posse absque gratia affirmat S. Augustinus 83

Veras virtutes ad salutem necessarias gratiam requirere affirmat idem Sanctus . . ib.

Visio.

Visio Dei intuitiva non erat Adamo naturalis 76

pag.

Vita.

Militia est vita hominis super terram. 261

Vitium

Tria sunt vitia diabolo maxime familiaria 266

Unio.

Unio animæ cum corpore fuit delineatio unionis hypostaticæ 122

Volitio.

Qualis volitio ad bonitatem formalem requiratur. . . 111

Voluntarium.

Voluntarium physice, et personale debet esse in potestate voluntatis: non autem voluntarium capitale, et morale. 311

pag.

Voluntas.

Voluntas quomodo moveatur interpretative 130

Voluntas posterorum, quomodo continebatur in voluntate Adami 345

Voluntas determinatur eo quod sese libere abstineat ab actu, quem elicere posset si vellet 129

Voluntas reducitur ad actum per volitionem interpretativam, et ideo peccat . . . ib.

Vulnus.

Quadruplex vulnus a peccato originali inflictum est voluntati, quadruplex intellectui, et totidem parti inferiori 381

SCOTUS ACADEMICUS

SEU

THEOLOGIA SCOTI

SCOTUS ACADEMICUS

SEU

UNIVERSA DOCTORIS SUBTILIS THEOLOGICA DOGMATA

QUÆ AD NITIDAM ET SOLIDAM

ACADEMIÆ PARISIENSIS DOCENDI METHODUM CONCINNAVIT

R. P. CLAUDIUS FRASSEN

ORDINIS FRATRUM MINORUM PROVINCIÆ FRANCIÆ

S. FACULTATIS PARISIENSIS DOCTOR.

Editio nova

Juxta correctiones annotationesque ipsius Auctoris in Nationali Bibliotheca Parisiensi asservatas

Tomus sextus

De Legibus.

ROMÆ

EX TYPOGRAPHIA SALLUSTIANA

(Mater Amabilis)

Via S. Nicola da Tolentino, 4

1901.

TRACTATUS QUARTUS

DE LEGIBUS DIVINIS, ET HUMANIS.

Mirum *forte tibi videtur, Lector, quod præter usurpatam, et hactenus usitatam a nobis scribendi, docendique methodum, qua singulos Sententiarum libros tribus dumtaxat Tractatibus delineandos, et ordinandos esse duximus, ut cuncta Theologica nostra dogmata eodem ordine, parique nomenclatura cohærerent; jam tribus Tractatibus evolutis, quibus tota secundi Libri materies videtur exhausta; eis tamen quartum hunc annectimus. At tua, arbitror, cessabit, si quæ sit, demiratio, dum rescieris nos consulto quidem, et in tui gratiam id fuisse auspicatos; ut videlicet in eodem secundo nostri Theologici Operis Tomo* (1) *velut integro corpore omnibus sibi debitis partibus constante haberes nedum universam creaturarum omnium encyclopediam tribus distinctis ordinibus delineatam, sed certas etiam Leges, ac Regulas, quibus creata quæque suos in fines ordinantur, et divinis sibi præfixis mandatis incunctanter obtemperant. — Neque enim solis hominibus a præpotente Opifice præscriptas esse Leges existimandum est; ipsa namque totius Universi compages, quam* Mundum *appellamus, nonnisi positis, servatisque Legibus in tam discordi elementorum concordia, eadem quæ fuit ab initio, etiam nunc perseverat. Quid enim putes iratum mare, et quasi vitreis armatum montibus nunc pulsare cœlum, nunc terram appellens, totoque corpore veluti furens, et insaniens in universam terram, quam prius operiebat, non refluere nisi quia rerum Conditor, cum appenderet fundamenta terræ, quibus staret in æternum, etiam* legem ponebat aquis ne transirent fines suos? *Unde merito ajebat ipse Jobum alloquens,* cap. 38. Circumdedi mare in terminis meis, etc. *Quæris quisnam sit terminus quo Deus mare continet ne foras erumpat, et continentem aquis obruat? Luculenter explicat id Basilius Seleuc.* orat. 1. Nudat (Deus) aquis terræ dorsa, quibusdam velut in cellis maria concludens, dum imperio in abyssum utitur pro claustro, et arena, quasi habena formidabili mare continet, terram liberam servans a pelagi eluvione. *Subdit mox æque eleganter:* Fertur illud quidem fluctibus alte elatum; ubi vero terminos attigerit, revertit, refugitque, et Domini vocem littoribus inscriptam cum intuitum fuerit, curvatis fluctibus termini positorem adorat. *Quis explicet quam regulata temporum varietate, immutabilique vicissitudine Cœlorum et Astrorum motus recurrant,* ut velūti in paginis elementorum, et voluminibus temporum divinæ institutionis doctrina legeretur? *ait S. Prosper* lib. 2. *De vocat. Gentium*

(1) Notandum primam Auctoris editionem *quatuor* dumtaxat tomis in folio fuisse absolutam (N. Ed.)

cap. 1. — *Nec vero hominem suo relictum esse arbitrio censendum est, quasi nullis legibus instruatur, quibus rectæ rationi, ac virtuti consentanea sectari, et prava declinare queat; Deus enim ipsi præsto est, et jubendo per Legem, et per gratiam adjuvando, non solum ut quæ recta sunt nosse, sed etiam exequi, valeat.* ✻ *" Lex enim omnis ordinatur ad vitæ directionem et institutionem; est enim perfecta juris Dei in hominem, et officii hominis erga Deum, seipsum, et homines alios, regula. "* ✻ — Apparet *igitur quam ordinato, quamque stricto vimine præsens Tractatus cum præcedentibus cohæreat. Illud etiam non modicum juvat, quod peccati cognitio vix haberi possit absque exacta Legis notitia; maxime cum dixerit Apostolus ad Rom.* 7. Peccatum non cognovi nisi per legem; nam concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret: Non concupisces: ✻ *"Accedit quod lex, præsertim divina, sit præparatio quædam ad gratiam, ut ex peccati et miseriæ hominis declaratione, gratiæ salutaris necessitas aperiatur, et desiderium ejus in nobis excitetur. Unde S. Paulus ad Galatas,* c. 3. v. 24. *legem appellat pedagogum nostrum in Christo, ut ex fide justificemur. Unde S. Augustinus,* lib. *De perfectione justitiæ:* Ad hoc lex præcipit, ut cum in his implendis homo defecerit, non se extollat superbia tumidus, sed ad gratiam confugiat fatigatus, ac si eum lex terrendo, ad Christum diligendum pedagogi perducat officio. *Licet autem ista de sola lege Mosaïca dicta sint tam ab Apostolo quam a S. Augustino, nihilominus omni prorsus legi possunt attribui. Siquidem lex omnis bonum præcipiendo et prohibendo malum hominis animum præparat ad gratiam et fidem Christi, ut videlicet minori cum reluctantia ab homine per legem jam in ordine constituto utraque suscipiatur. Oportuit ergo tractatum hunc præcedentibus annectere ad planiorem et pleniorem disputationum de peccatis intelligentiam, et ut hæc tractatio facem præbeat ad ea quæ in sequentibus voluminibus de Christi Domini incarnationis mysterio, deque ipsius divinæ gratiæ fœcunditate, necessitate ei præcellentiis sumus dicturi. Inde mirum nemini videri debet quod Theologi divinis rebus tractandis dediti, etiam de Legibus disputationem suscipiant, et in ea versentur "* ✻ *materia, quæ sibi communis est cum Philosophis moralibus, et juris utriusque,* Pontificii *nimirum, ac* Cæsarei, *Doctoribus. At versantur longe præstantiori ratione quam Philosophi, qui de legibus tantum scripserunt, et tradiderunt ea, quæ lumine naturali cognosci possunt, ac judicari, conducere ad hominum mores recte instituendos, et ad Rempublicam in pace, ac secura concordia, et justitia continendam. — Nobiliori etiam, sanctiorique consideratione circa leges occupantur, quam* Jurisperiti Cæsarei; *nam qui jus civile tractant, suppositis principiis generalibus Philosophiæ moralis, ad quæ leges humanas, et civiles revocare conantur, tradunt, et explicant in particulari leges ipsas, civili auctoritate conditas ad instituendos Reipublicæ mores politicos, in ordine ad externam justitiam, et pacem reipublicæ fovendam, ac servandam:* Pontificii *vero, qui jus Canonicum profitentur, disputant de legibus auctoritate Ecclesiastica præscriptis; quatenus spectant regimen, et ordinem publicum in fidelium cœtu stabiliendum; quo nempe justa moderatione et administratione Sacramenta conferantur, Ecclesiastica beneficia dispensentur, Ordinum functiones, qua decet reverentia et veneratione exerceantur; denique ut pax, et justa moderatio in universo*

statu Ecclesiastico servetur. — Theologi *vero non solum de legibus divinis positivis, quæ proprie ad illos pertinent, utpote quæ sola Dei revelatione innotescant, verum etiam de naturali, et humana disputant; sed ob altiorem finem, quam intendant Philosophi ac Jurisperiti: nempe ad conscientiam fidelium bene formandam, et instruendam circa obligationem hujusmodi legum, necnon ad dirigendas humanas actiones in ordine ad meritum, aut demeritum vitæ æternæ, et quatenus conducunt ad salutem, et finem supernaturalem assequendum. Idque præstant non solum ex principiis moralibus, et solo naturali lumine cognitis; verum etiam ex principiis fidei; declarando videlicet qualiter leges omnes a Deo Legislatorum omnium Principe ducere debeant originem, ejusque auctoritate firmari, juxta illud Proverb.* 8. Per me Reges regnant, et legum Conditores justa decernunt. — *Non ergo a suscepto fine deviabimus, præsentem Tractatum* De Legibus *instituendum auspicando; siquidem hæc materies Theologum spectat; quam ut congruenti ordine expendamus, juxta servatam a nobis hactenus scribendi methodum, præsentem Tractatum tribus Disputationibus absolvemus: quarum* Prima *erit de lege naturali.* Secunda, *de lege divina.* Tertia, *de lege humana. Quibus majoris claritatis gratia, præmittenda est sequens*

DISPUTATIO PROŒMIALIS.

DE LEGIBUS IN COMMUNI.

Variam esse nominis *Legis* acceptionem, diversamque ejus appellationem, tum apud sacros, tum apud profanos, nemo Theologorum est qui nesciat. Etenim Scriptura sacra legem pluribus titulis illustrat, et significat: eam enim interdum nomine voluntatis appellat. Sic Psalm. 102. *Notas fecit vias suas Moysi, et filiis Israël voluntates suas.* Sic pariter 2. Machab. 1. *Det vobis cor omnibus ut faciatis ejus voluntatem.* Interdum illam *lucis* ac *lucernæ* nomine exprimit. Sic Prov. 6. *Mandatum est lex et lux via vitæ.* Alias *jugum* vocitat, sic. Psalm. 2. *Projiciamus a nobis jugum ipsorum.* Et Matthæi 11. *Jugum meum suave est.* Nonnunquam legem *præcepti* nomine explicat. Sic Psalm. 18. *Præceptum Domini lucidum.* Sæpius *mandatum* nominat. Sic Psal. 118. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis,* et Matthæi 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* — Communiori autem ac magis vulgato nomine *lex* appellatur. Cujus quidem nominis triplex est usurpatio: *Prima* quidem communis et impropria, pro quacumque regula naturæ, artis, et actuum humanorum. *Lex naturæ* hic appellatur, non illud rationis dictamen singulis hominibus ingenitum, quo quisque novit quid rationi congruat aut repugnet; sed quæ rebus omnibus ab Auctore naturæ est indita; nihilque aliud est quam ipsa rei cujuslibet propensio, qua fertur in id quod sibi conveniens est; qua ratione S. Paulus inclinationem appetitus sensitivi in bonum sibi congruum appellat *legem membrorum, et legem peccati* ad Rom. 7. *Lex artis* ea dicitur, quæ complectitur regulas juxta quas artis opera formari debent, ut dicantur perfecta; sic dicimus leges Grammaticæ etc. Denique *lex morum* est norma seu regula quarumcumque actionum tam intellectus quam voluntatis. — Strictius autem, et magis proprie lex dicitur quævis regula morum sive justa, sive iniqua, qualiter Tyrannorum præscripta leges dicuntur. Sic Isaiæ 10. *Væ qui condunt leges iniquas.* Sic pariter S. Isidorus legem usurpat lib. 2. *Etymologiarum,* cap. 10. dum ait, *legem esse constitutionem populi quam majores natu cum plebibus sanxerunt.* Strictissime autem, et in adæquata significatione, lex usurpatur pro ordine rationis ad bonum commune stabilito, et ab eo qui curam habet communitatis promulgato, cum obligatione ad ejus observantiam. De qua posteriori legis usurpatione sermo futurus est in sequentibus Quæstionibus.

QUÆSTIO PRIMA.

DE NATURA, ET DEFINITIONE LEGIS.

Non immoramur in adstruenda et asserenda legis necessitate et existentia ; eam enim aperte satis insinuat ipsa creaturæ intellectualis defectibilitas, et exigentia ; cum enim ipsa plerumque a fine honestatis, in quem debet collineare, deflectat, et exorbitet, opus habet aliqua regula qua veluti manu ducatur ad eum finem assequendum. Quæ si vera sint de fine naturali, longe debent esse certiora de supernaturali, qui cum omnino captum, et vires ipsius creaturæ rationalis prorsus excedat, et humanæ menti naturaliter sit ignotus ; non potest quisquam ad illum pertingere, nisi et altiori lege dirigatur, et supernaturalibus auxiliis adjuvetur. — Idipsum probat ipsa maxima legum utilitas ad institutionem, et conservationem Reipublicæ, cujus salutem in legibus constitutam esse merito dixit Aristoteles 5. *Rethoricorum :* leges enim a Republica si quis auferat, animam ipsam a corpore divellet ; siquidem ubi desunt leges, furta, homicidia, et quælibet alia scelera impune grassantur, unde vulgatum illud Augustini: *Remota justitia*, quæ per leges potissimum stabilitur, *quid sunt regna, nisi magna latrocinia ?* Cui etiam consonat illud Isidori lib. 5. *Etymolog.* c. 20. *Factæ sunt leges, ut humano metu humana coerceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia, et in ipsis improbis formidato supplicio refrænetur nocendi facultas.* Solum itaque hic suscipimus explicandam legis naturam ; quocirca

Notandum 1. Legem secundum nominis etymon dici vel a *ligando*, quod homines liget, et obliget ad sui observationem ; qua ratione Deus de perduellibus Judæis conqueritur Jeremiæ 2. *Confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, dixisti : Non serviam.* Et Matth. 23. Christus Pharisæorum hypocrisim et duritiem insinuans, ait: *Alligant onera gravia etc.* Secundo lex dicitur a *legendo ;* quia leges, præsertim positivæ, legi, et promulgari debent postquam institutæ sunt, ut subditos obligent ; vel quia homo legit in ipsa lege quid agendum, quidve omittendum sit : vel denique, quia leges olim scripto tradebantur ut ab omnibus legi et intelligi possent. Hinc Isidorus l. 2. *Etymolog.* c. 10. *Hoc interest,* inquit, *inter legem, et morem, quod lex scripta est, mos vero est vetustate probata consuetudo.* ✳ Cui præerat Cicero, lib. 1. *De legibus*, ubi dicit *legis* vocem a verbo *lego* esse derivatam, quod in publicis tabulis legenda fertur, ut omnibus innotescat ; vel dicitur ab *eligendo* seu *deligendo,* quia in ea delectus habetur rerum agendarum vel fugiendarum ; lex enim omnis dictat quæ sint eligenda quæve respuenda. Quæ postrema legis usurpatio ad præsens nostrum institutum aptior videtur et convenientior. Ab Hebræis vero lex dicitur *thorah* a verbo quod in *hiphil* significat docere, quia lex omnis singulos homines de officio suo admonet, eosque de rebus agendis vel cavendis informat. Græcis vero dicitur νομος a verbo απονεμειν quod tum *regere,* tum *distribuere* notat, quia juxta ejus præscriptum homines regi debent, et cuique, quod suum est, tribuere. Hinc S. Augustinus, *Comment.* in Psalm. 59 post medium, observat quod etsi *lex* in lingua latina fœminini sit generis, in græca

tamen est masculini : *magis enim*, inquit, *masculinam vim habet, quia regit, non regitur.* " ✳

Notandum 2. Quod etsi lex a *legendo* non absurde censeatur derivari, potissima tamen ratio legis in sermone scripto vel audito non est constituenda, sed in rebus ipsis quæ imperantur vel prohibentur. « Solarum enim rerum est fieri vel non fieri, non proprie mandatorum « aut sermonum, inquit Guillelmus Parisiensis tractatu *De legibus*, « cap. 1; qui enim imperat currere, non verbum imperat, sed cursum « ipsum ; neque qui obedit, verbum currendi facit, sed cursum ipsum « proprie ; sicut igitur proprie res vel fieri vel omitti dicuntur, ita « proprie imperari et prohiberi ; quare etiam proprie imperatæ et « prohibitæ sunt res, figurate vero sermones : præcepta igitur, et man- « data, et lex primo, et proprie leguntur sicut et intelliguntur ; res « enim sunt proprie quarum proprie, et primo intellectus quæritur. » *Quod utique confirmat ulterius ibidem dicens:* « Regulæ honestatis, « quales sunt, Deum esse honorandum, Deum esse timendum, Deum « esse adorandum : omnem hominem esse diligendum : omni homini « consulendum, sive illæ regulæ scriptæ sint exterius, sive non, et « sive audiantur exterius, sive non, veræ sunt et tenendæ. Et obli- « gatus est unusquisque debito honorandi Deum debitoque timendi « eum, sive legat foris scriptum, sive non, et sive audiat hæc foris, « sive non. Et ad hunc modum se habet de aliis, quæ sunt debita per « se ; licet verum sit, quod major notitia altitudinis, et potentiæ Dei, « debitum honoris, atque timoris ad eum, et obligationem augeat. « Manifestum igitur est, quia, et regulæ honestatis, et debita, sive « obligationes agendi quædam, et declinandi quædam, sunt cessantibus « omni sermone atque scriptura ; et quia prævaricatio, et peccatum « similiter sunt absque his, quare quædam lex ex necessitate est præter « hoc. *Amplius:* tota honestas indubitanter in anima est, honestas « inquam vitæ humanæ, et morum ; honestas autem vitæ, et regulata, « et ordinata, et moderata : non autem regulata est, vel moderata, vel « ordinata, nisi honestate ; nec decora, nisi honestate. Quare totum « id quod ordinat, regulat, moderatur, et decorat vitam humanam, in « anima est : est igitur præter sermones, atque scripturam, cum illa « foris sint. Cum igitur vel lex sit, quæ ordinat, regulat, moderatur, « atque decorat vitam humanam ; manifestum est veram legem esse « in anima. *Amplius :* quid est lex vera, nisi ars quædam aut sapientia « recte honesteque vivendi ? Omnis autem ars, et omnis sapientia in « anima est ; quare si vere dictum est, quia vera lex ars est, et sa- « pientia recte honesteque vivendi, vere lex est, et vera natura lex « in anima. » *Inde concludit* quod magis proprie magisque veraciter lex dicitur quod est in mente, quam quod est in scripto vel voce. Cujus autem facultatis actus sit lex, an intellectus, an vero voluntatis ut appareat

Notandum 3. Legem proprie duobus modis usurpari: *Primo* quidem *pro actu,* idque vel quatenus est in legislatore, vel prout est in subdito. *Secundo* pro eo quod remanet per modum *habitus ;* suum nempe semper conservans vigorem ab eo tempore quo promulgata fuit, donec vel a Principe revocetur, vel contraria ac diuturna consuetudine abrogetur ; ratione cujus vulgatum illud Jurisperitorum : *lex semper lo-*

quitur. Lex autem quatenus actus est in legislatore, plures actus specie distinctos connotat, et involvit, tam ex parte intellectus, quam ex parte voluntatis. *Primo* quidem includit intentionem boni communis procurandi. *Secundo* judicium speculativum, quo judicatur media aliqua esse bono communi convenientia, vel disconvenientia. *Tertio* judicium practicum dictans hæc esse vitanda a subditis, hæc amplectenda. *Quarto* voluntatem qua legislator vult quædam fieri vel non fieri. *Quinto* ipsummet voluntatis actum, quo idem legislator vult obligare subditos ad suæ legis observantiam. *Sexto* denique actus imperii quo talem observationem præcipit.

Quatenus autem lex sumitur pro actu qui est in subditis, includit, primo actum intellectus judicantis sibi necessarium, et congruum esse legem observare. Secundo actum voluntatis, quo libere vult, et acceptat legis observantiam.

Hinc controversia movetur apud Theologos, in quonam ex his omnibus actibus natura legis proprie consistat: sunt enim qui doceant cum S. Thoma legem essentialiter consistere in solo actu intellectus. Censent aliqui cum Gersone lib. 2. *De potestate Ecclesiast.*, consideratione 13. Legis naturam in utroque actu intellectus, et voluntatis esse constituendam. Communis est autem Subtilis Doctoris discipulorum sententia, illam in solo actu voluntatis præcise reponendam esse. Quæ sententia prius quam firmetur, sit

Conclusio prima. — Lex in genere recte describitur Regula perseverans actionum humanarum, ingenita vel præscripta, propter bonum commune, ab eo qui gerit curam communitatis, et in eam auctoritatem supremam obtinet, ✳ "insinuata, obligans ad aliquid faciendum, aut omittendum quod sit rectæ rationi consentaneum." ✳

Dicitur 1. *Regula;* quia lex formaliter, et per se indicat agenda et omittenda, in quo generice veluti convenit cum synderesi, et conscientia; hæ namque sunt etiam regulæ. — 2. *Perseverans,* ut lex distinguatur a simplici mandato et præcepto, quod pro arbitrio et voluntate præcipientis tollitur; lex enim cum a prima rectitudine et veritate, quæ Deus est, originem trahat, cumque prima veritas et rectitudo ex natura sua sit immutabilis, lex pariter aliquam immutabilitatem et perpetuitatem involvere debet ratione sui, licet nonnumquam mutationi sit obnoxia, vel ratione materiæ cui applicatur, vel ratione finis ob quem conditur: sic leges cæremoniales et judiciales Veteris Legis, per advenientem Novam Legem cessarunt et revocatæ sunt: priores quidem, quia cum essent umbræ et figuræ futurorum, adveniente veritate desierunt: posteriores vero, quia cum præscriptæ essent populo adhuc servituti mancipato, cessare debuerunt ad præsentiam legis Evangelicæ, quæ *jugum suave est, et onus leve:* quippe cum amore præscripta et promulgata fuerit, amoreque adimplenda sit. — 3. *Actionum humanarum;* etsi enim lege, et præcepto Angeli ligari possint, et ad aliquid faciendum aut omittendum astringi, de angelicis tamen actionibus sermonem hic non instituimus, sicut nec de actionibus hominis naturalibus, et necessariis, quippe cum illæ ad honestatem dirigi nequeant. — 4. *Indita,* vel *præscripta;* ut tam lex naturalis, quam positiva, divina,

Ecclesiastica, aut politica sub hac definitione involvantur. — 5. Additur *propter bonum commune;* cum enim finis legis sit reipublicæ felicitas, eam ad privatum commodum detorquere non licet. Hinc merito dixit S. Isidorus lib. 5. *Etymolog.*, cap. 5. *Erit lex honesta.... nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta:* Deus namque, aut respublica, alium in finem potestatem superioribus non contulit, quam ut leges ferendo commune bonum procurent. Hinc inter regem, et tyrannum id interest, quod ille publicum, hic privatum commodum in administratione et gubernatione quærat. — 6. *Insinuata ab eo qui curam communitatis habet, auctoritatemque et jurisdictionem in eam obtinet:* qui enim alios ad parendum et obediendum compellit, necessum est in eos supremam potestatem exerceat; quæ scilicet potestas in Legislatore ordinata est ad regimen communitatis, et distinguitur a potestate privata et œconomica quæ residet in capite privatæ familiæ, v. g. in patre respectu filiorum, hero respectu famulorum, quibus potest dare præcepta domestica, non Leges præscribere. Oportet ergo ut illa potestas legislativa in communitatem aliquam protendatur. Opus est etiam ut sit suprema: non enim in communitatem jurisdictio sufficit ad Leges condendas, et præscribendas: hæc enim pro foro externo in plurimis reperitur limitata, v. g. in judicibus ordinariis, et superioribus subalternis, quibus competit quidem politici regiminis auctoritas, non tamen legislativa potestas. — 7. Denique subditur *obligans ad aliquid, etc.* ut Lex distinguatur a monitionibus, exhortationibus, consiliis, instructionibus, etc. quæ nullam obligationem inducunt, sed tantum directionem; Lex autem nedum dirigit, sed et ✻ " obligat ad id quod est rectum seu rectæ rationi consentaneum; non quidem solum et simpliciter ad *justum*, quia lex non ad solius justitiæ, sed et aliarum virtutum materiam pertinet. Distinguitur pariter a *permissione*, quia permissio proprie non est actio legis, sed actionis negatio, nisi quatenus alium ab eo cui permittitur adstringit et cohibet ne rei permissæ impedimentum ponat. " ✻

Hæ autem omnes aut saltem præcipuæ definitionis particulæ enucleatius infra examinabuntur, quo Legis natura clarius appareat.

Conclusio secunda. — Lex formaliter est actus voluntatis, præsupponens actum intellectus, quo Legislator judicat materiam legis convenientem esse ut sub obligatione decernatur. Hæc est Doctoris in 1. d. 11. n. 2. ubi ait: *Dico quod Leges aliquæ generales rectæ de operabilibus dictantes præfixæ sunt a voluntate divina, et non quidem ab intellectu divino, ut præcedit actum voluntatis divinæ.* Quibus Doctor aperte significat divinam Legem non in actu divini intellectus, sed divinæ voluntatis esse formaliter reponendam: sed idem a simili dicendum est de Lege humana, Civili, et Ecclesiastica propter paritatem rationis: ergo censet Doctor quamlibet Legem in actu voluntatis esse constituendam.

Probatur Primo. In eo actu formaliter ratio legis est constituenda quem Scriptura sacra ad legem significandam et exprimendam solito usurpat: at Scriptura sacra Legem ordinarie significat per actum voluntatis: ergo in illo ratio Legis est reponenda. *Major constat: Minor probatur* ex illo Psalmi 39. *In capite libri scriptum est de me*

ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, et Legem tuam in medio cordis mei. Et Ps. 102. *Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israël voluntates suas,* idest, Leges, et præcepta sua. Et 2. Machab. 1. *Det vobis cor omnibus, ut colatis eum, et faciatis ejus voluntatem,* idest, ejus Legem servetis, et impleatis. — *Confirmatur* ex eo quod Leges civiles dicuntur esse Principum placita; nam lib. 1. ff. *De Constit. Princ.* dicitur: *Quod Principi placuit, Legis habet vigorem.* Hinc S. August. *De Civit. Dei,* lib. 6. *Arbitraria,* inquit, *Principum pro Legibus erant.* Insuper Aristoteles *in Rethorica ad Alexandrum,* c. 1. affirmat *Legem esse communem civitatis consensum:* et Cicero, lib. 1. *De Legibus* docet, *Legem ab electione dictam esse:* sed placitum, consensu probatum, et quod ab electione procedit voluntatis actum importat: ergo in voluntatis actu est reponenda.

Nec valet reponere cum Thomistis præfata testimonia insinuare quidem Legem esse actum voluntatis; non quidem elicitive, sed solum connotative, et præsuppositive; ita quod nulla sit Lex quæ aliquem in legislatoris voluntate actum non supponat vel connotet; in eo tamen voluntatis actu non sit formaliter reponenda. — Hæc, inquam, replica nulla prorsus apparet: tum quia simpliciter et absolute præfata testimonia Legem voluntatis actum appellant, dum eam vel voluntatem, vel placitum, vel consensum, vel electionem nominant: tum quia magis voluntas præsupponit actum intellectus, quam intellectus actum voluntatis, maxime in eis operationibus quæ non solum interius formandæ, sed etiam exterius promendæ sunt per applicationem facultatum exteriorum, quod utique ad voluntatem, non ad intellectum spectat.

Probatur idipsum ratione theologica: Ad eam facultatem spectat essentialiter ratio Legis, ad quam pertinet ordinare in finem; ad eam autem pertinet ordinare in finem, ad quam ipse finis pertinet: sed tantum ad voluntatem finis assequendus pertinet: ergo, etc. *Major constat,* Lex enim nihil aliud est, quam manuductio quædam, qua creaturæ rationales in suum finem recto veluti tramite deducuntur. *Minor etiam est evidens;* siquidem objectum voluntatis est ipse finis comparandus; finis enim et bonum invicem convertuntur; bonum autem ad voluntatem spectat, sicut verum ad intellectum. — *Deinde,* munus Legis, ejusque propria ratio per quam ab aliis actionum humanarum regulis distinguitur, consistit in decreto obligativo quo moventur subditi ad recte operandum, seu ad eliciendam operationem Legi conformem: sed movere ad exercitium operationis, in ordine ad aliquem finem, spectat ad voluntatem; quia, ut mox dictum est, objectum voluntatis est finis, qui est primum principium in agibilibus: ergo lex ad voluntatem pertinet. — *Denique,* ad hanc potentiam pertinet actus legis essentialiter ad quam pertinet esse regulam humanarum actionum: sed voluntas est ipsa regula humanarum actionum: ergo, etc. *Major est evidens;* Lex enim essentialiter est actuum humanorum regula et mensura quædam. *Minor etiam est evidens:* siquidem divina voluntas est prima regula ad quam collineare debent omnes creaturarum rationalium actus, ut recti, et perfecti censeantur: juxta illud Christi Domini oraculum Matthæi 5. *Estote ergo, et vos perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est:* voluntas autem Prælatorum et Principum est secunda regula rectitu-

dinis earumdem actionum, et quædam ejus divinæ voluntatis participatio : ergo, etc.

Quæ hanc adversus assertionem proferunt Thomistæ, solum probant *secundam partem* nostræ Conclusionis ; nempe quod Lex præsupponat actum intellectus, quo Legislator judicat legis materiam communitati congruere, qua ratione interdum lex in Scriptura sacra nomine lucis exprimitur ; sic Psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui :* Psal. 18. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Prov. 6. *Mandatum lucerna est, et Lex lux,* sed lumen ac illuminatio ad intellectum pertinent ; cum illuminatio in spiritualibus, nihil aliud sit, quam veritatis manifestatio, juxta illud ad *Ephes.* 5. *Omne quod manifestatur lumen est ;* adeoque lex actum intellectus importat ac præsupponit ; quapropter S. August. lib. *De libero arbitrio,* c. 6. Legem appellat *rationem summam cui semper obtemperandum est.* Ratio namque necessario ad lationem legis desideratur, ut ipsa justa prudensque sit ; adeoque etiam suo modo subditos dirigit per intimationem, et significationem legis positæ ; propria tamen legis directio, quæ fit per impositionem obligationis ad aliquid efficiendum vel omittendum, in solum actum voluntatis est refundenda : unde ipsa etiam voluntas quodammodo illuminat et instruit ; qua ratione S. Anselmus lib. *De voluntate Dei,* cap. 4. ait, *Voluntatem Dei esse magistram humanæ voluntatis, quatenus nempe illa divina voluntas objective proposita creaturis ratione utentibus, monstrat eis quid ipsorum voluntas amplecti, quidve refugere debeat, non secus ac manus statuæ in via demonstrat qua eumdum est.* — ✳ " His accedit Cicero lib. 1. *De legibus,* ubi agens de juris principiis, et Veterum de legis definitione sententia scribit : *Lex est ratio summa insita a natura, quæ jubet ea quæ facienda sunt, prohibetque contraria.* Licet autem hæc de sola lege naturali dicta videantur, nihilominus cuivis alteri legi statuendæ possunt adaptari. Unde subdit : *Eadem ratio cum est in hominis mente confirmata et confecta lex est ; itaque arbitrantur prudentiam esse legem, cujus ea vis sit, ut recte facere jubeat, vetet delinquere.* Hinc rationis, necnon et hominis ratione præditi elogium egregie celebrat paulo post his verbis: « Animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor, « plenum rationis et consilii, quem vocamus hominem, præclara qua- « dam conditione generatum esse a Supremo Deo. Solum est enim ex « tot animantium generibus, atque naturis particeps rationis et cogi- « tationis, cum cætera sint omnia expertia. Quid est autem, non dicam « in homine, sed in omni cælo, atque terra, ratione divinius ? Quæ « cum adolevit, atque perfecta est, nominatur rite sapientia. Est igitur, « quoniam nihil est ratione melius, eaque et in homine et in Deo, « prima homini cum Deo rationis societas. Inter quos autem ratio, « inter eosdem etiam recta ratio communis est. Quæ cum sit lex, lege « quoque consociati homines cum Diis putandi sumus. Inter quos « porro est communis legis, inter eos communis juris est. Quibus autem « hæc sunt inter eos communia, et civitatis ejusdem habendi sunt. Si « vero iisdem imperiis et potestatibus parent, multo etiam magis parent « huic cælesti descriptioni, mentique divinæ, et præpotenti Deo. Unde « etiam universus hic mundus una civitas communis Deorum atque « hominum est existimanda. Et quod in civitatibus, ratione quadam, de

« qua dicetur idoneo loco, agnationibus familiarum distinguuntur sta-« tus, id in rerum natura tanto est magnificentius, tantoque præcla-« rius ut homines Deorum agnatione et gente teneantur. » *Hæc Cicero.*

Ex his itaque manifestum fit quod etsi lex potissimum consistat in actu voluntatis, attamen præsupponit actum intellectus voluntatem ipsam illustrantis et dirigentis in iis statuendis quæ rectæ rationi et bono publico consona sunt et utilia. " ✳

QUÆSTIO SECUNDA.

UTRUM LEX NECESSARIO DEBEAT ESSE AD BONUM COMMUNE ORDINATA, ET COMMUNITATI PRÆSCRIPTA.

Præsens Quæstio prioris est appendix et explicatio; in qua videlicet definitionis legis particulæ quædam explicantur nitidius, et ampliori discussione ac declaratione probantur, quatenus nempe legis conditiones, quæ ad propriam ipsius rationem spectant explanando, ipsius genuina differentia constitutiva facilius innotescat. Quocirca

Notandum 1. Certum esse legem necessario ad aliquem, vel aliquos ferri ac dirigi debere; nam inquit S. Paulus ad Romanos 3. *Scimus quoniam quæcumque lex loquitur, iis qui in lege sunt, loquitur:* lex ergo quælibet essentialiter quamdam habitudinem connotat ad eos quibus præscribitur; subindeque ad explicandam ejus rationem, necessario declarandus est terminus hujus habitudinis et ordinationis. ✳ " Quod ut magis perspicuum appareat, observandum est hominem triplici ratione ac relatione spectari posse, nimirum vel in se, et cum respectu necessario ad Deum, puta si ponamus tantum in mundo unum hominem: vel ad reliquos homines in genere: vel speciatim ad illos quibuscum vivit in societate. In priori consideratione regitur homo per legem *naturæ;* in secunda per legem quam dicunt *gentium:* in tertia vero per legem *civilem*, quæ rationem præscribit agendorum aut vitandorum, ut pacifica et integra societas servetur. " ✳ *Constat* insuper legem quamlibet ad hominem tamquam ad suum connaturalem terminum dirigi debere; siquidem inferiores creaturæ legis proprie dictæ non sunt capaces, utpote cum sint incapaces actuum moralium, qui per legem dirigi debent, et regulari. Licet autem Angeli divinæ legis suscipiendæ, et implendæ capaces existant; de ipsis tamen sermo non est impræsentiarum; maxime cum hic explicandas leges suscipiamus, quæ hominem ad finem suum naturalem aut supernaturalem ordinandum spectant. Unde solum determinandum superest, an sit de ratione legis ut pro aliqua multitudine præscribatur, an vero ad unicam personam etiam dirigi possit.

Notandum 2. Communitatem distingui posse duplicem: unam quidem ex natura, alteram ex instituto. Naturalis est ea qua homines invicem conveniunt in eadem rationali natura, quæ ad societatem et conversationem ordinatur; *Homo* namque, ait Aristoteles, *est animal ad societatem natum, et aptum:* posterior vero est hominum conjunctio politica, vel mystica in eadem congregatione, eodemque cœtu. Priorem communitatem respicit lex naturalis, quæ per lumen rationis unicuique homini proponitur; quia non fertur ad unumquemque hominem in particulari et in individuo, ut talis est, v. g. Petrus aut

Paulus, sed in specie, et quatenus est homo. *Posterior* communitas subdistingui potest duplex: una quidem *Ecclesiastica*, non humano sed divino jure instituta; eo quod ab ipso Deo ordinata sit sub aliquo capite ab ipso designato, et cum aliqua unione ad finem supernaturalem. Hujusmodi fuit olim Synagoga Judæorum, nunc vero præstantior Ecclesia Catholica, quæ non pro uno vel alio dumtaxat populo, sed pro toto terrarum orbe ab ipso Christo Domino instituta, certisque legibus ac sanctis ab eodem ordinata, sub obedientia unius capitis ipsius Christi Domini vices gerentis. Ad ejusmodi communitatem per se primo spectant leges divinæ positivæ; qualiter leges Veteris Testamenti ad Judæos instituendos erant præscriptæ, et lex gratiæ Novi Testamenti lata est pro universa Ecclesia ad Dei cultum, rectamque fidelium institutionem formandam. Ad eamdem pariter pertinent leges Canonicæ, quamvis non omnes pro universa Ecclesia constituantur, sed juxta intentionem, vel potestatem illas ferentis. *Alia communitas est Politica*, ea nempe quæ est cœtus hominum humano jure invicem sociatorum in ordine ad aliquem finem naturalem sub aliquo capite copulatorum, qua ratione Aristoteles 3. *Politic.*, cap. 10. dixit civitatem esse civium multitudinem habentium inter se morale vinculum sub uno principali moderatore. — Quæ iterum distinguitur a Philosophis moralibus, et jurisperitis in *perfectam*, et *imperfectam*. Perfecta communitas ea dicitur, quæ est capax politicæ gubernationis, quæve sibi sufficit in hoc ordine, qualiter Aristoteles lib. 1. *Politic.* cap. 1. asseruit civitatem esse communitatem perfectam, et a fortiori regnum, cujus ipsa civitas est pars, erit perfecta communitas. *Communitas imperfecta* dicitur illa, quæ non est sibi sufficiens, et in qua non congregantur singulæ personæ, ut membra principalia ad unum corpus politicum instituendum, qualis est domus, cui paterfamilias præest: talis enim communitas per se loquendo non regitur propria potestate jurisdictionis, sed dominativa; atque ita pro diversitate dominii participat diversum modum imperandi respective ad diversos subjectos; aliud enim est jus, vel quasi dominium patrisfamilias in uxorem, aliud in filios, aliud in servos et famulos; unde neque habet perfectam unitatem, seu uniformem potestatem, neque etiam participat proprie politicum regimen: et ideo imperfecta communitas dicitur.

Notandum 3. Certum pariter esse, Principes posse leges, et edita statuere de tributis ac vectigalibus sibi a subditis juste persolvendis; quod utique justum esse ipsemet Rex regum oraculo suo comprobat Matthæi 22. dicens: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Justæ sunt, inquam, illæ leges, quia etsi proxime respiciant utilitatem ac commodum Principis cui tributa penduntur, remote tamen spectant ad bonum commune; quia quo magis Princeps abundat, eo facilius reipublicæ hostes repellere potest, et sublevare subditos, ne urgente bello aut aliqua gravi necessitate, et clade instante, insolitis subsidiis divexentur. Unde Christophorus Marcellus oratione quam habuit sess. 4. Concilii Lateranensis sub Julio secundo apposite dixit: *Si nullæ sint opes Principi, civitatem tutari non potest, nec bellum indicere, nec servare pacem, nec seipsum intra mœnia custodire.* Inde vectigalia, fisci, æraria, solutiones, census, pensiones, tributa, sunt, ut decet, a Principe instituenda; quoniam hæc non in solius Principis bonum, sed

in Reipublicæ utilitatem, et commodum refunduntur. An autem justæ sint leges quarum utilitas, et fructus ad solius Principis commodum redundant, hic determinandum est. His prælibatis, tria hic occurrunt determinanda; *Primum,* an lex ita necessario debeat præscribi alicui communitati, ut ad particulares dirigi nequeat. *Secundum,* an per se ad bonum communitatis ordinetur. *Tertium,* an Princeps juste possit leges ferre quæ in privatum dumtaxat illius bonum cedant.

Conclusio prima. — De ratione essentiali legis est, ut pro aliqua tota communitate præscribatur. Patet hujus Conclusionis veritas ex eo maxime quod in hoc lex a præcepto distinguatur, quod præceptum uni, lex omnibus præscribitur; quatenus illud ad privatam directionem et ordinationem partis, hæc ad publicam gubernationem, et reipublicæ moderationem ac administrationem spectat.

Probatur insuper: primo quidem inductione quadam; nam lex æterna, et naturalis non uni soli homini convenit; sed in omnium cordibus exaratur: *Item* lex divina tam vetus, quam nova, communitatibus præscriptæ sunt, illa quidem Judaico populo, hæc Ecclesiæ universali ac per totum terrarum orbem propagatæ. Idipsum constat de jure civili; siquidem lib. 1. ff. *De legibus* dicitur: *lex est commune præceptum: et* l. *Jura* eodem titulo, *Jura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur.* Idem constat de legibus Canonicis; nam Canones, et decreta a Patribus edita, dicuntur esse leges publicæ. Hinc Gregorius IX. in proœmio decret. ait: *Ideo lex proditur, ut appetitus mavius sub juris regula limitetur, per quam genus humanum, ut honeste vivat, informetur.* Quapropter l. ff. *De legibus,* definitio legis traditur in hunc modum: *Lex est commune præceptum virorum prudentium consultum, delictorum quæ sponte, vel ignorantia contrahuntur correctio, communis reipublicæ sponsio.*

Probatur secundo tum ex eo quod lex est principalis actus prudentiæ politicæ, vel regalis, quæ per se primo respicit bonum totius reipublicæ aut communitatis cui præscribitur; adeoque non ad unam dumtaxat personam, sed ad totam communitatem ordinatur; tum quia, ut constabit infra, de ratione legis est, quod sit perpetua: sed nulla persona particularis pro hoc mortali statu, pro quo maxime lex præscribitur, potest esse perpetua: ergo ipsi lex formaliter sumpta præscribi non potest, sed communitati; quæ eatenus censetur esse perpetua, quatenus per continuam successionem perseverat.

Objicies 1. In jure Canonico lex distinguitur in *privatam,* et *publicam:* et hanc quidem Canones cap. *Licet* de regularibus et cap. *Duæ sunt,* volunt præscribi communitati, illam vero privatæ personæ. Idem pariter traditur in jure Civili; nam institut. *De jure naturali, gentium, et Civili,* dividunt leges principis in generales, quæ omnes obligant, et personales, *quæ non ad exemplum trahuntur quoniam non hoc princeps vult:* ergo de ratione legis non est, quod feratur pro tota communitate. — **Respondeo**, per legem privatam in illis Canonibus intelligi votum conceptum ex speciali inspiratione Spiritus sancti, aut ipsammet divinam inspirationem, quæ lex improprie et metaphorice nominatur; eo quod scribatur in corde, et ad id quod voto promissum est implendum, impellat et obliget per modum legis. Ad textum vero

Institutorum dico per legem personalem intelligi eam quæ fertur in favorem aut in pœnam alicujus personæ, et illius successorum, vel cujus executio ad illam personam spectat; sed inde concludere non licet legem non præscribi communitati respective, idest, pro illis, ut membris communitatis, et in commune bonum, saltem mediate; quatenus nempe expedit communi bono merita alicujus reipublicæ membri privilegiis donari, ut alii inde stimulentur et accendantur ad promovendum ipsius reipublicæ bonum per egregia facinora et opera studiosa.

Objicies 2. Lex est regula moralium operationum hominis: at non tantum communitas hominum; verum etiam singuli homines hac regula indigent, ut ad præscriptum sibi finem dirigantur: ergo lex per se non dicit respectum ad solam communitatem humanam, sed etiam ad singulos homines singillatim, et in individuo spectatos. *Confirmatur:* lex maxime dirigitur ad personam, per quam debet impleri: ergo potius dirigitur ad personam veram, quam ad fictitiam; fictio namque semper supponit veritatem quam imitatur: at communitas est persona ficta; unusquisque autem particularis homo censetur esse persona vera: ergo potiori ratione lex dirigitur ad singulos homines, quam ad totam communitatem. — **Respondeo**, legem non dici communem præcise, quia soli præscribitur communitati, ut communitas est, et quoddam corpus mysticum abstractive consideratum; sed quia generaliter proponi debet servanda ab omnibus membris illius mystici corporis cui præfigitur tamquam regula operandi recte. Qua ratione patet etiam responsio ad *confirmationem:* lex enim generaliter proponitur, ut ad omnes et singulos pertinere possit juxta exigentiam temporis; quo pacto verum est illam dirigi magis ad personas veras quam ad fictas. Uno verbo, lex secundum præscriptum et designationem, immediate ad totam communitatem spectat: at secundum executionem directe fertur in singula ejusdem communitatis membra; sicque magis dirigitur ad singulares personas quam ad ipsam communitatem.

Objicies 3. Quando lex fertur pro communitate, vel solum obligat communitatem ut sic, vel etiam comprehendit singula ejusdem communitatis membra: si primum, tunc communitas se gerit ut particularis persona, subindeque lex poterit dirigi ad unicam dumtaxat personam: si secundum, merito etiam inde concluditur legem pro uno tantum ferri posse; si nempe ita illi expediat. — **Respondeo**, legem ordinarie ferri ad communitatem non collective, sed distributive: ea scilicet ratione, ut ab omnibus, et singulis de communitate servetur, cum distributione accommoda juxta legis conditionem. Potest nihilominus aliquando lex ferri in ipsam communitatem, ut communitas est: præcipiendo videlicet, aut prohibendo aliquem actum, qui ab illa sola, ut communitas est, exerceri debeat, non vero a singulis ejus membris seorsim spectatis, ut constat de statutis, et præfixis legibus quibus interdum Congregationum, Universitatum, Capitulorum, Collegiorum superiores ac præfecti tenentur aliqua præstare circa publicam et communem administrationem talis corporis suæ directioni commissi.

Objicies 4. Præceptum aliquod non videtur esse a lege distinctum: sed præceptum uni dumtaxat personæ præscribi potest: ergo et lex.

Minor constat. *Major* vero probatur; potest enim aliquod præceptum præscribi propter commune bonum, et ex potestate regendi rempublicam, et singula ejus membra ad debitum finem ordinandi: at in eis maxime viget ratio legis: ergo, etc. — **Nego majorem**, præceptum enim, et lex distinguuntur invicem, et si forte non physice, et quoad species naturales actuum, saltem distinguuntur moraliter; quia nempe lex alias habet conditiones quam præceptum; licet enim omnis lex sit præceptum, non tamen omne præceptum est lex, sed oportet ut speciales conditiones habeat quibus a præcepto distinguatur. *Primo*, namque præceptum, licet præscribi possit toti communitati, id tamen necessario non exigit, sed potest imponi personæ particulari: lex vero semper communitatem personarum necessario respicit, ut probatum est. *Secundo*, præceptum expirat morte, vel amotione imponentis, etiamsi absolute, et sine ulla temporis limitatione præscribatur; lex autem non cessat per mortem legislatoris, cum ex natura sua postulet esse perpetua. *Tertio*, præceptum potest imponi a quocumque superiore; lex autem ferri nequit, nisi ab eo qui vel a Deo, vel a republica supremam ac legislativam potestatem obtinet; subindeque longe diversa est præcepti, et legis ratio.

Conclusio secunda. — Ad Legis naturam spectat, quod propter bonum commune præscribatur.

Probatur primo ex distinctione 4. c. *erit autem lex*, ubi legimus quod lex nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate debet esse conscripta. Quod utique desumitur ex sancto Isidoro lib. 5. *Etymolog.* idque conforme est sancito duodecim Tabularum: *Salus populi suprema lex est.* Confirmatur ex S. Basilio *Homil.* 141. in principium Proverb. non longe ab initio, ubi dixit: *Si regnum est legitima potestas, palam est quod præcepta vitæ a Rege edita, qui sane vere hac appellatione dignus est, multum momenti, ac pensi habent, utpote quod in comune omnibus utile est, respicientia, et non ad propriæ utilitatis scopum ordinata.* Ibidemque addit; *in hoc tyrannum a rege differre, quod ille sua ipsius quomodocumque respicit ac tuetur: hic subditis consulere tantum quærit.* — *Confirmatur* insuper ex consensu omnium profanorum, maxime vero Platonis *dialog.* 1. *De legibus*, ubi ait, *Legislatores communis pacis gratia leges condere debere.* Item Aristotelis 4. *Politic.*, cap. 1. *Leges*, inquit, *ad communem populi salutem sunt accomodandæ.* Similiter Ciceronis, qui lib. 1. *De legibus* ait: *Constat leges pro salute reipublicæ tuendæ esse instituendas.*

Suffragatur pariter ratio. *Primo* quidem, quia publica potestas de se in bonum publicum est ordinata: lex autem omnis emanare debet a publica potestate: debet ergo in bonum publicum ordinari. — *Deinde*, lex omnis, aut est a Deo legislatore, vel ab homine: si a Deo, ordinatur in bonum commune; quia vel est a Deo ut auctore naturæ, vel ab eodem ut auctore gratiæ: at utroque modo in bonum commune ordinatur, nimirum ad beatitudinem æternam in qua homines ultimo suo fine potiuntur. Si ab homine, etiam in bonum commune dirigitur: nam reges et principes non sunt domini, sed administri regni illius, juxta illud Sapientiæ 6. *Cum essetis ministri regni ejus, non recte judicastis.* Et ex illo Apostoli ad Romanos 13. *Ministri enim Dei sunt*

in hoc ipsum servientes: ergo non habent potestatem legum condendarum nisi in bonum commune: siquidem omnis potestas, quam in subditos exercent, est vel a Deo, vel a populo: si a Deo, constat eam conferri propter bonum commune, quod Deus præcipue intendit: si a populo, idem patet; nam sicut illam conferunt omnes, ita eo fine, et animo conferunt, ut ad publicum ipsorum bonum exerceatur, non vero ad privatum dumtaxat ipsius Principis commodum: unde in Concilio Toletano 8. cap. 10. Præcipitur, *ut qui eligitur in regem, juret non prospicere proprii jura commodi, sed prospicere patriæ gentique suæ. — Denique*, hæc veritas inductione patet; nam lex naturalis de se tendit ad bonum commune totius naturæ humanæ: leges divinæ positivæ ordinantur ad Dei gloriam, et hominum utilitatem juxta illud Isaiæ 51. *Lex a me exiet, et judicium meum in lucem populorum requiescet.* Leges quoque humanæ, tam civiles quam Ecclesiasticæ, ordinantur ad bonum commune; alioquin veræ leges non essent censendæ; nam potestas ferendi leges non est hominibus concessa, sive a Deo, sive a republica, ut ea utantur pro libito, et absque ratione; nam ipsa etiam amplissima Apostolis concessa potestas data erat *in ædificationem, et non in destructionem*, ut docet S. Paulus 2. Corinth. 10. Quapropter Legislatores ea potestate debent uti ad finem legis assequendum; nempe reipublicæ bonum, et publicam felicitatem.

Objicies 1. Multæ sunt leges quæ ad privatum bonum dumtaxat ordinantur, qualis est lex naturalis de tuenda propria vita, etiam cum aliorum vitæ dispendio: talis pariter lex de eleemosyna pauperibus eroganda, quæ solam illorum particularem utilitatem respicit: talis lex de correptione fraterna, quæ particularis hominis emendationem respicit: tales denique leges Ecclesiasticæ de percipiendis Sacramentis, puta annua confessione facienda, et sacra Synaxi in Paschate suscipienda. *Confirmatur*, etsi nulla prorsus esset respublica, unusque dumtaxat homo existeret, non minus in eo vigeret lex naturæ, dum enim primus Parens solus erat, non degebat absque lege, siquidem naturalis lex in eo vim obtinebat: talis autem lex tunc non potuit ordinari in bonum commune, quia tunc nulla erat hominum societas, nullaque respublica: ergo, etc. — **Respondeo**, concesso *antecedente*, negando *consequentiam:* aliud namque est loqui de materia proxima circa quam lex versatur, aliud de motivo formali propter quod circa talem materiam occupatur; fateor equidem quod materia proxima, circa quam præfatæ leges in objectione immediate versantur, sit bonum particulare; tamen non occupantur circa illud nisi propter motivum boni communis quod per se primo lex respicit: interest enim reipublicæ vitam civis cujuslibet conservare; alioqui ipsa respublica extingueretur, utpote quæ nonnisi ex privatis coalescit: interest pariter ne cives egeant, alias essent in periculo vitæ, quæ ad bonum reipublicæ spectat. Unde licet lex de eleemosyna facienda respiciat bonum privatum particularis personæ, ut materiam proximam; tamen id totum ordinat in bonum commune, ad quod pertinet reipublicæ membra alere, ne pestes aut furta in ea grassentur. *Idem* dicendum de correctione fraterna, quæ ea solum ratione spectat emendationem vitæ particularis hominis, ut vitia a republica eliminentur; illa namque societas diu stare nequit, in qua vitium laudatur aut dissimulatur, nec eliminatur.

Idem quoque dicendum de legibus Sacramentorum, quæ licet ad bonum particulare, nempe ad salutem æternam cujusvis fidelis spectent; tamen per se primo ordinantur ad bonum commune, nempe ad cultum Dei, qui est omnium hominum finis ultimus, et bonum commune totius naturæ humanæ, in quo omnes homines communicant. *Ad confirmationem* dico, quod etsi nulla esset actu respublica, non minus possibilis esset aliqua hominum societas; et cum homo sit animal sociabile, lex naturalis ita ipsum respicit quatenus privatum, ut etiam eum respiciat quatenus est aptus natus ad societatem, et communitatem; adeoque illa lex licet immediate ad particularem hominem spectet, tamquam subjectum in quo resideat; tamen eo fine ipsi inest, ut eum ordinet ad recte instituendam societatem cum aliis qui vel existunt, vel possunt existere. Hinc Adamus ita erat cum lege solus, ut tamen natura sua socium appeteret.

Objicies 2. Si lex omnis essentialiter postularet ordinari ad bonum commune, sequeretur quod cessante communi bono, et publica utilitate, cessaret pariter legis vigor, et obligatio; quia, cessante motivo legis, lex quoque ipsa desinit: at falsum est *consequens:* licet enim v. g. certo cognoscat aliquis quod Ecclesia nullum patiatur detrimentum ex eo quod Petrus moram contrahat conversetur cum publice excommunicatis, tamen ex communi sententia non debet cum ipsis commorari: ergo leges non semper ordinantur in bonum commune. — **Distinguo sequelam:** deberet cessare legis vigor, et obligatio, si publica auctoritate vel aliquo æquivalenti declararetur motivum legis cessare, concedo; secus, nego; sicut enim publica auctoritate declaratur quod lex obligat, ita pariter necessum est interveniat aliquid publicum, quod insinuet motivum legis cessare; puta vel judicium Principis, vel totius communitatis, vel sapientum penes quos communitatis judicium depositum esse conjici potest: nam motivum legis ut omnino esse desinat, non sufficit ut cesset respectu alicujus particularis, vel aliquorum de communitate; sed cessare debet respectu majoris saltem partis communitatis; alioqui particulares, quos non respicit motivum istud, non desinunt lege teneri; v. g. motivum cur Concilium Tridentinum declaraverit imposterum matrimonia clandestina fore invalida, fuit ut occurratur variis fraudibus, et malis quæ in ejusmodi genere matrimoniorum contingere solent. Unde licet aliquis bona fide, et absque dolo matrimonium clandestinum contraxerit, ex quo nulla suboriantur incommoda, et mala propter quæ prohibita sunt matrimonia clandestine inita, propterea non desinit tale contractum matrimonium esse invalidum; nam licet ratio, et motivum legis cesset in hoc casu particulari, non propterea cessat in communi, cui particulare bonum cedere debet.

Dices 3: Leges et edicta Principum quibus præscribunt et exigunt tributa, vere sunt leges: at illæ nullatenus respiciunt bonum commune subditorum, sed solum privatam regis utilitatem: ergo non est de ratione legis quod ad bonum commune ordinetur. — **Distinguo minorem:** leges illæ pendendorum tributorum respiciunt privatam regis utilitatem ut materiam proximam, concedo; ut unicam, nego: ordinantur siquidem ad ipsius reipublicæ felicitatem et securitatem, ut nimirum Rex per vectigalia possit et comparare milites quibus respu-

blica adversus hostes protegatur, et in omnibus ipsius reipublicæ communi bono providere.

Petes: *utrum Legislator non intendens bonum commune reipublicæ, sed in eam odio ductus leges ferat, quæ tamen de se in bonum commune tendant, utrum, inquam, leges illæ veræ et legitimæ sint appellandæ?* — **Affirmo,** quia illa prava intentio legislatoris est mere personalis, nec redundat in actum quatenus ad utilitatem communem spectat; sicut enim prava judicis intentio non refert ad valorem sententiæ, dummodo illa non sit contra æquitatem; et sicut prava intentio ministri non officit Sacramento, modo non sit contra ejus substantiam, puta si conferendo Sacramentum revera quidem intendat facere quod intendit Ecclesia, sed pravum aliquem sibi finem proponat, nempe vel lucrum, vel aliquid aliud pravum; ita in præsenti bonum commune in ipsa lege spectandum est, non vero in ipsa intentione legislatoris. Quam utique sententiam aperte tradit S. Augustinus, lib. 5. *De arbitr.* scribens: *Lex quæ tuendi populi causa lata est, nullius libidinis argui potest; siquidem ille qui tulit, si Dei jussu tulit, idest, quod præcepit æterna justitia, expers omnis libidinis id agere potuit. Si autem ille cum aliqua libidine hoc statuit, non ex eo fit, ut ei legi cum libidine obtemperare necesse sit, et quia bona lex, et a bono ferri potest.* Cujus etiam alteram rationem indicat infra scribens, quod licet ille cum libidine legem tulerit, tamen *potest illi legi sine libidine obtemperari.* Quare licet legislator peccet defectu bonæ intentionis, quam erga bonum publicum habere debet; quia tamen ista constitutio de se ordinatur in bonum commune, sufficit ut censeatur habere conditionem hanc desideratam ad veram et proprie dictam legem.

Petes 2. *Quandonam lex censeri possit in bonum commune recte ordinari?* — **Respondeo,** tunc censeri quamlibet legem sic recte justeque ordinari, *primo* quando vel mediate vel immediate Dei gloriam respicit, et ad finem ultimum supernaturalem conducit. Hinc Leges omnes civiles iniquæ sunt, nec rationem legis, vigorem, ac dignitatem obtinent, si Dei vel Ecclesiæ ordinationi repugnent: unde Can. *Non licet,* dist. 10. ita statuitur: *Non licet Imperatori, vel cuiquam pietatem custodienti aliquid contra divina mandata præsumere, nec quidquam quod Evangelicis vel Propheticis aut Apostolicis regulis obviet, agere.* Et Can. *Suscepisti ne,* decernitur quod *Constitutiones Principum Ecclesiasticis legibus postponendæ sunt: ubi autem Evangelicis atque Canonicis decretis non obviaverint, omni reverentia dignæ habeantur.* Hinc Simmachus Papa epist. 7. quæ est ad Anastasium Imperatorem ita scribit: *Nos quidem potestates humanas suo loco suscipimus, donec contra Deum suas erigant voluntates: Cæterum si omnis potestas a Deo est, magis ergo quæ rebus est præstita divinis. Defer Deo in nobis, et nos deferemus Deo in te: Cæterum si tu Deo non deferas, non potes ejus uti privilegio cujus jura contemnis.* Et S. Augustinus lib. 19. *De Civit. Dei,* cap. 21. *Quæ justitia est hominis,* inquit, *quæ ipsum hominem vero Deo tollit? at omnis Lex justa esse debet.* — *Secundo,* lex censetur in bonum commune ordinata, dum respiciens civitatem, v. g. quæ est pars regni, magis respicit bonum regni, quam bonum civi-

tatis: secus vero si contrarium accidat; bonum enim partis postponendum est bono totius. — *Tertio*, ut lex sit in bonum commune, non requiritur ut in bonum omnium aliorum regnorum cedat, sed potest censeri in bonum commune ordinari si regno cui præscribitur sit utilis: cum enim plura regna non sint sibi invicem subordinata, neque unum sit pars alterius, sicut civitas est pars regni, non est necesse quod ubi lex uni regno est utilis, aliis etiam regnis proficere debeat: nihilominus quantum fieri potest, providere debet Princeps ne legem suis subditis utilem ferendo, vicinis obsit, ubi utrorumque utilitas procurari potest. Si tamen non possit Princeps bono sui regni prospicere absque aliquo vicinorum incommodo, non minus legitime potest ferre legem quæ cedat in bonum commune sui regni, esto futura sit in vicinorum perniciem; quia ante omnia debet regni sui communi bono invigilare.

Conclusio tertia. — Non posset Princeps juste Leges ferre quibus bona particularia subditorum ita in proprium ipsius commodum cedant, ut nullatenus etiam remote ad bonum commune subditorum ordinentur. Quod utique

Probatur primo ex Script. *Deuteron.* 17. ubi præscribitur forma regni, et juris dicendi in hunc modum: *Cum fuerit constitutus* (Rex) *non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero sublevatus.... non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus, neque argenti et auri immensa pondera. Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a Sacerdotibus leviticæ tribus, et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram, vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, et filii ejus super Israël.* Quo divino edicto regibus præscribitur servanda in Deum pietas, in Religionem zelus, in subditos prudens ac clemens administratio, et in seipsis ordinata moderatio. — Hinc 3. Regum cap. 21. severe animadvertit Deus in Achab, et Jezabel eo quod vineam Naboth Jezraëlitæ per vim occupaverint; et Ezechielis 34. graviter arguuntur Pastores, quo nomine omnes superiores designantur, quod pascant semetipsos: *Væ*, inquit, *Pastoribus Israël qui pascebant semetipsos: Nonne greges a Pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, et quod abjectum est non reduxistis, et quod perierat non quæsivistis: sed cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia.* Similem reprehensionem habet adversus Principes cap. 22. Hinc cap. 46. statuit Deus: *Non accipiet Princeps de hæreditate populi per violentiam, et de possessione eorum: sed de possessione sua hæreditatem dabit filiis suis.*

Probatur eadem veritas ex Concilio Toletano VIII. cap. 1. in quo habetur Reges Gothorum Christianos dum principatum instituebant, et inducbant, tales debuisse existere, quales his verbis describuntur: « Erunt Catholicæ fidei assertores, erunt actibus, judiciis, et vita mo- « desti, erunt in provisionibus rerum parci, potius quam extenti, ut

« nulla vi aut factione scripturarum, vel definitionum qualiumcumque « contractus a subditis vel exigant, vel exigendos intendant: erunt « non prospectantes proprii jura commodi, sed consulentes patriæ « atque genti. » — Simile quid statutum fuit in Concilio Parisiensi coacto circa annum Christi 829. sub Ludovico, et Lothario Imperatoribus; ubi inter ea quæ ad justitiam Regis pertinere agnoscuntur, primum locum habet istud, *Neminem injuste per potentiam opprimere:* at quando bona subditorum in bonum suum privatum, et nullo modo in publicum Princeps convertit, ille per potentiam subditos opprimit: ergo, etc.

Hanc veritatem diserte explicat S. Bernardus lib. 3. *De Considerat. ad Eugenium summum Pontificem,* cap. 3. ubi ait: *Præes, et singulariter: ad quid? eges, tibi dico, consideratione: Numquid ut de subditis crescas? Nequaquam, sed ut ipsi de te. Principem te constituerunt, sed sibi, non tibi. Alioqui quo pacto te reputas superiorem his a quibus beneficium mendicas? Audi Dominum: Qui potestatem habent super eos benefici vocantur. At istud de his qui foris sunt. Quid ad nos? Tu id mendaciter diceris, si non tam beneficus esses, quam beneficis præesse intendas. Parvi, dejectique animi est, de subditis non profectum quærere subditorum, sed quæstum proprium.... Non mediocris gloriæ vox illa identidem ipsius:* non requiro datum sed fructum. Et infra cap. 4. subdit: *Quid tam indignum tibi, quam ut totum tenens, non sis contentus toto, nisi minutias quasdam atque exiguas portiones ipsius tibi creditæ universitatis, tamquam non sint tutæ, satagas nescio quomodo adhuc facere tuas? Ubi etiam meminisse te volo parabolæ Nathan, de homine qui multas oves habens, unam quæ erat pauperis concupivit. Huc quoque veniat factum, imo facinus regis Achab, qui rerum summam tenebat, et unam vineam affectavit, Avertat Deus a te quod ille audivit:* occidisti et possedisti.

Firmatur pariter hæc veritas triplici ratione, quam subministrat auctor libri *De regimine Principum*, lib. 3. cap. 11. *Primo* namque verus Princeps Deum debet imitari, cujus virtute imperat: atqui Deus ita regit homines propter ipsorum salutem, ut inde sibi nihil acquirat: ergo Princeps bonum commune quærere debet, non vero suum privatum. *Secundo*, Principis non est respublica, sed Princeps est reipublicæ, juxta illud Senecæ lib. 2. *De Clementia: Scias nec Rempublicam tuam esse, sed te Reipublicæ.* At qui est reipublicæ totus deditus, illius dumtaxat, et non alterius bonum procurare tenetur: ergo, etc. *Tertio* denique, quemadmodum Episcopus, ut talis, procurare tenetur, quantum potest, salutem animarum, et se totum dare in bonum æternum eis comparandum; unde vulgatum illud: *Quod Christiani sumus propter nos; quod Presbyteri, et Episcopi, propter vos:* sic Princeps pari ratione invigilare debet in bono temporali suis subditis comparando. Unde sicut culpandus esset Episcopus, qui spreta vel neglecta pastorali sollicitudine, totum sese in secessu contemplationi daret, licet privatæ saluti ea ratione studere sibi proponeret; ita et qui in propriam utilitatem intenderet Princeps, nec procurando ac stabiliendo bono communi incumberet, maxime videretur esse culpandus.

Dices 1: Populo Judaico Regem postulanti 1. *Regum,* cap. 8. Sa-

muel vice Dei respondit: *Hoc erit jus Regis qui imperaturus est vobis: filios vestros tollet, et ponet in curribus suis, facietque sibi equites, et præcursores quadrigarum suarum, et constituet sibi Tribunos et Centuriones, etc. Agros quoque vestros, et vineas, et oliveta optima tollet, et dabit servis suis, etc.* Ergo Princeps jus habet in privatum commodum bona subditorum per leges et edicta convertendi. — **Nego consequentiam**; jus enim ibi editum, non est jus regium legitimum, sed tyrannicum, atque hominum violentia et perversorum Principum insolentia introductum, ut apparet ex ipso contextu: siquidem refertur quod populus Regem a Samuele petendo, *Displicuit sermo in oculis Samuelis;* cumque hac de re Deum consuluisset, indignatus Dominus respondit ad Samuelem: *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos, etc.* Quapropter haud dubium est, quod Deus in pœnam perduellis illius populi, illi loco Regis quem expostulabat, tyrannum ejusque violentum regimen exposuerit, ut explicat Clemens Alexandrinus lib. 3. Pedagogi cap. 1. *Petenti Regem populo,* inquit, *non humanum pollicetur Dominum, sed quemdam insolentem se eis daturum minatur tyrannum.* Et S. Gregorius Magnus ad præfata verba, *Cum,* inquit, *jus Regis prædicitur, nimirum in unius carnalis præpositi conversatione, ostenditur quid carnales cæteri ex tyrannide facturi sunt, non quod electi debeant imitari.* Nam in eadem Regum historia legitur, quod dum Rex Achab Naboth vineam abstulit, iram Dei omnipotentis incurrit: hic vero cum jus Regis prædicitur, agri, vineæ, et optima oliveta tollenda esse memorantur. Cum ergo hic prædicitur, quod commissum illic unicum est, ostenditur quod divino judicio non jubetur.

Objicies 2. Illud Christi Lucæ 22. *Reges Gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos benefici vocantur:* quibus verbis discrimen videtur statuere inter potestatem regiam, et eam quam erat ipse instituturus, ut potestati civili tribuat hanc auctoritatem quod dominentur subditis, eorumque sint revera Domini: at Dominus potest servorum bona in proprium commodum convertere: ergo potiori jure possunt Principes leges, et edicta sancire, quibus particularia subditorum bona in proprios et privatos usus convertant. — **Respondeo** *primo,* quod eo loco non agitur de regimine omnium Regum, sed solum de ordinaria administratione Regum gentium, qui cum tunc temporis omnes essent dæmonum cultores, vixque eorum ullus justam administrationem haberet, nullus, arbitror, dixerit eorum regimen Christianis Principibus tamquam exemplar esse proponendum. — *Respondeo secundo,* per illa Christi Domini verba potius illum regnandi modum improbari, quam approbari; siquidem voluit Christus Discipulos suos ab ejusmodi regnandi, tum appetitu, tum specimine deterrere; subjungit enim: *Vos autem non sic.* — *Tertio denique* dico, eo loco potius contrarium quam intendat objectio, colligi posse; siquidem ibi agitur de Principibus, qui licet dominentur Gentibus, tamen appellantur *benefici,* non alia certe ratione, nisi quia magis in commune subditorum bonum, quam in suum privatum intendebant.

Instabis: Reges revera sunt domini subditorum: siquidem eis dominantur: at dominus potest disponere de bonis servi sui in suum privatum commodum: ergo, etc. — **Distinguo majorem**: sunt domini dominatione civili, et politica, concedo; despotica, et herili, nego,

Minorem similiter distinguo: dominus herilis, et despoticus potest subditorum bona in proprios usus convertere, transeat: politicus, et civilis, nego; membra namque Reipublicæ, cui Princeps præest, sunt cives, et liberi; non vero servi, aut captivi.

Objicies 3. Principes Dei vices gerunt: ergo sicut Deus omnia refert ad seipsum: ita Principes omnia subditorum bona ad suum privatum commodum licite referre possunt. — **Nego consequentiam**; ut enim esset legitima *antecedentis* illatio, sic deberet concludere: ergo quemadmodum Deus nihil refert in proprium commodum, quia inquiebat Regius Vates, *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges;* ita nec Principes referre debent subditorum bona in privata sua commoda; sed quæ ex solutis tributis colligunt, in ipsorum subditorum utilitatem maxime debent refundere.

QUÆSTIO TERTIA.

SIT NE DE RATIONE LEGIS UT JUSTA SIT, JUSTEQUE FERATUR, ET QUOD OBLIGET IN PERPETUUM, IDQUE SUB PRÆCEPTO.

Notandum 1. Posse legem esse justam, et juste latam, intelligi tripliciter; nempe vel ex parte objecti quod præcipitur; vel ex parte Principis legem ferentis; vel ex parte formæ, et modi secundum quem lex ipsa statuitur. *Primo quidem* ex parte objecti Lex potest esse justa, et honesta duplici modo: vel negative, quatenus id quod præcipit aut statuit non est turpe et inhonestum; vel positive, quatenus nempe id quod præcipit aut statuit est honestum antecedenter ad legem, vel saltem consequenter; quia licet sit de se indifferens, per legem refertur ad bonum finem, et in aliqua materia virtutis constituitur: possunt enim per leges aliqua statui, quæ antecedenter erant indifferentia; puta abstinere a certo genere ciborum, ferre vestes hujus aut alterius materiæ, vel figuræ, etc. *Ex parte vero legem ferentis*, Lex potest censeri justa, si nempe illam præscribat ex affectu justitiæ, et honestatis; non autem ex aliquo perverso, et malo motivo ductus: et hoc ad valorem legis non videtur esse necessarium; nam, ut diximus, potest Princeps legem validam, et legitimam ferre quæ cedat in commune bonum subditorum, quamvis illam præscribat odio ductus in illos, vel ob alium perversum finem. *Tertio*, Lex potest intelligi juste ferri *quoad formam*, sive quantum ad modum requisitum ex parte legis; qui quidem modus in tribus maxime consistit: *Primo*, ut feratur juste ex parte finis, qui est bonum commune; quod fit quando lex ad eum finem consequendum aut stabiliendum utilis est. *Secundo*, ut feratur juste ex parte potestatis; nempe ut Legislator non plus statuat, quam illius auctoritas sese extendat, nec aliis quam suis subditis legem præscribat; actus enim agentium non potest excedere agentis potestatem. *Tertio*, ut feratur lex secundum æqualitatem proportionis; dum videlicet justa proportione subditis respective imponuntur onera ad bonum commune: esset enim contra rectam rationem, gravare aliquos subditos supra modum, non habita ratione virium, et facultatum. Hinc ubi secus accidit, leges illæ non obligant in conscientia, nisi propter vitandum scandalum, vel seditionem, ac pertur-

bationem publicam præpediendam: in his enim casibus homo quilibet particularis suo juri cedere tenetur. Advertit tamen Suarez lib. 1. cap. 9. n. 16. ad nullitatem legis ex hoc capite requiri tantam improportionem, et inæqualitatem, ut redundet in detrimentum commune, et in grave injustumque onus plurium membrorum communitatis; alioqui enim si lex de se sit utilis, et gravamen, aut excessus sit paucorum, non propterea lex erit omnino nulla, neque desinet alios obligare: sed illos solos non obligabit quoad excessum, qui injuste gravantur: quod ut clarius appareat,

Notandum 2. Quod ad hoc ut lex obliget, et juste feratur, tres justitiæ virtutis species in ea ferenda desiderantur: prima est *Justitia legalis*, cujus est commune bonum intendere, et consequenter jura communitati debita servare. Unde lex justa dignoscitur ex fine boni communis quem respicit. Secunda est *Justitia commutativa*, ad quam spectat ut Legislator non aliis præcipiat, quam subditis suis; quæ justitia maxime necessaria est ad legis valorem; nam, ut mox diximus, si Princeps legem ferat pro non sibi subditis, suam potestatem excedit, peccatque contra justitiam commutativam respectu illorum quibus legem præscribit; etiamsi actum de se honestum et utilem præcipiat. Tertia denique est *Justitia distributiva*, quæ etiam in lege requiritur; nam præcipiendo multitudini quasi distribuit onus inter partes reipublicæ in ordine ad ejus bonum stabiliendum: et ideo necessum est, ut in ea distributione servet æqualitatem proportionis, quæ ad justitiam distributivam pertinet, et ideo injusta erit lex si inæqualiter onera dispenset. Unde legis injustitia spectari potest vel ex parte materiæ, vel ex parte formæ: ex parte quidem materiæ si præscribat quædam impossibilia, divino cultui, naturalique inclinationi adversantia, et communi bono ac honestati repugnantia: ex parte vero formæ potest esse injusta, vel ex fine privati commodi, et non communis boni; vel ex parte agentis, ac defectu potestatis; vel ex defectu formæ, seu justæ distributionis. An autem hæc omnia vera sint, utrum videlicet ut lex sit justa, justeque feratur, has omnes conditiones involvere debeat, hic erit resolvendum.

Notandum 3. Duplicem a Philosophis solito distingui perpetuitatem; unam quidem ex parte initii, quam vocant *a parte ante;* aliam ex parte finis, quam *a parte post* appellant. Hic autem maxime sermo est de perpetuitate in futurum, ex quo lex semel est præfixa, et lata. Quæ perpetuitas ulterius distingui potest in perpetuitatem simpliciter, qualis est æternitas; vel in perpetuitatem secundum quid, qualis est diuturna temporis duratio, quam interdum Scriptura sacra ævum, et sæculum æternum appellat. Perpetuitas autem, de qua sermo est in præsenti Quæstione, maxime significat legis stabilitatem, qua fit ut habeat suum esse cum valore, ac efficacia ita firmum, et permanens, quantum est ex vi suæ originis, et constitutionis, ut de se semper perseveret, aut saltem per indefinitum, vel diuturnum tempus. *Rursus* hic modus perpetuitatis potest esse duplex: unus quidem *negativus*, alter *positivus*. Negativus est quando lex indefinite fertur, et ideo indefinitam habet durationem, licet revocari possit; qualiter suspensio dicitur perpetua negative, quæ inducitur sine termino. Positive autem perpetua dicitur lex, quæ natura sua vel per expressa verba fertur,

ut semper duret, et revocetur numquam; sic depositio et degradatio dicitur suspensio perpetua. An autem, et quæ perpetuitas ad legitimam legem desideretur, declarabitur infra.

His prælibatis, duo maxime sunt in præsenti Quæstione resolvenda: *Primum*, quod lex omnis justa debeat esse. *Secundum*, quod ex se perpetuo sit duratura.

Conclusio prima. — De natura legis est ut sit justa, et juste lata, ex parte objecti, legislatoris, et formæ. Hæc Conclusio tres partes complectitur, quæ simul probantur. *Primo* quidem auctoritate SS. Patrum, maxime vero S. Augustini, lib. 1. *De libero arbitrio*, cap. 5. cum dixit, *Mihi lex esse non videtur, quæ justa non fuerit.* Et de eadem intelligi potest, quod dicit lib. *De vera religione*, cap. 31. *Conditor legum temporalium, si vir bonus est, et sapiens, legem consulit æternam, ut secundum ejus incommutabiles regulas, quid sit pro tempore vitandum, jubendumque discernat.* Unde sicut lex æterna solum justa præcipit, quia est ipsa justitia per essentiam, ita vera lex humana esse debet participatio ejus, et ideo non potest valide præcipere nisi justa, et honesta. Hoc ipsum docet S. Isidorus lib. 5. *Etymolog.*, cap. 2. affirmans *legem honestam, justam, et possibilem esse debere:* idemque refertur distinct. *Erit autem lex.*

Probatur 1. Ex fine legis, qui est homines bonos facere. Unde Aristoteles 2. *Ethicorum*, cap. ait, *Legum latores, ipsos cives assuefacientes bonos efficere.* Et lib. 3. *Politic.*, cap. 4. dicit, *Civitatis finem esse bene vivere, et honestatem aliquam participare*, Et cap. 6. addit: *De virtute, et vitio cogitant quicumque curam habent bene instituendi civitatem.*

Probatur etiam ratione: primo quidem: omnis potestas ferendi leges vel divina est, vel a Deo emanat, juxta illud Sap. 8. *Per me Reges regnant, et legum Conditores justa decernunt: Quæ autem sunt a Deo*, inquit Apostolus *ad Rom.* 3, *ordinata sunt;* Deus enim, qui summe bonus est et rectus per essentiam, non potest suis legibus statuere nisi justa et honesta: ergo nec alii Legislatores, qui potestatem a Deo derivatam, et ipsi subditam habent, non in destructionem, sed in ædificationem. *Deinde*, nullus inferior potest obligare contra legem et voluntatem superioris: sed lex præcipiens actum pravum et inhonestum, esset contra legem Dei prohibentis illum: ergo nulla lex potest obligare ad aliquid turpe et illicitum; nam inde sequeretur nos habere simul duas obligationes contradictorias, et teneri facere aliquid, quia lex humana id præciperet; et non facere, quia idipsum divina lex prohiberet. *Denique*, Deus non potest licite offendi: sed si aliqua lex præscriberet aliquid a Deo vetitum et illicitum, sequeretur quod Deus impune et illicite posset offendi; offenderetur quidem, quia aliquid ab ipso vetitum fieret; idque fieret licite, quia nempe lege cautum et sancitum esset: ergo, etc.

Dices: Nonnullæ sunt humanæ leges quæ malum permittunt: ergo lex potest esse injusta ex parte objecti. — **Distinguo antecedens:** aliquæ leges humanæ permittunt malum, et quod intrinsece illicitum est, statuendo ut liceat illud patrare, nego: permittunt illud non vindicando nec arguendo, propter videlicet majus aliquod bonum inde oriendum,

et majus malum declinandum, concedo; hæc autem permissio non est mala, sed honesta, et rationabilis; aliud enim est malum ipsum, et aliud permissio mali per simplicem tolerantiam: quamvis enim malum sit turpe et illicitum, potest tamen justis de causis interdum tolerari a superioribus, ne severitas in illo puniendo sit causa majoris mali, puta perduellionis subditorum; est enim rectæ rationi congruum e duobus malis simul inevitabilibus vitare ac declinare id quod majus est.

Ex iis colligе nullam pariter legem ferri posse de impossibili simpliciter aut moraliter, hoc est, valde difficili; tum quia quidquid cadit sub legem, cadit aliquatenus sub libertatem; quatenus scilicet ab illa pendet ut fiat, vel non fiat; vel ut sit, aut non sit, sicut præcipitur aut statuitur: at impossibile non cadit sub libertatem; unde recte S. Augustinus ait, lib. *De Fide* contra Manichæos, cap. 10. *Quis non clamat stultum esse præcepta dare ei cui liberum non est quod præcipitur facere: et iniquum eum damnare, cui non fuit potestas jussa complere?* Et lib. *De Natura, et Gratia*, cap. 43. *Deus impossibilia non jubet: sed jubendo admonet, et facere quod possis, et petere quod non possis;* quæ verba ex eo desumpsit Conc. Trid. *Sess.* 6. *c.* 11. addens, *et adjurat ut possis.* Quam utique veritatem fusius probabimus in Tract. De Gratia; ubi demonstrabimus gratiam esse necessariam, et sufficere ad omnem divinam legem implendam.

Conclusio secunda. — De ratione Legis est quod Lex ex se stabilis sit, permanens, ac duret, et obliget quousque revocetur; subindeque aliquo modo debet esse perpetua.

Probatur 1. ex communi consensu Jurisperitorum, qui maxime hoc discrimen assignant inter præscriptum datum per modum præcepti personalis, et latum per modum legis seu constitutionis; quod purum præceptum expirat per mortem præcipientis; lex vero per Legislatoris obitum non extinguitur. Cujus quidem differentiæ ratio petitur ex natura ipsius præcepti, et legis; nam lex cum feratur communitati, et pro bono communi, videtur ferri a Principe nomine ipsius, et auctoritate ipsius reipublicæ: subindeque cum semper respublica maneat, perseverat etiam legis vigor, etsi Princeps moriatur: at vero præceptum singulare alicui præscribitur a Principe vel Superiore, ut curam illius gerit; non enim Princeps aut Superior respicit dumtaxat bonum commune, sed etiam bonum singulare hujus aut alterius subditi aut inferioris; et ideo cum præceptum ferat, quatenus ad ipsum pertinet cura singulorum civium, quæ cura expirat per mortem vel mutationem Superioris, ideo etiam ipso desinente, præceptum desinit.

Confirmatur hæc veritas per inductionem; nam lex æterna cum in divina mente existat, perpetua est, et immutabilis; licet enim quatenus respicit creaturas, secundum diversum earum existentiæ modum, eis leges præscribat, non pro toto tempore, sed juxta modum ab ipso Deo definitum; nihilominus lex semel juxta illum modum a Deo concepta ex parte Dei, et in divina ejus mente, immutabilis perseverat. Similiter lex naturalis, quæ est quædam participatio æternæ legis, etiam dici potest absolute perpetua, tam ex parte mentis in qua

scripta est, quam ex parte objecti; prohibet enim quæ intrinsece mala sunt, et præcipit quæ per se sunt necessaria: quod autem necessarium est, perpetuum est; et ideo immutabile dicitur a Gratiano d. 5. *in principio*. Lex etiam divina veteris Testamenti perpetua fuit constanter omnes obligando usque ad adventum Christi, et donec successit lex Evangelica, ad quam ut ad perfectiorem disponebat. Pariter Lex divina novi Testamenti perpetuitatem sibi vindicat, siquidem duratura est usque ad mundi finem. Idem dicendum de omnibus legibus tam Civilibus quam Ecclesiasticis, quæ debent esse permanentes et stabiles, ut congruant administrationi humanæ communitatis, quæ stabilitatem et uniformitatem postulat. Hinc leges dicuntur esse quasi reipublicæ fundamenta, quibus unxa hæret inconcussa, et in bono ac pace perseverat. *Nec refert,* quod plurimæ sint humanæ leges tam Civiles quam Ecclesiasticæ, quæ temporis successu abrogantur et pereunt: hic enim non loquimur de perpetuitate positiva, quæ nusquam varietur; sed negativa, quæ tamdiu duret, donec vel contraria consuetudine, vel expresso Principis mandato revocetur: hæc enim perpetuitas sufficit ad distinguendam legem a præcepto, quod non modo negative, sed etiam positive temporale est, durans tantum ad vitam præcipientis, nisi per succedentem Superiorem innovetur ac confirmetur. — *Ad faciliorem* autem præfatorum intelligentiam et confirmationem, advertendum est cum Suarez lib. 1. c. 10. n. 7. triplici respectu legem aliquam perpetuam dici: *Primo* quidem respectu ferentis; quia durat lex, illo etiam amoto vel mortuo; non enim expirat lex per mortem Legislatoris; alioquin in Republica maxima fieret legum humanarum mutatio, non sine magno ejus detrimento. *Secundo,* ex parte subditorum, ad quos fertur; quia non tantum obligat præsentes, qui vel nati sunt, vel territorium incolunt cum lex fertur, sed etiam eorum successores postea natos, vel denuo ibi habitantes. *Tertio,* ex parte ipsius legis; quia semel lata semper durat, donec vel revocetur, vel materia ejus, aut causa ita mutetur, ut justa esse desinat.

Conclusio tertia. — Lex omnis debet esse præceptiva, et obligativa; primaria tamen ipsius ratio non consistit universaliter in eo quod præcipiat. Hæc complectitur duas partes, quarum prima communis est, et probatur:

Primo quidem, quia nulla species legis proferri potest quæ non sit præceptiva; sumendo præceptum in latiori usurpatione; videlicet tam pro affirmativo quam pro negativo seu prohibitivo. Nam de lege directe præcipiente vel prohibente res est manifesta; constat namque prohibitionem vel jussionem præseferre. Lex autem Permissiva, qua aliquid fieri permittitur, virtualiter etiam præceptum importat; præcipit enim ne id quod permissum est, fieri impediatur, eo modo et ordine, quo permittitur: sic v. g. lex quæ permittit uxorem dimitti quantum ad thorum et cohabitationem propter adulterium, consequenter præcipit ne id fieri prohibeatur. Similiter lex statuens pœnam vel præmium, præceptum infert iis ad quos spectat, ut pœnam vel præmium delinquentibus, aut præceptum implentibus retribuant. Pari modo lex irritans consequenter præcipit ne fiant tales actus, neque

illorum amplius ulla habeatur ratio. Item lex statuens et decernens id quod spectat ad esse morale personarum vel rerum; puta quod tales sint irregulares, excommunicati, incapaces percipiendi fructus beneficiorum, consequenter prohibet ne illi, quos irregulares facit, promoveantur ad ordines, neve promoti, illos exerceant; ne excommunicatis Sacramenta et Ecclesiæ suffragia conferantur, et ne cum eis consortium incat. Similiter ne beneficiarii percipiant fructus quibus jure privantur, et si perceperint, restituant. *Denique*, Lex declarativa continet præceptum rem ita intelligendi, ut ipsa declarat: et lex pure pœnalis obligat, vel delinquentem ad suscipiendam et subeundam pœnam, vel Judicem aut Superiorem ad eam imponendam et præscribendam.

Probatur secundo: Omni legi opponitur aliqua inobservantia legis, quæ est peccatum: sed ipsa peccatum non esset, nisi lex induceret obligationem præcepti: ergo omnis lex inducit hanc præcepti obligationem. *Major* constat, quantum *ad primam partem*: quod enim a Legislatore ordinatur, fieri potest aut non fieri; etenim ea quæ ex necessitate sunt, non egent ordinante; quæ autem possunt esse aut non esse, libere possunt executioni demandari: sed omni executioni liberæ opponitur inexecutio; adeoque omni legi opponi potest aliqua inobservantia. — *Patet etiam secunda pars* ejusdem *majoris*, tum ex dictis, quibus constat peccatum esse legis violationem, tum ex eo quod Scriptura sacra pro uno eodemque usurpat transgressionem legis, et iniquitatem: sic primæ Joan. 3. *Omnis iniquitas est peccatum, et peccatum est iniquitas*, seu ut fert Græca versio, *Est transgressio Legis*. *Minor* pariter constat, nempe quod non esset peccatum in legis inobservantia, nisi esset ex ea obligatio præcepti; nam peccatum universaliter nullum est nisi contra aliquam obligationem, adeoque contra rationem præcepti. *Denique*, ratio legis maxime constituitur in eo quod decernat de statu morali personarum, vel rerum, et actionum humanarum: at hoc decretum præcepti rationem importat; nam decernere de hujusmodi statu rerum, vel actionum, nihil aliud est, quam decernere ut earum rerum vel actionum habeatur, vel non habeatur ratio a subditis; decernere autem quod subditi habeant, vel non habeant rationem hujusmodi rerum in agendo, nihil aliud est quam præcipere aut prohibere quod subditi ita se gerant respectu hujusmodi rerum: ergo lex omnis præcepti rationem importat.

Probatur similiter secunda pars, nempe quod primaria legis ratio tantum consequenter, et non primario præcepti rationem importet. Probatur, inquam, quia lex permissiva non per se primo præcipit, sed dumtaxat permittit licite aliquid fieri, v. g. uxorem dimitti posse propter adulterium: solum autem consequenter prohibet ne id fieri impediatur. Lex irritans per se primo statuit ut actus, quos irritos declarat, sint invalidi, neque ullatenus eorum habeatur ratio in ordine ad bonum communitatis: consequenter vero præcipit, ut non fiant, neve ad bonum communitatis destinentur. Item lex excommunicans ipso facto majori excommunicatione per se primo privat suffragiis Ecclesiæ, et Sacramentorum participatione; consequenter autem prohibet, ne suffragia pro illis applicentur, nec Sacramenta eis ministrentur. Idem de cæteris legibus dicendum est: ergo, etc.

Dices contra *primam partem:* consilium est lex, ut communiter volunt Canonistæ, affirmantes legem consulentem bono civili, quam *consultoriam* appellant, esse revera legem, quamvis ea nemo teneatur obstrictus, ut docet Azor. lib. 1. cap. 2. parag. ultimo: ergo falsum est omnem legem obligare aliquatenus et præcipere. *Insuper*, consilia Evangelica referuntur inter partes Legis gratiæ, unde cap. *Licet de Regularibus*, consilium sequendi statum religiosum vocatur Lex privata: hæc tamen non obligat: ergo verum non est quod omnis lex præcepto obliget. *Denique*, privilegium est lex privata, ut docet Isidorus 5. *Etym.* cap. 18: privilegium tamen non obligat; siquidem ille in cujus favorem inducitur, potest ei renuntiare: ergo verum non est quod omnis lex præcepto obliget. — **Nego consequentiam**; et ad *primam probationem* dico, consilia leges appellari, non proprie; quia consilium potest dari a privato quolibet homine etiam inferiori, nec requirit auctoritatem superioris, qualis ad legem ferendam desideratur; sed improprie consilium vocatur lex, eo quod legis instar illuminet, dirigat, moveatque suaviter voluntatem ad aliquid faciendum, vel omittendum; quamvis non obliget ad exequendum id quod consulit. *Ad secundam probationem* dico, nomine legis Evangelicæ interdum comprehendi totum Evangelium, et novum Testamentum: sicut vetus Testamentum nonnumquam nomine legis Mosaicæ significatur; adeoque non mirum si consilia Evangelica inter Legis novæ præcepta annumerentur, non quod revera præcepta sint, habeantque rationem legis, sed tantum quia comprehenduntur sub novo Testamento, quod nova Lex appellatur. *Ad tertiam* denique *probationem*, respondeo privilegium etsi per se non obliget primario, obligat saltem consequenter, ne vel alii impediant usum privilegii, neve ipse privilegiatus interdum renuntiet suo privilegio; maxime quando privilegium conceditur intuitu alicujus boni communis; cujusmodi v. g. sunt privilegia Clericorum, quibus eximuntur a vectigalibus aut actibus forensibus, quibus privati Clerici renuntiare non possunt; adeoque ad utendum ipsis privilegiis eatenus obligantur, quatenus ista privilegia habent quamdam legis rationem, quippe cum dentur in perpetuum, et pluribus sibi invicem succedentibus.

Dices 2 contra *secundam partem:* Prima Legislatoris intentio est obligare subditos ad id exequendum vel omittendum, quod faciendum aut cavendum esse decernit: ergo pariter lex omnis primario et per se obligat. *Probatur antecedens:* Lex est ordinatio, qua superior subditos ordinat ad finem congruum; non quidem in essendo, sed in agendo; nempe movendo per viam auctoritatis eorum intellectum et voluntatem: sed quicumque per viam auctoritatis movet intellectum et voluntatem alterius ad aliquid faciendum vel cavendum, ille aut præcipit aut prohibet, si agat positive; aut si agat quasi negative, dispensat et eximit ab obligatione: ergo primaria Legislatoris intentio est præcipere aut prohibere per viam auctoritatis et superioritatis legitimæ. — **Nego antecedens**; nam, ut dictum est in probatione secundæ partis, leges permissivæ, irritantes, et cæteræ hujusmodi per se primo præceptum non important, sed solum consequenter, nec Legislator eas præscribendo primario intendit eam inferre obligationem, ut quis v. g. uxorem in adulterio deprehensam deserat et divortium faciat; alias

peccaret quisquis maritus qui talem adulteram uxorem non desereret, quod utique nemo dixerit; licite namque potest cum ea cohabitare, etsi ad id non teneatur; adeoque falsum est, quod primaria Legislatoris intentio in illis legibus præscribendis sit obligare subditos ad id exequendum quod decernit, sed consequenter dumtaxat hanc obligationem inducit.

QUÆRES I. — *Quotuplex, et qualis sit Legis divisio?*

✻ " Triplicis generis leges distinguit Faustus Manichæorum Episcopus, apud S. Augustinum, lib. 19. ex triginta tribus quos adversus ipsum conscripsit; et illo cuique legi suos assignat prophetas: *Sunt autem*, inquit, *legum tria genera: unum quidem Hebræorum, quod peccati et mortis Paulus appellat: aliud vero Gentium, quod naturale vocat. Gentes enim, inquit, naturaliter quæ legis sunt faciunt, et ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Tertium vero genus legis est veritas, quod perinde significans Apostolus dicit: lex enim Spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis... Item prophetæ, alii sunt Judæorum, alii Gentium, alii veritatis. Sed de Judæorum quidem nullus quæsierit, notum est enim. De Gentium vero si quis ambigit, audiat Paulum qui scribens ad Titum de Cretensibus dixit: Dixit quidam proprius eorum propheta: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri; ac per hoc dubitandum non est, et Gentes suos habere prophetas. Necnon et veritatem habere prophetas suos, tam idem Paulus significat, quam etiam Jesus. Et Jesus quidem, ubi dixit: Ecce mitto ad vos sapientes et prophetas, et ex ipsis interficietis in singulis locis. Paulus vero cum dixit: Ipse Dominus constituit primum Apostolos, deinde Prophetas.* — Verum præterquam quod in ista divisione nonnulla occurrunt, præsertim in primo ejus membro, quæ ibidem improbat S. Augustinus, ista etiam universalior est, quam quæ legibus omnibus complectendis et explicandis sufficiat. Quamobrem ut propositæ quæstioni distinctius faciam satis, " ✻

RESPONDEO, Legem primaria sui divisione distribui in *Æternam*, et *Temporalem*. Lex enim omnis vel est in Deo, vel extra Deum; si in Deo, æterna est, quia ipse Deus est æternus: Lex autem omnis quæ non est in Deo, est extra Deum; quod autem ita est extra Deum, temporale est; æternum enim et temporale differunt tamquam creatum, et increàtum; quia quidquid est æternum increatum est, et quidquid temporale creatum est. — Lex autem Æterna est *ordinatio quædam divinæ voluntatis ab æterno fixe determinantis quæ sint agenda, vel cavenda a creatura rationali, ut debitum finem assequatur.* — Lex Temporalis est, quæ a Deo vel hominibus condita est in tempore; estque veluti participatio legis æternæ in mente divina existentis, quæve *Lex per participationem*, aut *participata* dicitur. — Lex Temporalis rursus distribuitur in *Naturalem*, et *Positivam*. — Lex autem Naturalis est ordinatio Auctoris naturæ permanenter, et fixe statuentis de illicitis et licitis, agendis et non agendis, quatenus dictamine naturali intellectus velut promulgatore denuntiatur. — ✻ " Utrum autem hæc definitio sit legitima et accurata, determina-

bimus infra inquirendo et resolvendo quid sit jus naturale et in quo consistat. " ✳

Lex positiva ea dicitur, quæ non est innata naturæ, vel gratiæ intrinseca, sed aliunde emanavit, nimirum ab aliquo principio, et naturæ, et gratiæ extrinseco potestatem habente a quo posita est. Ratione cujus dicitur *Positiva*, quasi posita juxta legem naturalem, vel illi addita: hanc definit Philosophus 9. Ethic. cap. 3. *Legitimum, quod a principio nihil refert si hanc aliter habeat; cum vero positum fuerit refert.* Dixit, *a principio nihil refert* a quo fiat, quia ejus obligatio non est a natura: sed ubi posita est ab habente potestatem, obligat; quare addidit: *Postea cum positum fuerit refert.*

Rursus Lex Positiva est duplex, nimirum *Divina*, et *Humana*. — *Lex Divina Positiva* ea est quam Deus in tempore hominibus notificavit, posuit, et præscripsit; idque vel per ministerium Angelorum aut hominum. Hæc autem est maxime duplex: *Prima* est *Lex Veteris Testamenti*, quam Deus per ministerium Angelorum Moysi, et per Moysem populo Israëlitico posuit ac præscripsit. *Secunda* est *Lex Novi Testamenti*, quam Christus Dominus præscripsit, et partim per seipsum, partim per Apostolos promulgavit. — ✳ " Quæ divisio intelligenda est tantum de lege divina scriptis consignata. Nam universum jus divinum humano generi quater a Deo consignatum et legem præscriptam reperimus, nimirum statim post hominem conditum, quando Deus Adamo prohibuit ne ederet de ligno scientiæ boni et mali. Secundo in reparatione generis humani post diluvium, quando Deus Noë ejusque filiis tradidit præcepta quæ Noëchidarum dicuntur, de quibus infra. Tertio per Moysem cum ei decem præscripsit mandata Israëlitis consignanda ut ab eis eorumque posteris servarentur, ac deinde ab universo humano genere. Quarto tandem per Christum Dominum qui legem Evangelicam universa divini juris capita complectentem præscripsit. " ✳

Lex Humana ea est quæ fertur immediate humana auctoritate: cum autem auctoritas hæc duplex sit; nempe *Ecclesiastica*, et *Secularis;* inde fit, quod lex humana dividatur in *Ecclesiasticam* et *Civilem*. Illa fertur potestate Ecclesiastica, ut summorum Pontificum et Conciliorum; ista potestate sæculari, ut Regum et Imperatorum. Utraque hæc ex parte objecti, et rei præceptæ subdividi potest in Naturalem, et Positivam; Potestas enim Ecclesiastica et Civilis recte possunt ea præscribere et confirmare quæ sunt Juris naturalis; potest etiam quædam statuere quæ spectent ad observantiam legis a Deo præscriptæ: *Prima Jus Canonicum*, altera *Jus Civile* appellatur.

✳ " De Jure Canonico " ✳ — Jus Canonicum variis ex legibus et constitutionibus diversis integratum fuit in unum corpus, quod propterea dicitur *corpus juris Canonici*. Quod dividitur in *Decretum*, et *Decretales*.* — Decreti collector et ordinator fuit *Gratianus* Monachus Ordinis sancti Benedicti, qui post veteres Canonum et Decretorum collectores ingens illud opus contexuit et composuit, partim ex summorum Pontificum decretis, partim ex canonibus Conciliorum, partim ex dictis et sententiis SS. Ecclesiæ Patrum, circa annum 1151. quodque approbavit Eugenius III. et postmodum confirmavit Gregorius XIII. — *Decretum* vero in tres partes dividitur: *Prima pars* continet distin-

ctiones centum et unam, quæ subdividuntur in capita, seu canones. Loca autem ex illa parte desumpta sic citantur. *Can.* vel cap. *Humanum,* dist. 1. *Secunda pars* Causas triginta sex complectitur, quæ dividuntur in quæstiones, et quæstiones in capita; sic de illa parte fiunt citationes, *Can.* vel cap. *Quicumque studet*, 1. q. 1. idest, cap. vel *Canone* qui incipit per illa verba, *Causa prima, Quæstione prima. Tertia pars* habet Tractatum *De Consecratione;* qui dividitur in quinque distinctiones, et quælibet distinctio in capita; et sic citari debent ista capita, *can.* vel *c. Vasa de consecratione,* dist. 1. In prima parte agitur de Jure in genere, in viginti scilicet primis capitibus, et de personis seu ministris Ecclesiasticis in omnibus reliquis. In secunda parte, de iis quæ concernunt formam judiciorum Ecclesiasticorum agitur: in causa tamen trigesima tertia, quæstione tertia, continetur Tractatus *De Pœnitentia,* divisus in septem distinctiones, quæ subdividuntur in capita; et iste Tractatus sic debet citari, *Can.* vel. cap. *reperiuntur, De Pœnit.* dist. 13. *Tertia pars* agit de consecratione Ecclesiasticorum, de Missarum celebratione, de Eucharistia, Festis, Ecclesiasticis cœremoniis, Confirmatione, et jejuniis. — *Decretales* collectæ, et ordinatæ fuerunt auctoritate, et ordinatione Gregorii IX. Summi Pontificis per S. Raymundum de Pennafort, non ita pridem in album Sanctorum receptum, ejusdem Pontificis capellanum, et sanctæ Ecclesiæ Romanæ Pœnitentiarium: collectæ sunt autem maxime ex Gregorii IX. et aliorum Pontificum epistolis, et constitutionibus; unde vocatæ fuerunt Decretales epistolæ, quæ distinguuntur in hoc a Decreto Gratiani, quod multo magis compilatæ sint ex epistolis Pontificum, quam ex Conciliis; e contra vero Decretum Gratiani plus nititur Conciliorum Decretis, quam epistolis aut constitutionibus Pontificum. Quinque libros complectuntur Decretales, in quibus Juris canonici materia exponitur. *Primus* liber agit de personis quibus competit jurisdictio aliqua, et de judiciorum præparatoriis. *Secundus* explicat judiciorum ordinem. *Tertius* agit de rebus Ecclesiasticis quæ in judicium venire solent. *Quartus* de Sponsalibus, et matrimonio. *Quintus* de criminibus, et pœnis. Decretales alias vocantur, *extra,* quia erant extra Decretum Gratiani, quod ante digestum erat; unde apud antiquiores sic citabantur, *extra De Judæis*, cap. *Etsi Judæos:* nunc autem ubi ingrediuntur corpus juris Pontificii, citantur sine adjecto, sic scilicet v. g. cap. *Tuæ nos, de jurejurando,* et pro tunc intelliguntur libri Decretalium per excellentiam, et non citantur distinctiones, nec causæ, ut in Decreto. — *His quinque* libris Decretalium Gregorii, sextum addidit Bonifacius VIII. ex Concilio Lugdunensi, decretalibus epistolis Pontificum successorum Gregorii, nonnullis ipsiusmet Gregorii novellis Constitutionibus, et multis etiam suis propriis compilatum; et hic liber vocatur *Sextus Decretalium,* constans etiam libris quinque, cujus citatio fit eodem modo quo citantur Decretales; excepto quod capita, et tituli hujus libri citentur cum addito; dicendo scilicet in Sexto: sic v. g. cap. *Volentes de privilegiis in* 6. Clemens V. paulo post Constitutiones edidit, partim suas, partim ex Concilio Viennensi cui præfuit, desumptas; quas ipso mortuo absolvit et publicare fecit Joannes XXII. Ab ipsarum auctore, *Clementinæ* dictæ sunt, sicque citantur. *Clem. Dudum, de sepulturis,* idest, Clementina, quæ incipit per hanc

vocem, *Dudum*, titulo *de sepulturis*. Postea denique Joannes XXII. Constitutiones edidit viginti, et post ipsius obitum diversæ a diversis Pontificibus, exierunt, quæ *extravagantes* dictæ sunt; quia licet nunc sint de corpore juris, tamen aliquamdiu extra illud, quasi sede incerta vagantes extiterunt: illæ autem sic solent citari: *extravag. Unigenitus*, idest, constitutione extravaganti, sub titulo *Unigenitus*.

✳ "De Jure Cæsareo et civili. — Jus civile *est rectum humanæ rationis dictamen et judicium in iis quæ spectant æquam, perfectam, et pacificam Reipublicæ administrationem*. Hoc autem pro multiplici hominum ordinata et ad æquitatis normam composita societate, multiplex est; utpote cum quælibet Respublica et quodcumque regnum bene moratum peculiares suas habeat leges, quibus recte instituatur ac pacifice consistat. Quoniam vero longum esset, et extra metam nostram per singulas legibus temperatas hominum societates excurrere, atque hic referre leges et instituta quibus illæ reguntur et ordinantur; pauca tantum delibabimus de *Jure Civili Romano*, quod potissimum apud Europeas nationes obtinuit, et ex cujus placitis et sanctionibus cætera cujusque regni ac reipublicæ instituta tamquam a fonte rivuli videntur esse derivata. — *Jus* autem *Romanum* dicitur illud quod a romanis magistratibus et principibus olim constitutum est; cujus initium repetendum est a Romulo ipsius romanæ civitatis ac illius reipublicæ fundatore anno mundi 3198, juxta Sethi Calvisii chronologiam. Princeps enim ille cum olim adverteret urbis Romæ recentes incolas absque ulla Institutione vivere, quasdam sanctiones edidit pro Numinum cultu, populi regimine, magistratus administratione, matrimoniorum conjunctione, educatione filiorum, aliisque ad rectum reipublicæ florentissimæ regimen necessariis. Constitutiones vero illæ, teste Anthonio Augustino, *De legibus*, cap. 8. dictæ sunt *curiatæ*, eo quod constitutæ fuissent de consensu populi romani, in triginta partes seu *curias* distributi. Ad cujus exemplum cæteri romani reges illius successores spatio 244 annorum varias etiam leges sanxerunt, quas Sextus Papyrius anno conditæ civitatis 245 in unum volumen compegit dictum Jus civile Papyrianum. At cum regiam auctoritatem excussisset romanus populus, has omnes leges abrogarunt auctoritate *legis Tribunitiæ;* unde mirum non est quod ex tot regum legibus et constitutionibus nullæ jam extent in Jure Romano. — Itaque abrogata prorsus apud Romanos auctoritate regia et expunctis regiis legibus, cum absque illis certis constitutionibus degerent Romani, atque adeo in jure dicendo varias scinderentur in partes; tandem (referente Dionysio Halicarnasseo, lib. 2. *Antiq. Romanorum)* decem ex suis, quos peritiores noverant, selegerunt, eisque fecerunt auctoritatem colligendi ex variis Græcorum institutis, ea quæ ad Romanæ Reipublicæ pacificum regimen felicius conducerent: hi vero Decemviri injuncto sibi munere sedulo defungentes curarunt leges quas exscripserant exarari in decem eburneis tabulis. Cum autem animadverterent quædam in ipsis decem tabulis deficere, duas alias adjunxerunt anno sequenti, scilicet Romæ conditæ 302. Unde leges illæ omnes dictæ sunt *leges duodecim tabularum*, ad quarum apices Romani sese conformare tenebantur. At cum ex eorum collatione et novis exorientibus simultatibus recurrendum esset ad jurisperitos qui vim et

sensum legis aperirent, ex diversis earum publicis responsis et judiciis, conflatum est volumen dictum *Jus Civile*, collectum quidem primum ab Appio Claudio, sed evulgatum a Gneo Flavio; hinc liber iste dictus est *Jus Civile Flavianum*. At cum Romana plebs sese a senatu subduxisset, ut propriis viveret et regeretur legibus, plures edidit constitutiones *plebiscita* dictas, quæ per legem *Hortensiam* vim legis obtinuerunt. His accesserunt *senatus-consulta*, nimirum varia Romani Senatus edicta quæ ad Reipublicæ administrationem spectabant. Unde pro diversa ipsius Romanæ Reipublicæ sorte, diversæ fuerunt illius constitutiones et leges tam a Senatu quam ab Imperatoribus conditæ, et divisim exscriptæ, donec opera Gregorii et Hermogenis jurisperitorum duos in codices coaluerunt, dictos codices *Gregorianum* et *Hermogenianum*, in quibus præsertim extabant constitutiones imperiales, ab Adriano ad Constantinum usque. His tertius codex adjectus est cura et mandato Theodosii Junioris, per Antiochum, Maximinum, Martyrium, Sperantium, Apollodorum, Theodorum, Epigenem et Procopium jurisperitos ea ætate celebres. — Verum cum illæ constitutiones tribus his codicibus comprehensæ invicem non cohærent, et aliunde plures extarent minus utiles et antiquatæ; varias deinde itum est in partes in ipsarum legum expositione, juxta diversas juris consultorum sententias, qui apud Romanos floruerunt; inter quos primas habuit Papynianus sub imperio Septimii Severi, quem tanti fecit eruditissimus Cujacius, ut in epistola præfixa editioni codicis Theodosiani asserere non dubitaverit, neminem unquam exstitisse, nec exstiturum in juris civilis peritia ipsi comparandum. Ad eum tamen proxime accessit Ulpianus eadem pene ætate jurisperitus celeberrimus, quem Justinianus diversis in locis encomiis celebrat, ut virum juris civilis et legum callentissimum. Mitto cæteros jurisperitos qui doctissimis suis commentariis jus civile illustrarunt et foverunt. — At præ cæteris celebrandus est Justinianus, imperator, qui cum animadverteret jus romanum tot constitutionibus et commentariis ampliatum, ut ætate sua ad quatuor millia voluminum excresceret, ut non solum armis et victoriis sicut et regiminis æquitate ac imperiali munificentia, sed etiam eximia sua juris æmulatione et peritia gloriosum suum nomen ad posteros traduceret, omnem dedit operam ut jus civile romanum certas in classes distribueretur, nec in indigestam et confusam molem amplius excresceret. Ut autem votorum suorum fieret compos, rem absolvendam mandavit Tribuniano suo cancellario, Theophilo, Porotheo, Anatolio, Cratino et quibusdam aliis ea ætate celeberrimis jurisperitis. Jussitque ut ex legibus duodecim tabularum, plebiscitis, senatus consultis, prætorum edictis, principum constitutionibus, et jurisperitorum responsis (ex quibus omnibus romanum jus constabat) ea seligerent, quæ maxime ad Reipublicæ felicitatem et optimum regimen conducere judicarent. — Itaque eximii illi viri injunctum sibi munus sedulo exequentes, universum romanum jus civile quatuor libris complexi sunt, scilicet *Digesto*, *Institutis*, *Codice et Novellis*. *Digestum* est epitomen præcipuarum constitutionum quæ exstabant in legibus duodecim tabularum, plebiscitis, senatus consultis, responsis prudentum et libris jurisperitorum; quamobrem volumen istud dictum est etiam *Pandectæ*, nomine latino formato et derivato ex duabus græcis

voculis, quod idem significat ac *totum capio*, quia universam veteris jurisprudentiæ scientiam contineret. Ut autem legum cupidi adolescentes haberent facilem et simplicem viam qua progredi possent ad amplissimam juris scientiam, Justinianus componi curavit quatuor *Institutionum* libros, ut essent totius juris elementa atque principia. Hoc autem Institutionum opus tanti facit doctissimus Cujacius, lib. 2. *Observationum*, cap. 38, ut illud cæteris juris romani collectionibus anteponere non dubitet. — Quoniam vero tam Digestorum quam Institutorum voluminibus plures decerant, nec integræ in eis referebantur imperiales constitutiones, curavit idem Justinianus imperator, ut omnes illæ sanctiones ab Adriano ad suam ætatem in unum codicem ex codicibus Gregoriano, Hermogeniano, et Theodosiano compingerentur, quod utique factum est anno Christi 511. At cum hæc collectio nimia festinatione nec maturo satis consilio fuisset primum edita, præcepit idem imperator ut ad incudem revocaretur, hisque adjicerentur quinquaginta decisiones quibus ipse componit majores controversias quæ possent suboriri ex jure romano et veterum juris consultorum responsis et placitis. Verum cum ipse Justinianus imperator plures alias constitutiones ad finem usque sui principatus spatio circiter quadraginta annorum circumscripti, ediderit, has omnes constitutiones numero sexaginta octo unum volumen redigi voluit, quod propter recentes eas constitutiones *Novellas* appellavit, quæ cum primum græce, deinde latine fuerint fideliter et exacte editæ, dictæ sunt etiam *Authenticæ*, ut distinguerentur ab Epitome Juliani, qui Constantinopoli consul Novellas etiam edidit; necnon ab iis quas jurisperitus Irnerius Codici inseruit regnante Friderico primo, quæ Novellæ constitutiones minus exactæ sunt, nec videntur pure Justinianæ, sed interpolatæ ex adjunctis quibusdam constitutionibus ipsius imperatoris Friderici primi. — Tametsi vero Justinianus imperator plurimam et feliciter operam impenderit in præfigendo civili jure romano, nihilominus ipso per mortem sublato diu Constantinopoli vim non obtinuerunt omnes ab eo constitutæ leges, sed omnino elanguerunt sub imperio Mauricii, Phocæ, Basilii ejusque filiorum imperatorum. Basilius namque ut Justiniani nominis gloriam offuscaret, confici curavit sexaginta libros collectarum legum, eosque *Basilicas* appellari voluit, et ad earum normam jus omnibus dici, justitiamque administrari; quas Constantinus Porphyrogenitus secundus ipsius Basilii filius viginti post extinctum patrem annis emendavit et observari jussit. Unde factum est ut eo tempore nullatenus vigerent Justiniani constitutiones, tum quod agentibus Leone philosopho, et Constantino Porphyrogenito Basilii filiis, Basilicæ apud Græcos et Orientis imperium vigerent; tum quod plurimæ nationes barbaræ Romani imperii sedem et occidentales partes diutissime occuparint et devastarint, sub quarum tyrannide nullum scientiarum nec juris civilis studium vigebat. — Hinc est quod diutissime neglectæ ac veluti sepultæ jacuerint omnes illæ Justinianæ constitutiones, donec tempore Lotharii imperatoris Occidentis et sub pontificatu Innocentii secundi anno circiter 1135 repertæ sunt a Pisanis Pandectæ ad quas recurrebant jurisperiti. Sed expugnatis Pisanis a Florentinis, illæ Florentiam deductæ sunt. Hinc recruduit studium juris civilis præsertim sub Magistris Bartolo et Baldo, quorum hic Bononiæ et Paduæ, ille

vero Pisis et Perusiæ publicas juris civilis scholas instituerunt et erexerunt circa annum 1250. Eis præiverat Accursius qui cum quadragenarius esset, tanto studio et animi fervore se juris peritiæ dedit, ut brevi temporis spatio omnes longe antecesserit. Jus Cæsareum, maxime Digestum et Novellas, adeo egregiis notis illustravit ut idem tentandi cæteris ansam præripuerit. Horum studia deinde æmulati sunt plures jurisperiti celebres. In Gallia quidem Budeus qui propter eximiam prudentiam et jurisprudentiam sub Francisco primo Gallorum rege fuit libellorum supplicum præfectus, et ejusdem ad summum Pontificem Leonem decimum legatus. Duarinus qui omnes suæ ætatis jurisperitos et dicendi gratia et docendi methodo antecessit. Caroleus Molineus multiplici titulo celebrandus propter egregias animi dotes, si omnino catholice sapuisset. At omnes longe antecessit Jacobus Cujas patria Tolosanus, græcis et latinis litteris sicut et jure Cæsareo egregie instructus, qui Tolosæ, Caduci, Valentiæ, Taurini et Burdigalæ per 40 annos summa cum laude jus Cæsareum publice docuit, et eximiis accingentibus commentariis illustravit. Mitto cæteros ejusdem juris civilis illustratores ex suis egregiis operibus satis superque notos. — Hic obiter etiam advertendum est discrimen inter legem civilem, plebiscitum, senatus consultum, prætorum edicta, responsa prudentum et consuetudinem usu firmatam. Quod, inquit Justinianus, lib. 1. *Institut.* tit. 2. *lex civilis* ea est quam principes aut magistratus populo rogante constituunt. *Plebiscitum* est quod plebs plebeio magistratu veluti tribuno apud Romanos constituebat. Plebs autem a populo eo differt, quo species a genere; nam appellatione *populi* universi cives significantur, connumeratis etiam patriciis et senatoribus. *Plebis* autem appellatione, sine patriciis et senatoribus cæteri cives significantur. — *Senatus consultum* est quod senatus jubet atque constituit. Nam cum auctus esset populus romanus in eum modum, ut difficile esset in unum eum convocari legis sanciendæ causa; æquum visum est, senatum vice populi consuli. — *Prætorum edicta* erant in supplementum vel juris civilis, ita tamen ut minorem longe vim quam leges haberent, nec abrogari jus constitutum aut receptum possent. Proponebant etiam *Ædiles curules* edicta de quibusdam causis quæ maxime spectabant ad eorum munera. Nam, ut notat Cicero 5. in Verrem, eorum erat curare ædes certas tectas esse, aquas mundas, integros aquæductus, vias expeditas. Dicebantur autem *curules* vel a curia cui præerant, vel a curru quo vehebantur, vel a sella curuli qua sedebant. — *Responsa* prudentum dicta sunt sententiæ et opiniones eorum quibus permissum erat de jure respondere: nam antiquitus constitutum erat, ut essent, qui jura publice interpretarentur, quibus a Cæsare jus respondendi datum est, qui juris consulti appellabantur: quorum omnium sententiæ et opiniones eam auctoritatem tenebant, ut judici recedere a responsis eorum non liceret, ut est constitutum. — *Consuetudo* sive jus non scriptum illud est quod usus approbavit; *nam diuturni mores consensu utentium comprobati legem imitantur*, inquit Justinianus, textu 9. Quemadmodum enim expressa sanctio legem facit, sic tacita populi voluntas consuetudinem: unde quoad vim et effectum inter hæc duo nihil interest, dummodo populus qui consuetudinem induxit, sit sui juris, nec alterius imperio subjaceat:

nam civitates et regiones alterius imperio subditæ, non magis tacito consensu consuetudinem introducere possunt quam expresso legem. " ✳

Quæres II. — *Quinam sint præcipui legis actus?*

Respondeo, quatuor principes solito numerari, videlicet *præcipere, vetare, punire, ac permittere.* — *Probatur:* tot sunt legis actus, quot sunt diversæ humanorum actuum differentiæ; atqui tres sunt humanorum actuum differentiæ genericæ, scilicet bonitas, malitia, indifferentia: cum actus humani sint vel ex genere boni, vel ex genere mali, vel indifferentes: ergo pariter ✳ " quatuor sunt legis actus, seu effectus; scilicet præcipere, prohibere, punire et permittere; " ✳ nam præcipiuntur actus boni, prohibentur actus mali committendi, et puniuntur commissi, permittuntur actus indifferentes. — Hi autem dicuntur actus legis, non quod sint ab ipsa eliciti; cum enim non sit habitus nec potentia, ita non habet actus elicitos; sed ita appellantur ratione integritatis: quia videlicet per hos maxime quatuor actus tota lex impletur et integratur: non quod in qualibet lege particulari omnia ista reperiantur; sed quia ad legem in communi spectant; lex namque maxime versatur vel in præcipiendo bono, vel in malo prohibendo, vel in permittendis actibus indifferentibus.

Dices: Qua ratione homines incitantur ad bonum, et retrahuntur a malo per pœnas, ita etiam per præmia: ergo sicut *punire* est actus legis, ita etiam et *præmiare*, et sic erunt quinque actus legis, et consequenter non solum quatuor. — **Nego consequentiam**, præmiatio namque non potest habere rationem actus legis sicut punitio, tribus maxime de causis: *Prima* quidem, præmiare ad quemlibet pertinere potest, et sic cum non sit actus superioris, non potest esse actus legis: punire vero non potest pertinere nisi ad ministrum legis, cujus auctoritate pœna infertur: unde est actus superioris, et legis. *Secunda est,* quia punire inducit ad operandum per modum cujusdam coactionis; præmiare vero non ita, sed per modum cujusdam exhortationis, et quasi consilii; ac proinde illud est actus legis, non vero istud. *Tertia est,* quia virtus secundum seipsam habet sufficientem honestatem, ut propter seipsam appetatur: unde sibi ipsi est sufficiens præmium; subindeque ad inducendum ad virtutem, quod fit per legem, non requiritur propositio alterius præmii; requiritur autem comminatio punitionis, ut homines, quorum sensus proni sunt ad malum ab adolescentia sua propter corruptionem naturæ, timore pœnæ non sequantur passiones, sed legi obediant, et sic bonum commune promoveatur.

Dices 2: Plures alii numerari possunt legis actus: ergo non sunt dumtaxat quatuor. *Probatur antecedens:* dirigere, reddere inhabiles ad dignitates et munera, irritare, pretia rebus imponere, mutare dominia rerum, præteritas leges revocare, etiam sunt actus legis: sed hæc omnia sub quatuor prædictis non comprehenduntur: ergo plures sunt quam quatuor assignati legis actus. — **Nego antecedens**, necnon *minorem* ejus probationis: hæc enim ad quatuor assignatos revocantur; siquidem *dirigere* ad quatuor illos pertinet: nam totidem modis dirigitur homo per legem, quot modis lex sanciri potest. *Reddere inhabilem* aliquando reducitur ad *punire:* quia quandoque inhabilitas per modum pœnæ infertur: aliquando ad *præcipere,* quia inhabilis est ille qui non habet

conditionem quam lex requirit in hoc ad aliquod munus, vel functionem: aliquando ad *prohibere*, quia lex vetat talem assumi ad munus istud, et ejusmodi functiones obire. Quod spectat ad *irritare contractus*, eadem est ejus ratio quæ inhabilitatis personarum. *Pretium imponere rebus* reducitur ad præceptum, si jubeatur ut res vendatur, et tanti; ad prohibitionem, si decernatur, ne pluris. *Mutare dominia rerum* reducitur ad præceptum; quia lege præcipit Legislator, ut qui præscribit, dominus sit boni alieni. *Revocare legem* non est actus legis præcise: sed si revocetur ad actus legis, eo solum titulo revocatur, quo præcipit, prohibet, permittit, vel punit.

QUÆRES III. — *Quænam sint causæ legis?*

RESPONDEO, *legis* causam materialem *in qua*, seu illius subjectum, esse intellectum directive, et voluntatem subjective: nam (ut diximus) quando Legislator, vel Superior legem aliquam condere intendit, *primo* cognoscit utrum quod statuere vult bonum sit, et utile subditis; illud autem judicium in intellectu residet: *deinde*, suis inferioribus præscribit id quod sibi congruum, et illis utile videtur; in quo stat formalis ratio legis: hoc autem decretum in voluntate tamquam in proprio suo subjecto remanet: subindeque materia *in qua* legis est intellectus, et voluntas Legislatoris. Materia vero in qua *secundaria* est tabula, liber, scriptura, vox, et alia id genus, per quæ lex inferioribus declaratur, maxime vero leges positivæ tam divinæ quam humanæ: postquam enim leges decretæ sunt in mente Legislatoris, ut suam moralem habeant essentiam, quæ consistit in vi obligativa, debent inferioribus manifestari per talia instrumenta. Materia vero *circa quam* leges versantur sunt actiones humanæ quæ sub lege cadunt, ut per eam rectæ fiant, et a pravo declinent: idcirco namque leges statuuntur, ut homo recto tramite in finem sibi præscriptum tendere possit. — *Causa finalis* legis est bonum communitatis stabiliendum, et instituendum: leges enim, ut diximus, necessario feruntur, et ordinari debent in bonum commune, ita quod si aliquis Princeps edictum ferat, cujus utilitas in privatum dumtaxat illius commodum redundet, decretum illud tyrannidem potius, quam legem sapiet. — *Causa formalis* est ipsa justitiæ norma quam lex præ se fert: nam, ut dictum est in præcedentibus, lex omnis justa ac juste lata debet esse, ut videlicet imponat onus juxta virium proportionem, et ei si minus valenti gravius præscribatur opus implendum, præscriptum illud magis in tyrannidem, et injustitiam quam in probatam, et rectam agendi regulam declinabit. — *Causa efficiens* legis est ille qui supremam habet auctoritatem in subditos sive ille sit unus, ut in Imperio Monarchico, sive sint multi, ut in Imperio Democratico; cum enim leges præscribi debeant communitati, et ordinare inferiores ad bonum commune, opus est ut hæc ordinatio fiat ab illo qui supremam in communitatem jurisdictionem obtinet: quemadmodum enim in corpore naturali caput cetera membra in bonum, et conservationem totius corporis ad officia sibi propria applicat: ita pariter in corpore politico, tam ecclesiastico quam civili, necessum est, ut qui illius corporis membris legem præscribit, de rebus faciendis aut omittendis capitis rationem obtineat, et auctoritate suprema potiatur.

Quæres IV. — *Quinam sint legis effectus, et officia?*

Respondeo, duplex maxime esse legis officium, nempe *dirigere*, et *obligare*. Primum quidem patet; siquidem lex omnis mensura est, et regula actuum humanorum: at de ratione mensuræ et regulæ est quod sit directiva mensurati et regulati: ergo lex debet esse directiva hominum, eisque præscribere quid agere, quidve omittere debeant. Secundum etiam est manifestum: lex enim dicitur a *ligando:* eo quod, inquit Cassiodorus, *animos nostros liget suisque teneat obnoxios constitutis.* Hæc autem obligatio vel ligatio procedit vel ex ipsa rerum natura, si lex sit naturalis, vel ex voluntate et potestate superioris, si sit positiva. Hic tamen effectus non est primarius et adæquatus, ut volunt aliqui: siquidem, ut dictum est in superiori Conclusione, primaria legis ratio non est quod obliget; quippe cum sint plurimæ leges quæ tantum consequenter obligandi vim habeant. — *Respondeo secundo*, legis effectum præcipuum esse subditorum bonitatem, et ordinationem: omnis namque lex in id unicum collineat, ut subditos sibi obedientes instituat: adeoque ut eos faciat bonos: nam cum lex omnis justa, et in bonum ordinata esse debeat, inferiores legi parere non possunt, quin justi et ordinati ac boni esse censeantur. Unde sicut propria Principis virtus est, ut juste recteque subditis imperet, ita pariter inferiorum bonitas et perfectio derivatur ex eo quod legi pareant et legislatori obsequantur. — Cæterum lex subditos bonos instituit secundum ampliorem, vel meliorem bonitatem quam ipsa continet. Hinc lex Evangelica, omnium præstantissima, intendit ut homo fiat simpliciter bonus non solum in exteriori opere, sed etiam in interiori animo, atque adeo ut fiat filius Dei adoptivus per gratiam. Lex naturalis, ut fiat bonus virtutibus moralibus, quæ naturæ commensurantur, habeatque vitam ad ceteros homines ordinatam, alteri non faciendo quod sibi fieri nolit. Lex civilis, ut bonus civis existat, et ea præstet, quæ ad pacem reipublicæ ordinata sunt. Lex ecclesiastica, ut Clericus probis moribus instituatur, et quæ sui muneris sunt debito ordine fungatur. — ✳ " Aliter usus et officium legis distingui potest duplex, nimirum generalis et particularis. *Generalis* est qui obtinet in omni hominis statu, est, ut sit norma unica et certa faciendorum ab unoquoque tam erga Deum quam erga proximum, adeo ut nullum opus censeatur bonum et Deo acceptum, quod non sit legi consentaneum et ab ea præscribatur, saltem virtualiter et implicite. *Particularis* est, ut malum demonstret, coërceat et vindicet, unde vim habet convictionis, coërcitionis et condemnationis. *Convictionis* quidem, per eam enim homo peccati reus censetur, illa namque speculum est in quo peccati gravitas et animæ maculæ agnoscuntur et demonstrantur, dicente Apostolo ad Rom. 3. *per legem enim cognitio peccati.* Habet etiam vim *coërcitionis,* suis enim præceptis, terroribus et minis homines intra debitum officium continet, ut qui nulla justi recteque cura, nisi coacti, tanguntur, dum audiunt pœnas legis transgressoribus præscriptas, si non amore justitiæ, saltem pœnæ timore a pravis actionibus deterreantur. Unde lex se habet ad instar fræni quo domatur et reprimitur hominum petulantia et intra cancellos rectæ disciplinæ continetur; quo respectu S. Paulus 1. ad Timoth. 1. scribit: *Lex justo non est posita, sed injustis, et non subditis, impiis*

et peccatoribus etc. Attamen non raro contingit ut hæc finis intentio omnino frustretur et in oppositum abeat. Fit enim plerumque ut occasione legis hominis appetitus erga rem prohibitam magis ac magis irritetur, etenim *Nitimur in vetitum, semper cupimus negata,* quo sensu Apostolus ad Rom. 5: *Lex subintravit ut abundaret delictum. — Tertio* tandem legis officium est peccatorem transgressionis reum præscriptis, ab eo admisso crimini, pœnis addicere: unde Apostolus, 2. ad Cor. 3. legem vocat *ministrationem damnationis.* Et ad Rom. 4. *Lex,* inquit, *iram operatur,* idest, principem ac magistratum stimulat et inducit ut in prævaricatores legis animadvertat, qua ratione lex se habet ad modum flagri et stimuli quo pungitur et cruciatur transgressoris animus, adeo ut nullam habeat quietem et pacem; unde David post admissum adulterium dicebat: *Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.* Quæ omnia quamvis omni prorsus legi conveniant, nullaque sit quæ hoc triplici munere non fungatur; potiori tamen jure de divina lege sive naturali omnibus hominibus communi, sive positiva, particulari ac determinatæ hominum societati præscripta, dicta esse debent. Illæ namque divinæ leges hominem splendidius illustrant circa bonum faciendum et circa malum fugiendum, legi obsequentem plenius recre nt et oblectantur, prævaricatorem vero acrius pungunt et cruciant. " ✳

Quæres denique. — *Quænam sint legis proprietates?*

Respondeo, legis proprietates tres communiter recenseri: nimirum *auctoritatem, veritatem,* et *bonitatem.* Lex enim habet principium, formam, et finem. *Ratione principii condentis legem,* debetur ipsi legi auctoritas: edictum enim absque auctoritate sancitum nullius est valoris, nec ullatenus legis rationem habere potest. *Ratione formæ,* debetur legi veritas seu rectitudo: nam id quod præscribitur cum injustitia, non consequitur legis rationem, sed in tyrannidem vergit. *Ratione finis,* debetur legi bonitas; siquidem lex tota ordinatur in bonum commune societatis hominum, necnon in bonum particulare Dei, ad quem omne creaturæ bonum tamquam ad fontem, et caput unde dimanat, refluere debet.

DISPUTATIO SECUNDA.

DE LEGE NATURALI.

Naturalem legem singulis hominibus inesse, nemo rationis compos denegabit. *Homo,* namque, ait S. Bernardus lib. De diligendo Deo, *innatam nec ignotam sibi legem habet, quæ facienda ac prosequenda, quæve omittenda, et fugienda sint interius dictante rationis lumine demonstrat.* Quam utique legem, ait Apostolus, *habemus scriptam in cordibus nostris,* quo fit, *ut Gentes quæ legem non habent,* supple Mosaicam, aut Evangelicam, *naturaliter ea quæ legis sunt faciunt. Ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus,* quibus scilicet cogitationibus et disceptationibus conscientia utitur, ut hominem bene aut male egisse convincat, eumque apud Deum ac-

cuset. — Hanc veritatem luculenter expendit S. Augustinus in Psal. 57. scribens: *Manus Formatoris nostri,* inquit, *in ipsis cordibus nostris veritas scripsit:* quod tibi fieri non vis ne facias alteri. *Hoc, et antequam lex daretur nemo ignorare permissus est, ut esset unde judicarentur, et quibus lex non esset data; sed ne sibi homines aliquid defuisse quererentur, scriptum est et in tabulis, quod in cordibus non legebant. Non enim et scriptum non habebant, sed legere nolebant: appositum est oculis eorum quod in conscientia videre cogerentur, et quasi forinsecus admota voce Dei, et ad interiora sua homo compulsus est, dicente Scriptura,* in cogitationibus enim impii, interrogatio est; *ubi interrogatio, ibi lex: sed quia homines appetentes ea quæ foris sunt etiam a seipsis exules facti sunt, data etiam conscripta lex; non quia in cordibus scripta non erat, sed quia tu fugitivus eras cordis tui, ab illo qui ubique est comprehenderis, et ad te ipsum intro revocaris. Propterea scripta lex quid clamat eis, qui deseruerunt legem scriptam in cordibus suis?* Redite prævaricatores ad cor. *Quis enim te docuit nolle accedi ab altero ad uxorem tuam? Quis te docuit nolle tibi furtum fieri? Quis te docuit nolle injuriam pati? et quid aliud vel universaliter, vel particulariter dici potest? multa enim sunt, de quibus singulis interrogati homines, clara voce respondeant, nolle se pati. Age, si non vis pati ista, numquid solus es homo? Nonne in societate vivis generis humani? Qui tecum factus est, socius tuus est: et omnes facti ad imaginem Dei, nisi terrenis cogitationibus conterant quod ille formavit. Quod ergo tibi non vis fieri, alteri noli facere.* Vel ut brevius ait lib. 2. *Confess.*, c. 4. *Lex tua, Domine, in cordibus hominum scripta est, quam nec ulla unquam delet, aut delebit iniquitas.* Ad idem pertinet quod ait S. Amb. lib. 9. epist. 17. *Ea lex,* inquit, *non inscribitur, sed innascitur, nec aliqua percipitur lectione, sed profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur.* Eamdem veritatem clare explicat regius Vates, Psal. 4. ubi cum dixisset, *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona?* Statim respondet: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine;* quod de lumine naturalis rationis, quo discernitur quid sit bonum, et quid malum, intelligendum est. — ✻ " Ipsis præiverat Philo Judæus in libro quem inscripsit: quod omnis vir bonus sit liber: *Lex,* inquit, *mentiri nescia est recta ratio, quæ lex, non ab hoc aut illo mortali mortalis, non in chartis aut columnis exanimis exanima, sed corrumpi nescia, quippe ab immortali natura insculpta in immortali intellectu.* Tertull. *De corona militis: Quæ res igitur Dei legem, habens communem istam in publico mundi, in naturalibus tabulis.* " ✻

Eadem veritas ratione firmatur. Etenim non minori cura Deus homini creaturarum omnium præcellentissimæ suppeditavit media quibus finem sibi debitum posset assequi, quam inferioribus creaturis: sed inferioribus creaturis, rationis ac etiam vitæ expertibus, vires et inclinationes impressit ac indidit secundum quas aguntur, et in suos fines diriguntur: ergo potiori jure creaturæ rationis ac libertatis compoti debuit indere quamdam legem, secundum quam modo sibi connaturali ageret, et seipsam in suum finem dirigeret: hæc autem lex naturalis appellatur: adeoque est admittenda. *Deinde,* habemus ingenitum lumen quo prima principia rerum agibilia possumus detegere, absque ullo acquisitæ scientiæ beneficio; ergo pari ratione habere debemus idipsum innatum

lumen, quo rerum agibilium communia principia deprehendamus. Hoc autem ingenitum lumen naturæ legem appellamus: subindeque est admittenda. *Denique,* homo ad societatem natus est, adeoque a natura ipsa habere debuit quo perfectam societatem inire posset: at, ut mox diximus ex S. Augustino, non potuit ita institui, nisi per innatam legem novisset non esse alteri faciendum, quod sibi fieri nollet: ergo etc.

His igitur ita præmissis, tria hic supersunt de naturali lege declaranda: *Primum* quid et quotuplex illa sit. *Secundum,* quænam ejus præcepta. *Tertium,* qualiter sit immutabilitati aut mutationi obnoxia. Quæ utique tribus in sequentibus Articulis suscipimus explicanda.

ARTICULUS PRIMUS.

DE NATIVÆ LEGIS ESSENTIA, PRINCIPIIS, ET PARTIBUS.

Mirum sane quod ipsa nativa lex sit ipsum ingenitum homini lumen, quo prima rerum agibilium elementa deprehendit; nec tamen sui ipsius naturam homini demonstrant. Nusquam enim magis inter se videntur pugnare Auctores quam in assignanda ipsius legis essentia. *Quidam* enim cum Vasquesio 1. 2. disp. 180. cap. 3. docent legem naturalem esse ipsam naturam rationalem secundum se spectatam, quatenus videlicet ratione suæ essentiæ talis est ut aliquæ actiones sint illi moraliter convenientes, et idcirco honestæ; aliæ repugnantes, et ideo indecentes. *Nonnulli* cum nostro Alensi 3. p. q. 27. memb. 2. existimant legem naturalem esse habitum quemdam, non quidem acquisitum seu potentiæ superadditum, sed ipsum lumen intellectuale in actu primo spectatum, et quatenus est vis discernendi honesta, et turpia moraliter. *Alii* cum Gabriele, et Almaino affirmant legem naturalem esse dictamen rationis, non quidem præcipientis, sed solum indicantis et ostendentis quid consentaneum sit aut dissentaneum naturæ rationali; docentque legem naturalem non esse imperantem, sed solum indicantem, eo quod nullum habeat adjunctum, nec includat superioris imperium. *Cæteri* vero contendunt legem naturalem non solum cum dictamine boni et mali consistere; sed etiam in præcepto divino, quo Deus voluit homines teneri ad ea implenda et præstanda quæ per ipsum rationis lumen, ipsamque rationis legem facienda aut omittenda dictitantur. Quarum sententiarum quænam verior nobis videatur, aperiet

QUÆSTIO PRIMA.

✻ " QUID SIT ET IN QUO FORMALITER CONSISTAT LEGIS NATURALIS ESSENTIA " ✻

Notandum 1. Quod etsi lex *Naturalis, Synderesis,* et *Conscientia* pro uno eodemque a SS. Patribus interdum usurpentur; maxime tamen invicem discrepant: nam *lex Naturalis* est ipsa divinæ voluntatis ordinatio nobis impressa a Deo quatenus est Auctor, et Rector naturæ; *Synderesis* vero est ipsum naturale lumen intellectus quo divinam illam ordinationem novimus: *Conscientia* autem est judicium practicum intellectus circa aliquid agibile vel omissibile in particulari. *Synderesis*

versatur circa principia agibilia sine ullo discursu: synderesi nullus potest subesse error, nullaque dubitatio, opinio, oblivio, ignorantia, et inadvertentia; nullus enim potest, aut potuit unquam negare, dubitare, oblivisci, vel ignorare in genere malum esse fugiendum, bonum amplexandum etc. *Conscientia* vero nonnisi prævia rationis illatione sua infert judicia practica, adeoque subjacet dubitationi, oblivioni, et errori; unde provenit tam varia tamque multiplex conscientiæ diversitas, et partitio in rectam, erroneam, certam, dubiam, etc. Quod non solum contingit pro diversitate hominum, sed etiam pro diversitate temporis respectu ejusdem hominis; idem enim homo pro diversis notitiis, in diversa oppositaque judicia dissolvitur; hinc sæpe nobis displicet quod placuerat; saepe arridet quod fuerat odiosum. Lex vero naturalis apud omnes prorsus nationes, et quovis tempore, eadem semper dictitat, semperque sibi constat, et sibi conformis est, nisi aliunde impediatur.

Notandum 2. Naturam rationalem spectari posse dupliciter: uno modo secundum se, et quatenus ratione talis essentiæ quam habet, quædam sunt illi convenientia, et alia disconvenientia: alio vero modo quatenus vim habet judicandi de his quæ sibi conveniunt, vel disconveniunt, mediante rationis naturalis lumine. *Rursus* posteriori modo sumpta rationalis natura quatenus judicativa de convenientibus, vel disconvenientibus, potest bifariam considerari; nempe vel quatenus per judicium illud solum indicat, et ostendit quid agendum sit; quidve omittendum: vel prout habet adjunctum divinum præceptum obligans hominem, ad id exequendum quod ipsa nativa lex ipsi indicat et demonstrat: ita quod hæc lex non solum illativa sit et ostensiva, sed etiam obligativa sit et præceptiva.

Notandum 3. Certum esse legem naturalem divinum esse donum descendens a Patre luminum, et a Deo effective procedere; quia Deus est prima causa bonorum omnium naturalium, inter quæ maximum est rectæ rationis lumen, et usus: tum quia omnis veritatis manifestatio procedit a Deo. ut diserte docet S. Paulus *ad Rom.* 1. ubi cum dixisset, *Revelatur ira de cœlo super omnem impietatem, et injustitiam hominum qui veritatem Dei in injustitia detinent*; postea aperiens cur vocet veritatem Dei, subdit: *Quia quod notum est Dei manifestum est in illis, Deus enim illis manifestavit,* utique per naturale lumen rationis, et per visibiles creaturas, quarum aspectu invisibilia Dei cognosci possunt. Constat igitur Deum esse effectorem, et quasi Doctorem legis naturæ: sed difficultas solvenda remanet an ipsa nativa lex non solum a Deo effective, et tamquam a prima causa, sed etiam præceptive, et tamquam a legislatore præcipiente procedat.

His ita præmissis, tria hic supersunt determinanda: *Primum*, quod nativa lex non sit ipsa rationalis naturæ entitas, et essentia. *Secundum*, quod non sit pariter aliquid se habens per modum habitus. *Tertium*, denique quod consistat in actuali judicio, et dictamine intellectus non solum ostensivo, sed etiam imperativo.

* "**Conclusio prima.** — Jus naturale in quo lex naturalis fundatur non recte definitur a jurisperitis cum Justiniano: quod natura omnia animalia docuit. Hæc Conclusio communis est

non solum inter Theologos, sed etiam inter nobiliores Jurisconsultos, qui unanimi consensu fatentur bruta animantia esse juris sicut et rationis expertia, nam inter quos jus est, inter eos et ratio et æquum et bonum et justitia, et lex ordinata societas sit necesse est: horum autem incapaces sunt brutæ animantes, ut præclare docet Lactantius, lib. 1. *In omnibus*, inquit, *animalibus quæ sapientia carent, videmus conciliatricem sui esse naturam. Nocent enim aliis ut sibi prosint: nesciunt enim quia malum est nocere. Homo vero quia scientiam boni et mali habet, abstinet se a nocendo etiam cum incommodo suo.* Ei præiverat Hesiodus scribens:

Humano generi nam lex datur a Jove Summo
Quippe feræ, pisces, avium genus altivolantium
Mutua se vertunt in pabula, juris egentes.
Justitia at nobis, quæ res est optima cessit.

Unde Aristoteles 5. Ethicorum, cap. 1. et Cicero, lib. 1. *De Officiis*, diserte pronuntiant, *in equis et leonibus justitiam non dicimus.* Et Plutarchus in vita Catonis majoris: *lege et justitia adversus homines tantum natura utimur.* Hinc Polybius proferens rationem cur homines ægre ferant injurias in parentes et beneficos, scribit lib. 6: *Quoniam enim humanum genus hoc aliis animantibus distat, quod mente ac ratione utitur, omnino credibile non est tam alienum a natura sua actum ab ipsis dissimulatum iri, ut in aliis animantibus: sed quod factum est revocatum iri ad animam cum offensæ significatione.* — Ex his manifestum fit bruta animantia non esse juris capacia, ac proinde jus naturale non recte describi quod hominibus æque ac belluis proprium sit, nec verum esse quod ait Justinianus: *jus illud non humani generis tantum esse proprium, sed omnium animalium quæ in terra, quæ in mari nascuntur, avium quoque commune esse.*

Dices 1: Quæ eamdem cum homine, propter violatum jus naturale, pœnam subire tenentur, eidem juris naturalis obligationi obstringuntur et subjacent: at ita est de brutis animantibus; siquidem *Genesis* 9. testatur Deus homicidium tam in belluis quam in hominibus se vindicaturum; *sanguinem*, inquit, *animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum et de manu hominis.* Et Exodi, XXI, v. 28: *Si bos cornu percusserit virum aut mulierem, et mortui fuerint, lapidibus obruetur, et non comedentur carnes ejus.* Igitur etc. — **Respondeo**, hæc idcirco divinitus sancita esse et præscripta, non quod alicujus criminis reæ censendæ essent brutæ animantes, et violati ab eis juris naturalis postularentur; sed ad majorem effusi humani sanguinis et homicidii detestationem. Vetusta enim est Hebræorum sententia, verbis illis denotari ac cohiberi cædem humanam a bruto ex hominis instigatu factam, quia ut refert Salomon Jaxchius in prælata *Genesis* verba: *apud homines qui ante diluvium vixerunt, per impietatem mos invaluerat bestias nocentissimas nutriendi, ut scilicet earum auxilio commodius dominarentur*, nimirum ut nulla justitiæ habita ratione, in sibi repugnantes illas dimitterent; quam immanitatem ut ab hominibus post diluvium averteret Deus, declarat se vindictam sumpturum de cæde humana, non tantum ab ipso homine patrata proprio opere, sed etiam

de ea quæ a bestia, homine instigante, fieret. — Aliam expositionem subministrat Rabbi Isaac Harbinel in Dirush Tora, nimirum quod illis *Genesis* verbis declaraverit Deus se nullatenus passurum inultam fore humani sanguinis injustam effusionem. Ita quod, inquit, *si desit homo qui occisi sanguinem ulciscatur, a manu omnis bestiæ, seu ab omni bestia requiram eum, veluti a bestia quæ dilaceret homicidam. Et sic in eum sententiam exequar. Ubi vero fuerit homo, requiram ab ejus manu sanguinem occisi,* seu vindictam tanti sceleris. — Similiter ad textum Exodi dico cum Seldeno, lib. 1. *De Jure naturali,* cap. 4. idcirco bovem illum qui hominem occidisset, jussum esse lapidari, non propter violatum jus naturæ, sed, aut ideo ne quid, hominis causa, denuo ab eo..... fieret, aut ut dominus ejus in re sua puniretur, quia negligenter custodisset, ut apposite docet Maïmonides in more Nevochim, parte tertia, cap. 42. his verbis: *quod bestia occidi debuit quando hominem interficiebat, id non fiebat ad pœnam ab illa exigendam, quemadmodum nobis improperant Saducœi, sed ad pœnam exigendam a domino. Atque inde erat quod prohibebatur ei usus carnis bovis hujusmodi, ut scilicet etiam boum domini majorem in eis custodiendis diligentiam adhiberent.* — Simili ratione urbis apostasiæ reæ non solum incolæ, utpote apostatæ, gladio erant ob scelus admissum plectendi, sed etiam jumenta, Deuteron. 13. 15. et 16. ac pecora gladio itidem delenda, et bona cætera comburenda, uti pariter Chananæorum sculptilia et luci diis gentium dicati, idque non ob culpam a jumentis aut pecoribus nedum a bonis, sculptilibus et lucis admissam, sed ut ab apostasia, etiam bonorum amore, posteritatis gratia, ducti magis deterrerentur aliarum urbium cives, scelerisque tum memoria tum novandi ejus, quantum fieri potuit, ansa demeretur. Hinc legimus apud Demosthenem, oratione contra Aristocratem et Pausaniam et Eliacis ex Atheniensium legibus lapidem, lignum, securem, id genus res alias, quoties homicidii instrumenta fuere, in Prytaneo in judicium deductas velut in pœnam, quam tamen eas proprie nemo sanus dixerit. Et Theaginis statua, ex sententia Thasiorum Draconis lege, subnixa in mare, ob cædem casu suo patratam est projecta, non in statuæ pœnam, sed homicidii odio.

Instabis: Belluæ implent ea omnia quæ ab ipso jure naturæ derivantur et insinuantur: igitur illius sunt capaces. *Probatur antecedens* primo quidem auctoritate S. Ambrosii qui libro 5 et 6 Hexameron plurimis exemplis probat belluas et aves naturæ jura sectari cum vel vetitos diversæ speciei atque eorum a quibus ortum ducunt coïtus abhorrent, vel hospitalitatem sectantur, et parentum curam atque vindictam in malefactores, concluditque ex illorum exemplo hominum mores formari ac reformari debere. Cui subscribit S. Hieronymus in commentario ad caput 5. epistolæ ad Ephesios, ubi ait: *Quod in animalibus et bestiis ipso naturæ jure præscriptum est ut prægnantes ad partum usque non coeant, hoc in hominibus sciant arbitrio derelictum, ut merces esset ea abstinentia voluptatum.* Scribit Aristotelis lib. 9. *Historiæ Animalium,* cap. 47. camelos matrum suarum coïtus fugere. Addit Avicenna, lib. 9. *De Natura Animalium,* quod camelus qui cum matre per curatorem gregis operta ne agnosceretur coïverat, cum sublato operimento matrem agnovisset, camelarium illum morsu interemisse.

Refert etiam Varro, lib. 2. cap. 7. *De re rustica,* quod Cytharum Regis equus eadem arte ad matris coïtum admissus, statim quod eam agnovit in præcipitium se dedisse. Narrat etiam Guillelmus Alvernus Parisiensis episcopus, parte prima *De Universo,* cap. 8: *Tempore meo,* inquit, *ciconia, tamquam de adulterio convicta per olfactum masculi sui, congregata multitudine ciconiarum, nescio qualiter accusante masculo vel detegente ejus crimen, a tota illa multitudine deplumata atque dilacerata est, tamquam concilio aut judicio omnium esset adulterii judicata. Narratur de equo qui ignoranter cum matre sua concubuerat, postquam hoc deprehendit, propriis dentibus sibi genitalia abscidisse, tamquam in seipsum vindicans incestum quem commisisse sibi videbatur, licet ignorans, eo quod operimento abscondita fuisset ei mater ejus dum eam cognoscebat.* Scribit etiam Plinius, lib. 10. aspidem fuisse conspectam quæ suum ipsa catulum necaverit, quod is hospitis filium interemisset. Plura alia his similia ab auctoribus proferuntur exempla, ex quibus apparent juris naturalis servati a belluis indicia. — Quin etiam Plutarchus libro *De Fortuna Romanorum,* et Plinius lib. 29. *Historiæ Naturalis,* referunt canes singulis annis supplicium pendere et vivos in furcas figi, quod per eorum silentium nocturnum Capitolium a Gallis captum fuisset, nisi anseres alarum strepitu Romanos ad propugnandum excitassent, unde annuus ipsis ob servatam arcem honor deferebatur. — **Respondeo** *primo,* pleraque ex adductis exemplis esse commentitia et excogitata ad pravos hominum mores efficacius arguendos et corrigendos, ducto a brutis animantibus argumento, quod nimirum qui scelera illa patrarent deteriores essent, et a ratione quam ipsæ belluæ magis alieni quæ videlicet solo naturæ instinctu ab istis facinorosis actionibus essent aversæ. Quod autem revera belluæ a commixtione et coïtu cum parentibus non abstineant, constat ex eo quod Myrrha incesto patris amore percita canit apud Ovidium, metamorph. 10:

> . . . . . *coeunt animalia nullo*
> *Cætera delicto: nec habetur turpe juvencæ*
> *Ferre patrem tergo fit equo sua filia conjux*
> *Quasque creavit init pecudes caper; ipsaque cujus*
> *Semine concepta est, ex illo concipit ales.*

Respondeo secundo, bruta animantia plurima ex instinctu naturali præstare quæ homines ex rationis ductu efficere solent; in ipsis namque, ut diximus, uti scintillulæ et quædam vestigia rationis illucescunt: ita pariter in eis apparent quædam semina et vestigia virtutis ac prudentiæ. Quocirca ad eorum velut scholam et academiam homines interdum ablegat Scriptura Sacra; sic Salomon Proverb. 6.: *Vade ad formicam, o piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam: quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, et congregat in messe quod comedat in hieme.* Sic etiam Christus Dominus discipulos admonet, Matth. X, ut sint *prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbæ.* — Ad supplicium a Romanis canibus quotannis inflictum, respondeo hoc schemate velut quodam apologo voluisse singulis annis civibus, præsertim junioribus,

significare qualiter Reipublicæ vigiles custodes et defensores præmiis essent afficiendi; socordes vero ac desides pœna mulctandi. " ✳

Conclusio secunda. — LEX NATURALIS NON CONSISTIT IN IPSA RATIONALI NATURA SECUNDUM SE SPECTATA, QUATENUS ACTIONES ALIQUÆ SUNT ILLI MORALITER CONVENIENTES, ET HONESTÆ; ALIÆ VERO REPUGNANTES, ET INHONESTÆ.

Probatur 1. Lex naturalis est vere et proprie dicta lex: sed ipsa natura rationalis præcise sumpta non potest esse proprie dicta lex: ergo lex naturalis in ipsa consistere nequit. *Major* constat ex communi sententia Theologorum et Philosophorum, qui de ea loquuntur tamquam de lege vere et proprie dicta. Probatur *minor:* lex proprie dicta est ordinatio et constitutio alicujus superioris pro jure suo aliquid decernentis et imperantis: atqui natura rationalis præcise sumpta non est ordinatio; siquidem ordinatio est actus secundus intellectus, et voluntatis; natura autem ipsa est actus primus; adeoque non potest censeri ordinatio.

Deinde, Effectus legis sunt *dirigere, illuminare, obligare,* et *esse regulam* humanarum actionum: sed hæc in naturam rationalem immediate cadere non possunt; proveniunt namque a dictamine rationis, et imperio voluntatis: ergo non in ipsa natura rationali, sed potius in illo rationis dictamine et voluntatis imperio, legis naturalis essentia est reponenda. *Consequentia* patet, in illo namque essentialiter consistit lex, a quo maxime procedunt effectus legis. *Minor vero* probatur; nam ante dictamen rationis, quo indicatur vel ostenditur aliquid esse bonum vel malum, non obligatur homo moraliter, nec ejus operationes diriguntur aut regulantur ad finem sibi debitum; nec proinde habent rationem moris, ut constat in his qui usu rationis carent, etc.

Denique, A lege naturali actiones humanæ habent quod sint bonæ vel malæ: at actiones quæ independenter ab omni lege positiva sunt bonæ vel malæ, quia nempe pugnant in legem naturæ, tales esse nequeunt ex ipsa natura rationali; adeoque hæc non potest dici lex naturalis. *Major* constat. Probatur *minor:* diversæ rationes in actibus non possunt desumi ab eodem termino, sub eadem ratione formali: ergo bonitas, et malitia, quæ sunt diversæ rationes actuum humanorum, ab eadem natura rationali procedere nequeunt, nisi diversæ sint in illa natura rationes, per quas uni actui malitiam, alteri bonitatem tribuat: at diversæ illæ rationes assignari non possunt ex parte illius naturæ rationalis: nam non est ratio cur refunderet bonitatem in unum actum potius quam in alterum, nisi quia in illo actu aliqua est ratio cur capax sit illius bonitatis potius quam malitiæ: adeoque independenter ab illa convenientia cum natura rationali, talis actus jam ex se habet quod dici possit bonus et honestus.

Confirmatur Conclusio expugnando fundamentum adversariorum. Idcirco Vazquez et qui cum eo sentiunt affirmant legis naturalis essentiam in ipsa rationali natura esse constituendam, quia, inquiunt, ipsa rationalis natura est fundamentum, et mensura legis naturalis, et honestatis ipsius, quatenus quæcumque præcipit aut prohibet lex naturalis, per se decent aut dedecent naturam rationalem: sed hæc ratio nulla est. Probatur; quia quidquid est fundamentum, et mensura legis

aut honestatis, non propterea est lex; siquidem pax et felicitas publica, est mensura et fundamentum legum humanarum, nec tamen propterea sunt ipsæ leges humanæ. Similiter, pauperis indigentia major aut minor est fundamentum aut mensura legis aut præcepti faciendi majorem aut minorem eleemosynam; nec tamen ipsa indigentia censetur esse lex faciendi eleemosynam. Item, finis est regula et mensura mediorum; nec tamen finis dicitur habere rationem legis. Pariter objectum est regula et mensura actuum; nec propterea censetur esse lex. Ergo pari jure licet natura rationalis sit fundamentum honestatis et regula rectitudinis objectivæ actuum humanorum moralium, non ideo dici potest lex. Addo cum Suarez lib. 2. cap. 4. n. 7. quod si natura rationalis esset lex actuum nostrorum, eo quod illam decent; sequeretur pari modo naturam divinam esse legem actuum divinorum liberorum, quia pariter tales actus illam decent: sed nullus est ex SS. Patribus, ac Theologis, qui hanc sequelam docuerit et probaverit: ergo nec esse debent qui antecedens doceant.

Dices: Existente natura rationali non potest lex naturalis non existere, sed potest non esse illa Dei ordinatio; quia cum libera sit, Deus potest ipsam ponere vel non ponere: ergo lex naturalis non est ipsa Dei ordinatio; sed potius est natura ipsa rationalis, quatenus est fundamentum convenientiæ et honestatis, vel disconvenientiæ et inhonestatis actionum humanarum. — **Distinguo minorem**: Potest non esse divina ordinatio qua creaturam rationalem in finem suum dirigit ex hypothesi quod ipsa natura rationalis existat, nego: absolute, concedo: licet enim operatio divina ad extra sit absolute libera; tamen ex suppositione quod divina voluntas decreverit creare naturam rationalem cum sufficienti cognitione ad operandum bonum, et malum, et cum sufficienti concursu ex parte Dei, necnon et libera ipsius creaturæ facultate ad utrumlibet operandum, implicat quod Deus ipsam creaturam non ordinet ad suum finem assequendum per actus convenientes; adeoque pariter implicat, quod Deus non velit prohibere tali creaturæ actus intrinsece malos, et præcipere actus honestos naturaliter necessarios: sicut enim Deus mentiri non potest, quia est suprema veritas, ita etiam non potest non prohibere ea quæ sunt opposita honestati, quia est suprema bonitas, et regula rectitudinis ac honestatis: ergo qua ratione, Deus posita voluntate revelandi aliquid, necessitatur ad revelandum verum, eo quod non possit mentiri, quia est suprema veritas; ita ex hypothesi quod creaturam rationalem instituerit ordinandam in finem, non potest ei actus bonos et honestos non præcipere et actus malos et inhonestos non prohibere, quia est suprema æquitas et rectitudo.

Instabis: Absurdum est asserere Deum per voluntatem necessariam obligare suos subditos, siquidem obligatio hæc cum sit moralis, procedere debet ab agente morali libero, et libere imperante: qua ratione nullus Princeps potest seipsum voto vel promissione, aut alio præcepto et imperio obligare, nisi hæc obligatio ex plena libertate oriatur; quæ enim per vim et coactionem fiunt, obligandi vim nullam habent: sed obligatio libere facta potuit non fieri: ergo Deus potuit illam obligationem naturæ rationali non imponere ab initio illius formationis; imo etiam potest impositam illam obligationem revocare;

subindeque potest existere natura rationalis absque tali obligatione sibi præscripta: at non potest existere sine lege naturali: ergo lex naturalis non in ipsa obligatione superaddita, sed in natura ipsa rationali constituenda est. — **Distinguo minorem**: Obligatio libere facta potuit non fieri, absolute, concedo: hypothetice, nego. Fateor equidem, quod Deus ex libertate sua potuerit abstinere a formandis creaturis rationalibus, et eas in statu connaturali constituendis; et consequenter eas non obligare lege naturali; sed ex hypothesi quod eas creaverit, et in tali statu constituerit, debuit necessario necessitate consequenti illas creaturas intellectuales a se conditas regere, et curare ut vivant conformiter suæ naturæ, ad idque illas obligare sua auctoritate: quæ auctoritas, quomodocumque interponatur, inducit moralem obligationem; moralem dico, non ex eo quod libere sit imposita, ita ut possit non præscribi; siquidem ex hypothesi necessario hæc obligatio præscribitur; sed obligatio hæc vocatur moralis, ex eo quod inducat ad actiones morales, et imputabiles, ita ut sine peccato nequeant omitti. Nec refert quod hæc obligatio sequatur ex necessaria et naturali ordinatione ipsius creaturæ rationalis, potest namque aliqua moralis obligatio oriri ex principio necessario et naturali; siquidem obligatio colendi parentes oritur ex naturali generatione ab ipsis accepta.

Dices 2: Sunt aliquæ actiones ita intrinsece malæ ex natura sua, v. g. odium Dei, ut earum malitia nullatenus pendeat ex dictamine intellectus, vel ex prohibitione extrinseca, et voluntate divina: e converso aliquæ sunt ita intrinsece bonæ ex natura sua, v. g. colere Deum, ut nullatenus in hoc pendeant ex causa extrinseca: sed aliunde non possunt habere illam malitiam aut bonitatem, nisi quatenus sunt convenientes aut disconvenientes naturæ rationali: ergo ipsa natura rationalis habet rationem legis. — **Respondeo**, quod in actibus intrinsece bonis, vel intrinsece malis, duplex spectari potest bonitas, et malitia; alia quidem in esse naturæ, alia in esse moris. *Prima* non desumitur ab ordine ad aliquam legem, sed ex convenientia aut disconvenientia ad naturam rationalem, quatenus intelligitur habere inclinationem ad bonum, consideratum in esse naturæ antecedenter ad omnem legem. *Secunda* vero sumitur proxime quidem ex ordine ad dictamen rationis naturalis, remote vero ex ordine ad legem æternam, quatenus nempe dictamen rationis naturalis est participatio quædam legis æternæ, habetque rationem legis naturalis in ordine ad ipsos actus.

Conclusio tertia. — Ratio formalis Legis innatæ non consistit adæquate in ipso lumine habituali, et naturali in actu primo spectato, et quatenus est vis discernendi honesta et turpia, licita et illicita.

Probatur: Omnis lex proprie dicta est ordinatio, ut supra diximus: sed lumen naturale habitualiter sumptum non est ordinatio, sed tantum vis intelligendi: ergo nec in eo reponenda est ratio formalis legis naturalis. *Deinde,* Deus habet lumen sibi connaturale quo perfectissime cognoscit quæcumque honesta sunt, et turpia: sed Deus non potest dici habere legem naturalem: ergo lex naturalis in ipso lumine habituali non est reponenda. *Denique,* ut in sequenti Conclusione pro-

batur, lex omnis est jussio, vel prohibitio alicujus superioris: sed ipsum lumen naturale habituale, nec jussio est, nec prohibitio superioris: ergo nec est lex naturalis.

Dices 1: S. Paulus ad *Rom.* 2. legem vocat, naturalem scilicet conscientiam dictantem quid agendum aut fugiendum sit secundum rationem naturalem; nam cum dixisset, *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt: ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex:* quasi declarans quomodo sibi sint lex, et quæ sit illa lex, subjungit: *Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum:* censet ergo legem naturalem de qua loquitur esse dictamen naturale rectæ rationis, ratione cujus homo est sibi lex. *Deinde*, SS. Patres pari modo affirmant legem naturalem fuisse nobis a Deo naturaliter insitam et scriptam in cordibus nostris, Deumque illius esse auctorem, quatenus naturæ nostræ auctor est et conditor. Sic S. Amb. lib. 9. Epist. 71. *Illa lex*, inquit, *non inscribitur, sed innascitur; nec aliqua percipitur lectione, sed profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur.* Et S. Maximus Centuria 5. cap. 13. *Lex naturæ*, inquit, *est ratio naturalis quæ captivum tenet sensum ad delendam vim irrationalem.* Demum Tullius in lib. *De legibus*, summa eloquentia, et pene divina voce, ut loquitur Lactantius lib. 6. *De vero cultu*, cap. 8. legem naturalem describens ait: *Est quidem vera lex recta ratio, naturæ congrua, diffusa per omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat.* Constat ergo ex his legem naturalem positam esse in ipso rationis lumine; non quidem actuali, alioqui cum nihil agimus non maneret in nobis lex naturalis: ergo reponenda est in ipso lumine habituali. — **Respondeo**, præfatas auctoritates nihil aliud probare, quam legem naturalem interdum pro conscientia, et synderesi accipi, quatenus videlicet dictitat quid agendum, quidve omittendum sit, sicut conscientia. Nihilominus, ut jam observavimus in primo Notabili, lex naturalis a conscientia in pluribus discrepat: nam lex dicit regulam generaliter constitutam circa agenda: conscientia vero dicit dictamen practicum in particulari; unde conscientia latius patet quam lex naturalis, quia non tantum applicat legem naturalem, sed etiam quamcumque aliam, sive divinam, sive humanam. *Deinde*, conscientia non solum applicare solet veram legem, sed etiam existimatam; hinc interdum datur conscientia erronea: lex autem erronea dari non potest; nam eo ipso non esset lex, quod maxime verum est de lege naturali quæ Deum habet auctorem. *Denique*, lex proprie fertur circa agenda; conscientia autem versatur circa ea quæ jam facta sunt; et ideo illi tribuitur non solum ligare, et obligare, sed etiam accusare, testificari. damnare, et cruciare.

Objicies 2. Quidquid est in animis nostris, vel est potentia, vel passio, vel actus, vel habitus: atqui lex naturalis non est potentia animæ, nec passio, nec actus; alioqui cum nihil agimus, non maneret in nobis lex naturalis: ergo est habitus. — **Respondeo** ad *minorem*, legem naturalem non esse potentiam aut passionem, sed esse actum: quia est præscriptio, seu dictamen rectæ rationis. Ad id quod subjungitur, quod si esset actus, cum nihil agimus, non maneret in nobis lex naturalis: respondeo negando illam sequelam: nam non dicitur actus

quasi semper existat, sed quia vel actu existit, vel est actus natus existere; manetque tale dictamen virtualiter, et sic est actus rationis, vel in re vel in virtute existens.

Objicies 3. Lex naturalis manet in pueris et amentibus: atqui in illis non est actus rationis, nec facultas expedita ad rationem: ergo necessum est quod ipsa lex naturalis sit lumen habituale, et naturale in actu primo consideratum. — **Distinguo majorem:** in pueris et amentibus remanet lex naturalis in actu secundo, *nego:* in actu primo, *transeat:* quia licet judicent aliqua ratione de rebus agendis, non tamen judicant cum perfecta cognitione quæ habeat annexam rationem imperii, et regulæ, seu normæ conformis rectæ rationi; porro tale judicium est necessarium ad legem naturalem: unde lex naturalis tantum in ipsis remanet per modum habitus improprie dicti, sicut et in ipsis remanet habitus primorum principiorum, quem intelligentiam appellamus. — His addo lumen ipsum naturale habituale, sicut et conscientiam ac synderesim, posse revera legem naturalem appellari; non quidem adæquate, sed inadæquate; ratio siquidem adæquata legis naturalis non solum in ipso rationis dictamine circa ea quæ agenda sunt, vel omittenda, sed maxime reponenda est in ipso divino præcepto, vel prohibitione procedente a voluntate Dei, ut auctore et rectore naturæ, ut aperiet

Conclusio quarta. — Lex Naturalis non consistit formaliter in dictamine, et judicio solum ostensivo, et indicativo boni, et mali: sed etiam præceptivo, et imperativo ac obligante ad ea quæ tali lege præscripta sunt. Hæc est communior cum Seraphico Doctore in 2. dist. 35. dubio 4. et Gersone Tract. *De vita spirituali,* lib. 2. Corol. 5. ubi legem naturalem sic definit: *Lex Naturalis præceptiva est signum inditum cuilibet homini non impedito in usu rationis, et notificativum voluntatis divinæ volentis creaturam rationalem humanam teneri ad aliquid agendum vel non agendum per consecutionem sui finis naturalis.*

Probatur: Lex naturalis est vere et proprie dicta lex, ut fatentur omnes Philosophi, et Theologi: sed lex proprie dicta est vere præceptiva: ergo, etc. Probatur *minor: Tum quia* de ratione legis vere et proprie dictæ est, quod sit præceptiva; siquidem lex est actus prudentiæ, quæ consistit formaliter in actu imperii, subindeque præceptiva est: *Tum quia* lex naturalis est proprie dicta regula et mensura bonitatis aut malitiæ moralis actus humani: sed judicium indicativum et ostensivum boni et mali non potest esse talis regula et mensura bonitatis aut malitiæ actus humani; siquidem illam bonitatem aut malitiam supponit, eamque tantum judicat; regula autem et mensura alicujus regulati et mensurati rectitudinem aut obliquitatem non supponit; siquidem hæc non cognoscitur nisi per applicationem ad regulam: ergo, etc.

Deinde, Deus habet judicium ostensivum eorum quæ decent aut dedecent suam naturam divinam, contra quod judicium ipse non potest operari; et tamen non habet legem proprie dictam; et consequenter lex naturalis, cum sit vere et proprie dicta lex, non potest formaliter consistere in solo dictamine et judicio solum ostensivo boni et mali.

Denique, quidquid fit contra præscriptum legis naturalis est revera peccatum: sed omne peccatum est alicujus præcepti transgressio, et violatio: ergo lex naturalis debet esse præceptiva. *Major* probatur ex Apostolo ad *Rom.* 1. ubi docet Gentiles fuisse inexcusabiles, et grandis peccati reos, ex eo quod per legem naturalem noverint quid esset agendum, quidve omittendum; neutrum tamen legis illius præscriptum impleverint. *Minor* probatur ex S. Amb. lib. *De Paradiso*, cap. 8. ubi peccatum sic definit generaliter; *Peccatum est legis divinæ prævaricatio, et cœlestium inobedientia mandatorum.* Similiter ex S. August. qui lib. 2. *contra Faustum*, cap. 27. definit peccatum esse *dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam:* additque *legem æternam esse rationem, vel voluntatem Dei.* Sentit ergo de ratione peccati esse ut sit contra legem propriam alicujus superioris. Quod utique clarius indicat lib. 2. *De peccat. meritis, et remiss.* cap. 7. ubi ait: *Quomodo dimittitur per Dei misericordiam si peccatum non est, aut quomodo non vetatur per Dei justitiam si peccatum est?* Quibus significat non minus repugnare esse peccatum, et non prohibitum a Deo, quam indigere remissione, et non fuisse peccatum. — Idem docet Doctor in 4. dist. 50. num. 9. ubi ait: *Quodcumque peccatum ideo est peccatum, quia est contra præceptum divinum.*

Dices: Si lex naturalis esset præceptiva, esset maxime vel præceptum hominis ad alium, vel ad seipsum, vel Dei ad homines: sed neutrum potest affirmari: ergo nec asseri eam esse præceptivam. *Major* constat a sufficienti partium enumeratione. *Minor* manifesta est quoad primam et secundam partem; quia præceptum hominis ad alium ad legem humanam spectat; imperium autem hominis ad seipsum respectu suarum actionum non potest habere veram rationem legis; cum lex sit ordinatio superioris ad subditum; nemo autem sit sibi superior. Patet etiam eadem *minor* quoad tertiam partem: tum quia præceptum quo Deus aliquid hominibus imperat spectat ad legem divinam; lex autem divina a naturali discrepat: tum quia secluso quocumque Dei præcepto, dictamen rationis naturalis sufficienter dictat quid bonum sit, quidve malum: ergo lex naturalis nullatenus est præceptiva. — **Nego minorem** quantum ad tertiam partem; et ad primam ejus probationem dico legem naturalem etiam divinam appellari; nam, inquit S. Damascenus lib. 4. *De Fide*, cap. 23. *Lex Dei mentem nostram incendens, eam ad se pertrahit, conscientiamque nostram vellicat, quæ et ipsa mentis nostræ lex dicitur.* Adeoque censet legem naturalem esse pariter legem Dei, quatenus nempe est quædam participatio, et applicatio legis æternæ. *Ad secundam probationem* nego antecedens; cum enim dictamen quo Deus præcipit hominibus opera bona, et prohibet opera mala, ex lege Dei æterna derivetur, sitque, ut mox diximus, quædam illius participatio, et applicatio: consequens est quod seclusa lege Dei æterna, et ejus præcepto, nullum foret rationis naturalis dictamen, hominibus indicans et dictitans quid sit bonum aut malum.

QUÆSTIO SECUNDA.

QUOTUPLEX SIT LEX NATURALIS.

Notandum 1. Certum esse quod Lex Naturalis sit una. 1. *Unitate luminis*, quia unico lumine naturali hominem illustrat, et ei dictitat

ac demonstrat quid agendum sit, quidve omittendum. 2. *Unitate principii,* quia unicum Deum habet Legislatorem et Auctorem. 3. *Unitate finis,* quia in hunc unicum finem collineat, ut hominem constituat rectum secundum inclinationem naturæ. An autem sit etiam una *Unitate præcepti,* hic erit resolvendum. Sensus autem hujusce quæstionis potest esse triplex: *Primus,* an eadem Legis naturæ præcepta communia sint apud omnes. *Secundus,* an illa præcepta plura sint, an vero unicum. *Tertius,* an ex hypothesi quod plura sint, ad unicum possint revocari.

Notandum 2. Præcepta legis naturæ esse duplicis generis; alia nempe sunt generalia, et omnibus hominibus nota, qualia sunt ista; bonum est faciendum, malum fugiendum: quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, etc. Alia vero propria et particularia, quæ ex his principiis generalibus inferuntur: idque dupliciter; vel enim deducuntur facili negotio, et absque ulla difficultate, quale est istud: alienum invito domino detinendum non est: vel nonnisi magna cum diligentia ex principiis generalibus possunt inferri, quale est istud: pecunia non est mutuo danda ad usuram. Quæritur autem an hæc utraque præcepta legis naturæ apud omnes prorsus homines eadem sint, vel possint esse diversa.

Notandum 3. Præcepta legis naturæ tam generalia quam particularia spectari posse vel quoad certitudinem, vel quoad notitiam, et evidentiam. Certum est autem quod generalia certiora sint et notiora particularibus, quippe cum per ipsum ingenitum rationis lumen innotescant: unde quemadmodum in speculativis, prima principia, quæ per intelligentiam deprehenduntur, longe sunt certiora et notiora conclusionibus ex eis per scientiam illatis: ita etiam in practicis, prima præcepta, quæ sunt matrices regulæ rerum agendarum, longe videntur esse certiora præceptis particularibus quæ ex eis inferuntur.

His ita præmissis, tria hic supersunt determinanda; *Primum,* an generalia præcepta legis naturæ sint eadem apud omnes prorsus homines quovis in statu consideratos. *Secundum,* an præcepta particularia eamdem vim, certitudinem, et notitiam apud omnes habeant. *Tertium,* an plura sint in quolibet homine præcepta legis naturæ, et qualiter invicem ordinentur.

Conclusio prima. — Lex naturalis eadem omnino est in omnibus hominibus quovis in statu spectatis, quantum ad principia generalia. Hæc est communis apud Theologos, et Jurisperitos.

Probatur, *primo* quidem, quia hæc lex est veluti proprietas consequens non rationem propriam, et particularem alicujus individui, sed specificam naturam: sed hæc natura eadem est in omnibus: ergo et ipsa lex. *Deinde,* quemadmodum in speculativis prima principia notâ sunt, quorum veritati nemo dissentire potest; ita in practicis quoad principia prima et præcepta generalia, est eadem veritas, eademque rectitudo omnibus nota. *Denique*, ubique et semper agnoscitur et pro certo habetur bonum esse amplectendum, malum esse fugiendum: alteri non esse faciendum quod tibi fieri non vis; adeoque hæc præcepta omnibus et ubique sunt pervia.

Dices; Diversæ nationes varias statuerunt leges naturalibus præ-

ceptis contrarias; nam Julius Cæsar lib. 6. *De bello Gallico* refert apud Germanos furtum olim non fuisse improbatum, sed permissum. Idem de Lacedæmonibus refert Castro ex Plutarcho lib. *De lege pœnali*, cap. 14. Similiter refert Plutarchus in vita Lycurgi adulterium ab eo fuisse probatum tamquam natura permissum: sed furtum, et adulterium in ipsa legis naturæ præcepta pugnant: ergo hæc non videntur omnibus nota. — **Distinguo majorem**: statuerunt plurimæ Gentes leges adversantes naturæ præceptis generalibus, et quæ se habent instar primorum principiorum in practicis, *nego majorem*: adversantes præceptis particularibus, et quæ ex prioribus inferuntur, *concedo*. Quemadmodum enim licet omnes homines conveniant in primis principiis speculativis, nec ullus eorum veritatem in dubium revocet; nihilominus plerumque invicem pugnant circa conclusiones ex illis principiis illatas: ita a simili, quamquam omnes homines invicem conveniant in præceptis generalibus per legem naturæ præscriptis; tamen a vero possunt deviare, dum ex generalibus illis principiis leges particulares inferunt quasi naturæ convenientes: unde non mirum si leges illæ speciales a diversis Nationibus sancitæ non solum inter se, sed etiam cum ipsis generalibus naturæ præceptis pugnent.

Dices 2: Lex naturæ ea est quæ potissimum in Evangelio continetur, ut habetur dist. 1: atqui quod in Evangelio continetur non est commune omnibus; *Non enim omnes obediunt Evangelio*, inquit S. Paulus ad Rom. 10. Ergo lex naturæ non est una apud omnes. — **Respondeo** ad *minorem*, eam non sic esse intelligendam, quasi omnia quæ in Evangelio continentur sint de lege naturæ, sed tantum illius propositionis sensus est, quod quæ sunt de lege naturæ plenarie in Evangelio traduntur: unde cum Gratianus dixisset, *Ibi jus naturæ esse quod in lege, et Evangelio continetur:* statim explicando subjungit: *Quod quisque jubetur alteri facere quod sibi vult fieri;* in qua legis naturæ maxima plurimæ legis Evangelicæ maximæ fundantur.

Conclusio secunda. — Præcepta particularia legis naturæ, quæ ex generalibus inferuntur, ut plurimum eadem sunt apud omnes: Deficiunt tamen interdum apud plurimos, tam quoad rectitudinem eorum, quam quoad ipsorum notitiam. Hæc pariter est communis quantum ad utramque partem, quarum

Prior per se patet: plurima namque ex principiis particularibus quæ ex generalibus inferuntur vera sunt, et ut vera habentur ab omnibus.

Posterior vero pars ostenditur; quia contigit interdum quod conclusiones ex principiis generalibus deductæ non sint rectæ; sic v. g. ex illo principio generali *depositum est domino reddendum*, non est recta hæc quæ infertur conclusio: *ergo depositum est reddendum domino repetenti illud in perniciem patriæ*. Ratio autem hujus rei est, quod principia communia operabilium in eventibus particularibus patiuntur instantiam, et distinctionem. Nam discrimen est inter conclusiones speculativas, et practicas ac operabiles, quod speculativæ habent eamdem veritatem perpetuo, et apud omnes; practicæ non ita, eo quod sint de rebus particularibus quæ varias circumstantias admittunt, secundum quas conclusiones illæ variantur. Unde fit quod ex mutatione

circumstantiarum, id quod justum ac rectum erat desinit esse rectum, et justum. Quapropter licet verum sit perpetuo in speculativis quod *numerus impar non possit dividi in duas partes æquales;* tamen in practicis non est perpetuo verum *depositum,* v. g. *esse domino repetenti reddendum;* nam in iis circumstantiis in quibus repeteretur in perniciem reipublicæ, non esset domino petenti restituendum; quia bonum privatum cedere debet bono publico. Constat igitur quod lex naturæ non sit una apud omnes secundum rectitudinem præceptorum particularium. — *Constat* pariter eam etiam interdum non esse unam et eamdem apud omnes secundum notitiam, et illationem ejusmodi præceptorum ex principiis generalibus; quia rectum judicium in rebus agendis impeditur aliquando aut per passionem, quæ rationis usum pervertit, aut per malam consuetudinem, aut per depravatam naturæ ipsius habitudinem; quo fit ut latrocinia quibusdam gentibus visa fuerint non injusta; apud alias usuræ non fuerint vetitæ; apud plerasque simplex fornicatio inter crimina locum non habuerit. — Hinc etiam fit quod de quibusdam præceptis illatis ex præceptis generalibus minus interdum constet apud Theologos quam de aliis præceptis, quod inde fit, quia quanto magis conclusio distat a principiis, tanto minus est evidens; sic v. g. ex hoc principio, *quod tibi non vis fieri alteri ne feceris,* sequitur evidentissime: *ergo adversus alterum non est proferendum falsum testimonium:* sed non ita evidenter colligitur: *ergo non est dicendum mendacium pro vita hominis conservanda:* similiter ex eodem principio evidentissime colligitur *non esse furandum:* sed non ita evidenter sequitur, *non esse pecuniam suam ad usuram mutuo dandam:* quamvis hæc duo, non est mentiendum pro conservanda vita hominis, et non est danda pecunia ad usuram, sint æque legis naturæ præcepta, ac duo posteriora, videlicet non est proferendum falsum testimonium, et non est furandum.

Conclusio tertia. — Lex naturalis unum habet primum principium ex quo cætera velut ex fonte derivantur, et ad quod tamquam ad caput revocantur, nempe: *bonum est sectandum. malum est fugiendum.* Hæc pariter communis est apud Theologos, et

Probatur: Ut se habent principia ad rationem speculativam, ita se habent ad rationem practicam: at sicut in speculativis hoc principium, *impossibile est idem simul esse, et non esse,* ideo censetur esse primum omnium principiorum, quia ex ipso inferuntur omnes conclusiones scientiæ, et per illud probantur: pari ratione in practicis hoc principium, *bonum est sectandum, malum fugiendum,* primum est, et capitale; quippe cum ad istud cætera revocentur, et per illud firmentur: ergo revera hoc principium erit primum. Probatur *minor* a paritate rationis; quia sicut in speculativis omnia principia revocantur, et firmantur per primum, quod fundatur supra rationem entis, et non entis, inter quæ non est medium; ita pariter in practicis omnia legis naturæ præcepta revocantur ad istud, bonum est faciendum, et malum fugiendum, quod utique inductione facile sic probari potest. Triplicis namque generis sunt naturæ præcepta, quorum *aliqua* respiciunt hominem ut est substantia: *aliqua* ut est animal; *alia* denique ut est rationalis; nam cum bonum sit objectum appetitus seu inclinationis,

quot sunt distinguendæ inclinationes in homine quibus in bonum naturale tendit, tot sunt nativæ legis præcepta in eo distinguenda; siquidem nativa lex ad id unicum ordinatur, ut hominis inclinationes rectificet, et in id quod sibi conveniens est, dirigat: sed est aliqua inclinatio in homine, quatenus est ens, et substantia: nimirum inclinatio ad conservationem sui esse, et ad comparationem eorum omnium quæ suæ conservationi, et utilitati deservire possunt: est insuper in eo inclinatio quatenus animal, ad conservationem suæ speciei, generando sibi simile: est pariter in eo inclinatio quatenus est rationalis, ut societatem ineat non solum cum cæteris hominibus, et vitam sociabilem ac politicam ducat, sine aliorum offensione, sed etiam cum Deo ut Auctore naturæ, ad quem totus ordinatur, et cujus cognitionis et dilectionis est capax: ergo pariter triplicis generis præcepta in lege naturæ distinguenda sunt, quibus homo dirigatur et reguletur. *Primo* respective ad seipsum, decenter vivendo secundum inclinationem a natura insitam, qua fertur ad conservationem sui in cibo et potu, et in arcendis sibi nocivis. *Secundo,* respective ad communicandam naturam suam alteri, quo fertur ad conservationem speciei decenter generando sibi simile. *Tertio* denique, decenter vivendo in ordine ad Deum, et homines quibuscum societatem inire debet. *Ad primum* genus temperantia suppeditat præcepta de cibo, et potu moderate sumendis; fortitudo autem subministrat vim, et robur ad repellenda nociva vitæ conservationi. *Ad secundum* spectant præcepta castitatis, et prudentiæ, quibus decenter fiat propagatio, et liberorum educatio. *Ad tertium* vero pertinent præcepta religionis, justitiæ, etc. quibus possit, et Deum colere, et honorare parentes, et superioribus obsequi, et cum cunctis ita vivere ut neminem offendat. — ✳ " Huc revocanda sunt ea quæ legimus apud S. Ambrosium, comment. in cap. 5. epist. ad Rom. *Lex naturalis tres habet partes, cujus prima hæc est, ut agnitus honoretur Creator, nec ejus charitas et majestas alicui de creaturis deputetur. Secunda autem pars est moralis, hoc est, ut bene vivatur, modestia gubernante. Congruit enim homini habenti notitiam Creatoris vitam suam lege frænare, ne frustretur agnitio. Tertia vero pars est docibilis, ut notitia Creatoris Dei, et exemplum morum cæteris tradatur, ut discant quemadmodum apud Creatorem meritum collocatur.* ✳ " — Hæc autem omnia præcepta facile revocantur ad primum, et capitale præceptum, nempe *bonum est sectandum, malum fugiendum;* adeoque hoc præceptum est primum, et capitale ad quod cætera revocari possunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE MATERIA, ET OBLIGATIONE LEGIS NATURALIS.

Cum potissima legis cujusque virtus et ratio in obligatione ad aliquid sectandum vel declinandum consistat, recta justaque dicendi methodus exigit ut post delineatam legis Naturæ essentiam, nunc ejusdem vim obligandi declaremus; quod utique sequentibus in Quæstionibus præstabimus; quarum *Prima* aperiet circa quam materiam Lex Naturæ sese extendat: *Secunda,* qualiter ad ipsius præcepta implenda homines teneantur et obligentur.

QUÆSTIO PRIMA.

QUÆNAM SIT MATERIA CIRCA QUAM LEX NATURALIS VERSATUR.

NOTANDUM 1. Certum esse materiam Legis Naturalis id omne reputari, quod lumen naturale judicat, et indicat ex se necessarium esse, vel consentaneum naturæ rationali: lex enim naturæ juxta communissimam Theologorum doctrinam in hoc potissimum a lege positiva distinguitur, quod illa sit de necessariis ex natura rei ad honestatem creaturæ rationalis; ista vero de necessariis solum ex voluntate Legislatoris. Unde non solum prima morum principia, sed etiam conclusiones practicæ ex eis evidenter deductæ spectant ad legem naturæ, ut recte docet Doctor in 3. dist. 37. n. 5. *Dico*, inquit, *quod aliqua possunt esse de Lege Naturæ dupliciter: uno modo tamquam prima principia practica nata ex terminis, vel conclusiones necessario sequentes ex eis: et hæc dicuntur esse strictissime de Lege Naturæ.* Tam enim hujusmodi conclusiones sunt necessariæ creaturæ rationali, quam principia ex quibus deducuntur: siquidem destructa conclusione, ruit pariter principium, juxta modum argumentandi ab oppositio consequentis. Quapropter merito Apostolus ad *Rom.* 2. generaliter sub Lege Naturæ comprehendit ea omnia quæ gentes naturali instinctu judicant esse bona vel mala, seu facienda vel fugienda. Certum ergo esse debet id omne ad legem naturæ spectare, quod naturale lumen judicat naturam rationalem decere aut dedecere. Quænam autem specialiter ad ipsam legem pertineant, non ita certum.

NOTANDUM 2. Leges et præcepta naturæ non tantum spectari debere respective ad ipsam naturam secundum naturalem suum statum consideratam, sed etiam respectu ejusdem, ut elevatur ad statum supernaturalem, et fidei lumine illustratur. Cum enim ingenitum naturæ lumen dictitet universim id quod ipsi naturæ conveniens est, decenter sectandum esse; cumque natura rationalis non solum in finem ab Auctore naturæ præfixum, sed etiam ad finem ab ipsomet Deo ut auctore gratiæ determinatum per media convincentia deduci possit: inde fit quod præcepta Legis naturæ insinuent et indicent omnem finem ipsi naturæ debitum decenter esse sectandum. Hinc posita institutione Sacramentorum v. g. quibus finis supernaturalis possit obtineri, Lex naturæ, quæ universim dictitat finem per media decenter applicanda esse consequendum, dictitat pariter Sacramenta non esse indigne recipienda, nec irreverenter tractanda. Licet enim hæc et similia præcepta vocentur interdum supernaturalia, quia nempe ad finem supernaturalem ordinantur, sunt tamen revera connaturalia naturæ rationali elevatæ ad statum gratiæ, et ordinatæ ad finem supernaturalem, et ut sic distinguuntur contra præcepta positiva: nam recta ratio fide illustrata judicare potest, etiam seposita omni particulari superioris ordinatione, Sacramenta non esse indignis administranda, nec indigne tractanda. Unde ad dignoscenda præcepta Legis naturæ, quatenus contra præcepta legis positivæ distinguuntur, attendi debet lumen naturæ non solum in statu naturali consideratæ, sed etiam ut elevatæ ad statum gratiæ, et ut fidei lumine illustratur.

Notandum 3. Maxime controversiam moveri de actibus virtutum, et præceptis Decalogi, an videlicet circa illa lex nativa versetur veluti circa materiam sibi convenientem, et propriam, ita quod seclusa quavis Legislatoris ordinatione positiva, hæc per lumen naturale dictitentur esse sectanda, et implenda tamquam convenientia naturæ rationali. Cum autem virtutes duplicis sint generis, quarum aliquæ sunt necessariæ ad hominem debite instituendum in his quæ ad statum naturalem spectant, quæ ad probe regulandam triplicem ejus inclinationem, qua fertur vel ad sui ipsius conservationem, vel ad speciei suæ propagationem, vel ad societatem debite cum superioribus, paribus, et subditis ineundam : aliæ vero quæ non sint ita necessariæ, sed tantum cadant sub consilio, opera supererogationis dicuntur ; movetur quæstio qualiter circa eas Lex naturæ occupetur. Cum pariter præcepta Decalogi sint duplicis tabulæ, et aliqua ad Deum spectent, qualia sunt tria præcepta primæ tabulæ, alia vero ad vitam debitæ instituendam respective ad homines, difficultas pariter movetur, an omnia hæc utriusque tabulæ Decalogi præcepta spectent ad materiam Legis naturæ.

Quocirca tria hic maxime supersunt determinanda: *Primum,* an omnis virtutum actus spectet ad legem naturæ. *Secundum,* an lex naturæ non solum entitatem actus virtutis præcipiat, sed etiam modum quo elici debeat. *Tertium* denique, an, et qualiter omnia Decalogi præcepta ad ipsam naturæ legem spectent.

Conclusio prima. — Lex Naturæ versatur circa omnes actus virtutum in communi consideratos ; si vero spectentur in particulari, non omnes sunt de Lege Naturali. Hæc duas partes complectitur, quarum

Probatur prima: Id omne spectat ad legem naturalem, ad quod homo secundum naturam suam inclinatur : atqui homo naturaliter inclinatur ut secundum virtutem agat ; nam unumquodque inclinationem habet naturalem secundum quod sua propria forma exigit, sicut ignis ad calefaciendum naturaliter inclinatur ; propria autem forma, quæ est anima rationalis, exigit ut homo secundum virtutem operetur. Atque hinc est quod S. Damascenus dixit, virtutes esse homini naturales.

Secunda pars pariter probatur; quia multa ab homine efficiuntur secundum virtutem ad quæ natura non inclinat primo, et per se, sed ea homines per rationis inquisitionem invenerunt quasi ad bene, et quiete vivendum accomodata : aut si ad ea natura primo inclinat, ad quæ tamen non inclinat præcipiendo, quales sunt aliqui actus virtutum, qui sunt tantum de consilio.

Objicies contra *primam partem* nostræ propositionis : actus virtutum qui sunt tantum de consilio non sunt de Lege naturali, cum non sint in præcepto : ergo falsum est omnes actus virtutum esse de lege naturali. Item, actus virtutum supernaturalium non sunt de lege naturali ; natura enim nihil dictat de operibus supernaturalibus. Item, sequeretur ex hac parte nostræ propositionis non posse discrimen constitui inter ea quæ sunt de lege naturali, et humana : nam ut primum aliquid est præceptum lege humana, pertinet ad genus virtutis, adeoque, si vera sit nostra doctrina, est de lege naturæ. — **Re-**

spondeo ad primam partem, actus virtutum de consilio tantum esse de lege naturali, si spectentur in universum : non vero si considerentur in particulari : at quæ in universum spectantur, ut sic, non cadunt sub præceptum, sed tantum quæ in particulari; nihil enim præcipitur, nisi quod est faciendum : res vero in universum faciendæ non sunt, sed solum res in particulari. Unde aliud est rem esse de lege naturali, et aliud est eam esse de præcepto legis naturalis ; quemadmodum consilia Evangelica sunt quidem de lege Evangelica, non tamen sunt de præcepto ipsius Evangelicæ legis. *Ad secundam partem* dico Conclusionem maxime intelligendam esse de virtutibus naturalibus. Si autem etiam ad virtutes supernaturales extendatur, dico quod natura dictat de illis, si non immediate, saltem mediate et confuse, in quantum dictat de fine ultimo, qui est clara et intuitiva Dei visio, ad quam actus virtutum supernaturalium ordinantur tamquam media ad finem. *Ad tertiam* dico, discrimen esse inter legem naturalem, et humanam, quod quæ sunt de lege humana, si considerentur in universum, sunt de lege naturali, et nullo modo si considerentur in particulari : nam, ut ait Aristoteles 5. *Ethic.* cap. 7. *Jus naturale eandem vim habet apud omnes, et non quia videtur, vel non videtur :* jus autem positivum est, *quod a principio nihil refert sic, vel aliter fieri : postquam vero statutum est, multum refert :* quare vim omnem habet ex impositione. Unde dico ea quæ sunt de lege naturali tantum esse in duplici differentia : quædam enim sunt necessaria adeo ad finis consecutionem, ut eorum necessitas sit omnibus evidens : qualia sunt hæc præcepta, non esse mentiendum, non esse adulterandum. Alia vero sunt necessaria quidem, sed eorum necessitas non est omnibus evidens ; indigent vero declaratione, et accurata industria, v. g. talem contractum esse usurarium : alia autem sunt quæ conducunt ad finem, sed non sunt necessaria, et pro diversitate temporum ac regionum variantur : et hæc sunt de Lege naturali in universum : sed non sunt de lege naturali in particulari.

Objicies contra *alteram nostræ Conclusionis partem. Primo,* Lex naturæ præcipit ut obediamus superioribus : ergo cum Christus sit superior, lex naturæ præcipit ut ei obediamus ; subindeque omnia præcepta a Christo Domino instituta censeri debent esse de lege naturæ. *Insuper,* quemadmodum potentia visiva percipit omnes colores, idcirco inclinatur ad videndos omnes colores, sive illi sint a natura, sive ab arte, sive a naturali facultate producti : pari ratione, si, ut dictum est in priori parte Conclusionis, natura inclinat ad actus virtutum generice spectatos, et quatenus actus virtuosi sunt, etiam inclinabit ad illos actus virtutis a quocumque, et quomodocumque virtutes istæ præcipiantur aut consulantur. — **Respondeo** *ad primum,* concesso antecedente, et prima consequentia, negando secundam : nam præcepta ex quo sunt a Legislatore mediante aliquo judicio et ordinatione voluntaria, non censentur esse de lege naturæ, si in particulari considerentur. *Ad secundam,* nego consequentiam ; quia colores quicumque continentur intra latitudinem objecti visus ; adeoque per se spectant ad potentiam visivam, ac subinde illa ad ipsos conspiciendos per se ordinatur ; actus vero virtutum supernaturalium non continentur intra genus naturale, neque ratione naturali comprehen-

duntur; subindeque mirum non est si illi sub naturæ præceptis non cadant.

Objicies 3. *contra utramque partem Conclusionis:* Non omnia peccata sunt contra legem naturæ: ergo neque omnes actus virtutum etiam naturalium, tam in communi quam in particulari, ad legem naturæ pertinent. — **Distinguo antecedens**: non sunt contra legem naturæ quatenus tantum consideratur secundum rationem animalis, et prout communis est omnibus animalibus, eo scilicet modo quo masculorum concubitores dicuntur peccare contra naturam, concedo: non sunt contra naturam, quatenus est rationalis, et prout sequitur dictamen rectæ rationis ac lumen naturale dictantis quæ hominem decent aut dedecent, nego. Sciendum enim est, ut supra diximus, tres in homine gradus distingui: nempe entis substantialis et viventis, animalis sentientis, et rationalis ac sociabilis; ex quibus sequuntur diversæ hominis inclinationes ad varia bona. Hinc fit quod homo spectatus secundum primum gradum dicitur peccare contra naturam, vel dum seipsum interficit, vel quando alimenta necessaria sibi denegat; nam, ut ait Tullius, cap. 1. *Offic. Principio generi animantium omni est a natura tributum, ut se, vitam, corpusque tueatur.* Spectatus vero secundum gradum animalis viventis, et quatenus ordinatur ad conservandam suam speciem modo decenti, toties dicitur peccare contra naturam, quoties admittit nefanda crimina sodomiæ, bestialitatis, etc. quæ contra legitimam hominum propagationem pugnant. *Denique* spectatus homo secundum gradum rationis, quælibet peccata dicuntur esse contra naturam hominis, quia contrariantur rationi ac ingenito lumini naturali dictitanti quid sectandum quidve fugiendum sit. Duo tamen prima genera peccatorum maxime dicuntur esse contra naturam, quia nempe horrendum est ac nefandum admittere id a quo bruta ipsa abhorrent.

Conclusio secunda. — Lex naturalis inducit ut actus præceptus virtutis fiat voluntarie, cum prævia cognitione præcepti, et quod ordinetur ad finem honestum, et decenter fiat. Hæc conclusio tres maxime partes complectitur, quarum

Probatur prima: Lex naturalis directe respicit actum humanum: sed actus non potest esse humanus, nisi fiat voluntarie, ac subinde sit liber: ergo talis modus agendi respicit ipsam legem naturalem. Hinc sequitur quod defectu hujus conditionis non satisfacit proprie præcepto justitiæ, seu misericordiæ, qui in ebrietate, aut aliunde præpedito usu rationis rem alienam restituit, vel dat eleemosynam extreme indigenti; nam qui involuntarie opus legis facit, licet illam servare videatur, nihilominus prævaricator est legis, ut docet S. Augustinus lib. 2. *contra duas epistolas Pelagii* c. 9. affirmans quod ubi fit bonum non amore justitiæ, sed timore pœnæ, ita ut timor sit ita servilis, ut habeat conjunctum affectum non faciendi opus præceptum, si delinquenti pœna non esset infligenda; ille, inquam, legi non satisfacit, nec bonum exequi censetur. — Qui tamen ita restitueret aut eleemosynam conferret, non teneretur iterum eleemosynam aut restitutionem facere; eo quod materia præcepti sublata sit, altero recipiente quod suum est, et pauperis necessitate sublevata.

Patet etiam secunda pars; nam ut actus sit revera actus virtutis et humanus, non solum debet esse voluntarius, sed etiam cum advertentia et deliberatione elicitus: talis autem esse nequit absque prævia aliqua præcepti notitia. Attamen existimarem non absolute requiri ad implendum naturæ præceptum, quod illud sit in particulari distincte cognitum; ratio est, quia lex nihil aliud imperat, quam ut actus fiat: unde si contingat aliquem voluntarie dare eleemosynam alicui pauperi extreme indigenti, et consequenter eo tempore quo præceptum naturale obligat, licet ille qui facit eleemosynam, illam necessitatem, et obligationem non agnoverit, revera satisfacit præcepto; ita quod postmodum ubi hanc obligationem compertam habebit, non teneatur iterum dare eleemosynam. Similiter etsi obligatio colendi Deum aliquo die, puta Missam audiendi, ignoretur ab eo qui tamen ipso die Missam audit devotionis causa, censetur præcepto satisfecisse, nec tenetur postmodum resciens obligationem præcepti, denuo Missam audire: quippe præceptum tantum infert obligationem audiendi Missam, cui satisfecit ille Missam audiendo, etsi tale præceptum non agnoverit.

Patet etiam tertia pars, nempe quod lex naturæ inducat, ut actus fiat ob finem et motivum honestum: quia nativa lex ordinatur ad hominis perfectionem: at homo non censetur perfectus in operando, nisi agat ex motivo honestatis, et juxta decentiam, et honestatem consentaneam suæ naturæ: igitur natura inducit ut opera taliter fiant. Non est tamen necesse quod taliter quis operetur ut naturæ præcepta impleat: siquidem tenore præceptorum nihil aliud habetur, quam quod præcipiatur actus honestus, puta sublevanda proximi necessitas per eleemosynam, et rem proprio domino restituendam: quæ impleri possunt etiam ob finem non honestum; nam qui restituit debitum, naturale præceptum restituendi servat, etiamsi id faciat modo indebito; et qui dat eleemosynam, naturale præceptum misericordiæ servat, etiamsi propter vanam gloriam eleemosynam ipsam largiatur. Hinc fit quod lex aliqua naturæ possit impleri per actum indifferentem, quem cum aliunde nulla lex prohibeat, sequitur per ipsum aliquam naturæ legem absque ullius alterius legis transgressione posse impleri: imo potest etiam impleri per actum ex circumstantia vitiatum, et per alterum naturæ præceptum prohibitum: sic v. g. aliquis satisfacit præcepto dandi eleemosynam aut honorandi parentes, etiam si id exequatur ob vanam gloriam, quæ per alteram naturæ legem prohibetur, ita quod, ut jam diximus, qui ita eleemosynam largitus est pauperi extreme indigenti, non teneatur ob aliud honestum motivum iterum eleemosynam tribuere. — Fateor tamen per actum vitiosum ex circumstantia revera non servari nec impleri totum jus naturæ; nam hoc jus ab humano positivo in eo discrepat, quod humanum præceptum ex integro servari possit per actum ex circumstantia vel fine vitiosum, quia illa malitia, quæ tali actui inest, sæpe non est contra aliquod præceptum humanum, sed dumtaxat contra jus generale; quod cum ordinetur ad moralem hominis perfectionem, non solum intendit executionem illius quod faciendum dictat recta ratio, sed etiam eo decenti ac debito modo qui requiritur ut homo censeatur decenter operari.

Conclusio tertia. — Omnia Decalogi præcepta, si tertium de sanctificatione sabbati excipias, pertinent ad Legem Naturæ; non tamen eodem modo. Hæc est Doctoris in. 3. dist. 37. num. 5. et sequentibus, quamtum ad tres suas partes: quarum

Probatur prima: Illud est de jure naturæ ex Aristotele 5. Ethic. cap. 7. *Quod ubique vim habet, et non quia videtur, vel non videtur:* hoc est, vim habet ex natura rei, non autem quia voluntarie et arbitrarie instituitur: atqui tale est jus quo omnia Decalogi præcepta, excepta speciali determinatione diei festi, observare tenemur; illud enim jus non provenit ex aliqua voluntaria et arbitraria institutione; alioquin non vigeret apud omnes Gentes: sed ex vi solius rationis naturalis obligat, ut patet de cultu Dei, et honore parentum frequentando, necnon et de homicidio, adulterio, et cæteris: ergo omnia præcepta Decalogi censenda sunt ad legem naturæ spectare. *Deinde*, illa spectant ad legem naturalem, quæ maxime naturam rationalem decent: sed talia sunt omnia Decalogi præcepta; quid enim hominem magis decet, quam debito cultu supremum suæ formationis artificem. Deum nempe, necnon et eos colere a quibus vitam et naturam accepit? Quid tam congruum, tamque necessarium humanæ societati ac tranquillitati, quam adulteria, furta, homicidia, et cætera hujusmodi, quæ per Decalogi præcepta prohibentur, vitare ac fugere? *Denique*, in hoc lex naturalis a positiva discrepat, quod illa supponit in objecto honestatem quam præcipit, et moralem deformitatem ac malitiam quam prohibet; hæc vero non ita supponit in objecto quod præcipit aut prohibet moralem necessitatem agendi aut omittendi, sed illam inducit: illa quæ præcipit, non sunt bona quia præcepta, aut mala quia prohibita; sed e contrario præcipit quia bona et moraliter necessaria ex natura rei, vel prohibet quæ mala et naturaliter sunt indecentia ex se: quæ vero per legem positivam præcipiuntur, sunt tantum necessaria moraliter, quia præcepta sunt; et quæ per illam prohibentur sunt tantum mala et illicita, quia prohibita: sed omnia quæ præcipiuntur vel prohibentur per Decalogum, excepta determinatione diei festi in Sabbato, sunt bona et honesta, vel turpia et indecentia ex ipsa natura rei, et seclusa quacumque lege positiva, ut constat in cultu Dei, honore parentum, homicidio, furto.

Patet etiam secunda pars, nempe quod cultus Deo maxime impendendus die sabbati non sit de lege naturæ, seu ut inquit Doctor, *Tertium præceptum quod est de sabbato est affirmativum tamquam ad aliquem cultum exhibendum Deo determinato tempore, et quantum ad determinationem hujus temporis vel illius, non est de lege naturæ stricte loquendo. Similiter nec ad partem negativam, quæ includitur; qua scilicet prohibetur actus servilis pro tempore determinato, prohibens a cultu tunc exhibendo Deo: ille enim actus non prohibetur nisi quia est impediens vel retrahens ab isto cultu qui præcipitur.* Quibus Doctor primo supponit tria involvi in præcepto de Sabbato servando: *Primum* quod aliquis cultus Deo sit exhibendus determinato aliquo tempore; et quantum ad hoc, præceptum illud est affirmativum, nec obligat ut omni tempore cultus aliquis positivus Deo exhibeatur. *Secundum* est, quod ille cultus Deo sit impendendus die Sabbati; et quamtum ad hoc, præceptum illud etiam est affirmativum. *Tertium* denique quod præ-

ceptum illud complectitur est abstinendum esse ab operibus servilibus illis diebus Sabbati; qua ratione præceptum hoc negativum est; quia opera servilia in nulla diei Sabbati parte licet facere. Quibus præmissis, concludit hoc præceptum quantum ad duo posteriora capita non esse de jure naturæ strictissimo, atque adeo non esse indispensabile. Quod utique patet quantum ad primum caput: siquidem Ecclesia transtulit illam obligationem a die Sabbati ad diem Dominicam; quod certe non fecisset, si præceptum de cultu Deo exhibendo die Sabbati fuisset de strictissimo jure naturæ. *Adde* quod nulla possit assignari ratio quæ urgeat ad exhibendum Deo cultum potius die Sabbati aut Dominica, quam die veneris aut jovis, si solum naturale lumen attendas. Ergo sicut non est præceptum Deo cultum particularem exhibendi die jovis aut veneris ex dictamine luminis naturalis; ita etiam nec esset exhibendus die Sabbati aut Dominica, nisi positiva lex præciperet Deum colendum, die Sabbati aut Dominica: ergo hic cultus tali die exhibendus non est de lege naturæ.

Patet etiam eadem veritas quantum ad secundum caput, nempe de abstinendo ab operibus servilibus illis diebus: tum propter rationes jam præmissas; tum quia, ut dixit Doctor, eatenus abstinere ab illis operibus est præceptum, quatenus opera illa servilia removerent a cultu divino impendendo: ergo si non sit præceptum strictissimi juris naturæ de cultu exhibendo Deo diebus Sabbati aut Dominica potius quam aliis diebus, non erit præceptum talis juris abstinere ab operibus servilibus illis potius quam aliis.

Quantum autem ad primum caput quod includit illud præceptum, nempe quod cultus Deo sit specialiter impendendus aliquo determinato tempore potius quam in altero, sit de strictissimo jure naturæ, nihil resolvit Doctor, sed re utrinque librata, dubius hæret.

Patet denique tertia pars Conclusionis, nempe quod omnia Decalogi præcepta non sint æqualiter de jure naturæ: nam, inquit Doctor ibidem, jus naturæ est duplex, nempe proprium, et strictum, quod obligat ad faciendum vel non faciendum independenter ab actu ullius voluntatis imperantis aut prohibentis; aliud vero strictissimum quod nullam omnino dispensationem admittere potest, qualia sunt duo priora præcepta primæ tabulæ; nempe solum Deum esse colendum, nec exhibendum cultum diis alienis; et divinum ejus nomen non esse in vanum accipiendum; hæc enim duo præcepta primæ tabulæ strictissime sunt de lege naturæ; quia inquit Doctor num. 6. *Sequitur necessario: si est Deus, est amandus ut Deus: et quod nihil aliud est colendum tamquam Deus, nec Deo facienda est irreverentia; et per consequens in istis Deus non poterit dispensare, ut aliquis possit licite facere oppositum talis prohibiti.* Quasi diceret Doctor: notum ex terminis, quod nulla injuria Deo possit irrogari citra culpam, quia evidens est non esse parentibus aut regibus aliisque superioribus exhibendam irreverentiam: ergo multo magis evidens est nullatenus inferri debere ullam irreverentiam Deo, qui est Rex Regum, et primus omnium hominum Parens.

Quantum autem ad præcepta secundæ tabulæ, fatetur quidem Doctor illa esse de jure naturæ, non quidem strictissimo; quippe cum in ipsa cadere possit dispensatio. *Alio modo,* inquit n. 8. *dicuntur*

aliqua esse de lege naturæ, quia sunt multum consona illi legi, licet non sequantur necessario ex principiis practicis quæ nota sunt ex terminis; et omni intellectui apprehendenti sunt necessario nota: et hoc modo certum est omnia præcepta etiam secundæ tabulæ esse de lege naturæ, quia eorum rectitudo valde consonat primis principiis practicis necessario notis. Quibus Doctor non asserit præcepta secundæ tabulæ non esse de jure naturæ, ut volunt Suarez lib. 2. cap. 15. num. 8. et Salas disp. 5. sect. 9. n. 55. ac alii, qui ipsum Doctorem non ita recte intellexisse videntur; sed solum voluit Doctor, quod hæc præcepta non sint de strictissimo jure naturæ, eo modo quo duo priora primæ tabulæ: latum enim est discrimen inter hæc duo: præcepta secundæ tabulæ non sunt de jure naturæ proprie, et non sunt de jure naturæ strictissime. Primum negat Doctor, secundum affirmat; quod planius aperit infra, ubi quæ dixerat, recolligens ait: *Primo negatum est omnia præcepta secundæ tabulæ esse de lege naturæ stricte loquendo. Secundo concessum est duo prima primæ tabulæ esse de lege naturæ stricte loquendo. Tertio dubitatum est de tertio primæ tabulæ præcepto. Et quarto concessum est omnia esse de lege naturæ large loquendo.*

QUÆSTIO SECUNDA.

QUALITER, ET AD QUID LEX NATURALIS OBLIGET.

Duo maxime in hac Quæstione proponuntur discutienda: *Primum*, an lex naturalis obliget in conscientia ad implenda sua præcepta. *Secundum*, an obliget ut illa præcepta impleantur ob dilectionem Dei vel motivo divini amoris naturalis aut supernaturalis; quorum resolutio ut evidentior appareat,

Notandum 1. Conscientiam *esse actum intellectus practice judicantis aliquid in singulari faciendum vel fugiendum, laude vel pœna dignum.* Dicitur *actus*, ut distinguatur a synderesi, et a lege vel lumine naturali, quæ se habent per modum habitus, a quibus conscientia tamquam effectus a suis causis procedit. Additur *intellectus*, siquidem conscientia, juxta nominis etymon, idem sonat ac *cum alio scientia*, vel concursus scientiæ ad judicium formandum: unde Ecclesiastici cap. 7. *Conscientia tua scit te crebro aliis maledixisse*, hoc est, te instruit tibique maledictiones tuas indicat, malum a te perpetratum velut ob oculos proponit: quapropter Origenes lib. 2. in cap. 2. ad Rom. *Conscientia*, inquit, *spiritus corrector est, et pedagogus animæ, ut de melioribus eam admoneat, de culpis castiget atque arguat:* cætera adduntur, ut significetur conscientiam non consistere in prima intellectus operatione, quæ est simplex rei cognitio et apprehensio, nec in secunda quæ est deliberatio, sed in tertia quæ est judicium; nam conscientia judicat practice, et per modum definitivæ sententiæ aliquid esse laude vel vituperio dignum: unde

Notandum 2. Obligationem ad aliquid faciendum posse dici triplicem, juxta triplex principium ex quo illa operatio exequenda suadetur; nempe ex consilio, ex præcepto, et ex commodo. Quæ fiunt ex consilio, tantum spectant majorem vel minorem perfectionem, et utilitatem operantis: quæ ex præcepto, necessitatem inducunt; et si secus fiat, pœnæ ac castigationi subjiciuntur: quæ autem ex commodo, solum

spectant bonum privatum, et utile operantis. Quamquam autem hæc tria principia interdum concurrant in servandis cujuslibet legis præceptis; hic tamen sermo est de sola obligatione proveniente ex præcepto; utrum videlicet ita teneamur ad implenda naturæ legis præcepta, ut qui illa omiserit, pœnis vel ab homine, vel a Deo plecti debeat.

Notandum 3. Duplicem solito distingui Dei dilectionem, nempe naturalem, et supernaturalem, innatam, et infusam; quibus Deum diligimus ut auctorem, moderatorem, et finem naturæ, vel ut largitorem, propagatorem, et remuneratorem gratiæ. Supponimus namque tamquam certum, dari posse in humana natura dilectionem Dei ut auctoris naturæ a supernaturali ipsius dilectione distinctam. Supponimus insuper ipsam innatam legem continere speciale præceptum de diligendo Deo ut naturæ artifice, rectore, et fine. Supponimus denique, præceptum hoc affirmativum esse, nec obligare nisi temporibus opportunis. Unde licet quodlibet naturale præceptum tendat in Deum ut ultimum finem, cedat in gloriam Dei, quia per illud impletur ejus divina voluntas, etiamsi operans hoc formaliter non intendat; attamen non est opus quod implens naturæ præcepta, semper actualem adjunctam habeat Dei dilectionem, ut probabitur infra.

Conclusio prima. — Lex naturalis obligat in conscientia ad servanda sua præcepta.

Probatur primo ex Apostolo ad *Rom.* 2. ubi ait: *Quicumque sine lege,* utique scripta, *peccaverunt, sine lege peribunt:* at perire non deberent, nisi quia peccatores existunt, nec peccatores esse, nisi quia legem naturalem violarunt, de qua subjungit Apostolus: *Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt... Testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* Adeoque censet Apostolus legem naturalem obligare in conscientia, et ejus transgressores divina animadversione et vindicta reos teneri. — *Probatur* insuper ex eodem Apostolo Rom. 14. versu ultim: *Omne quod non est ex fide, peccatum est,* idest, quod non est ex dictamine conscientiæ judicantis bonum aut licitum esse id quod agitur, sumit enim ibi Apostolus *fidem* pro *conscientia,* et pro tali dictamine, ut liquet ex textu. — Confirmatur ex Innocentio III, ad caput 13. *De restitutione spoliatorum,* dicente: *Quod est contra conscientiam, ædificat ad gehennam:* nimirum quia dictamen conscientiæ est proxima regula actionum humanarum, cui conformari debent ut sint honestæ et licitæ.

Hanc eamdem veritatem suadet ratio; nam, ut supra diximus, lex naturalis præcipiens aut prohibens, est imperium Dei ut auctoris naturæ, cui tamquam legitimo superiori parendum est, estque contra rationem ipsius imperio sese subducere: sed omnis divina lex, omneque divinum imperium obligat in conscientia: ergo et lex naturalis. *Deinde,* lex naturalis est proxima regula honestatis moralis, et quod ei opponitur annexam habet malitiam moralem; sed id omne quod annexam habet malitiam est contra conscientiam; adeoque id omne quod fit contra legem naturæ in conscientiam pugnat, et consequenter ipsa lex naturæ obligat in conscientia ad sua præcepta servanda. *Denique,* lex naturæ prohibet aut præcipit id omne quod naturam rationalem dedecet aut decet; sed quoties illicita admittuntur, vel necessaria non

fiunt, in conscientiam ipsam peccatur, quæ maxime approbat licita, et illicita improbat: ergo, etc. — Hinc apparet legem naturæ interdum obligare sub peccato mortali; juxta videlicet materiæ gravitatem, et peccantis dispositionem et affectum; quippe qui peccando in re gravi contra præcepta legis naturalis cognoscit formaliter, et actu aut virtualiter se Deum naturæ auctorem et rectorem graviter offendere, in quo virtualis Dei contemptus sufficiens ad peccatum mortale involvitur. Quocirca Apostolus supra laudatus merito dixit, quod *quicumque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*; videlicet propter peccata commissa, non quidem contra legem positivam et scriptam, quam non noverunt, ideoque dicuntur sine lege peccasse; sed contra legem naturalem, quam nemo rationis compos ignorat.

Dices 1: Lex non potest obligare ad pœnam, quam nec manifestare nec inferre potest: atqui lex naturalis non potest manifestare pœnam æternam; quippe quæ non est nota lumine naturali, neque etiam potest illam inferre: ergo non potest obligare sub reatu pœnæ æternæ; subindeque nec sub culpa mortali, quæ æternæ pœnæ reatum inducit. — **Nego majorem**, nam ad incurrendum reatum alicujus pœnæ, non est necesse quod pœna per legem manifestetur, nec ut subditus et transgressor cognoscat pœnam transgressioni suæ debitam; sed sufficit ut committat actum dignum ejusmodi pœnæ, quæ a Deo naturæ auctore, et legis naturalis vindice cognoscitur et infertur.

Dices 2: Lex naturalis non facit obligationem, sed supponit: ergo obligatio non est ejus effectus. *Antecedens* patet ex dictis; nam lex naturalis in hoc a lege positiva distinguitur, quod illa prohibet aliquid, quia malum est; hæc vero prohibet aliquid, quod fit malum, quia est prohibitum. Et idem est cum proportione de imperio, et præcepto faciendi bonum quia bonum est. — **Respondeo** cum Suarez lib. 2. cap. 9. hanc objectionem nostræ assertionis esse confirmativam; nam, inquit, si lex hæc prohibet aliquid quia malum, propriam et specialem necessitatem inducit vitandi illud, quia hoc intrinsecum est prohibitioni, ut vitetur quod prohibitum est. Probat etiam hæc objectio aliquid hanc legem supponere quod pertinet ad intrinsecum debitum naturæ; siquidem unaquæque res quodammodo sibi debet, ut nihil faciat suæ naturæ dissentaneum. Ultra vero hoc debitum, etiam lex naturalis addit specialem obligationem moralem, quam jurisperiti obligationem *naturalem* appellant: non quod moralis non sit, sed ut illam a *civili* distinguant.

Conclusio secunda. — Lex naturalis non obligat ut omnia faciamus ex dilectione Dei naturali.

Probatur: præceptum de diligendo Deo, quod a natura indicitur, est affirmativum: sed præceptum affirmativum non obligat pro semper, sed tantum aliquo certo ac determinato tempore: ergo ex lege naturali non tenemur omnia nostra opera elicere ex dilectione Dei auctoris naturæ. *Major* constat. *Minor* pariter; hoc enim discrimen est inter præceptum affirmativum et negativum, quod illud tantum aliquo certo determinato tempore obliget; hoc vero perpetuam inferat obligationem pro quovis temporis momento; siquidem nusquam licet furari, homi-

cidium facere, etc. Sequitur ergo dilectionem Dei non esse necessariam quotiescumque obligat aliorum præceptorum ordinatio; subindeque servari poterunt alia naturæ præcepta absque actuali amore Dei ut auctoris naturæ. — *Deinde,* bonum honestum aliarum virtutum habet ex se, et per se quod possit honeste amari, et ex proprio suo motivo, puta temperatum quia temperatum est: sed rationi consentaneum est, et naturæ legi congruum, amare quodcumque honestum qua tale, quamvis de aliquo alio externo amabili non cogitetur, puta de Deo diligendo: ergo præcepta naturalia hujusmodi virtutum impleri possunt absque ullo actuali amore Dei. *Denique,* obligatio faciendi omnia propter Deum, nulla ratione naturali, aut sufficienti auctoritate ostenditur: adeoque gratis non debet affirmari.

Dices: Apostolus primæ ad Corinth. 10. monet omnia in gloriam Dei esse facienda: ergo revera omnia opera fieri debent ex dilectione Dei. — **Distinguo antecedens:** ita monet Apostolus tamquam aliquid, quod sit præceptum legis naturalis, nego: tamquam consilium quod ipse subministrat, quodque observare optimum quidem est et saluberrimum, sed non sub pœna peccati necessarium, concedo.

Dices 2: S. Augustinus, lib. 1. *De moribus Ecclesiæ,* cap. 11. dicit omnia bona esse referenda in summum bonum: ex quo infert cap. 11. *nihil esse virtutem, nisi summum amorem Dei,* et per hunc omnes virtutes definit: ideo lib. 19. *De Civit.*, cap. 25. dicit, *esse superbum diligere propter seipsas etiam ipsas virtutes, quia solus Deus est summe bonus, et ideo solus est propter se volendus:* ergo omnia quæ fiunt aut vitiosa sunt, aut fieri debent ex dilectione Dei. Quod utique idem Augustinus confirmat l. 1. *Retract.* cap. 15. ubi ait, *voluntatem sine charitate esse vitiosam cupiditatem.* — **Respondeo,** S. Augustinum his et similibus sententiis nihil aliud velle quam quod vel nulla sit perfecta virtus, et meritoria salutis æternæ absque charitate habituali et gratia sanctificante: vel quod voluntas sine ipsa charitate sit vitiosa cupiditas, idest, plerumque a vitiosis cupiditatibus vincatur; quia ex una parte valde est infirma, et ad malum proclivis, ob naturalem corruptionem hominis; ex alia vero destituitur abundantia auxiliorum, quæ dantur justis et Dei amicis. Non autem vult S. Augustinus omnem actum elicitum, qui non procedit ex amore Dei, esse vitiosum; nam bonum honestum propter se amabile est, et sufficit ad honestatem actus, etiamsi de Deo non cogitetur actu, nec antea ita cogitatum fuerit, ut præterita Dei dilectio aliquatenus influat in actum. — Addit Suarez lib. 2. cap. 11. num. 5. quod aliud est diligere aliquid ut summum bonum; aliud vero diligere aliquid ut bonum per se amabile. Primum est proprium Dei; secundum autem communicatum est ab ipso Deo omni bono honesto, et ideo sic amando bonum honestum, non fit aliquid contra Deum. Neque inde fit omnia bona creata esse propter se amabilia, quia nulla sunt inferiora bona utilia, vel delectabilia, quæ nisi propter honestatem appetenda sint. *Denique,* licet bonum honestum creatum propter se ametur, non amatur ut ultimus finis: sed talis amor natura sua tendit in Deum, et hoc est satis, ut non dicatur homo frui tali bono, sed uti; tunc autem diceretur illo frui, quando in illo suum ultimum finem constitueret, et hoc est quod dixit Augustinus esse superbum.

QUÆSTIO TERTIA.
QUID, ET QUOTUPLEX SIT JUS.

Notandum 1. Jus secundum nominis etymologiam, ita appellari, vel quod *juxta sit,* ut vult Covarr. lib. 1. *Comment. juris civilis,* nam *juxta esse* interdum significat similitudinem vel æqualitatem in aliquo munere aut actione; vel *jus* dicitur a *jubendo;* nam *jussum* participium est verbi *jubeo*: hinc si a participio *jussum,* secunda syllaba dematur, relinquitur vocabulum *jus:* vel si duas syllabas divisim proferas, ipsum jussum seu imperium significabit se esse *jus,* seu *jus sum;* vel deniquc *jus a justitia* derivatur; nam, ut dixit Ulpianus lib. 1. ff. De justitia et jure, *est autem jus a justitia appellatum:* licet enim justitia potius videatur a jure derivari, quam jus a justitia; justum enim dicitur quod est secundum jus: unde etiam justitia definitur per jus, quia *jus suum unicuique tribuit:* nihilominus juris appellatio, de qua loquitur jurisconsultus, potuit a justitia oriri: sicut visus ita appellatur, quia tendit in objectum visibile, licet objectum denominetur visibile ab ipso visu. Inde vero potuit facile derivari *jus,* dempta videlicet ultima parte vocis *justum,* quam utique etymologiam probavit S. August. lib. 10. *De Civit.,* cap. 21. ubi tamquam principium philosophicum assumit, *Quod illud jus esse dicant, quod de justitiæ fonte manavit.* Et in Psalmo 145. *Jus,* inquit, *et injuria contraria sunt, jus enim est quod justum est.* Eamdem pariter probavit Isidorus 5. *Etymolog.* cap. 3. dicens: *Jus esse dictum est, quia justum est;* sicut ergo justum a justitia denominatur, ita jus potuit a justo, et justitia appellari, quantum ad vocis etymologiam.

Notandum 2. Nomen juris secundum rem ipsam posse accipi tripliciter: *Primo* quidem, ut sit idem quod *justum. Justum* autem dupliciter accipitur, secundum Aristotelem 5. *Ethic.* cap. 1. nempe generatim, et in latiori significatione, pro *legitimo,* et sic omne opus virtutis, quatenus consentaneum legi, dicitur *jus,* et *justum:* et speciatim ac strictius pro eo quod est *æquale,* et *alteri debitum:* hæc enim tria involvit *justum* stricte acceptum, nempe *æqualitatem, debitum,* et *esse ad alterum. Secundo* ut sit idem quod *lex,* quæ est *regula justi:* cumque sententia judicis sit etiam veluti quædam lex non publica, sed privata, pariter *jus* dicitur; qua ratione judex dicitur dictare *jus,* et præesse *juri* dicendo. *Tertio jus* accipitur pro legitima potestate ad rem aliquam obtinendam, vel ad aliquam functionem aut quasi functionem, cujus nempe potestatis derogatio et violatio injuriam efficit et constituit.

Notandum 3. Jus acceptum pro *justo speciali,* seu pro eo quod est *æquale,* et *debitum alteri,* esse formale objectum justitiæ particularis; quia ille peculiari ratione dicitur justus, qui hanc æqualitatem debitam amat, intendit, et servat; injustus autem qui eam non servat; subindeque hæc æqualitas, quatenus est debita, objectum formale justitiæ particularis constituit; objectum enim formale cujusque virtutis est illud bonum honestum quod per illam virtutem in opere intenditur. *Jus* autem acceptum secundo modo, scilicet pro *lege,* est regula justitiæ, et cæterarum virtutum; virtutes enim in suis actibus dirigi

debent secundum dictamen, et præceptum legum, etenim si non sint legibus conformes, non erunt studiosæ, nec laudabiles. Quatenus autem jus pro potestate legitima usurpatur, non est quidem *objectum quod* justitia intendit, sed objectum formale *cui;* nam in justitia sicut et in omni virtute, quæ est ad alterum, distingui potest objectum *quod,* et objectum *cui. Primum* est quod ipsa virtus intendit, et præstat exterius; et hoc in proposito est redditio rei æqualis quatenus debitæ, seu redditio debiti ad æqualitatem juris alterius, quod utique debitum non potest esse sine jure in altero; sunt enim correlativa; debitum enim juri est debitum; subindeque objectum justitiæ includit ordinem ad jus alterius. *Secundum* autem, nempe objectum *cui* justitiæ, est is cui debitum præstatur; is autem est proximus noster, quatenus jus habet ad aliquid, ratione cujus illud est ipsi debitum; ex jure enim ipsius in me vel in mea, nascitur in me debitum præstandi id quod illud jus impleat, et exhauriat; quod ut fiat debite, justitia inclinat ut id velim affectu, et præstem effectu.

His ita præmissis, duo hic supersunt aperienda: *Primum,* quænam sit juris universim spectati legitima definitio. *Secundum,* quotuplex sit illius in varias species, et partes distributio, ac divisio.

Conclusio prima. — JUS GENERATIM SPECTATUM RECTE DICITUR POTESTAS LEGITIMA AD REM ALIQUAM OBTINENDAM, VEL AD ALIQUAM FUNCTIONEM, VEL QUASI FUNCTIONEM OBEUNDAM, CUJUS VIOLATIO INJURIAM CONSTITUIT.

Primo dicitur *potestas,* idest, habitudo quædam ad aliquid; unde dicimur aliquid posse; qua ratione legimus *Genesis* 23. dixisse Abraham ad filios Heth: *Date mihi jus sepulchri,* idest facultatem sepeliendi; hæc autem potestas se habet vel per modum potentiæ activæ, ut quando est jus ad aliquid agendum, vel retinendum: vel per modum potentiæ passivæ, ut in jure quod habes, ut nutriaris a parentibus, custodiaris a principibus, ut tibi subserviatur a famulis: vel per modum potentiæ resistendi, ut in jure quod quis habet ne alius ædificet in tali loco, ne altius construendum murum attollat, quatenus videlicet non obsit visui, nec lumini. — **Secundo,** *legitima,* idest, a lege concessa; nam facultas quæ secundum legem non est, non est jus sed vis et injuria. Lex autem hanc potestatem concedens, vel est divina positiva, v. g. ad sacramenta percipienda: vel est naturalis, v. g. ad usum membrorum ad vitam per cibum et potum sustentandam, ad vim vi repulsandam: vel denique est humana, puta ad successionem hæreditatis, ad acquirendum, possidendum, retinendum, et alienandum per varia contractuum genera; tot etiam sunt genera jurium, quot sunt genera legum, quæ jus tribuunt. Ex quo sequitur hanc potestatem non esse quid physicum, sed morale dumtaxat competens homini ex aliqua Dei vel hominum ordinatione, deputatione, aut concessione. — **Tertio** *ad rem aliquam,* ut ad obtinendum rem aliquam per successionem hæreditariam, per testamentum, per donationem liberalem, per contractus, per occupationem. — **Quarto** *ad functionem,* ut ad liberum usum membrorum, et bonorum suorum, ac rerum sibi speciatim attinentium. *Vel quasi functione,* v. g. ad possessionem civilem et naturalem, ad retinendum dominium, statum, et conditionem

in qua est. — **Quinto denique** additur, *cujus violatio injuriam constituit;* quia injuria nihil aliud est, quam alieni juris violatio, quod utique fit quando jure manente contra illud agitur. Hinc quando quis privatur officio amovibili ad voluntatem superioris, non fit ei injuria, nisi aliunde habeat aliud jus ad illud officium obeundum, potest enim jus esse ad jus, et dominium juris.

Ex his colligе, jus interdum ab *æquo*, et *bono* distingui in multis quæ refert Ludovicus Vives *in scholio ad* lib. 2. *De Civit. Dei*, cap. 17. Unde Aristoteles 5. *Ethicæ* c. 10. ait *æquitatem esse justi emendationem*, non quidem quatenus justum sumitur pro debito naturali, quod est rectum secundum naturalem rationem; hoc enim nusquam deficit si ratio non erret; neque etiam quatenus *justum* sumitur pro justo legali, quod scilicet lege humana constituitur: licet enim hoc interdum deficiat, defectus tamen iste non ex lege, aut ex legislatore, sed ex materia ipsa provenit. Unde hoc alterutro modo sumpta æquitas, non est emendatio juris, sed potius illius origo, et regula, juxta illud l. 91. ff. de regul. jur. *In omnibus, maxime tamen in jure, æquitas spectanda est:* itaque æquitas dicitur esse justi emendatio, quatenus æquitas sumitur pro prudenti moderatione legis scriptæ præter vigorem verborum ejus, inquit Suarez lib. 1. cap. 2; et sic æquitas dicitur opponi stricto juri, qua ratione Terentianus dixit: *Inter jus, et æquitatem hoc interest, jus est quod omnia recta et inflexibilia exigit, æquitas est quæ de jure multum remittit.* Utique de jure legali in quod epiikeja cadit; siquidem spectat ad judicium viri prudentis verba legis humanæ interpretari, quando illius legis exacta observatio vergeret contra naturalem æquitatem. Qua ratione judex, aut princeps legem sic interpretans, dicitur non agere jure, utique materialiter et ut legis verba sonant, sed agere ex æquo, et bono. Et ideo forte jurisprudentia dicta est *ars boni et æqui*, quod in legibus interpretandis bonum et æquum semper intueri debet, etiamsi interdum oporteat verborum legis vigorem et tenorem temperare, ne ab æquo et bono naturali discedatur.

Conclusio secunda. — Jus generatim sumptum dividi potest primo in jus naturale, gentium, et positivum.

Jus naturale, inquit Doctor in 4. d. 17. q. 1. n. 3, *illud est cujus veritas est nota ex terminis:* nam, inquit, *tale est principium in lege naturæ sicut et in speculabilibus principium notum est ex terminis, sive quod sequitur evidenter ex tali vero sic noto, cujusmodi est conclusio practica demonstrata; et stricte loquendo nihil aliud est de lege naturæ, nisi principium vel conclusio demonstrata: sic tamen extendendo quandoque dicitur esse de lege naturæ, quod est verum practicum consonum principiis et conclusionibus legis naturæ: in tantum, quod statim notum est omnibus illud convenire tali legi.* Quibus Doctor duo docet: primum, illud esse de jure naturæ cujus honestas patet ex terminis; puta, *Deus est colendus:* vel cujus honestas infertur ex principio quod patet ex terminis; puta, *Sacrificia sunt Deo offerenda;* quod infertur ex illo principio *Deus est colendus.* Secundum vero quod ea censeri possint esse de jure naturæ, quæ ipsius juris principiis, et conclusionibus consentanea sunt. *Unde* in 3. d. 37. n. 5. duplex distin-

guit jus naturæ, nempe strictum, et strictissimum. *Dico*, inquit, *quod aliqua possunt dici esse de lege naturæ dupliciter: uno modo tamquam prima principia practica, nota ex terminis; vel conclusiones necessario sequentes ex eis: et hæc dicuntur esse strictissime de lege naturæ.* Subdit n. 8. *Alio modo dicuntur aliqua esse de lege naturæ, quia sunt multum consona illi legi; licet non sequantur necessario ex principiis practicis, quæ nota sunt ex terminis; et omni intellectui apprehendenti sunt necessario nota. Et hoc modo certum est omnia præcepta secundæ tabulæ esse de lege naturæ, quia eorum rectitudo valde consonat primis principiis practicis necessario notis.* Quibus Doctor aperte docet ad legem naturalem spectare non solum principia generalia per se nota circa naturaliter honesta, et necessaria; vel circa turpia, et illicita, ut virtutem esse amplectendam, vitium esse fugiendum, Deum esse colendum, suum jus esse cuique servandum, et non esse alteri faciendum quod quisque sibi fieri non vult: verum etiam præcepta particularia, et conclusiones deductas ex principiis generalibus circa quæcumque naturaliter necessaria, ad honeste et pacifice in societate vivendum, au circa illorum opposita; puta neminem esse occidendum injuste, non furandum, non fœnerandum ad usuram, et similia; quorum aliqua sunt per se nota lumine naturali, alia indigent discursu aliquo, vel disciplina ut hominibus præsertim rudioribus innotescant. Hæc autem omnia pertinere ad legem naturalem constat, quia ex ipsa rei natura. et seclusa quacumque lege positiva, sunt necessaria moraliter, eorumque contraria sunt illicita: quocirca S. Paulus ad Rom. 2. affirmat gentes ductum naturalis luminis sequentes, facere naturaliter ea quæ legis sunt, et esse sibi ipsis legem naturalem, scilicet testimonium illis reddente conscientia ipsorum. — ✳ " Duplici autem via, inquit Hugo Grotius, lib. 1. et c. 1. lib. *De jure belli et pacis*, aliquid esse juris naturalis probari solet: tum ab eo quod prius est, tum ab eo quod posterius; quarum probandi rationum illa subtilior est, hæc popularior. A priori si ostendatur rei alicujus convenientia aut disconvenientia necessaria cum natura rationali ac sociali: a posteriori vero, si non certissima fide, certe probabiliter admodum juris naturalis esse colligitur id quod apud gentes aut moratiores omnes tale esse creditur. Nam universalis effectus universalem requirit causam: talis autem existimationis causa vix ulla videtur esse posse præter sensum ipsum communis qui dicitur. Unde Hesiodus:

> *Non etenim penitus vana est sententia multi*
> *Quam populi celebrant.*

Cui concinit Seneca, ep. 117: *Argumentum*, inquit, *veritatis est aliquid omnibus videri.* Et Cicero, 1. Tusc. *In re consensio omnium gentium jus naturæ putanda est.* — Neque his officit quod quædam sint nationes immanitate barbaræ, quibus quod justum et æquum aliis videtur non arridet, quia, ait Andronicus Rhodius, *Apud homines recta sanaque mente præditos immutabile est jus illud naturæ quod dicitur. Quod si his, qui morbido distortoque sunt animo, aliter videtur, nihil id ad rem pertinet. Nam nec mentitur qui mel dulce esse dicit, ideo quod ægrotis aliter videatur.* Concinit Aristoteles, Pol. 1. v. *Quid naturale sit spe-*

ctandum in his quæ bene secundum naturam se habent, non in depravatis." *

Hinc colligit Doctor in 4. præfata dist. 17. *Quod non recte loquitur Gratianus de jure legis naturæ, volens illa quæ sunt in scriptura Veteris, vel Novi Testamenti de lege naturæ esse. Quia nec illa omnia sunt principia practica nota ex terminis, nec conclusiones practicæ demonstratæ; nec vera evidenter consona talibus principiis et conclusionibus. Exponendus ergo est, quod extendit jus naturale ad jus positivum ab Auctore naturæ, ut distinguitur contra jus positivum ab aliquo qui non est Auctor naturæ.*

Jus Gentium illud dicitur quod usu omnium aut plurium Gentium est introductum; ratione scilicet naturali præeunte ac dictante illud tamquam evidenter conveniens humano generi et societati. Hoc jure Gentium introducta est bonorum divisio, acquisitio dominii rerum, quæ nullius sunt, per earum occupationem. Ad idem pertinet Legatorum immunitas, et ea omnia quæ referuntur cap. *Jus gentium* dist. 1. quamquam inter illa computetur jus servandi fœdera pacis, et nonnulla alia quæ commodius referri possunt ad legem naturæ. Nec mirum est Gentes in hoc jus velut unanimi consensu conspirasse; cum illud rationi naturali maxime esse conforme cognoverint: proinde singulæ Gentes illo jure ligantur, quatenus nempe singulæ illud sive proprio suo arbitrio et inclinante natura, sive ad imitationem aliarum nationum sibi præfixerunt. Unde sicut moribus singularum Gentium est introductum, sic posset a singulis per contrariam consuetudinem aut expressam revocationem, absolute loquendo, tolli, prout Ecclesia sustulit jus gentium de servitute quoad mancipia christiana.

Jus positivum illud est, quod natura docente non instituitur, sed per voluntatem ejus qui potestatem habet ipsum ponendi et condendi. Quod pro diversa auctoritate diversum est; nam aliud est jus divinum, aliud humanum. *Divinum* quidem, quod divina voluntate sancitum est, quod solito duplex distinguitur, nempe *jus divinum Vetus*, quod in Veteri Testamento tulit Deus de ritibus, cœremoniis, et politia Judæorum; *et Novum, seu Evangelicum*, ut sunt ea omnia præcepta quæ vel ad mores probe formandos, vel administranda sacramenta in Novo Testamento sancita sunt. *Jus humanum* positivum illud est quod humana auctoritate, seu puri hominis conditum est; hocque iterum duplex; nempe *civile*, quod auctoritate Principum sæcularium; et *Canonicum*, quod auctoritate Pontificum, vel Conciliorum institutum est. — * " Justinianus lib. 1. *Institut.*, titulo 2. existimat jus civile a jure gentium in hoc distingui, quod jus gentium non ex institutis populorum æstimandum sit, sed ex eo quod justum esse ipsa naturalis dictat ratio, idest, insita animis hominum notitia honesti et turpis, justi et injusti. Civile vero quod peculiares populi aut eorum rectores ac principes pro recte ordinanda Republica et proprio subditorum ac communi Reipublicæ bono constituunt. *Jus*, inquit, *civile a jure gentium distinguitur, quod omnes populi qui legibus et moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum jure utuntur: nam quod quisque populus sibi jus constituunt, id ipsius proprium civitatis est, vocaturque jus civile, quasi jus proprium ipsius civitatis. Quod vero naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes*

gentes perœque custoditur, vocaturque jus gentium, quasi quo jure omnes gentes utantur. Aut certe moratiores, nam, ut supra diximus, quid sit naturale et rectæ rationi consentaneum spectandum est in his qui bene secundum naturam se habent, non vero in depravatis, ut loquitur Aristoteles 1. Pol. 5. " ✳

Insuper jus dividitur in *jus simpliciter,* et jus *secundum quid.* Primum est quod reperitur inter personas omnino distinctas, et diversi ordinis, quale est jus inter principes, et subditos: *Secundum* est quod reperitur inter personas non omnino distinctas, sed tantum secundum quid.

Rursus *jus secundum quid* dividitur *in paternum, œconomicum,* et *herile.* Primum est inter patrem, et filium; cum enim filius sit pars paternæ substantiæ, non sunt personæ omnino moraliter distinctæ; nec potest inter ipsos perfecta constitui æqualitas; siquidem filius patri æquivalens reddere non potest: quamvis tamen jus istud dicatur *secundum quid,* vocatur autem jus, prout jus significat debitum; plus enim filius patri debet, quam alii personæ: idem judicium de jure inter Deum, et homines. *Jus œconomicum* est inter uxorem, et virum, qui censentur etiam moraliter una persona. *Herile* denique est inter dominum, et servum; hic est illius possessio, et instrumentum quoddam animatum, ait Aristoteles; unde inter illos non est jus nisi secundum quid.

Insuper jus, ex parte termini quem respicit, dividitur in *jus ad rem,* et *jus in re.* Jus ad rem, inquit Lessius *lib.* 2. *cap.* 2. *De jure in genere, dubitatione* 2. dicitur, quod non tribuit actionem in rem, sed tantum in personam. Tale jus est quod tibi competit per stipulationem, per donationem, per emptionem, aliosve contractus ante traditionem rei; si enim res illa alteri vendatur, et reipsa tradatur, manet illi, nec potes illam vindicare; quia non res erat tibi obligata, sed tantum habes actionem personalem in eum qui te fraudavit: tale etiam jus est, quod habes per electionem, postulationem, præsentationem ad beneficium: imo tale etiam est quod habes per collationem beneficii ante acceptationem, et per successionem hæreditatis, ante illius acceptationem. *Jus in re* dicitur quod tribuit actionem realem, seu quod rem obligatam habet. Tale est quod habetur per emptionem, et alios contractus, secuta rei traditione; per collationem beneficii, secuta acceptatione; per testamentum vel successionem ab intestato, secuta acceptatione: tale etiam jus est dominium rei, et ususfructus, idest, jus utendi et fruendi respective eo quod subest illis juribus; item jura quæ dicuntur servitutes; jus etiam hypothecæ, et pignoris: denique omne jus quod rem aliquam sive corporalem, ut sunt agri, domus, suppellex; sive incorporalem, ut sunt officia, beneficia, redditus, servitutes, et similia, ita nobis obstrictam tenet, ut ex ea possimus percipere fructus, vel emolumenta, vel securitatem creditorum, vel honorem, dicitur jus in re. Quocumque autem res talis transeat, potest vindicari tamquam nobis obstricta; quia res omnis transit cum suo onere quo est affecta. — *Rursus,* utrumque jus sive *in re,* sive *ad rem* varie distribuitur; scilicet in dominium, usumfructum, usum, possessionem, etc. *Dominium* in genere est jus gubernandi vel disponendi de re aliqua tamquam sua. *Suum* autem dicitur, quod ita subjectum

et adstrictum est illi, cujus esse dicitur, ut possit de eo disponere proprio jure, non ex commissione alterius. Sic Deus jus habet in universam creaturam tamquam rem suam, quia potest de illa statuere quod placuerit. Sic pariter Rex habet jus et dominium in suum regnum, et quivis in suas possessiones. *Dominium* autem dividi potest in dominium *jurisdictionis,* et *proprietatis.* Dominium jurisdictionis est potestas gubernandi suos subditos. Gubernandi actus sunt præcipere, vetare, etc. *Dominium proprietatis* est jus disponendi de re aliqua tamquam sua in suum commodum. Ab hoc dominio quisque dicitur rei suæ dominus; sive ille sit persona privata sive publica, sive communitas. Nam persona publica et respublica potest possidere bona jure privato, instar privatæ personæ. — *Ususfructus* est jus rebus alienis utendi, fruendi, salva rerum substantia. Dicitur primo *jus utendi,* ut excludatur jus, quod habet creditor in pignore, vel depositarius in deposito: hi enim non possunt uti rebus illis; quod si utantur invito domino, tenentur ei restituere æstimationem usus. Additur *fruendi,* ut excludatur nudum jus utendi re aliqua, puta equo conducto; etenim per usumfructum non solum rei usus, sed et fruitio conceditur, idest, jus percipiendi omnes fructus ex ea re provenientes. Additur tertio, *salva rerum substantia:* quia fructuarius debet rem integram proprietario reservare. Hinc fit ut usufructus proprie dictus non possit constitui in rebus quæ usu consumuntur, ut in vino, oleo, frumento, et pecunia. — *Usus* est jus utendi re aliena salva ipsius substantia. Quæ definitio patet ex supradictis de usufructu.

Ceteras juris divisiones colligere poteris ex variis legum divisionibus in præcedenti Articulo declaratis; cum enim leges vel in jure fundentur, vel jus ad rem conferant; sequitur totuplicis esse generis jura, quot sunt diversæ leges.

QUÆRES: *quomodo jus Gentium differat a jure pure naturali?*

RESPONDENT aliqui jus naturale a jure gentium in hoc discrepare, quod jus naturale commune sit omnibus animantibus tam brutis, quam hominibus, ✻ " ut supra diximus ex Justiniano, lib. 1. *Institutionum.* — **Verum hæc minus recte** nec apposite dicta esse satis superque declaravimus; ¨ ✻ nullum enim est jus revera commune hominibus, et aliis animalibus, quia bruta animalia non sunt capacia proprie obedientiæ, aut justitiæ vel injuriæ. *Insuper* lex naturalis generatim sumpta consistit in dictamine rationis naturalis: at tale dictamen in brutis reperiri nequit; adeoque in ipsis esse non potest jus aut lex naturæ. *Denique,* lex naturalis non regulatur per convenientiam ad naturam sensitivam, sed ad rationalem; dictat enim id quod naturam rationalem decet; et consequenter non spectat ad bruta, quæ sunt omnino rationis expertia.

RESPONDENT alii jus gentium pure positivum differre a naturali, quia illud est tantum concessivum, hoc vero etiam est præceptivum, idest, illud permittit tantum aliquid fieri licite; hoc vero insuper obligat ad illud faciendum. — **Sed contra;** id quod permittitur jure gentium, vel est licitum lege naturali, vel non. *Si primum,* ergo spectat ad legem naturæ. *Si secundum,* ergo jus gentium in ipsum jus naturæ militat ac prævalet, facitque licitum id quod ex natura rei erat illicitum.

Adde quod jure gentium multa sint, non solum licita, sed etiam præcepta: puta quod commercia sint ubique libera: quod sint quidam specialiter divino cultui deputati, per quos solum sacrificia licite fiant, etc.

Respondent nonnulli, jus gentium spectare ad homines non solitarie et seorsim spectatos, sed quatenus in aliqua societate congregantur: jus autem naturale non spectat ad ipsam communitatem præcise, sed ad homines sigillatim spectatos. — **Verum hæc etiam responsio non satisfacit**; nam ipsa societatis institutio, qua homines vivunt in conjunctione civitatis, aut regni, aut reipublicæ, provenit ex jure gentium, nec tamen oritur ex communitate; alioquin ex seipsa oriretur, et seipsam præsupponeret.

Verius ergo dicendum arbitror, jus gentium in hoc a naturali discrepare, quod quæ jure naturali prohibentur aut præcipiuntur, ita statuantur vi solius naturalis rationis; quæ vero prohibentur vel præcipiuntur jure gentium, adjunctam habent saltem interpretativam legislationem humanam, et institutionem extrinsecam communem omnibus, aut saltem plurimis nationibus. Hinc fit quod jus gentium revera sit humanum, et positivum, tam ex parte materiæ quam ex parte formæ: nam id quod jus naturale permittit tantum, jus gentium absolute statuit, et faciendum esse præcipit; sic v. g. jus naturale permittit tantum, ut sit agrorum divisio, si homines velint ea dividere quæ natura in commune exposuit: jus vero gentium statuit illam divisionem absolute fieri ad melius vitandam negligentiam colendi agros, et præcavendam confusionem ac perturbationem reipublicæ.

ARTICULUS TERTIUS.

DE LEGIS NATURALIS IMMUTABILITATE.

Quam fixe sit, quamque tenaciter hominum cordibus impressa nativa lex, eleganter ex Tullio explicat Lactantius lib. 6. *De Vero cultu*, cap. 8. ubi cum præmisisset nativæ legis nostris mentibus a Deo insculptæ elogia; maxime vero ex eo quod illa sic nos regat, sic nos gubernet, ut ad summum sapientiæ virtutisque portum sine ullo errore perducat, concludit: *Suscipienda igitur Dei lex est, quæ nos ad hoc iter dirigat, illa sancta, illa cœlestis, quam Marcus Tullius* in lib. *De Republica, 3. pene divina voce depinxit, cujus ego, ne plura dicerem, verba subjeci. Est quidem vera lex, recta ratio, naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat: quæ tamen neque probos frustra jubet aut retat, neque improbos jubendo aut vetando movet. Huic legi nec abrogari fas est, neque derogari aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec vero aut per senatum, aut per populum solvi hac lege possumus. Quo est quærendus explanator aut interpres ejus alius? Nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac: sed et omnes gentes, et omni tempore una lex, et sempiterna, et immutabilis continebit: unusque erit communis quasi Magister, et Imperator omnium Deus, ille legis hujus inventor, disceptator, lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet ac naturam hominis aspernatus, hoc ipso luet maximas pœnas: etiam si cetera supplicia quæ putantur effugerit.*

An autem revera ipsa nativa lex ita sit immutabilis, ut nullam prorsus mutationem usquam admittat, determinandum est in sequentibus Quæstionibus.

QUÆSTIO PRIMA.

AN ET QUOMODO LEX NATURALIS MUTARI POSSIT.

Notandum 1. Aliquid dici posse de jure naturæ duobus modis: *Primo,* positive, et proprie, quatenus natura directe illud præcipit, aut vetat, et ad id exequendum inclinat, ut Deum esse colendum, alteri non faciendum quod tibi fieri non vis. *Secundo,* permissive, negative, et improprie; quatenus lex naturæ contrarium non inducit. Qualiter S. Thomas 1. 2. qu. 95. art. 5. ad 3. dicit *quod hominem esse nudum est de jure naturæ;* quia natura non dedit ei vestitum; sed ars adinvenit. Similiter hac ratione jure naturæ dicuntur omnia communia, et omnium unam esse libertatem, quia scilicet possessionum distinctio, et servitus non sunt inductæ a natura, sed per jus gentium, ac hominum auctoritatem, pro majori utilitate societatis humanæ.

Notandum 2. Duobus modis legem aliquam mutari posse: *Primo,* per additionem, si nimirum aliquid ad legis præcepta adjiciatur, quo ejus obligatio ad plura sese extendat, quam antea diffundebatur. *Secundo,* per substractionem, si nimirum aliquid desinat esse de lege, quod prius ad legem revera spectabat.

Notandum 3. Legem mutari posse per substractionem sex modis; *Primo,* per abrogationem, cum ea tollitur ex toto, sive Legislatoris voluntate et conniventia, sive contraria consuetudine, sive auctoritate ejus, qui Legislatore superior est; sive denique quando expirat tempus pro quo tantum erat constituta, expleto namque illo tempore lex non tollitur, sed impletur: unde Christus Dominus de Lege Mosaica ajebat: *Non veni legem solvere, sed adimplere;* quia nempe illa lex tantum erat constituta pro determinato tempore, et usque ad Messiæ adventum. *Secundo,* per derogationem, cum ex parte lex tollitur; unde Glossa ad caput *in istis* d. 4. ait: *Abrogare est in totum tollere legem: derogare autem est pro parte detrahere legi. Tertio,* per irritationem, cum cessat legis obligatio defectu consensus, aut aliorum necessariorum ad ejus vigorem, et firmitatem desideratorum. *Quarto,* per substractionem materiæ, quæ subest dispositioni legis, dum scilicet ipsa desinit esse materia legis, et subjacere ejus obligationi; quæ mutatio maxime locum habet in illis, quæ pendent ab umano consensu, et voluntate mutabili: ut in votis, juramentis, matrimoniis, et similibus. *Quinto,* per interpretationem, et epiikejam; dum scilicet determinatur ab aliquo superiore generale legis præscriptum non obligare in particulari certa materia: cum enim lex debeat esse universalis, et Legislator singulos casus prævidere non possit, necessum est ut per Epiikejam Legislatoris voluntas explicetur, etiam contra tenorem legis; ea scilicet intentione, quod si Legislator adesset, in tali casu legem non ferret. *Sexto* denique, per dispensationem, aut privilegium; quæ duo differunt: nam dispensatio est quædam partialis abrogatio legis; privilegium autem est quasi substractio materiæ legis, et conceditur tamquam jus privatum, quod

competit certis personis ad agendum contra jus commune. Unde in dispensatione mutatio fit ex parte legis, cujus vinculum relaxatur, remanentibus circumstantiis cum quibus alioqui lex omnes obligaret nisi esset illa relaxatio respectu personæ specialis. In privilegio autem fit mutatio ex parte subditorum, aut materiæ legis. Ex his autem omnibus legis immutationibus, quatuor priores in præsenti Quæstione suscipimus explanandas.

Conclusio prima. — Lex Naturalis mutari potest per additionem, non vero per abrogationem. Hæc conclusio duas partes complectitur; quarum

Probatur prima. Tunc mutatur lex per additionem, quando ipsi adjiciuntur aliqua nova præcepta, quorum ratione amplior sit illius obligatio, longiusque sese extendat: at possunt legi naturali aliquæ superaddi leges; multa namque præcepta superaddita sunt ad humanam vitam utilia, tam per legem divinam, quam etiam per leges humanas. *Secundo,* præcepta legis naturæ non ita sunt explicata, et nobis nota, quin sit in potestate Dei ex illis præceptis nobis notis conclusionem aliquam inferre nobis ignotam: atqui tunc lex naturalis mutaretur per additionem hujusce conclusionis, quæ haberet rationem legis naturæ proprie dictæ.

Probatur secunda pars, scilicet quod lex naturalis quoad sua præcepta generalia non possit mutari per abrogationem. Prima legis naturæ principia sunt omnino immutabilia; quia sunt in ipsa hominis natura fundata, neque potest natura mutari: et si mutaretur lex naturæ quoad hujusmodi principia, mutaretur et ipse Deus; unde nulla ratione abrogari possunt hæ leges generalissimæ naturales, *Bonum est sectandum, malum est fugiendum: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Confirmatur, quia ideo Isaiæ 24. lex naturæ appellatur, *fœdus sempiternum.* Et dist. 5. *Naturale jus* inter omnia primatum obtinet tempore, et dignitate; cœpit enim ab exordio rationalis creaturæ; nam nec variatur tempore, sed semper manet: unde Cicero lib. 2. *De Legibus,* legem naturalem appellat *æternum quiddam quod universum mundum regeret, imperandi, prohibendique sapientia.*

Dices: Homines in plurimis jus naturale, et legem innatam mutaverunt, ipsique derogaverunt quantum ad præcepta generalia: ergo nulla est præcedens assertio. *Probatur antecedens:* jure naturali bona omnia erant communia, et omnes libertate donabantur; accedente tamen hominum voluntate, et potentium imperio, inducta est bonorum divisio, et proprietas, necnon et servitus: ergo revera lex naturalis potest pati mutationem. *Insuper,* Glossa *in cap.* 17. *Ecclesiastici* diserte pronuntiat naturæ legem aliquando emendari, et corrigi per legem scriptam: sed hæc emendatio veram et essentialem mutationem infert: ergo lex naturalis vere mutari potest. *Denique,* ut se habet Princeps ad legem positivam et civilem, ita se habet Deus ad legem naturalem: non enim minus legis naturæ est conditor Deus, quam Princeps humanæ: sed Princeps potest quamlibet legem civilem abrogare et rescindere: ergo pariter Deus legem naturalem abrogare potest, subindeque hæc non est absolute immutabilis. — **Respondeo** *ad primum* negando *antecedens;* et ad ejus probationem dico, bonorum

communitatem, et libertatem, non ita esse de jure naturæ quasi ipsa lex absolute prohibeat ne homines bona quædam sibi faciant propria, neve suam libertatem alteri subjiciant, si ita voluerint: ipsa namque lex permittit hominibus, ut bona sua inter se dividere possint, et disponere ne sua libertate, cujus domini sunt, eamque alteri vendere, vel subjicere, quare rerum divisio, vel servitutis inductio, nec est contra legem naturæ, nec eam mutat, sed tantum facit quod illa lex fieri permittit. Eatenus igitur bonorum communitas, et libertas dicuntur esse juris naturalis, quatenus natura confert jus dominationis in omnia bona, et in propriam libertatem; ita ut non possent homines inviti, aut sine justa causa illo jure spoliari, et ab ejus usu præpediri. *Ad secundum* dico, legem scriptam ideo dici datam ad correctionem legis naturalis, vel quia per legem scriptam suffectum est, ac suppletum quod legi naturæ deerat; vel quia nativa lex ob morum corruptionem ac depravationem, ita in aliquorum cordibus erat detrita, quamtum ad aliqua præcepta, ut existimarent aliqua esse licita, quæ naturaliter mala sunt; quocirca opus fuit lege scripta ad ipsius nativæ legis supplementum, et clariorem explicationem. *Ad tertium* nego *majorem:* non enim eodem modo se habet Deus ad legem naturalem: quo princeps ad positivam: nam princeps totam vim ac obligandi virtutem legi tribuit sola sua voluntate et auctoritate per extrinsecum imperium promulgata; Deus autem aliquam obligationem ex parte rerum supponit, quæ videtur essentialis ipsis rebus, quia honestæ sunt et bonæ ex natura rei; nam, ut supra diximus, hoc est discrimen inter legem naturalem, et positivam, quod lex naturalis præcipit ea quæ per se honesta sunt et bona, prohibet autem quæ per se mala sunt; lex autem civilis tantum efficit honesta quæ præcipit, mala quæ prohibet; adeoque inter utramque legem non est paritas.

Conclusio secunda. — Lex naturalis mutari potest per substractionem materiæ, quæ subest ejus dispositioni; nequit autem mutari per irritationem.

Probatur prima pars: Tunc lex mutatur per materiæ substractionem, quando materia, in quam cadebat legis obligatio, desinit esse materia legis: sed ita contingere potest. *Probatur:* lex naturalis statuit quod bonum alienum non sit retinendum invito domino, sed sit restituendum. Quod quidem nativæ legis præscriptum tamdiu obligat, quamdiu manet alienum; sed potest istud, quod erat alienum, fieri proprium; si nempe ille qui in bonum illud jus habebat, cedat juri suo. Sic etiam restituendi obligatio tollitur per legem præscriptionis; qua fit ut quod erat alienum jam amplius alienum non censeatur. Sic pariter de lege naturæ est quod depositum sit reddendum, quando res in deposito constituta non petitur in damnum alterius: sed quia contingere potest quod depositum petatur in alicujus perniciem, puta si furiosus ensem depositum petat quo possit quoslibet obvios homines trucidare: in his, inquam, casibus mutatur materia legis de deposito restituendo; adeoque lex ipsa materialiter censetur mutari. Non tamen mutatur formaliter, quia lex ipsa formaliter spectata non fertur in rem absolute consideratam, et sine debitis circumstantiis, sed prout illis subjacet;

dictat enim depositum esse reddendum, non simpliciter et absolute, sed dum non petitur in perniciem alterius; hoc autem præscriptum numquam variatur, nec variari potest; quippe cum sit simpliciter honestum et bonum.

Patet etiam secunda pars, nempe quod lex naturalis mutari non possit per irritationem. Si lex naturæ posset irritari, maxime vel ex parte consensus requisiti ad illius obligationem, vel per contrariam consuetudinem: sed neutrum potest affirmari. Non quidem *primum*: quia ut nativa lex vim obligandi habeat, non exigit hominum consensum, sed, ut diximus, ipsa ab Auctore naturæ cordibus nostris a nostræ formationis primordio inscribitur. *Secundum* etiam dici nequit: nam ut docet Gratianus dist. 5. cap. 1. *Naturale jus inter omnia primatum obtinet tempore, et dignitate, cæpit enim ab exordio rationalis creaturæ, nec variatur tempore, sed immutabile semper permanens:* et ut habetur in capit. *Quo jure*, dist. 8. *Jus naturæ prævalet consuetudini et constitutioni: quæcumque enim vel moribus recepta sunt, vel scriptura comprehensa, si naturali juri fuerint adversa, vana et irrita habenda sunt:* et cap. *Veritate* legimus: *Nemo consuetudinem rationi et veritati præponat, quia consuetudinem ratio et veritas semper excludit.* Quibus patet naturæ legem, per contrariam consuetudinem aut legem irritari non posse.

QUÆSTIO SECUNDA.

UTRUM LEX NATURALIS ADMITTERE POSSIT DISPENSATIONEM, ET INTERPRETATIONEM, SEU EPIKEJAM.

Notandum 1. Dispensationem distingui posse duplicem, nimirum proprie, et minus proprie dictam. *Prior* est relaxatio juris et præcepti, facta auctoritate superioris pleno suo jure utentis, quo scilicet pro libito et absque eo quod gravis quædam causa concurrens id exigat, aliquam personam eximit ab obligatione implendi ac faciendi quod lege præcipitur. *Posterior* vero est sola declaratio, qua superior significat quod, propter graves causas concurrentes, talis persona eximatur ab obligatione servandæ legis. Sic v. g. summus Pontifex pleno jure censetur perfecte dispensare, dum pro libito et motu proprio aliquem dispenset a jejunio servando in illo die quo ipse jusserat ab omnibus fidelibus esse jejunandum: dispensat vero improprie, dum v. g. declarat cum qui vovit continentiam, non teneri ad servandum votum quando incontinentiæ stimulis ita dire agitatur, ut evidens sit periculum alicujus fœdi criminis admittendi, et salutis jacturam faciendi. Prior dispensatio cadit in materiam auctoritati dispensanti subditam; posterior vero etiam ad materiam altioris ordinis, et sibi non subjectam spectat.

Notandum 2. Quod cum præcepta Decalogi sint in duplici differentia, eorumque aliqua dicantur *primæ tabulæ*, quæ Deum immediate spectant; alia vero *secundæ tabulæ*, quæ pertinent ad jus proximo servandum; cumque, ut jam diximus, præcepta primæ tabulæ sint de jure strictissimo naturæ, si tertium excipias, nempe de servando Sabbato, cetera vero sint tantum de jure naturæ proprio, non autem strictissimo; inde gravis inter Theologos difficultas oritur; num

Deus possit in aliquibus præceptis Decalogi dispensare. Hac enim de re duæ extremæ sunt sententiæ. *Prima* quidem negans Deum de potentia absoluta dispensare posse in aliquo præcepto Decalogi, præter tertium de sanctificatione Sabbati. Ita S. Thomas q. 100. art. 8. et ejus Commentatores ac Discipuli, quos citat et sequitur Suarez 2. *De Legib.* cap. 15. Salas tr. 14. disp. 5. sect. 9. Vazq. disp. 179. c. 2. Aversa q. 94. sect. 3. *Secunda* extreme opposita tenet Deum de potentia absoluta posse dispensare in aliquibus præceptis Decalogi. Ita *Doctor Subtilis* cum suis, Gabriel, Almainus, Marsilius, S. Bonav. 1. dist. 47. Ockam 2. q. 19. Petrus Alliacen. 1. dist. 14. Andr. de Castronovo dist. 48. Gerson. et alii. Hæc autem controversia ut facilius, et evidentius solvatur,

✳ " Notandum 3. Quod " ✳ omne præceptum, sive affirmativum, sive negativum, duo præcepta involvere; unum quidem *affirmativum*, alterum vero *negativum;* nam præceptum affirmativum de colendo Deo, v. g. non solum inducit obligationem positivam Deum colendi, et diligendi determinatis temporibus et opportunis, sed præterea involvit præceptum negativum numquam ponendi aut volendi ponere impedimentum quod ab isto divino cultu et amore præpediret: hoc autem præceptum negativum obligat semper et pro semper, quia nusquam licet velle non diligere, nec colere Deum. Similiter præceptum negativum non colendi falsos deos, nec occidendi sine causa, involvit ipsummet præceptum negativum quo prohibemur nullo umquam tempore cultum impendere falsis diis; et præterea involvit præceptum affirmativum applicandi omnia media, quæ videbuntur necessaria ad observantiam illius præcepti negativi. *Advertendum* quod quando præceptum est simpliciter negativum, tunc præceptum affirmativum ipsi adjunctum tantum determinat ad medium conducens ad observantiam illius præcepti negativi. Similiter quando præceptum est simpliciter affirmativum, tunc præceptum negativum, quod in eo involvitur, determinat solum ad medium necessarium ad observantiam præcepti affirmativi.

His ita præmissis, tria maxime determinanda sunt in præsenti Quæstione: *Primum,* quod Deus revera possit dispensare dispensatione proprie dicta in aliquibus præceptis Decalogi, et in iis quæ sunt de jure naturali. *Secundum,* an dispensare nequeat in duo priora præcepta primæ tabulæ. *Tertium,* an ex aliqua causa auctoritas humana, Pontificia aut civilis, in iis quæ juris naturalis sunt dispensare possit.

Conclusio prima. — Deus revera potest dispensare in aliquibus quæ sunt juris naturalis; maxime vero in præceptis secundæ tabulæ Decalogi, si octavum excipias. Ita Doctor præfata q. 37. n. 5. et sequentibus.

Probari solet hæc conclusio: *Primo* quidem variis Scripturæ textibus, quibus constat Deum dispensasse in præceptis secundæ tabulæ, necnon in iis quæ videntur esse de jure naturæ; siquidem *Exodi* 11. *et* 12. videtur dispensasse in septimo præcepto, *Non furtum facies,* cum Israelitis, ut nempe vasa Ægyptiorum furarentur: et *Deuteronomii* 23. cum iisdem Israelitis ut fœnerarentur alienigenis ad usuram, quod revera furtum est. Item pari ratione dispensavit in *sexto præ-*

cepto cum Osea jubendo ipsi ut acciperet mulierem fornicariam, et ex ea filios fornicationis susciperet. *Denique* dispensavit cum Abraham in *quinto præcepto* de non occidendo, cum ipsi imperavit ut filium suum interficeret et immolaret. Subindeque Deus dispensare potest, et de facto dispensavit in præceptis secundæ tabulæ, et quæ non sunt de jure stricto naturæ.

Fateor responderi posse *ad primum* caput, concessionem Israelitis factam ut Ægyptum spoliarent, et ut vasa aurea et argentea quæ commodato ab Ægyptiis acceperunt secum abducerent, non tam esse dispensationem septimi præcepti quam illius explicationem; siquidem per illud præceptum prohibetur solum ablatio rei alienæ, quæ autem Israelitæ ab Ægyptiis acceperunt, non erant bona Ægyptiorum, sed sua: primo quidem *titulo donationis* sibi a Deo factæ, qui cum supremam habeat potestatem ratione sui supremi dominii in omnia bona temporalia, et disponendi de eis pro beneplacito suo, potest etiam illa cui voluerit concedere. Secundo, titulo *mercedis laborum suorum,* qua erant fraudati ab Ægyptiis, ut testatur Scriptura sacra Sapientiæ 10. *Reddidit Deus justis mercedem laborum suorum;* oppressi quippe fuerant Israelitæ ab Ægyptiis gravissimis laboribus per varios annos absque ulla prorsus mercede. Tertio denique titulo *vindicante religionis;* nam inquit S. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 71. *Ægyptii erant sacrilegi, et iniqui; nam auro illo male utentes ad Creatoris injuriam, suis idolis serviebant, et homines peregrinos labore gratuito injuste ac vehementer afflixerant: digni ergo erant isti* (nempe Israelitæ) *quibus talia juberentur, et illi,* (nempe Ægyptii) *qui talia paterentur.* Quas rationes eleganter expressit Philo Judæus in lib. 1. *De vita Moysis,* ubi ait spolium illud Ægyptiorum, triplici titulo a peccato excusari, nimirum titulo laboris impensi, titulo compensandæ injuriæ illatæ, et titulo justi belli. *Primum,* inquit, *ut diuturni laboris necessariam mercedem reciperent. Deinde, ut pro acceptis tempore quo servierant injuriis, si non pro merito, aliquid tamen damni reponerent, sive ut bello victores victos spoliarent bonis.* — Reponi posset pariter *ad secundam,* quod illis verbis non fecit Deus facultatem Judæis fœnerandi ad usuram alienigenis; nam ubi dixit Deus, *Non fœneraberis fratri tuo ad usuram,* per hoc sufficienter significavit accipere aliquid ad usuram, esse simpliciter malum: unde dici posset quod licebat Judæis fœnerari materialiter tantum ad usuram alienigenis, non autem formaliter; quia quod exigebant supra sortem ab alienigenis, sua esse poterant, aut titulo donationis sibi factæ a Deo, qui est supremus rerum administrator et distributor, qua ratione ipsis dederat terram Amorreorum et aliorum: aut titulo justi belli, ut censet S. Ambrosius lib. *De Tobia* c. 15. ubi ait: *Ab illo exige usuram, cui merito nocere desideras, cui jure inferuntur arma, cui legitime auferuntur usuræ, quem bello vincere non potes. Ab hoc usuram exige, quem non sit crimen occidere: sine ferro dimicat qui usuram flagitat, sine gladio se degisse ulciscitur, qui fuerit usurarius exactor inimici.* Ad *factum Oseæ* pariter reponi posset ipsum jussum fuisse accipere in legitimum matrimonium uxorem quæ prius fuisset fornicaria: ita interpretatur S. Augustinus lib. *Contra Secundinum,* cap. 21. *Quid,* inquit, *inimicum fidei christianæ, si meretrix relicta fornicatione in castum conjugium commutetur?* Et infra: *Itaque cum*

meretricem Propheta fecit uxorem, ad vitam corrigendam mulieri consultum est, et figuræ Sacramentum expressum. Nec refert quod ibi subjiciatur, *Fac tibi filios fornicationis:* hæc enim verba significant, vel quod jubeatur Prophetæ ut filios ab illa muliere fornicaria genitos tamquam legitimos adoptet: vel quod ita dicantur filii fornicationis, quia nati sunt ex muliere quæ antea fuerat fornicaria; non enim est insolitum in Scriptura res interdum retinere denominationem eorum quæ antea erant: Eva enim post formationem suam appellata est ab Adamo os, *Os nunc ex ossibus meis;* quia ante formationem talis fuerat. Vel denique ut significaretur ipsos Judæos a vero Dei cultu recessisse, cultum idolis exhibendo, quod in Scriptura genus est fornicationis, juxta illud: *Maledicti qui fornicantur abs te.* Quapropter his textibus omissis,

Probatur Conclusio auctoritate S. Bernardi lib. *De Præcepto et Dispensatione* c. 3. ubi cum distinxisset *triplex necessarium,* nempe *stabile, inviolabile,* et *incommutabile,* dixissetque *necessarium stabile* id esse quod a superioribus traditum et sancitum stabiliter perseverat. nec omnino cujusvis subjectorum ea aliquo modo variare vel mutare conceditur: *necessarium incommutabile,* id quod divina ita constat et æterna ratione firmatum, ut nulla ex causa possit, vel ab ipso Deo aliquatenus immutari; *necessarium vero inviolabile* illud quod non ab homine traditum, sed divinitus promulgatum, nisi a Deo qui tradidit mutari omnino non patitur; subdit: *ut exempli causa,* non occides, non mœchaberis, non furtum facies, *et reliqua illius tabulæ legis scita: quæ etsi nullam prorsus humanam dispensationem admittant, nec cuiquam hominum ex his aliquo modo solvere aut licuit, aut licebit: Dominus tamen horum quod voluit et quando voluit solvit: sive cum ab Hebræis Ægyptios spoliari: sive quando Prophetam cum muliere fornicaria misceri præcipit. Quorum utique alterum quid nisi grave furti facinus? alterum quid nisi flagitii turpitudo reputaretur, si non excusasset utrumque factum auctoritas imperantis?* Censet ergo sanctus Bernardus revera Deum in aliquibus præceptis Decalogi posse dispensare. — *Nec valet* reponere cum Thomistis S. Bernardum intelligendum esse de dispensatione improprie dicta. Hæc siquidem responsio in ipsa sancti Bernardi verba aperte militat, ut constat tum exemplis ab eo prolatis; tum ex eo quod in illo libro expresse agat de dispensatione proprie dicta; tum denique quia sanctus Bernardus talem dispensandi auctoritatem Deo concedit qualem negat hominibus: at ipsimet adversarii fatentur, homines dispensare posse dispensatione improprie dicta in præceptis quæ sunt juris naturæ: ergo necessum est fateantur, sanctum Bernardum intelligendum esse de dispensatione proprie dicta quam Deo tribuit.

Probatur insuper Conclusio: Deus potest dispensare in præcepto de non occidendo innocente: sed præceptum istud est juris naturalis, et unum ex præceptis Decalogi: ergo in eis fieri potest dispensatio. *Minor* patet. *Major* probatur: ut Deus revera censeatur proprie dispensare in præcepto non occidendi innocentem, sufficit quod sua auctoritate efficiat, ut illa occisio, quæ alias esset illicita, fiat licita: sed id Deus præstare potest, imo de facto præstitit: ergo revera Deus dispensare potest in aliquibus præceptis Decalogi. *Major* constat; nam ideo prin-

ceps aliquis censetur dispensare in lege a se posita, et Pontifex dispensare in comestione carnis die veneris v. g. quia uterque efficit sua auctoritate, ut ille actus per dispensationem sit licitus in omnibus circumstantiis in quibus alias esset illicitus, si nulla ipsius adesset legis dispensatio. *Probatur minor:* occisio Isaac, quam Deo imperante efficaciter intendebat Abraham, habebat omnes circumstantias ob quas censenda esset prohibita per Decalogi præceptum *non occides*, si non adfuisset divina dispensatio, non minus quam comestio carnis die veneris ab homine sano ac benevalente habet omnes circumstantias ratione quarum esset actus illicitus, et peccaminosus si non adesset summi Pontificis dispensatio respectu istius hominis sani: ergo sicut illa comestio carnis ab illo homine sano revera fit licita ob dispensationem; ita pariter illa occisio Isaac innocentis revera etiam ob divinam dispensationem extitit licita: subindeque illa occisio solum non fuit mala propter dispensationem factam per idipsum divinum mandatum quo Deus illam occisionem præceperat; et consequenter verum est quod de facto Deus in aliquibus Decalogi præceptis dispensavit. — *Confirmatur:* Deus de facto præcepit Abrahæ filium suum interficere in illis circumstantiis, in quibus secluso præcepto peccasset eum occidendo; nec ulla intervenit mutatio moralis ex parte illius faciendæ occisionis præter mutationem quæ oriebatur ex illo præcepto, ut præceptum erat; ergo per veram dispensationem fecit Deus ut illa occisio, quæ alias esset illicita, foret licita.

Reponunt Adversarii, præceptum illud divinum datum Abrahæ de occidendo Isaac non potuisse habere dispensationis rationem; quia præceptum obligat ad aliquid faciendum, dispensatio vero talem obligationem non inducit, sed solum permittit rem licite fieri. — **Contra:** dispensatio, ut dispensatio est, præcise vim habet auferendi obligationem, et prohibitionem actus in quem cadit dispensatio; sed præceptum de re aliqua facienda, quæ alias prohibetur, habet eamdem rationem et vim: siquidem eo ipso obligat ad aliquid faciendum, et aufert prohibitionem qua illud cavebatur; licet præterea habeat rationem obligandi ad actum, in quo fit dispensatio, et cujus prohibitio per illud faciendum præceptum tollitur. Quod utique patet exemplo; nemo enim est qui non fateatur, quod si summus Pontifex præciperet alicui comedere carnes die veneris, alias obligato per Ecclesiæ præceptum ad eas non edendas; revera cum eo dispensaret summus Pontifex; adeoque præceptum de re facienda, quæ alias prohibetur, vim et rationem habet dispensationis. *Adde* quod qua ratione Deus præcepit Abrahæ occidere filium, potuit etiam non præcipere, sed ipsi concedere licentiam expressam et formatam eum interficiendi; at in eo casu talis interfectio foret licita: ergo proprie Deus potest dispensare in præcepto, *non occides*.

Reponunt 2. Verum quidem esse quod illa occisio foret licita ratione illius præcepti divini, quæ alias non esset licita si tale præceptum non adesset; verum, inquiunt, id non fieret per veram dispensationem, sed per materiæ subtractionem et mutationem; nam non quæcumque occisio vetatur per illud Decalogi præceptum, *Non occides*, sed tantum illa quæ fit privata auctoritate. Unde de facto Principes sæculares conferunt facultatem interficiendi, nec tamen dispensant in

illo præcepto. — **Contra**: si Principes sæculares, sua sola auctoritate possent efficere ut occisio hominis, quæ alias esset injusta, foret licita, revera censerentur proprie dispensare in illo præcepto, *non occides*, sicut dispensare possunt in legibus et præceptis a se positis: ergo cum Deus sola auctoritate sua possit dispensare, absque ulla mutatione materiæ, hoc est, remanente semper obligatione illius præcepti, *non occides*, quæ obligatio illam occisionem illicitam efficeret, nisi divinum interveniret vel præceptum, vel consilium; revera censendus est Deus in illo præcepto dispensare.

Reponunt denique alii, illud quidem præceptum Abrahæ datum esse dispensationem; sed non quæ sit relaxatio præcepti; sed tantum qua fit ut illa occisio Isaac non censeretur homicidium. — **Verum** hæc responsio prorsus est futilis: nihil enim aliud est dispensationem aliquam esse relaxationem præcepti, quam eam esse talem ratione cujus præceptum, quod alias obligaret, nisi ista dispensatio adesset, ea posita non censeatur obligare: sed illa dispensatio, qua Deus fecit ut absque ullo peccato Abraham posset suum filium interficere, erat hujusmodi: ergo pariter erat vere relaxativa præcepti.

Objicies 1. S. Augustinum asserentem Deum non posse dispensare in jure naturæ; nam libro *De vera religione*, cap. 31. ait: *Neque Pater de æterna lege judicare posset:* et libro primo *De libero arbitrio*, cap. 6. *Legi æternæ*, inquit, *semper est obtemperandum, et illam esse incommutabilem.* Et infra: *An potest aliquando injustum esse ut mali miseri, boni autem beati sint, aut ut honestus et gravis populus ipse sibi magistratus creet: dissolutus vero ac nequam ista licentia careat? Video hanc æternam et incommutabilem legem esse.* — **Respondeo**, has auctoritates recte posse intelligi de potentia ordinaria, qua nempe Deus juxta præscriptas a se leges, et regulas cuncta disponit, non autem de extraordinaria qua pro libito præter ordinationes a se conditas, potest aliquid per se præstare, vel præstandum ab alio præcipere: vel præfatæ auctoritates intelligi possunt de strictissima lege naturæ, qualiter arbitror primam et secundam auctoritatem esse accipiendas. Tertia autem intelligenda est de lege æterna et naturali, quantum est ex natura rei, et nisi interveniat actus aliquis divinæ voluntatis rem aliter disponentis: certum est enim quod esset injustum, ut populus honestus sibi crearet magistratus, si nempe Deus id vetaret, sicut revera vetare potest. Similiter etiam posset esse justum, ut populus dissolutus, et nequam non careret tali auctoritate cum facultate sibi creandi magistratus, si Deus ita imperaret.

Objicies 2. Si Deus dispensare posset in præceptis secundæ tabulæ, præsertim in eo *non occides*, sequeretur quod dari posset bellum utrinque justum sine ignorantia; nam ille cum quo dispensaret Deus in præcepto occisionis, posset licite aggredi aliquem; is autem quem invaderet, posset etiam licite se defendere, et invasorem impugnare et occidere; sed est contra communem Theologorum sententiam quod bellum possit esse utrinque justum sine ignorantia: ergo nostra assertio in communem Theologorum sententiam pugnat. — **Respondeo 1.** hanc objectionem tam in Adversarios quam in nos ipsos militare; siquidem non negant Adversarii quod Deus non possit dare licentiam in aliquibus casibus, in quibus non liceret interficere nisi Deus ita

concederet aut præciperet; id siquidem constat manifeste ex occisione Isaac Abrahamo demandata, sive interim Deus id faciat dispensando, ut asserimus, sive mutando materiam illam, eamque extrahendo ab obligatione juris naturalis, ut volunt Adversarii: sed in illo casu tam liceret ei qui esset interficiendus, se defendere et adversus impugnantem repugnare, si Deus daret licentiam occidendi sive mutando materiam illius obligationis, sive dispensando in eo præcepto *non occides:* adeoque hæc difficultas tam ab Adversariis quam a nobis est solvenda. *Respondeo* 2. negando *majorem:* non enim sequeretur bellum in illo casu utrinque justum; nam ille cui Deus præciperet interfectionem, non deberet eo ipso in omni casu velle interficere; sed teneretur abstinere ab interfectione in illis casibus, in quibus periculum esset ne ipse interficeretur, aut alios interficeret quos occidendi non haberet facultatem. Nam licet Deus dispensaret in præcepto legis naturalis quoad interfectionem Petri v. g. non tamen eo ipso censendus esset dispensare in præcepto naturali quoad interfectionem aliorum, aut quoad periculum manifestum propriæ occisionis: subindeque teneretur abstinere se ab interfectione facienda in eis casibus in quibus probabiliter periculum esset, ne aut interficeret quos occidere non licet, aut ipse interficeretur: unde si in iis casibus ab interfectione non desisteret, bellum ex parte ejus foret injustum, justum vero ex parte illorum quos aggrederetur. *Respondeo* 3. negando *minorem:* non enim absurdum est bellum utrinque esse justum; nam certum est quod dum Christiani Reges inter se decertant, plurimi ex militibus utriusque partis existimant se vocatos a suis Principibus ad bellum legitimum, adeoque tenentur ad interficiendos adversarios milites. Imo probabile censent aliqui, inquit Poncius, *Comment.* in dist. 37. n. 143. etiam ita præfatos milites ad occisionem teneri in eo casu quo per scientiam particularem quidam ex eis cognoscerent suum Regem non juste adversus alium Regem pugnare, dummodo publice non fiat compertum, nec ipsi possint id suadere rationibus opportunis absque vitæ suæ dispendio se ab interficiendis adversariis desistere: certum, inquam, est aut saltem probabile, quod in tali casu bellum inter milites esset utrinque justum, etiam absque ulla ignorantia ex parte ipsorum. — Adde ex Cavello in *Scholio* ad nu. 5. præfatæ quæstionis 37. quod in pluribus casibus videtur multis Doctoribus bellum posse esse utrinque justum; nam qui putat bona fide se pugnare, potest aggredi alterum quem novit innocentem, ut docet Soto 5. *De Just.* quæst. 1. art. 7. Item reus condemnatus contra scientiam privatam Judicis, potest resistere secluso scandalo, ut cum pluribus aliis affirmat *Covarruvias* 1. var. cap. n. 13. Item si duo in naufragio simul tentarent invadere scapham unius dumtaxat capacem, possent invicem juste utrinque pugnare pro ea sibi servanda, quo vitam quisque tueri posset, ut docet Major in 4. dist. 15. quæst. 22. etc. Potest ergo bellum aliquando esse utrinque justum.

Objicies 3. Præcepta legis naturæ sunt affirmativa vel negativa: affirmativa præcipiunt id quod secundum se justum est ac rectum; negativa autem prohibent id quod secundum se est iniquum et injustum: sed si dispensabilia essent præcepta affirmativa, liceret non facere id quod secundum se licet facere; similiter si præcepta nega-

tiva essent quoque dispensabilia, liceret facere id quod secundum se iniquum est atque injustum: at absurdum consequens: ergo et antecedens. — **Distinguo majorem**: affirmativa præcipiunt id quod justum est secundum se et independenter ab ullo prorsus legis præcepto, nego: dependenter ab aliquo præcepto, ratione cujus id quod præcipitur, censetur esse justum, et quod prohibetur censetur esse injustum, concedo. Licet enim aliqua videantur esse justa vel injusta, quatenus conveniunt vel disconveniunt legi naturali, necnon et rectæ rationis dictamini; attamen cum lex naturalis nihil sit aliud quam ipsa ordinatio Dei præscribentis ea quæ pro libito judicat esse convenientia vel disconvenientia creaturæ rationali, consequens est quod ratio illius convenientiæ vel disconvenientiæ maxime petatur ab ipsa Dei ordinatione. Similiter *distinguo minorem:* liceret non facere id quod secundum se justum est, remanente sub ratione justi, nego: non remanente sub eadem ratione, concedo: certum est autem quod res quæ justa erat, et idcirco necessario executioni demandanda ratione præcepti divini, talis esse desiuit, accedente divina dispensatione, qua posita, id quod justum erat, et necessarium facere, incipit esse licitum omittere.

Dices 1: Omnia præcepta legis naturalis habent fundamentum in natura, et eatenus sunt præcepta legis naturalis, quatenus conjunguntur cum natura: atqui natura nequidem per divinam potentiam variari potest; nam licet data quacumque creatura possit Deus producere perfectiorem in infinitum, non potest tamen facere hominem aliter quam sit: ergo pariter nequit in lege naturæ dispensare. — **Distinguo majorem**: illa præcepta fundantur in natura, idest, habent conjunctionem cum natura ex ordinatione Dei auctoris naturæ, ita rem statuentis, concedo: idest, profluunt ab ipsa natura per modum proprietatis inseparabilis, quasi illa invariata, hæc variari nequeant, nego: nam, ut diximus, cum ista ratio juris naturalis pendeat ab ipsa ordinatione Dei ut auctoris naturæ, cumque illa divina ordinatio sit libera, etiam Deus liberrime potest præcipere vel prohibere quæ judicaverit convenientia vel disconvenientia, ipsa natura secundum suam essentiam invariata permanente.

Dices denique: Dispensatio est imperfecta et inchoata legis abrogatio; sicut enim per abrogationem fit, ut manentibus omnibus aliis circumstantiis omnino eisdem, lex non obliget, quæ alioqui cum istis circumstantiis obligaret, ita dispensatio facit ut hunc non obliget quem alias obligaret: atque hinc abrogatio dicitur *mors legis;* dispensatio autem *vulnus legis:* ergo in ea tantum lege dispensari potest quæ potest abrogari; sicut ille qui immortalis est, invulnerabilis quoque est; at ex dictis supra, lex naturæ non potest abrogari, subindeque nec in ea dispensari etiam per Deum. — **Distinguo minorem**: lex naturæ non potest abrogari quantum ad omnia præcepta quæ continet, maxime vero quantum ad ea quæ sunt de jure strictissimo naturæ, qualia sunt duo præcepta priora primæ tabulæ, concedo: quantum ad alia præcepta, qualia sunt cætera primæ vel secundæ tabulæ (si mendacium excipias, nego: quemadmodum enim contendimus divina auctoritate in eis posse dispensari quantum ad aliquas personas, ita et dispensari posset quantum ad omnes; siquidem divina auctoritas, et potestas non magis limitatur, et arctatur respectu plurium quam respectu

unius: illa autem dispensatio generalis esset revera legis abrogatio: subindeque lex naturalis quantum ad ea præcepta divinitus posset abrogari.

Conclusio secunda. — Duo priora præcepta Primæ Tabulæ negative sumpta, quatenus videlicet prohibent irreverentiam exhibendam Deo, aut per cultum Deorum inanium, aut per divini ejus nominis assumptionem in vanum, sunt strictissime de jure legis naturalis; subindeque sunt etiam divinitus indispensabilia. Hæc est Doct. in 3. dist. 37. n. 6. ubi ait de præceptis primæ tabulæ, quia illa immediate Deum respiciunt pro objecto, duo quidem prima, si intelligantur tantum esse negativa. « Primum, *Non* « *habebis Deos alienos:* Secundum, *Non assumes nomen Dei tui in* « *vanum*, idest, non facies Deo tuo irreverentiam, ista sunt stricte de « lege naturæ, quia sequitur necessario, *si est Deus, est amandus ut* « *Deus:* et quod nihil est aliud colendum tamquam Deus, nec Deo « facienda est irreverentia: et per consequens in istis non poterit Deus « dispensare, ut aliquis possit licite facere oppositum talis prohibiti. » Hæc Doct. cui subscribunt omnes Thomistæ contendentes omnia præcepta Decalogi esse indispensabilia, proinde censent ea quæ sunt primæ tabulæ, maxime esse indispensabilia.

Probatur hæc Conclusio: Ex terminis notum est Deo non posse aliquam irrogari injuriam, aut irreverentiam absque culpa mortali: at summa Deo fieret injuria et irreverentia si ipse odio haberetur, aut debitus ipsi cultus alteri impenderetur: ergo hæc licite fieri non possunt. Probatur *major:* notum est ex terminis nullum malum morale esse faciendum, nec posse licite fieri id quod cognoscitur esse contra bonum honestum, et morale: inde namque sequeretur contradictio, nempe quod posset licite fieri, et quod ita fieri non posset: sed nullum malum morale potest esse majus quam inferre irreverentiam Deo summo bono: ergo non potest ipsi ulla ratione licite irrogari aliqua irreverentia. — *Deinde,* si Deus dispensare posset, et efficere ut irreverentia sibi licite fieret, maxime per actum suæ divinæ voluntatis, quo videlicet irrogatio irreverentiæ, quæ alias esset illicita, fieret licita: sed id efficere nequit mediante illo voluntatis actu: ergo nec in illo dispensare. *Major,* et consequentia patent. *Minor* probatur: non est magis notum ex terminis, aut ex aliquo principio quod quæ Deus jubet sint licita, et quæ prohibet sint illicita, quam sit notum quod in illo casu Deo sit irroganda irreverentia: ergo sicut nullo suæ voluntatis actu potest Deus efficere, ut quod juberet fieri, non fieret licite; aut quod prohiberet fieri, licite fieri posset, pro eodem instanti quo juberet aut prohiberet; ita efficere nequit ullo suæ voluntatis actu ut irreverentia sibi licite exhibeatur. — *Denique,* eo ipso quo aliquid fieret jubente Deo, non fieret ipsi irreverentia; siquidem non irrogatur irreverentia Principi, dum ejus præceptis et mandatis fit satis: ergo implicat ut Deus possit concedere facultatem irrogandi sibi irreverentiam.

Dices: Ex præcedenti Conclusione liquet, dispensari posse divinitus in præceptis negativis secundæ tabulæ quæ spectant ad proximi dilectionem: ergo pari ratione dispensari poterit in præceptis primæ tabulæ quæ Dei dilectionem et cultum concernunt. Patet *antecedens*

ex dictis. *Consequentia probatur:* omnia præcepta secundæ tabulæ fundantur in dilectione proximi, et ad ipsam tamquam ad caput unice revocantur: sed proximi dilectio necessario sequitur ex præcepto diligendi Deum: igitur si hæc Dei dilectio dispensationem non admittat, nec pariter admittet dispensationem dilectio proximi. *Major constat;* nam inquit Apost. ad *Rom.* 3. *Non adulterabis, non occides, et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Unde concludit ibidem Apost. *Qui diligit proximum, legem implevit.* Quod utique probatur auctoritate Christi Salvatoris Matth. 22. ubi sermonem faciens de præceptis diligendi Deum, et proximum, ait: *In his tota lex pendet, et Prophetæ:* igitur in isto præcepto: *Diliges proximum tuum*, includuntur necessario omnia præcepta secundæ tabulæ. Probatur *minor*, quod dilectio proximi sequatur necessario ex præcepto diligendi Deum: dilectio Dei, quæ est de jure naturæ, est dilectio perfecta, et non deordinata: sed dilectio ordinata non tendit in Deum sibi soli appropriandum, quasi diligens Deum nollet ab aliis diligi; quia amor boni communis ut appropriati soli diligenti est inordinatus; amor etiam alicujus nolentis dilectum ab aliis similiter diligi est imperfectus: ergo cum præceptum de diligendo Deo tendat in amorem perfectum, et ordinatum, etiam intendit quod Deum diligens velit ipsum pariter ab aliis diligi; proindeque amans Deum debet velle quod etiam proximus Deum diligat: sed talis voluntas est actus perfectissimus dilectionis proximi: ergo dilectio proximi necessario sequitur ex præcepto dilectionis Dei. — **Respondet Doctor** ✻ " ut jam dictum est, " ✻ tribus modis: *Primo* quidem negari posse *majorem:* non enim est certum quod diligere Deum sit strictissime de jure naturæ, in quantum præceptum illud est affirmativum, sed tantum in quantum est negativum, scilicet quatenus prohibet odium Dei: hinc cum præmisisset rationem pro tuenda parte affirmante, nempe quod præceptum de diligendo Deo aliquando obliget de jure naturæ, alias sequeretur hominem per totam vitam non teneri ad aliquem actum amoris Dei eliciendum, quod repugnare videtur rectæ rationis dictamini: postmodum partem negantem sic probat *ibidem* n. 7. Non est certum esse præceptum juris naturæ stricti quod aliquis homo Deum amet hodie positive: ergo nec cras, nec ullo alio tempore, quia non est potior ratio cur aliquis aliquo tempore determinato obligaretur ad Deum positive amandum quam hodie. *Et ideo*, inquit, *stricte loquendo non videtur quomodo possit concludi quando aliquis teneatur tunc vel nunc exhibere cultum Deo; et pari ratione nec aliquando indistincte, quia ad nullum actum tenetur aliquis pro aliquo tempore indeterminato ad quem non tenetur pro aliquo tempore signato, aliquibus opportunitatibus concurrentibus.* Hoc est, non potest aliquis teneri ad aliquem actum pro tempore determinato eliciendum, quin teneatur pro aliquo tempore determinato, quod posset determinari per occurrentes opportunitates, et particulares circumstantias aliquando concurrentes. Quocirca ratione utrinque librata, indiscussum relinquit Doctor an amare, et colere Deum positive, sit præceptum strictissimi juris naturæ. — *Respondet* 2. negando *minorem*, nempe quod *dilectio proximi sequatur necessario ex amore Dei.* Ad cujus *minoris rationem* dicit, quod etsi perfectus Dei amor, qui præciperetur per jus naturæ

strictum, non sit amor quo vellet quis appropriare sibi Deum, quasi nollet ipsum ab aliis positive diligi; tamen non posset esse amor quo necessario velit positive Deum ab aliis positive diligi, sed sufficit quod sit amor ipsius Dei secundum se, abstrahendo ab eo quod quis velit, aut nolit Deum ab aliis diligi. Ratio autem cur Deum amans perfecte, posset non teneri ut vellet positive ipsum ab aliis diligi, vel possideri, est quia forte non placeret ipsi Deo se communicare aliis hominibus sicut se communicat homini diligenti; aut quia non esset notum diligenti quod Deo placeret aliis se communicare sicut et sibi. Sicut enim licet Deus de facto velit communicare illis, quos prædestinat, et ut sic ab eis amore perfectissimo diligi, tamen non vult sese communicare eis, quos non prædestinat, aut ab iis taliter diligi: ita mirum non est, quod qui Deum diligit, posset non velle positive ipsum ab aliis non diligi, quia non constaret naturali cognitione talem amorem ab aliis hominibus elicitum Deo fore acceptum: atque adeo præceptum quo quis diligit Deum, non potest ipsum obligare naturaliter, ut velit ipsum ab aliis diligi. — *Respondet* 3. Quod etsi Deus esset diligendus ex strictissimo et indispensabili legis naturæ præcepto, et quamvis virtute ejusdem vel alterius præcepti similis diligendus esset proximus ea dilectione qua teneremur velle ipsum efficaciter diligere Deum, et pervenire ad beatitudinem; tamen exinde non sequeretur præcepta secundæ tabulæ esse naturali jure observanda, quia eatenus ex præcepto de habenda hujusmodi dilectione proximi sequeretur necessario observanda præcepta secundæ tabulæ, quatenus sine tali observatione non posset proximus tali dilectione diligi: sed ita non est; nulla enim repugnantia est quod quis vellet Deum diligere proximum, et ipsum pervenire ad ultimam beatitudinem, et simul vellet eum interficere, et bonis suis eum expoliare. Imo posset judicare, licet erronee, quod illa interfectio, et illa bonorum expoliatio conduceret ipsum ad beatitudinem assequendam; nempe si judicaret se esse in statu gratiæ, in quo si moreretur, haud dubie salvus esset: similiter judicare posset quod possessio bonorum temporalium foret proximo nociva ad beatitudinem obtinendam; adeoque quod expoliatio bonorum illorum conduceret proximum ad beatitudinem assequendam, et consequenter licet quis ex præcepto de diligendo Deo, positive teneretur velle etiam Deum a proximo suo diligi, non tamen inde sequeretur quod pari ratione teneretur ad observanda præcepta secundæ tabulæ. — *Ad auctoritates* autem quibus suadebatur proximi dilectionem necessario sequi ex dilectione Dei, quæ est præceptum legis naturæ, *respondet* Doctor n. 12. primo quod illa, ad quæ sese extendit dilectio proximi, sequuntur quidem ex principiis legis naturæ, non tamen sunt revera de stricta lege naturæ, sed solum reductive; ideoque per se non sunt indispensabilia: quamvis enim præcepta secundæ tabulæ sequantur ex dilectione Dei naturaliter, non tamen inde inferre licet quod illa sint indispensabilia, sed tantum concluditur, quod qui Deum diligit, etiam tenetur et proximum diligere, et ipsi non dare occasionem offendendi Deum; nec ullam ei inferre injuriam ejus bona auferendo: quamvis hæc non ita necessario sequantur, quin pro libito possit Deus hic et nunc dispensare cum aliquo in illa prohibitione de auferendis proximi bonis, et inferendis ipsi injuriis.

Dices 2: Quæ fiunt contra præcepta secundæ tabulæ, directe militant in ipsam naturæ legem, subindeque per se et ex se mala sunt et illicita, etiam independenter a lege positiva: sed in iis, quæ per se mala sunt, Deus dispensare nequit; alioquin efficeret, ut malum licite fieri posset, quod implicat: malum enim ut malum, est illicitum: ergo in iis, quæ per præcepta secundæ tabulæ prohibentur, Deus dispensare nequit. — **Distinguo majorem:** militant in ipsam naturæ legem directe, et per se, nego: ex consequenti et illative, concedo: hoc est, non sunt de lege naturæ strictissima ac indispensabili; quippe cum nec sint principia, nec conclusiones talis legis; sed tantum consequenter ex talis legis conclusionibus inferuntur, subindeque censere non debent indispensabilia. *Vel aliter dico,* præcepta secundæ tabulæ esse quidem prohibita, aut præcepta a voluntate Dei, ut Auctoris naturæ, non tamen præcepta, aut prohibita sub pœna inferni, aut privationis vitæ æternæ. Aliquid enim potest esse prohibitum, aut præceptum dupliciter: uno modo sub aliqua pœna in genere et indeterminate, aut sub pœna determinata ordinis quasi naturalis, scilicet mortis temporalis, aut incarcerationis, vel jacturæ bonorum. Alio modo posset aliquid esse præceptum vel prohibitum sub pœna inferni et privationis beatitudinis, ita ut qui transgrederetur præceptum, merito judicaretur dignus esse inferno aut beatitudinis privatione. Non est autem necesse quod quidquid præcipitur aut prohibetur in Decalogo, maxime in secunda tabula, sit prohibitum aut præceptum præcepto juris naturalis obligante ad pœnam æternam inferni independenter ab aliqua positiva ordinatione Dei. Neque enim evidens est ex terminis, quod tanta sit malitia in adulterio, aut homicidio, aut furto v. g. ut propter illa commissa deberet quis puniri pœna tam dira et sæva, quam est illa pœna æterna sensus æterni quam de facto incurrunt omnes adulteri, homicidæ, et fures ex hac vita absque salutari pœnitentia migrantes: neque possunt assignari ulla principia, ex quibus id naturaliter colligi possit, præsertim cum ex natura rei non appareat qualiter per illa delicta inferatur injuria Deo, aut aliquid committatur, quod per se incompatibilitatem habeat cum ultimo fine.

Dices 3: S. Paulus ad *Romanos* 2. affirmat quod *qui sine lege peccaverunt sine lege peribunt.* Quibus significare videtur quod quamvis non esset lex aliqua positiva de præceptis Decalogi, qualis de facto data est Judæis per Moysem, et nobis per Christum, adhuc qui transgrederetur illa præcepta juris naturæ perire posset, et puniri æterna morte, ac amissione beatitudinis æternæ. Quod utique confirmatur ex eodem Apostolo 1. Cor. 6. *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare, neque fornicarii, neque adulteri, etc. regnum Dei possidebunt.* Igitur ex Apostolo, quamvis non esset lex positiva, nihilominus qui talia crimina patrarent, rei forent damnationis æternæ, subindeque lex naturalis obligat etiam ad pœnas inferni. — **Respondeo** negando *consequentiam:* nam Apostolus non loquitur absolute, et in casu in quo non esset lex positiva: sed de facto et prout nunc res se habet, scilicet quatenus fornicatio, adulterium, et alia ejusmodi prohibentur per legem positivam sub pœna damnationis æternæ. Ad priorem textum dico, Apostolum intelligi posse non de quibuscumque peccatis, quæ fiunt contra præcepta naturæ, sed tantum de illis, quæ fiunt

contra præcepta strictissimi juris naturæ, qualia sunt duo priora præcepta Decalogi, quibus prohibetur idolorum servitus, et irreverentia Deo exhibenda.

Conclusio tertia. — NULLA POTESTAS HUMANA, TAM ECCLESIASTICA QUAM CIVILIS, DISPENSARE POTEST IN IIS QUÆ SUNT DE JURE NATURÆ.

Probatur 1. auctoritate S. Bernardi in priori Conclusione laudata, ubi cum consensisset Deum posse dispensare in præceptis secundæ tabulæ, ait : *Quæ etsi nullam prorsus dispensationem admittant, nec cuidam hominum ex iis aliquo modo solvere, aut licuit, aut licebit.*

Probatur 2. ratione : Non potest inferior superiorem absolvere, ut constat dist. 21. cap. *Interior :* neque ligatum a superiore solvere potest inferior, ut habetur *c. Unico de Clerico ægrotante :* atqui si auctoritate humana dispensari posset in lege naturali, solveret auctoritas creata et inferior obligationem, quam ex Dei ordinatione homines contraxerunt : ergo etc. *Deinde,* ipsimet Principes et Ecclesiæ Præsules tenentur præceptis juris naturæ : ergo non possunt in eis dispensare. *Consequentia patet :* qui enim subduntur præceptis, et tenentur ad ea servanda, non possunt ab eorum præceptorum obligatione dispensare. *Antecedens etiam constat,* siquidem præcepta legis naturæ ad omnes omnino homines rationis compotes spectant : ergo maxime ad eos, qui præcipue ratione et prudentia pollere debent ut alios debite dirigant et ordinent. *Denique,* si Pontifices et Principes possent dispensare in aliquibus præceptis quæ vel sunt de jure naturæ, vel ad illud spectant, maxime possent dispensare in præceptis secundæ tabulæ : sed id præstare non possunt, alias possent dare potestatem fornicandi, interficiendi innocentem, et accipiendi aliena bona : hoc autem, ut constat, falsum est : igitur etiam falsum id unde sequitur.

DICES : Summus Pontifex dispensat interdum de residentia Pastorum : at Pastorum residentia est de lege naturali, ex Concilio Tridentino sess. 23. c. 1. *De reformatione :* ergo in eo dispensari potest. *Item,* de jure naturæ est, ut qui vovit, reddat Domino quod vovit : sed summus Pontifex dispensat in votis : ergo etc. — **Respondeo** *primo,* negando *minorem :* Conc. enim Trid. non affirmat residentiam Pastorum esse de jure naturali, sed tantum significat eam esse de jure divino, ait enim: « Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, « quibus animarum cura commissa est, oves suas cognoscere, pro his « sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum « administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pau« perum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, « et in cætera munera pastoralia incumbere, quæ omnia nequaquam « ab iis præstari et impleri possunt, qui gregi suo neque vigilant, « neque assistunt ; sed mercenariorum more deserunt : sacrosancta « Synodus eos admonet et hortatur, ut divinorum præceptorum me« mores, factique forma gregis, in judicio, ac veritate pascant ac re« gant. » Quibus verbis solum significatur residentiam Pastorum censeri posse non quidem de jure naturali, sed de jure divino positivo : nam ex illis non potest haberi quod residentia sit de alio jure, quam ex quo pastores obligantur ad præstanda munia, quæ absentes exequi non

possent: at Concilium significat quod ad ea præstanda teneantur, non ex jure naturæ, sed ex præcepto divino, subindeque residentia pastorum posset non censeri esse de jure naturæ. — *Respondeo* 2. distinguendo *majorem:* summus Pontifex dispensat de residentia pastorum dispensatione proprie dicta, quæ fiat proprio jure et propria auctoritate, quæ solvat residendi obligationem, absque externa gravi causa concurrente, nego; dispensatione improprie dicta quæ sit tantum declaratio pastores in eo casu non teneri ad residendum, propter graves causas, et eorum præsentiam alibi exigentes, et eos alio evocantes, concedo. Igitur summus Pontifex proprie non dispensat de residentia pastorum cum eis licentiam concedit alio migrandi; sed tantum declarat in aliquo particulari casu pastores non teneri ad residentiam: enimvero solum Pastores residere debent cum plebe sibi commissa, quando publici boni necessitas vel utilitas eos alio non vocat, quod utique prudenter declaratum est, et statutum in Concilio Tridentino loco laudato, ubi cum declarasset omnes Pastores, *Etiamsi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia, vel diœcesi residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur, neque abesse posse nisi certis de causis;* subdit: *Nam cum Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia ac evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas aliquos nonnumquam abesse postulent et exigant, decernit Sacrosanta Synodus has legitimæ absentiæ causas a beatissimo Romano Pontifice, aut a Metropolitano, vel eo absente suffraganeo Episcopo Antiquiori residente, qui ejusdem Metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis esse approbandas.* Non potest ergo summus Pontifex de facto dispensare cum Episcopis, ut non resideant pro eo tempore quo est obligatio juris, aut naturæ, aut divini ad residendum, nisi ob gravissimam causam, talemque ob quam merito existimare possit, nec Deum nec naturam ea causa posita ad residentiam obligare. Quando autem ob leves causas Pastores a residentia dispensat summus Pontifex, si tamen id faciat aliquando, id solum præstat cum Pastoris præsentia non ita videtur gregi necessaria, aut utilis, quin prudenter existimari possit in eo casu, nec Deum, nec naturam talem residentiam præcipere. — *Ad secundum* dico eodem modo, quo ad primum; etenim summus Pontifex proprie non dispensat in ullo voto aut juramento, nec etiam in matrimonio rato; sed tantum declarat propter graves concurrentes causas, eos qui votum emiserunt, non teneri ad id implendum in tali casu particulari ex lege naturæ; nam est quidem de jure naturæ, ut qui vovit, remanentibus omnino iisdem circumstantiis, reddat Domino quod vovit; non est autem de jure naturæ ut votum persolvatur in aliquibus circumstantiis et casibus concurrentibus, nempe si materia voti reddatur moraliter impossibilis: v. g. si quis vovisset dare centum aureos Ecclesiæ infra annum, post mensem autem omnibus bonis spoliaretur, et in extremam necessitatem redigeretur, tunc ad solvendum votum non teneretur lege naturæ, quia voti materia est ipsi moraliter impossibilis; vel si observatio voti minoris sit perfectionis, et meriti apud Deum: ut si v. g. quis vovisset dare Ecclesiæ cereum, haud dubie voto satisfaceret si loco cerei daret aureum calicem, quia lex naturæ numquam obligat necessario ad omittendum majus bonum pro solvendo minori bono. Idem dicendum

quando occurrit periculum jacturæ majoris boni, puta si quis vovit castitatem voto simplici, et postmodum gravissimis ustulatus concupiscentiæ stimulis versaretur in periculo non solum votum infringendi, sed etiam peccandi peccato fornicationis, aut adulterii, aut aliquo alio deteriori, a quo periculo liberaretur, si a voto solutus licite ducere posset uxorem : hoc, inquam, in casu legitime declarat summus Pontifex ipsum non teneri lege naturæ ad permanendum in voto: tum quia ipse vovens moraliter censendus est non habuisse voluntatem extendendi votum suum ad istum casum moraliter impossibilem : tum quia lex naturalis non censetur obligare ad aliquid præstandum, unde tam grave damnum sequitur, quanta est incontinentiæ fœditas : tum denique quia ipsa ratio naturalis dictitat quod quando occurrit jactura necessario facienda duorum bonorum diversæ rationis et æstimationis, potius esse faciendam jacturam minoris, quam majoris boni : præstat enim pati abscissionem brachii, aut alterius partis corporis, quam mortem ipsam, quia corporis integratio minus est bonum, quam exterminatio vitæ. Unde cum status virginalis pudicitiæ, quantumlibet excellens, minus sit bonum, quam status gratiæ sanctificantis, cujus jacturam facere periclitatur is, qui vovit : in eo casu declarat summus Pontifex illum a voto absolvi, subindeque summus Pontifex non dispensat, nec dispensare potest in ullo voto perfecta dispensatione, sicut dispensare potest in legibus ecclesiasticis a se conditis pleno jure, et absque ulla causa.

Dices: Illa causa quam exigeret summus Pontifex ut dispensaret legitime, vel solvit obligationem juris naturalis, vel non: si non solvat: ergo censetur revera summus Pontifex pleno jure dispensare: si solvat, ergo frustra recurritur ad summum Pontificem pro obtinenda dispensatione illius obligationis, quæ jam nulla est. — **Respondeo**, equidem causam illam gravem occurrentem revera solvere obligationem legis naturæ, nec minus propterea recurrendum esse ad summum Pontificem, non quidem ut alligationem talem solvat, sed ut solutam declaret, tamquam Ecclesiæ supremum caput. Quemadmodum enim licet aliquis revera certus esset quod res, quam proximus detinet, ad se pertineat, non posset tamen licite aliquando ipsam sibi vindicare propria auctoritate, sed ad id esset expectanda et postulanda sententia judicis: ita pariter licet aliquis esset certus se habere sufficientem causam cur censeatur solutus ab obligatione voti persolvendi, non tamen deberet votum infringere donec exposita causa coram summo Pontifice, ejus declarationem haberet, qua nempe, et sibi et Ecclesiæ constaret ipsum amplius non teneri ad voti solutionem.

Instabis: Non solum summus Pontifex declarat nullam amplius urgere voti obligationem, sed etiam revera voventem ab ea solvit: ergo proprie dispensat. *Patet antecedens*, quia æque utitur verbo *dispensandi* dum solvit ab obligatione voti, ac quando dispensat de lege a se posita: sed dum hoc verbo utitur in solvenda lege a se posita, revera proprie, et pleno jure dispensat: ergo pari ratione dispensat dum solvit a voto. — **Nego antecedens**, et ad ejus probationem dico, quod etsi summus Pontifex in illis declarationibus utatur verbo *dispensandi*, non inde sequitur quod revera in illis dispenset: verbum enim *dispenso* est æquivocum, et significat aliquando quemcumque

actum superioris, quo aliquid fit, aut cognoscitur esse licitum, quod alias illicitum esset, aut licitum esse non cognosceretur, sive interim ille actus sit propria dispensatio, sive sola declaratio. Nec refert quod simpliciter utatur isto verbo in solvenda obligatione votorum ac in solvendis legibus a se positis: nam diversitas significationis in eo casu non est petenda ex verbis, sed ex natura rei subjectæ. Hinc quia materia juris Pontificii subjecta est absolute summo Pontifici, ita ut absque ulla causa antecedente suam volitionem possit concedere licentiam alicui id, quod præcipitur, non exequi, idcirco dum hanc licentiam concedit, proprie censetur dispensare: quia vera materia juris naturalis absolute non subjicitur ulli auctoritati humanæ; ideo non potest in ea dispensare summus Pontifex pleno jure, et nisi concurrat aliqua gravis causa. Unde tunc verbum *dispenso* ab eo usurpatum non habet veram, et propriam significationem: utitur nihilominus recte ipso modo loquendi: tum quia perinde est quantum ad praxim et usum communem fidelium: tum quia non parum conducit ad timoratæ conscientiæ simplicium scrupulos removendos.

Urgebis: Summus Pontifex facultatem habet solvendi quodcumque vinculum in terris, ut constat ex illis verbis Matth. 18. *Quodcumque solveris super terram erit solutum et in Cœlis:* ergo potest quodlibet vinculum voti, juramenti, et matrimonii rati pleno jure solvere. — **Distinguo antecedens:** habet hanc supremam auctoritatem respectu materiæ determinatæ, et sibi subjectæ, concedo: respectu cujuslibet materiæ, nego. Alias enim summus Pontifex dispensare posset in obligatione veritatis dicendæ, eliciendi amoris divini, servandæ vitæ innocentis: sicque efficere ut mendacium, odium Dei, et perjurium forent licita. Unde licet summus Pontifex in Ecclesia supremam habeat potestatem, tamen non censetur posse solvere quamlibet hominis dispensationem; alias cum etiam Imperator habeat supremam potestatem in rebus temporalibus, posset etiam solvere naturalem obligationem subditorum in promissis, pactis etc. quod tamen damnatur in Clementina *Pastoralis de re jud.* in fine, ubi habet quod Imperatori non liceat tollere, quæ juris naturalis sunt.

Quæres: *an lex naturalis admittere possit explicationem et declarationem?*

Affirmo: cum enim omnia quæ sunt juris naturalis non sint æque nota, et ad intelligendum facilia, cumque graves aliquando occurrere possint circumstantiæ, in quibus duo pugnantia naturæ præcepta servanda concurrere videntur, necessario opus est declaratione et explicatione, qua constat quidnam in illis circumstantiis sit faciendum. Sic v. g. licet lex naturalis præcipiat alienum esse restituendum, cum tamen præcipiat esse servandam vitam, et famam, inde fit quod non sit restituendus gladius furioso dum periculum adest ne vel ipsum, vel restituentem, aut alios occidat. Hæc tamen declaratio proprie non est dicenda Epikeia: cum enim hæc dicatur ab Arist. 5. *Ethicorum*, cap. 10. *Emendatio legis, ex ea parte qua deficit propter universale:* hæc cadere nequit in legem naturæ, quia hæc non prohibet, nec præcipit universaliter et absolute, sed tantum in iis casibus, in quibus

actus præceptus est necessarius ex natura rei, et actus prohibitus est malus, et necessario fugiendus.

DISPUTATIO TERTIA.

DE LEGE DIVINA.

Deum esse legum conditorem, legislatorumque Principem nemo sanæ mentis negare potest; ejus enim est universam mundi machinam, et maxime homines terræ incolas, legibus instruere, qui cuncta condidit, ut ad præscriptum sibi finem recto tramite collineent. Quocirca non satis ei visum fuit naturæ legem hominum cordibus inscribere, sed, inquit S. August. in Psalm. 50. *Ne sibi homines aliquid defuisse quererentur, scriptum est et in tabulis, quod et in cordibus non legebant: non enim et scriptum non habebant, sed legere nolebant: Appositum est oculis eorum quod in conscientia videre cogerentur, et quasi forinsecus admota voce Dei ad interiora sua homo compulsus est.* Hanc autem divinam suam vocem, et legem promulgavit Deus, tum Judæis, tum Christianis; illam quidem per Moysem; hanc vero per Christum: illam veterem quæ pene oblivione deletam legem naturalem in memoriam hominum, usumque revocaret; alteram vero gratiæ, quæ veterem imperfectam perficeret, et vacuam impleret. Quoniam autem hæc utraque lex ab æterno in Dei voluntate constituta simul et sancita fuerat, idcirco triplicem divinam legem solito congrue distinguunt Theologi. Quarum primam, quæ cæterarum caput est, Æternam appellant, secundam autem Mosaycam, tertiam vero Evangelicam, de quibus erit sermo in tribus sequentibus Articulis.

ARTICULUS PRIMUS.

DE LEGE DIVINA ÆTERNA.

Legem æternam appellat S. Aug. l. 1. *De Libero arbitrio,* cap. 5. et 6. *Summam rationem in Deo existentem, cui semper est obtemperandum, vel summam rationem qua justum est ut omnia sint ordinatissima,* vel ut inquit lib. 22. *Contra Faust.,* cap. 27. *Lex æterna est ratio vel voluntas Dei ordinem naturæ servari præcipiens, et dissipari vetans.* De hac autem lege nonnulla hic sunt delibanda, sequentibus in Quæstionibus. Quarum *Prima* aperiet, an et quid sit divina lex æterna: *Secunda,* quotuplex et qualis; *Tertia,* quænam habeat subjecta.

QUÆSTIO PRIMA.

AN ET QUID SIT LEX ÆTERNA.

Notandum 1. Rationem divinam, in qua maxime æterna lex statuitur, tribus modis posse considerari: *Primo* quidem, quatenus est cognitio omnium effectuum, tam actualium, quam possibilium: Deus enim novit, et vocat ea quæ non sunt tamquam ea quæ sunt, inquit Apost. ad Rom. 4. *Secundo,* prout est operativa creaturarum, aperiendo scilicet divinæ voluntati, eique demonstrando creaturas possibiles, quibus existentiam per divinum suum decretum concedere potest: quocirca apud Psalm. dicitur fecisse cælos in intellectu. *Tertio* denique,

divina cognitio spectari potest, quatenus est directiva, et gubernativa omnium creaturarum in suos fines. In hac autem postrema divinæ cognitionis acceptione maxime videtur esse constituenda æterna Dei lex.

Notandum 2. Quod etsi divina lex æterna cum divina providentia in eo conveniat, quod utraque videatur directio, et ordinatio rerum quarumlibet in fines sibi convenientes, tamen lex æterna a Providentia divina distinguenda videtur in multis. *Primo* quidem, in eo quod illa contineat regulas maxime generales, quibus res creatæ suos in fines ordinantur: unde per se primo respicit bonum Universi: Providentia autem divina complectitur solum privatas et speciales regulas quibus unaquæque res suum in finem dirigitur, et bonum singulare cujusque rei respicit. *Secundo,* lex æterna importat vim obligandi; Providentia vero nullam obligationem infert. *Tertio,* Providentia comparatur ad legem æternam, ut conclusio particularis ad principium universale; sicut enim lex positiva tradit in generali regulas; v. g. Deum esse colendum, juxta quas prudentia colligit hic et nunc esse operandum: ita lex æterna in Deo tradit regulas generales, quibus Deus intendit universum dirigi; puta lapidem moveri deorsum, ignem vero sursum: bonum esse sectandum, malum fugiendum: Providentia vero de motibus creaturarum disponit in particulari juxta speciale cujusque bonum: et ideo Providentia ad legem æternam tamquam ad principium reducitur.

Notandum 3. Legem æternam a cæteris legibus in eo distingui, quod lex æterna non sit lex data, sed ferens, non impressa, sed exprimens: non participatio legis alicujus, sed origo et fons omnium aliarum: ab ea namque leges omnes temporales derivantur, quæ ideireo dicuntur leges impressæ et participatæ. Insuper lex æterna est incommutabilis: cæteræ vero leges mutabiles sunt: unde S. August. lib. *De Vera relig.*, c. 17. ait: « ut ars medicinæ cum eadem maneat, neque ullo « pacto ipsa mutetur, mutat tamen præcepta languentibus, quia mu- « tabilis est nostra valetudo: ita divina Providentia (quam pro æterna « lege hic usurpat) cum sit omnino incommutabilis, mutabili tamen « creaturæ varie subvenit, et pro diversitate morborum, alia alii jubet « aut vetat utilia: unde non incipit ut ab ipsa morte ad naturam suam, « ea quæ deficiunt, idest ad nihilum tendunt, reducat, et firmet. Hinc « idem S. August. lib. 1. *De Liber. arbit.*, cum interrogasset: cum ergo « hæc sit una lex, ex qua aliæ omnes temporales ad homines regendos « variantur? Non ideo ipsa variari nullo potest modo? Respondet Evo- « dius: intelligo non posse omnino; neque enim ulla vis, ullus casus, « ulla rerum labes umquam effecerit, ut justum non sit omnia esse « ordinatissima, et quæcumque a lege æterna promanant, quantumvis « variabilia, non desinunt tamen esse ab ea tamquam invariabili ». *Tertio* denique, distinguuntur lex æterna, et temporalis, quod huic subjiciantur homines mortales, et adhuc miseri; illi vero beatitudine donati, et Deo fruentes, ut egregie apud eumdem August. ibidem c. 15. aperit Evodius dicens: « Beatos ob amorem ipsorum æternorum sub « æterna lege agere existimo; miseris vero temporalis imponitur ».

His ita præmissis, duo hic breviter supersunt aperienda: *Primum,* an ista sit admittenda æterna Dei lex a cæteris legibus distincta. *Secundum,* quæ sit ejus genuina definitio.

Conclusio prima. — Revera admittenda est æterna Dei lex, qua scilicet Deus ab æterno ordinat, quæ rationali creaturæ facienda sint aut cavenda, quo finem sibi præscriptum assequatur. Ita communiter Theologi cum nostro Alensi 3. part. qu. 26. memb. 1. quod utique firmatur primo auctoritatibus S. August. in primo Notabili laudatis. — Firmari potest etiam ipso Philosophorum sapientissimorum consensu; nam inquit Cicero libro 2. *De Legibus. Video sapientissimorum fuisse sententiam, ut legem neque hominum ingeniis excogitatam, neque scitum aliquod esse populorum, sed æternum quiddam, quod universum mundum regit, et imperandi prohibendique sapientia. Ita principem legem illam, et ultimam, mentem dicebant esse omnia ratione, aut cogentis,* idest præcipientis, *aut vetantis Dei; ex qua illa lex quam dii humano generi dederunt recte est laudata.*

Probat conclusionem Alensis *loco laudato* tribus rationibus. *Primo:* nullum malum debet esse impunitum; adeoque omne malum puniri debet per ordinationem alicujus legis: at omne malum non punitur per legem temporalem; nam inquit S. Augustinus lib. 1. *De Libero arbitrio,* cap. 5. *Videtur lex ista, quæ regendis civitatibus fertur, multa concedere atque impunita relinquere, quæ per divinam Providentiam vindicantur:* ergo debet admitti lex æterna, cujus illa divina Providentia est applicatio, per quam illa peccata puniantur. — *Secundo.* plurimæ sunt leges temporales invicem contrariæ, subindeque conciliari debent in aliqua ratione justitiæ: sed ita conciliari nequeunt nisi per legem contrariam non habentem, qualis est æterna; adeoque est admittenda. *Major* constat ex S. August. lib. 1. *De Libero arb.,* c. 6. *Duæ leges ita sibi videntur contrariæ, ut una earum honorem dandi populo tribuat potestatem: alia non, ut nullo modo in una civitate possent esse simul, numquid dicemus aliquam illarum injustam esse, et ferri minime debuisse? — Denique,* necesse est in Deo esse aliquam legem: sed hæc non potest esse nisi æterna: ergo necesse est aliquam esse legem æternam. *Minor* constat, Deus enim est immutabilis, subindeque nihil ipsi de novo potest accidere. *Major* similiter patet: cum enim Deus habeat Providentiam, necessario in eo supponitur ratio quædam practica totius gubernationis Universi, juxta illud Boetii 3. *De Consolatione: qui perpetua mundum ratione gubernas,* quocirca idem lib. 4. Prosa 6. ait: *Providentia est divina ratio a summo Principe constituta, qua cuncta disponit:* ergo illa ratio Dei æterna habet veram rationem legis; nam, inquit S. Isidorus 2. *Ethymologiarum,* si ratione lex constat, lex erit omne quod ratione constituitur.

Dices 1: Lex necessario requirit aliquem cui possit præscribi: sed ab æterno nullus extitit cui lex præscriberetur: ergo nulla lex æterna esse potuit. *Major* patet, lex enim est actus imperii; repugnat autem esse imperium, nisi existat subditus cui imperetur. *Minor* pariter constat, siquidem ab æterno solus Deus extitit, cui lex, et imperium præscribi non potest. — **Distinguo minorem:** non fuit aliquis subditus ab æterno existens realiter, et de facto, cui lex præscriberetur pro ipsa æternitatis duratione implenda, concedo: non fuit existens in idea, et decreto divino pro certa temporis differentia a quo lex illa tunc

esset implenda, nego. Similiter probationem *minoris* distinguo: imperium non potest esse æternum de facto, et actu intimatum subdito, concedo: non potest ab æterno esse conceptum in voluntate divina, cuncta ab æterno decernente quæ pro diversa temporis differentia executioni mandabuntur, nego.

Dices 2. De ratione legis est quod promulgetur; siquidem lex est ordinatio facta a superiore auctoritatem in communitatem habente, subditis intimata, et promulgata: sed ab æterno non potuit esse ulla legis promulgatio, quippe cum nullæ ab æterno fuerint creaturæ, quibus lex promulgari posset: ergo nec ulla lex potuit esse ab æterno. — **Respondet Alensis**, quod lex considerari potest, quatenus derivatur vel a legendo, vel a ligando. *Priori modo*, certum est ipsam esse æternam, quia in mente Dei legebatur ac manifestabatur, et quasi narrabatur; sic autem promulgatione non egebat. Secundum autem *posteriorem* derivationem, nempe quatenus lex ligat, potest iterum bifariam spectari, nempe active vel passive; scilicet vel ex parte Dei, vel ex parte creaturæ per legem ligatæ, vel obligatæ ad aliquid faciendum, vel omittendum. Priori modo æterna dici potest, si non secundum actum, saltem secundum habitum; eodem enim modo, inquit, distinguendum est de lege ligante in Deo, sicut de dominio divino; dominium autem divinum dicitur, vel secundum habitum, vel secundum actum. Sicut ergo dominium dicitur in habitu de Deo ab æterno, dominium in actu ex tempore, ita lex, si non importet habitum ligandi, sic ab æterno est in dispositione ad ligandum, et hoc modo dicitur lex æterna; sed si importet actum ligandi, non ita. Unde in summa respondet, ad rationem legis satis esse quod de se vim habeat ligandi, licet nondum actu liget, quia nondum est applicata, et promulgata. *Respondeo* 2. promulgationem legis posse considerari vel ex parte legislatoris promulgantis, vel ex parte subditi cui promulgatur. Priori modo lex prius est in legislatore promulgante quam in subdito cui promulgatur: unde in forma respondeo distinguendo *minorem:* nulla lex potuit ab æterno promulgari, promulgatione se tenente ex parte creaturarum, concedo: promulgatione se tenente ex parte Dei supremi legislatoris, nego. Quare autem hæc promulgatio ex parte Dei legislatoris sufficiat, non autem ea promulgatio sufficiat ex parte hominis legislatoris, sed necessario humanæ leges exigant manifestari subditis per promulgationem, ratio est aperta, quia nempe cum lex æterna sit Dei decretum immutabile, omnino invariabilis est: unde sine ulla sui mutatione ab æterno lata obligabit in tempore: decretum autem hominis mutabile est; hinc quamdiu non promulgatur per modum legis, semper se habet potius per modum propositi ferendi legem, quod potest revocari, quam per modum legis firmiter stabilitæ, et latæ. Unde in lege æterna nulla alia promulgatio publica requiritur, ut actu obliget, sed solum quod veniat in notitiam subditi. Quare si per internam revelationem nobis innotesceret divinæ voluntatis decretum, hoc sufficeret ad obligandum.

Conclusio secunda. — Triplicem æternæ legis definitionem profert S. August. Primam quidem *lib. de libero arb.* c. 6. dicens, « *ut breviter legis æternæ nomen explicem, ea est, quæ justum est, ut omnia sint ordinatissima.* Secundam vero profert lib.

De vera Religione, cap. 31. *Lex æterna est incommutabilis veritas, quæ est lex omnium artium, et lex omnipotentis Artificis.* Tertiam denique eodem libro, et cap. *De libero arbitrio*, dum dicit quod *Lex æterna est summa ratio cui semper obtemperandum est: per quam mali miseram, boni bonam vitam merentur: per quam illa, quæ temporalis est, recte fertur recteque mutatur.*

Hanc autem triplicem definitionem expendit Alensis *ibidem:* « Lex « æterna, inquit, potest considerari secundum respectum ad bona, vel « mala: vel secundum quod respicit bona tantum. Et hoc dupliciter, « quia potest considerari secundum quod respicit bona generaliter, vel « bona specialiter, quæ sunt bona rationalis creaturæ tantum. Quantum « ergo ad primam rationem, convenit ei hæc ratio: Lex æterna est, « qua justum est, ut omnia sint ordinatissima: lex enim æterna, se- « cundum quod est jus ordinandi, respicit bona, et mala: quia Deus « bona facit, et ordinat: malum autem non facit, sed ordinat: unde « sicut ordinare est actus communis ipsius legis respectu bonorum « et malorum, ita est notio ipsius prout respicit bona, et mala. Se- « cundum autem quod respicit bona generaliter, sive sint bona ra- « tionalis creaturæ, sive irrationalis, convenit ei ista ratio: lex æterna « est lex omnium artium, et lex omnipotentis Artificis. In quantum « enim est ars omnipotentis Artificis, respicit causam divinam, quæ « est ars, et causa omnium bonorum. Secundum autem quod respicit « bona rationalis creaturæ tantum, convenit ei ista definitio: Lex « æterna est summa ratio cui semper obtemperandum est, etc. Ratio- « nalis enim creatura ordinanda est per leges, unde lex temporalis « fertur ab homine, et super homines: et ita cum ei conveniat ferre « leges temporales ut dicitur in definitione, constat quod hoc est re- « spectu rationalis creaturæ. Similiter quod dicit: cui semper obtem- « perandum est, convenit ei respectu creaturæ rationalis, quia solum « rationalis creaturæ convenit ille actus qui est obtemperare. » *Adver- tendum est* autem trium illarum definitionum seu descriptionum postremam videri magis congruam: duæ nempe priores potius ad providentiam quam ad legem æternam spectant. Tertia vero ipsam legem æternam luculentius explicat. — Posset tamen brevius et clarius definiri, dicendo quod *Lex æterna est ipsa divinæ sapientiæ ratio, aut ipse divinæ voluntatis actus, quo Deus ab æterno decrevit creaturam rationalem teneri in tempore ad hoc, vel illud faciendum, vel ca- rendum.* — ✳ " Lex æterna est *summa ratio directiva omnium actionum et motionum.* Dicitur 1. *ratio,* eo quod lex quælibet sit *ordinatio ra- tionis* seu mentis. Dicitur 2. ratio *summa,* quia ultima est et suprema regula ad quam creaturarum ordinatio in finem exigitur. Dicitur 3. *directiva omnium actionum et motionum*, quia versatur circa actiones et motiones, eo quod motiones et actiones sint media per quæ creatura quælibet tendit ad debitum sibi finem.

Probatur 2. auctoritate S. Augustini qui legem æternam sic definit, lib. 22. cont. Faust., cap. 21.: *Lex æterna est ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.* Naturalis autem ordo creaturæ rationalis est, ut per amorem subdita sit Deo, et qualibet creatura etiam seipsa per eumdem amorem superior sit. Ordo naturalis creaturæ irrationalis est ut in eo sit situ, et

in eo loco, in quo universi ordo naturalis exigit. Iterum ab eodem Doctore sic definitur: *Æterna lex ea est, qua justum est ut omnia sint ordinatissima,* lib. 1. *De libero arbitr.,* cap. 6. " ✳

Dices: Legi æternæ, ex S. Augustino mox laudato, semper est obtemperandum: sed divinæ voluntati non est semper parendum; nam ex eodem S. Augustino in Enchiridio, potest bonus filius bona voluntate velle patrem vivere, quem Deus vult mori: ergo lex æterna non recte dicitur Dei voluntas. — **Respondet ad minorem Alensis** *loco laudato,* quod « rectitudo voluntatis nostræ non semper attenditur in « conformatione ejus ad divinam voluntatem respectu voliti, sed re- « spectu volentis. Motus enim voluntatis comparatur ad volentem, et « ad volitum: conformatio ergo voluntatis meæ ad divinam semper « debet esse quantum ad volentem, sed non semper ad volitum: unde « debeo me sic conformare ei, ut ego velim quod Deus vult me velle, « non autem ut velim quod vult semper. Unde super illud *Rectos decet « collaudatio,* dicit Glossa: *Convenit ut quodcumque vult Deus te velle, « velis et tu:* non dicit ut velis quodcumque vult Deus; et sic bonus « filius volens patrem vivere, quem Deus vult mori, conformat vo- « luntatem suam, et obtemperat divinæ: quia ipse vult ipsum velle, « scilicet patrem vivere. *Et hoc,* dicit Augustinus, *vult quod ipse « filius velit patrem vivere ex naturali pietate, quem vult mori ex suo « judicio.* »

QUÆSTIO SECUNDA.

QUALIS, ET QUOTUPLEX SIT LEX ÆTERNA.

Tria maxime veniunt hac in Quæstione resolvenda: *Primum,* an lex æterna sit omnino invariabilis et immutabilis. *Secundum,* an revera sit fons et origo omnium aliarum legum, tam naturalis quam positivarum. *Tertium,* an unica sit vel multiplex.

Notandum 1. Ex nostro Alensi, loco laudato memb. 2. legem æternam a nulla prorsus creatura, sed a solo Deo comprehensive cognosci posse: cum enim hæc nihil aliud sit quam prima veritas incommutabilis seu Deus ipse, certum est quod sicut solus Deus se ipsum comprehensive cognoscit, ita solus legem æternam comprehendere potest, et nosse infinitam illius præcellentiam omnesque ipsius dotes. Quocirca S. August. l. 3. conf. c. 3. ait: *Ignorabam, et non noveram justitiam veram interiorem ex justissima lege Dei omnipotentis, qua formarentur regionum mores, cum ipsa ubique esset.* Hinc lib. *De vera relig.* c. 31. ait: *Est lex secundum quam Deus judicat omnia, de qua nullus judicare potest.* Nihilominus hæc æterna Dei lex cognosci potest a creaturis, non solum intuitive a Beatis, sed etiam discursive a Viatoribus, videlicet in effectibus, qui aliquam referunt illius similitudinem, et irradiationem seu participationem, majorem vel minorem: tum quia omnis cognitio veritatis est quædam irradiatio legis æternæ: nulla autem est e creaturis intellectualibus, quæ veritatem non cognoscat, subindeque nulla est quæ aliquam æternæ legis notitiam non habeat: tum quia omnes creaturæ rationales impressam habent legem naturalem, quæ nihil aliud est quam quædam participatio et scintilla legis æternæ: tum denique, quia nulla est creatura rationis compos, quæ

non possit ex ordinatissima hujus Universi administratione judicare res omnes ita stabiliter, et invariate consistere per divinam, et supremam divini Administratoris gubernationem. Hinc S. Augustinus lib. *De vera relig.* cap. 30. ait: *Æternæ legis notio nobis impressa est: ea enim est qua justum est ut omnia sint ordinatissima. Licet ergo æternam illam legem comprehendere non possimus, nihilominus ipsam per varios suos effectus possumus cognoscere, sicut aliquis non videns Solem in sua substantia, ipsum per irradiationem, et diffusum lumen deprehendit.*

Notandum 2. Duplicem legis æternæ causalitatem erga cæteras leges posse distingui: alia enim est in genere causæ efficientis, quatenus videlicet Deus concurrendo cum intellectuali natura per rationis lumen, quod proximum censetur legis creatæ principium, et applicando intellectum Principis ad judicium præceptivum, dicitur esse causa universalis omnium legum. Cum enim in omnibus moventibus ordinatis virtus secundi moventis derivetur a primo movente, cumque Deus sit causa universalis influens esse in omnes effectus, hinc per legem æternam, quæ est in ipso suprema ratio gubernationis et administrationis, censetur ad aliarum legum constitutionem concurrere: ipsa namque lex æterna est veluti causa quædam universalis vim influens in omnes leges. Altera vero causalitas pertinet ad genus causæ exemplaris, quia omnis lex creata eatenus censeri potest habere vim dirigendi et regulandi actus humanos, quatenus conformatur legi æternæ, ut supremo ac perfectissimo suo exemplari in regulando.

Notandum 3. In qualibet lege distingui posse triplicem statum. *Primum* quidem quem habet in interna dispositione Legislatoris, quatenus in ejus mente jam illa lex censetur esse descripta, et ejus absoluto decreto ac firma voluntate stabilita. *Secundus* vero status est quem habet lex exterius constituta et proposita subditis a quibus est implenda. *Tertium* denique respectu rerum, quæ per eam legem præcipiuntur. Priori modo spectata æterna lex est internus Dei actus, quo nempe decernit ab æterno, quæ a creaturis implenda sint in tempore: posterioribus autem modis censetur esse quid externum. Quonam autem ex illis modis censeatur invariabilis, et multiplicabilis, hic erit determinandum.

Conclusio prima. — Lex æterna respective ad Legislatorem, est immutabilis: mutabilis autem per respectum ad subjectum cui imperat, et ad materiam circa quam versatur. Hæc Conclusio tres partes complectitur, quas tradit et confirmat S. Augustinus. Primam quidem lib. 3. *Confessionum,* cap. 7. ubi ait: *Ignorabam justitiam veram interiorem non ex consuetudine judicantem, sed ex lege rectissima Dei omnipotentis, qua formarentur mores regionum, et dierum pro regionibus, et diebus; cum ipsa ubique ac semper esset, non alibi alia nec alias aliter.* Quod autem est tale, inquit Alensis membro 5, est simpliciter immutabile: ergo lex æterna est simpliciter immutabilis. *Confirmat* idipsum idem S. Augustinus, libro *De vera religione,* ubi sermonem faciens de ea lege æterna, ait: *Quis dubitat istam legem intervallis locorum, et temporum, nec majorem esse, nec minorem, cum potentia superet omnia? Hæc est lex omnium artium,*

cum sit omnino immutabilis. Tres autem Conclusionis partes simul explicat et probat lib. 1. *De libero arbitrio*, cap. 6. ubi ait: *Lex illa, quæ summa ratio nominatur, cui semper obtemperandum est; per quam mali miseram, boni bonam vitam merentur; per quam denique illa, quam temporalem vocandam diximus, recte fertur, recteque mutatur; potest nec cuipiam intelligenti non incommutabilis æternaque videri?* Quasi diceret: Lex æterna, quæ est summa ratio rerum agendarum a Deo, est omnino immmutabilis secundum se; licet effectus ejus sint mutabiles, quia sunt temporales.

Probatur pariter Conclusio ratione theologica: Omnis actus internus divini intellectus, et divinæ voluntatis, est omnino invariabilis secundum se; variabilis autem penes diversa objecta intrinseca ad quæ terminatur: sed ipsa æterna Dei lex est actus tum intellectus tum voluntatis; siquidem est summa ratio, absolutumque Dei decretum quo Deus ab æterno statuit, et ordinavit, quæ a creaturis in tempore sunt implenda etc. *Major* constat ex iis quæ diximus de immutabilitate divinæ voluntatis. *Minor* pariter patet ex supradictis.

Dices 1: Omnis lex præcipiens contraria est mutabilis; variatur enim lex juxta mutationem præceptorum: sed lex æterna contraria præcipit, ut indicat S. Augustinus in libris Confessionum dicens: *Domine, si modo imperas quod aliquando vetasti, quis dubitat hoc esse faciendum?* — **Distinguit majorem Alensis:** Omnis lex præcipiens contraria secundum rationes contrarias, est mutabilis, concedit; secus, negat. Similiter distincta *minore*, negat *consequentiam:* lex enim æterna numquam diversa præcipit, secundum rationes contrarias, sed secundum rationem unam, et immutabilem, nempe secundum id quod judicat congruere sapienti rerum ordinationi juxta temporum varietatem. Unde tota mutatio in res ipsas temporales, non autem in legem æternam est refundenda. Sicut enim, inquit Alensis, ars medicinæ cum eadem maneat, nec ullo pacto mutetur, mutat tamen præcepta languentibus, quia mutabilis est nostra valetudo, ita divina Providentia, cum sit omnino incommutabilis, mutabili tamen creaturæ varie subvenit pro diversitate morborum; aliis alia jubet aut vetat: unde varietas est in effectu temporali.

Dices 2: Omnis sententia quæ fertur sub conditione, et non absolute, mutabilis est, et maxime illa quæ dependet cum hoc a libero arbitrio: sed sententia legis æternæ fertur sub conditione, et non absolute, et maxime dependet a libero arbitrio: ergo sententia legis æternæ est mutabilis; subindeque etiam illa lex est mutabilis. *Minor* patet: quoniam lex æterna nusquam judicavit nec dixit absolute: iste damnabitur; sed semper sub conditione hac: si fuerit malus finaliter: similiter non dixit absolute; iste salvabitur; sed sub hac conditione: si fuerit finaliter bonus: sed hæc utraque conditio bonitatis, aut malitiæ finalis pendet a libero arbitrio, subindeque sententia æternæ legis ab ea bonitate et malitia finali pendens est mutabilis. — **Respondeo** cum Alensi distinguendo *majorem:* illa sententia mutabilis est secundum actum quo fertur, et subjectum in quod fertur, concedo: secundum rationem ob quam fertur, nego. Et similiter distincta *minore*, neganda est *consequentia*. Verum quidem est quod licet contingens sit hunc finaliter in malitia vel bonitate finali permansurum, tamen

non est contingens quod si permaneat in malitia finali punietur; nec pariter contingens est quod si perseveret finaliter in bonitate, et statu gratiæ, præmiabitur. Nam, inquit Alensis, æterna Dei lex, et ratio quæ dicit quod si permaneas in malo finaliter, punieris; et si permaneas in bono finali, præmiaberis: hæc, inquam, ratio omnino immutabilis est, et absoluta: nec dependet ullatenus a libero arbitrio hominis in gratia vel peccato perseverantis: sicut ab alterutra perseverantia dependet pœnæ irrogatio vel præmii donatio. *Aliter* hanc distinctionem explicat Alensis dicendo legem æternam esse mutabilem secundum sententiam, non autem secundum consilium, juxta illud S. Greg. *Deus non mutat consilium, sed sententiam:* « Consilium « autem, inquit, est ratio divina secundum quam Deus dijudicat, et « disponit omnia: sententia vero appellatur ipse temporalis effectus, « qui sequitur ex consilio et ordinatione Dei. Si ergo, inquit, loquamur « de lege secundum rationem consilii, ipsa immutabilis est; si secundum « rationem sententiæ, sic est mutabilis, quia ipse temporalis effectus « sequens ex ipsa mutatur quotidie; sed ipsa ratio secundum quam « judicat, et disponit, et ex qua effectus derivatur, manet immutabilis. « Itaque secundum primum modum lex æterna dicitur, nempe qua- « tenus accipitur pro consilio vel ratione; sed secundum quod acci- « pitur secundum sententiam, non dicitur æterna, sed temporalis. »

Conclusio secunda. — OMNES LEGES JUSTÆ ET PROPRIE DICTÆ AB ÆTERNA LEGE DERIVANTUR.

Probatur 1. Ex Scriptura sacra, nam Proverb. 8. divina Sapientia testatur: *Per me Reges regnant, et legum Conditores justa decernunt.* Hinc Joannis 19. Christus Pilatum alloquens ajebat: *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Quapropter Apostolus Rom. 13. merito affirmat quod *non est potestas nisi a Deo: et qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Quod adeo verum est, ut etiam ipsa Tyrannorum potestas derivetur ab ipso Deo, qui eis regnum et principatum tribuit, propter vindicanda populi peccata: quamvis enim iniqua sint illorum judicia, justum tamen est populi peccata puniri per iniqua judicia: hæc autem ratio justæ vindictæ ab æterna lege derivatur.

Quam utique veritatem luculenter explicat S. August. lib. 1. *De libero arb.* c. 6. ubi scribit: *In lege temporali nihil justum atque legitimum, quod non ex hac æterna sibi homines deriraverint.* Et lib. 5. *De Civit Dei,* c. 21. *Non tribuamus,* inquit, *dandi regni imperiique potestatem nisi Deo vero, qui dat felicitatem regni cœlorum piis; regnum vero terrenum, et piis, et impiis, sicut ei placet cui nihil injuste placet.* Et paulo infra: *Qui dedit Mario, ipse Cajo Cæsari: qui Augusto, ipse et Neroni; qui Vespasianis, vel patri, vel filio, suavissimis imperatoribus, ipse et Diocletiano crudelissimo: et ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino Christiano, ipse et Apostatæ Juliano.*

Probatur 2. Conclusio inductione facta per omnes leges; siquidem lex ipsa naturalis ab ipsa lege æterna derivatur: omnis namque bonitas est universaliter a bonitate æterna; subindeque lex naturalis, quæ quod bonum est nobis instillat, est ab ipsa æterna lege, estque ejus participatio quædam mentibus nostris indita atque impressa, juxta

illud Psal. 1. *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Lex divina positiva est etiam illius æternæ legis derivatio quædam, quippe cum Deus nihil homini præscribat in tempore, cujus ab æterno non habuerit in seipso rationem. *Denique* omnes leges humanæ, quæ vel per discursum humanum, vel ex lumine et ratione naturali, vel ex ratione revelata colliguntur et statuuntur, etiam ab ipsa æterna Dei lege deducuntur : cum enim lex naturalis, et divina, ex quibus humanæ leges inferuntur, ab ipsa Dei æterna lege originem ducant, pari ratione ab ipsa deductæ censeri debent omnes illæ humanæ leges. Unde S. August. lib. 1. *De libero arb.* c. 5. *In temporali lege nihil est justum atque legitimum, quod non ex æterna homines sibi derivaverint.* Quod utique firmatur juxta illud Jacobi 1. *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum, apud quem nec est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

Dices 1: Illæ leges ab æterna Dei lege non possunt derivari, quæ ipsi opponuntur, et contraria statuunt: sed humanæ leges interdum sunt hujusmodi: lex enim humana impunitum relinquit, quod justum est puniri; nam inquit S. August. mox laudatus lib. 1. *De libero arbitr.* cap. 5. « ex illa quæ regendis civitatibus fertur, multa « concedit, atque impunita relinquit, quæ per divinam Providentiam « vindicantur »: ergo aliquæ leges humanæ æternæ Dei legi non concordant. Insuper, lex humana liberos et exemptos a pena judicat, quos ipsa æterna Dei lex cruciatibus addicit, ut ibidem confirmat S. August. exemplo illorum, qui occidunt ne occidantur, vel ne res temporales amittant. *Quomodo enim*, inquit, *apud eam,* scilicet legem æternam, *sunt isti peccato liberi, qui pro his rebus, quas contemni oportet humana cæde sunt?* Denique lex humana concedit aliqua mala fieri, necnon affectu libidinis, et inordinatæ voluntatis, quæ utique lex æterna Dei vetat, puta hominem occidere pro facultatibus servandis: unde S. August. ibidem: *Quomodo possum arbitrari istos carere libidine, qui pro his rebus digladiantur, quas possunt inviti amittere? aut si non possunt, quid opus est pro his rebus usque ad hominis necem progredi?* Cum ergo humanæ leges plerumque æternæ Dei legi adversentur, non videntur ab ipsa derivari. — **Distinguo majorem:** leges humanæ non derivantur ab æterna Dei lege, quæ ipsi contrariæ adversantur positive, et secundum rationem injustitiæ, et perfecta contrarietate, concedo: quæ solum adversantur negative, et ratione minus perfectæ conformationis, nego. Et similiter distinguenda est *minor.* Unde ad auctoritates S. August. dicendum est, *primo* quidem, quod lex temporalis ea solum punire debeat, quæ contrariantur suo fini, qui est conciliatio pacis inter homines: unde ipsa non assumit vindicanda mala, quæ turbant pacem hominis cum Deo; hæc enim relinquit æternæ legi Dei vindicanda, quod utique explicat idem August. ibidem dicens: *Videtur mihi legem istam, quæ populo regendo scribitur, recte permittere, et per divinam Providentiam vindicari; ea enim vindicanda sibi assumit, quæ satis sint conciliandæ paci hominibus imperitis.* Similiter, licet lex temporalis eos a pœna eximat, quos æterna cruciatibus adjudicat, invicem tamen pugnare non videntur; lex enim humana eatenus punit mala quæ suo fini, nempe paci conciliandæ inter homines, adversari deprehendit; lex autem æterna

cum non solum respiciat pacem conciliandam inter homines, sed etiam cum ipso Deo, inde fit quod eos interdum reos censeat, quos humana lex absolvit: unde ibidem S. Augustinus ait: *Laudo et probo istam*, scilicet legem temporalem, *quamvis inchoatam, minusque perfectam; videtur enim multa relinquere impunita, quæ tamen per divinam Providentiam vindicantur, et recte.* Denique ad tertium reponit ipsemet August. *quod nusquam temporalis lex jubeat aliquid fieri ex libidine, nam ex hypothesi quod aliquis vim vi repellat, aut id juste facit, et ordinate, puta causa civium tuendorum, sicut miles vel judex, qui est minister legis; aut id inordinate præstat. Si primum, obtemperare debet legi sine libidine quæ id præcipit. Si secundum, non id lex præcipit, sed relinquit in ejus potestate: liberum enim est ei hominem occidere pro his rebus quas invitus potest amittere.*

Dices 2: Si omnes leges humanæ derivarentur a lege æterna, non essent inter se contrariæ: constat autem quod leges humanæ, etiam justæ, sunt interdum etiam contrariæ: ergo etc. — **Nego sequelam**; nam ideirco contrariæ sunt, quia lex æterna talem inter eas contrarietatem postulat: cum enim lex æterna sit ordinatissima, exigit juxta varias circumstantias, quæ in subditis occurrunt, ut mutatio fiat in lege; alias inordinatio esset si iisdem legibus dirigerentur qui varie sunt affecti. Unde S. August. lib. *De vera Religione* cap. 17. *Sicut ars Medicina cum eadem maneat, neque ullo pacto ipsa mutetur, mutat tamen præcepta languentibus, quia mutabilis est nostra valetudo, ita divina Providentia cum sit ipsa incommutabilis mutabilitati creaturæ varie subvenit, et pro diversitate membrorum aliis alia jubet, aut vetat.*

Dices 3: Leges humanæ non derivantur ab æterna, neque tamquam conclusiones, quia non necessario sequitur lex humana ex principiis æternæ legis; neque tamquam determinationes ejusdem legis æternæ, quia homines legum conditores ignorant quid fuerit ab æterno ordinatum circa leges quas statuunt: ergo etc. — **Respondeo**, humanas leges ab æterna lege derivari mediante lege naturali, a qua procedunt, vel per modum conclusionis ex principiis, sicut v. g. *non est occidendum*, colligitur conclusio ex eo præcepto naturali, *faciendum non est malum:* aliquæ vero derivantur per modum determinationis, sicut lex naturæ v. g. quod qui peccat puniri debet: sed quod puniendus sit tali vel tali pœna, hoc determinatur a lege humana. Quæ sunt primi modi, vigorem habent non solum a lege humana, sed etiam a lege naturali: quæ vero secundo modo statuuntur, ex sola lege humana vim obtinent: unde licet qui legem condit ignoret quid fuerit ab æterno ordinatum circa legem quam statuit; tamen non ignorat legem naturalem quæ est primaria æternæ legis derivatio, et per præsentiam judicat quid in illis circumstantiis statuendum sit conformiter ad legem naturæ.

Dices 4: Si leges humanæ derivantur ab æterna, obligarent ad ad sui observantiam jure divino: sed falsum consequens: ergo et antecedens. — **Nego sequelam** *majoris*, quia non obligant jure divino nisi ea quæ sunt a Deo tamquam a Legislatore immediate; tales autem non sunt leges humanæ, quæ solum mediante hominum prudentia de lege naturali ab æterna lege derivantur.

Dices 5: Concupiscentia, quam legem carnis, seu fomitis appellat

Apostolus, est vera lex; sed illa lex non derivatur a lege æterna: ergo etc. Patet *major* ex illo Apostoli ad Romanos 7. *Video aliam legem in membris meis captivantem me in lege peccati;* Unde Glossa: fomes peccati recte dicitur lex; quia legitime factum est, ut qui non obedivit suo superiori, ei non serviat suum inferius, scilicet caro. *Minor* pariter est evidens, illa enim lex fomitis est mala, nam ut ait Glossa super hæc verba Pauli ad Romanos 8. *Lex spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me,* duæ leges bonæ sunt; lex Spiritus quæ peccatum tollit: lex Moysis quæ peccatum ostendit: lex peccati mala quæ reos facit: quod autem per se malum est non potest ab æterna Dei lege derivari: unde Apostolus ad Romanos 8. *Prudentia carnis legi Dei non potest esse subjecta.* — **Respondet Alensis,** n. 6. a. 2. fomitem in nobis esse pœnam irrogatam propter peccatum Adæ; sed, inquit, est duplex pœna, scilicet fœditatis, et passibilitatis. In quantum fomes est pœna fœditatis, sic non est a Deo, quia actus suus est deformis: quia actus fœdationis non potest esse a Deo, ut a principio, sed a diabolo. Secundum vero quod ipsa est pœna passibilitatis et afflictionis, eo scilicet, quod affligit animam, sic ipsa est a Deo: afflictio enim ista temporalis est, et ad bonum, ut homo coactus redeat, et convertatur ad Deum: ex hoc enim, quod anima videt se ita dejectam, et tantæ vilitati et corruptioni subjectam, citius convertitur ad Deum. Et sic fomes in quantum est pœna passibilitatis, a Deo est, et ordinat ad Deum: est enim a divina justitia. Lex ergo fomitis uno modo potest appellari lex passibilitatis: alio modo lex fœditatis. Primo modo est ut affligens: et hoc modo appellat eam Apostolus *legem membrorum.* Hoc modo ipsa est, et derivatur ab æterna lege: ipsa enim dicitur lex passibilitatis, idest, secundum quod homo per eam habet legem, ut affligatur ex illa, et convertatur ad Deum: hoc enim modo respicit ordinem divinæ Justitiæ. Secundum autem quod lex fomitis dicitur lex fœditatis, sic ipsa appellatur ab Apostolo *Lex peccati:* et sic lex ista non est a lege æterna, sed a diabolo, vel peccato, quia lex ista mala est.

Conclusio tertia. — Lex æterna secundum se spectata est unica: Secundum vero diversam connotationem ad res externas quæ ipsi subjiciuntur, censeri potest multiplex. Hæc est Alensis memb. 6. ubi

Primam partem probat, primo quidem auctoritate S. Augustin. dicentis lib. *Conf. Sicut ars Medicinæ una est, et tamen habet differentiam præceptorum, ita lex æterna ad leges temporales, sicut ars medicinæ ad sua præcepta.* Censet ergo S. Augustinus, quod lex æterna secundum se spectata sit unica, nec pluralitatem admittat.

Probat secundo: Si æterna Dei lex sit censenda multiplex, maxime propter diversitatem respectuum quos dicit ad res subjectas: sed ita non est; pluralitas namque in divinis non admittitur propter diversitatem respectuum ad extra; alias cum nomen hoc Creator v. g. plures involvat respectus ad res creatas, sequeretur quod dici possent plures Creatores, quod utique est absurdum: ergo similiter diversitas respectuum legis æternæ ad temporales leges, necnon ad res temporales quæ sibi subjiciuntur, non infert diversitatem in ipsa lege æterna. *Addit* tamen Alensis, legem æternam considerari posse vel ut est ars,

et causa exemplaris legum temporalium, vel ut est ratio singulas res in ordine debito constituens, et ad finem specialem sibi congruum perducens, juxta dignitatem, et utilitatem sibi peculiarem. Unde infert quod lex æterna spectata ut est ars æterna boni et veri, dicitur esse unica: similiter ut est ratio ordinans res ad finem divinum, et ultimum, est pariter unica, quia nempe est una sola ratio qua Deus res cunctas a se conditas propter seipsum etiam ad sui gloriam ordinat et disponit: ut vero res spectant fines sibi peculiares, possunt dici plures in Deo rationes particulares per respectum ad diversa connotata, quia nempe res diversimode ordinantur invicem ratione suæ dignitatis et utilitatis.

Quæres: *An ipsa Lex æterna divinæ Essentiæ, vel alicui Personæ approprietur?*

Respondet idem Alensis membr. 4. Legem æternam essentiæ divinæ immediate esse tribuendam: siquidem est absoluta Dei perfectio tribus divinis Personis communis. Ipsis tamen adorandis Personis potest appropriari diversimode: etenim ad legem quamlibet tria concurrunt, scilicet auctoritas, veritas, et bonitas, quæ concurrunt ad hoc quod sit lex, scilicet principium legis, forma legis, et finis: nam ratione principii ei debetur auctoritas, quia non potest esse principium legis, nisi qui auctoritatem habet: ratione vero formæ debetur ei veritas, quia lex numquam fertur sine recta ratione: item ratione finis debetur ei bonitas, quia lex non est nisi ad bonum: unde dicitur lex sanctio sancta, jubens honestum, prohibensque contrarium. Si ergo respiciamus in lege æterna auctoritatem, dicitur in Deo secundum rationem vel intentionem potestatis; et sic appropriatur personæ Patris. Si autem respiciamus veritatem, secundum rationem formalem, sic appropriatur Sapientiæ, et ita convenit personæ Filii. Respiciendo autem bonitatem, quæ debetur ratione finis, sic appropriatur Spiritui sancto. — Ex iis patet qualiter legis effectus, et actus nempe imperare, vetare, consulere, et permittere, punire, et præmiari conveniant æternæ legi; nam actus imperandi et vetandi ipsi conveniunt ratione auctoritatis; isti autem duo actus consulendi et permittendi ipsi tribuuntur ratione veritatis; isti autem duo actus puniendi et præmiandi ad eam spectant ratione bonitatis. Sciendum enim est quod in lege inveniri debet ratio potentiæ ut præcipiat vel prohibeat: item ratio veritatis vel sapientiæ, ut possit permittere vel consulere; denique ratio bonitatis, ut puniat malefacta, et compenset benefacta, hoc enim ad bonitatem pertinet; et sic secundum diversas rationes lex comprehendit potentiam, sapientiam, et bonitatem. *Insuper*, prædicti actus legis distribui possunt juxta diversas animi vires et facultates, nam consulere et permittere respiciunt rationalem, sunt enim actus legis ratione veritatis et sapientiæ, et hoc pertinet ad rationalem: imperare autem et vetare pertinent ad irascibilem; sed punire, et præmium tribuere pertinent ad concupiscibilem; et sic apparet qualiter æterna lex secundum diversas intentiones, et diversos actus tribus adorandis Personis approprietur.

QUÆSTIO TERTIA.

QUÆNAM ÆTERNÆ DEI LEGI SUBJICIANTUR.

Notandum 1. Præsentem Quæstionem moveri maxime de triplici entium ordine; nempe divino, rationali, et irrationali. Tres enim sunt ordines seu genera actuum, de quibus dubitari potest an per æternam Dei legem mensurentur. *Primum* quidem supremum genus est aliquorum internorum ipsiusmet Dei. *Secundum*, et infimum genus est actionum inferiorum agentium naturalium, et ratione carentium. *Tertium* denique est actuum liberorum creaturarum intellectualium. Sciendum insuper, quod actus Dei distingui possunt triplicis generis; nam alii dicuntur *Naturales* et necessarii: puta generatio Verbi, processio Spiritus sancti; alii *Morales* liberi, puta amor Dei quo creaturas diligit; alii denique vocari possunt *Artificiosi*, quatenus nempe sese extendunt ad creaturas producendas et regendas. Quæritur autem an hi omnes actus divini æternæ Legi subjiciantur.

Notandum 2. Certum esse, et extra controversiam, actus naturales divini intellectus, divinæque voluntatis quatenus spectantur ad intra, ab ipsa æterna Dei lege non pendere, quia sunt omnino necessarii, nec procedunt ex directione, aut motione quæ procedat per dictamen rationis; subindeque nulli legi possunt subjici; quia lex non est de rebus per se, et ab intrinseco necessariis, quæ non indigent regula, sed tantum spectat ad eos actus, qui omnino liberi sunt, et possunt dirigi ac ordinari. Hinc generatio æterna Filii Dei, et productio Spiritus sancti nullatenus cadunt sub lege, quia sunt actus omnino naturales et necessarii. Quapropter restaret inquirendum an actus liberi qui in Deo sunt, qui prout sunt liberi, morales appellantur; quatenus vero sunt operaturi ad extra dicuntur artificiosi, an, inquam, illi actus æternæ Dei legi aliquatenus subjiciantur, et per illam dirigantur.

Notandum 3. Legem æternam dupliciter cogitari posse esse mensuram, seu regulam actuum liberorum Dei: primo quidem quatenus illi actus morales, et honesti sunt: secundo vero prout ordinantur ad aliquid producendum, vel dirigendum. Priori modo spectati divini actus liberi, certum est quod regulantur per divinam rationem: quia Deus semper secundum rationem operatur: non quidem secundum rationem alienam: ergo secundum propriam; subindeque mensura rectitudinis liberorum actuum voluntatis divinæ est judicium divini intellectus, quod ordine operationis ipsam divinæ voluntatis operationem antecedit. Id etiam constat declaratione, et exemplo, etenim si Deus loquitur, verum dicit, quia judicat mendacium esse malum: si promittit, implet, quia judicat fidelitatem esse honestam et consentaneam naturæ suæ. Posteriori modo spectati divini actus liberi cogitari possunt habere legem, quatenus Deus ut opifex rerum sibi modum certum operandi censetur præscribere secundum quem opera sua facit, et ordinat, cum posset ea aliter facere, et ordinare. An autem alterutro an utroque modo Deus revera sibi legem præscribat, hic est determinandum.

Conclusio prima. — Divina voluntas in operando libere et honeste legi non subjicitur. Hæc est Alensis *memb.* 8. *art.* 5.

cui subscribunt S. Thomas 1. 2. q. 94. a. 4. *ad primum*, et Recentiores cum Suarez lib. 2. cap. 2.

Probat hanc veritatem Alensis: *Primo* quidem auctoritate S. Aug. dicentis in libro 83. qq. *Qui quærit causam voluntatis divinæ, quærit majus voluntatis divinæ:* sed si divina voluntas alicui legi subjiceretur, aliquam haberet causam sui directivam; subindeque haberet aliquid majus: hoc autem est impossibile; adeoque etiam repugnat divinam ipsam voluntatem alicui legi subjici. *Deinde,* lex æterna non potest sibi subjici: sed ipsa divina voluntas est lex æterna: nam inquit S. Augustinus: *Tantum differt in ratione intelligentiæ cum dicitur* lex, *et cum dicitur* voluntas; *quia dicitur voluntas respectu boni, in quantum acceptat quod bonum est: et eadem voluntas dicitur lex, in quantum ordinat quod bonum est.* Denique, hoc ipsum confirmat S. Anselmus libr. 1. *Cur Deus homo,* cap. 12. dicens: cum Deus liber sit, nulli legi, nulliusque judicio subjacet; ut nihil deceus, nihil rectum sit, nisi quod vult, et ideo quod vult, justum, et conveniens est; id autem quod est injustum et indecens non cadere in ejus voluntatem; non propter aliquam legem, sed quia non pertinet ad ejus libertatem.

Probatur similiter ratione: si divina voluntas alicui legi subjiceretur, illa esset vel positiva, vel naturalis: sed neutrum dici potest. Non quidem primum, quia lex positiva illa est, quæ ponitur per liberam voluntatem alicujus potentis præcipere, et suo præcepto, seu voluntate obligare eum cui lex imponitur: sed Deus non habet superiorem, neque seipsum per modum præcepti, et legis obligare potest, quia non est sibi superior: ergo nullo modo est capax positivæ legis. Non etiam secundum; licet enim in intellectu divino præcedant judicia, et dictamina practica, quibus Deus judicat quid suam bonitatem, misericordiam, justitiam, aut sapientiam deceat, puta non esse mentiendum, vindicanda esse peccata, promissa esse implenda, etc.; ipsa tamen non possunt habere rationem legis respectu divinæ voluntatis, tum quia non proponunt præceptum aliquod nec voluntatem alicujus intimant; sed tantum ostendunt indicando quid rei natura habeat: lex autem est præceptum, et inclinatio voluntatis alicujus superioris legislatoris: tum quia illa Dei judicia practica non fiunt per modum imperantis, sed solum dirigentis; adeoque non possunt habere rationem legis.

Conclusio secunda. — ÆTERNÆ DEI LEGI SUBJICIUNTUR OMNIA ENTIA IRRATIONALIA.

Patet Conclusio, *Primo,* quidem auctoritate Scripturæ sacræ; illis videlicet omnibus locis quibus Deus dicitur elementis cælestibus, et aliis rebus ratione expertibus legem præscripsisse. Sic Proverb. 8. *Quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis ne transirent fines suos.* Quod utique luculenter Job declaravit c. 38. ubi verba Dei referens ait: *Dixi: Usque huc venies, et non procedes amplius, et ibi confringens tumentes fluctus tuos.* Sic pariter Psal. 44. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.* Idipsum constat Matth. 6. Luc. 12. et 1. Cor. 15.

Probatur 2. **auctoritate S. August.** lib. 5. *De Civit. Dei,* cap. 11. ubi de Deo scribit: *A quo est omnis motus, omnis species, omnis ordo, a*

quo est mensura, numerus, pondus; a quo est quidquid naturaliter est cujuscumque generis, et cujuscumque æstimationis est; a quo sunt semina formarum, formæ seminum, motus seminum, atque formarum: quibus indicat omnes prorsus creaturas, etiam rationis expertes, non solum a Deo tamquam a supremo omnium Opifice derivari, sed etiam ab eo dirigi, et administrari tamquam ab æterno rerum Administratore, et Moderatore. Eamdem veritatem explicat libro *De libero arbitrio*, c. 5. et 6. ubi ait: *Legem æternam esse rationem in mente Dei existentem, qua res omnes per consentanea media in suos fines dirigantur.* Et lib. 83. qu. 3. circa finem ait: *Lex incommutabilis omnia mutabilia pulcherrima moderatur gubernatione.*

Probatur pariter hæc veritas ratione: Illa æternæ Dei legi subjiciuntur, a quo habent principium agendi, et regulantur ad suos fines: atqui Deus ab æterno sancivit, destinavitque singulis creaturis tale principium sibi peculiare, quo et virtutem suam possunt exercere ad hoc, ut in fines congruos perveniant; ergo etc. *Insuper,* sicut nostra voluntas membris nostris corporis imperat, et suo imperio illis imponit non solum necessitatem operandi, sed etiam illa dirigit, et ordinat ad operationes suis facultatibus convenientes; ita et divina voluntas rebus omnibus creatis imperat, et illis imponit necessitatem, et regulam agendi; juxta divinum suum præscriptum. Quod utique Job declaravit dum scripsit creaturas Deo obedire in diem belli: necnon et Sapiens cap. 5. dum affirmat quod pro Dei gloria *pugnabit orbis terrarum contra insensatos.*

Dices 1: Illa divinæ legi tantum possunt subjici, quibus lex significari potest, et promulgari: sed creaturis ratione destitutis nulla lex promulgari potest, nec significari: ergo etc. — **Distinguo minorem:** lex non potest significari nec promulgari creaturis irrationalibus, promulgatione proprie dicta, quæ scilicet legislatoris mentem exprimat, eamque subditis notificet, quatenus superioris voluntatem intelligentes eam executioni mandent, concedo; promulgatione improprie dicta, videlicet per quamdam impressionem virtutis, quæ sit principium agendi juxta voluntatem rerum administratoris, nego. Sicut enim se habet promulgatio legis quantum ad homines, quia per legis promulgationem ipsis imprimitur quoddam directivum humanorum actuum, ita impressio activi principii se habet ad res naturales, quæ ratione suæ dependentiæ a Deo omnium moderatore et opifice ad ejus nutum operantur.

Dices 2: Creaturæ irrationales non sunt capaces præcepti: ergo nec legis; subindeque non possunt æternæ Dei legi subjici. — **Distinguo antecedens:** non sunt capaces præcepti moralis, quod est regula operationum moralium creaturæ rationalis, concedo: non sunt capaces præcepti naturalis, quod fit per impressionem principii motivi in ordine ad finem obtinendum, nego: Deus enim creaturis omnibus agendi necessitatem et regulam præscribit, pro cujusque captu, juxta illud Psal. 148. *Præceptum posuit, et non præteribit.*

Dices 3: Ea solum legi subjiciuntur, quæ præmii, vel pœnæ capacia sunt propter legis observantiam, aut transgressionem: sed creaturæ irrationales cum cognitionis et libertatis sint expertes, nec præmii, nec pœnæ dignæ sunt: ergo etc. — **Respondet Alensis noster**

membr. 8. art. 3. duplicem esse subjectionem legi æternæ : est, inquit, subjectio legi æternæ naturalis, et sine judicio, et hoc modo irrationalia ipsi subjiciuntur prima subjectione ; nam inquit S. Anselm. lib.1. Cur Deus homo : *Unaquæque creatura cum sibi præceptum ordinem naturaliter, aut rationaliter servat, Deo obedire dicitur, maxime rationalis, cui datum est intelligere quid debeat.*

Dices 1: Quod lege et ratione geritur, fortuitum, et casuale esse non potest : sed inter res rationis expertes plura sunt fortuita et a casu : ergo nulli legi censetur subjici. — **Distinguo minorem :** multa sunt fortuita et a casu, si referantur ad causas particulares extra quarum ordinem fiunt, concedo ; si referantur ad divinam ordinationem, et gubernationem, nego ; siquidem respectu Dei cuncta prospicientis et ordinantis in pondere, numero, et mensura, nihil potest esse casuale, quamvis aliqua sint a casu, quatenus accidunt præter ordinem causarum particularium.

Conclusio tertia. — Tam justi, quam mali et reprobi Dei ordinationi subsunt ; illi quidem perfecta subjectione : hi vero imperfecta.

Probatur prima pars, nempe quod justi perfecte æternæ Dei legi subjiciantur. Ut quis perfecte legi Dei subjiciatur, debet ipsam divinam legem participare duobus modis: *Primo* quidem per modum cognitionis : *Secundo,* per interioris principii motivum : sed homo respectu bonarum actionum dirigitur et illuminatur, non tantum per cognitionem naturalem, sed etiam per cognitionem fidei et sapientiæ, et supra inclinationem naturalem ad bonum superadditur ipsi interius motivum gratiæ et virtutis : ergo perfecte legi æternæ Dei homo justus subjicitur.

Probatur secunda pars, nempe quod etiam mali et reprobi divinæ legi subjiciantur. *Primo* quidem auctoritate S. Augustin. lib. *De catechizandis Rudibus : Novit Deus ordinare deserentes se animas, et ex earum justa miseria partes inferiores creaturæ suæ convenientissimis, et congruentissimis legibus admirandæ dispensationis ornare :* ergo censet animas reproborum, qui Deum deserunt, divino ordini subjici : sed ille divinus ordo est ipsa Dei æterna lex, qua justum est ut omnia sint ordinatissima : ergo etc. Hanc veritatem luculenter explicat S. Ansel. lib. 1. cur Deus homo : *Sicut ea,* inquit, *quæ Cœli ambitu continentur, non esse sub Cœlo, aut elongari a Cœlo nullatenus possunt, nec fugere Cœlum nisi appropinquando ; ita licet nullus Angelus vel homo divinæ voluntati subjacere velit, tamen eam fugere non valet, quia si vult fugere de voluntate præcipiente, fugit sub voluntatem punientem.* Idipsum eleganter explicat Boetius lib. 4. *De Consol.* prosa 6. *Ordo,* inquit, *cuncta complectitur, ut si quis ab assignato ordine recesserit, in alium ordinem relabatur.* Ipsa enim lex æterna sicut circulus est ; qui enim fugit unam partem, appropinquat alteri ; et ita licet mali ab ea recesserint quantum ad præceptionem, sunt tamen sub ea tamquam ad punitionem.

Dices 1 : Ex Apost. 1. ad Timoth. 1. *Justo non est lex posita, sed injustis, et subditis :* unde Glossa, posita, non imposita, ut supra illum sit, et ei dominetur, in illa enim potius est et cum ipsa, quia amicus

justitiæ est. — **Respondet Alensis** art. 2. cap. 1. quod esse sub lege accipitur duobus modis; scilicet vel necessitate coactionis, vel voluntate obediendi: aliter enim filius est sub patre, et aliter servus, quia servus est sub patre necessitate timoris coactus, filius autem voluntate obediendi: unde *distinguenda est consequentia:* justi non sunt sub lege necessitate et subjectione coactionis, concedo: subjectione voluntariæ obedientiæ, nego: nam inquit Glossa in Psal. 1. exponens illa verba, *in lege Domini voluntas ejus, aliud est in lege esse, aliud sub lege; qui in lege est, secundum legem agit; qui sub ea est necessitatur timore coactus;* hoc autem modo justi non sunt sub lege, sed primo modo.

Dices 2: Ex Apost. ad Rom. 8. *Sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subjecta:* sed mali, et reprobi dicuntur sapientia carnis: ergo æternæ legi non subjiciuntur. — **Distinguo majorem:** non subjicitur legi, ipsi voluntarie parendo ut per obedientiam præmia consequatur, concedo: non subjicitur legi necessitate vindictæ, quatenus nimirum propter suam deordinationem, et pugnam cum æterna Dei lege promeritum supplicium sibi conciliat, nego: nam, ut diximus, qui non subjiciuntur legi quantum ad præceptionem, ipsi subjici debent quantum ad punitionem.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE LEGE POSITIVA, ET SCRIPTA, QUAM VETEREM, ET MOSAYCAM APPELLAMUS.

Temporaneam Dei legem hominibus impositam et præscriptam jam supra notavimus duplicem distingui: unam quidem *Veterem* appellatam, quæ Moysi per Angelum a Deo tradita, et Israëlitis indicta Veteri Testamento continetur, et a Moysis tempore ad Christi passionem et mortem apud Judæos viguit: posteriorem autem *Novam* dictam, quæ in novo Testamento exaratur, et a Christo Domino data et instituta, usque ad sæculi consummationem perseverabit. Prioris mentio fit apud Joannem 7. *Nonne Moyses dedit vobis Legem, et nemo ex vobis facit legem?* Posterioris vero Jerem. 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam:* utriusque vero Joan. 1. *Lex per Moysem data est, lex vero et gratia per Jesum Christum facta est.* — Hæc autem Mosayca lex jure merito *lex vetus* appellatur: ejus namque præcepta Decalogi hominum cordibus ab ipso mundi primordio Deus exaravit, ut luculenter demonstrat Tertullianus libro *Adversus Judæos*, cap. 2. « Cur, inquit, Deus universarum Gen-
« tium sator, legem per Moysem uni populo dedisse credatur, et non
« omnibus Gentibus attribuisse dicatur? Nisi enim omnibus eam de-
« disset, nullo pacto ad eam etiam proselytos ex Gentibus accessum
« habere permitteret; sed ut congruit bonitati Dei, et æquitati ipsius,
« utpote Plasmatoris generis humani, omnibus Gentibus eam dedit
« legem, quam certis et statutis temporibus observari præcepit; quando
« voluit, et per quos voluit, et sicut voluit; nam in principio mundi
« ipsi Adæ legem dedit, ne de fructu arboris plantatæ in medio Pa-
« radisi ederet: quod si contra fecisset, morte moreretur; quæ lex eis
« sufficeret, si esset custodita: in hac enim lege data omnia præcepta

« recondita recognoscimus, quæ postea pullulaverunt data per Moysem, « idest, Diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, et ex tota « anima tua : et diliges proximum tibi tamquam te, et non occides, et « non mœchaberis, non fraudaberis, falsum testimonium non dices : « honora patrem tuum, et matrem ; alienum non concupisces. Primor- « dialis lex data fuit Adæ et Evæ in Paradiso quasi matrix omnium « præceptorum Dei : etenim si Dominum Deum dilexissent, contra « præceptum ejus non fecissent ; si proximum diligerent, idest, seme- « tipsos, serpentis persuasioni non credidissent, atque ita in semetipsos « homicidium non commisissent, excidendo de immortalitate, faciendo « contra Dei præceptum ; a furto quoque abstinuissent, et de fructu « arboris clam non degustassent, nec a conspectu Domini Dei nostri « sub arbore delitescere gestissent, nec falsum asseveranti diabolo par- « ticipes efficerentur, credendo ei quod similes Deo essent futuri : « atque ita nec Deum offendissent ut Patrem, qui eos de limo terræ « quasi ex utero matris figuraverat ; si alienum non concupiissent, de « fructu illicito non gustassent. Igitur hac generali, et primordiali Dei « lege, quam in arboris fructu observari Deus sanxerat, omnia præ- « cepta legis posterioris specialiter indita fuisse cognoscimus, quæ « suis temporibus edita fuerunt : ejusdem est enim postea docere le- « gem, qui ante præmiserat præceptum, quoniam et ipsius est erudire « postea, qui ante justos formare instituerat. Quid enim mirum si is « auget disciplinam, qui instituit ? si is perfecit, qui cœpit ? Denique, « ante Legem Moysis scriptam in tabulis lapideis, legem fuisse con- « tendo non scriptam, quæ naturaliter intelligebatur, et a Patribus « custodiebatur : nam unde Noë justus inventus, si non illum natu- « ralis legis justitia præcedebat ? Unde Abraham amicus Dei depu- « tatus, si non de æquitate, et justitia legis naturalis ? Unde Melchi- « sedech Sacerdos Dei nuncupatus, si non ante Leviticæ legis Sacer- « dotium, Levitæ fuerunt, qui sacrificia Deo offerebant ? Sic enim post « supradictos Patriarchas data lex est Moysi.... Unde intelligimus Dei « legem etiam ante Moysem, nec in Oreb tantum, et in Sina, aut in « eremo, sed antiquiorem primum in Paradiso, post Patriarchis, atque « ita et Judæis certis temporibus reformatam, ut non jam Moysi legem « attendamus, quasi ad principalem legem, sed ad subsequentem, quam « certo tempore Deus et Gentibus exhibuit, et repromissam per Pro- « phetas in melius reformavit, et præmonuit futuram : ut sicuti certo « tempore data est lex per Moysem, ita temporaliter observata, et cu- « stodita credatur : nec adimamus hanc Dei potestatem pro temporum « conditione legis præcepta reformantem in hominis salutem ». Ita Tertul. Quibus patet Legem Moysi a Deo per Angelos traditam, merito Veterem appellari ; quippe cum apud homines viguerit ab ipso eorum formationis exordio ; nempe per ipsam naturæ legem, cujus Mosayca, maxime quantum ad Decalogi præcepta, explicativa est. — Licet autem plura de hac lege discutienda occurrant, præcipuas tamen generales de ipsa formari solitas quæstiones hic explicandas usurpa- mus ; inquirentes : *Primo,* quas Mosayca lex habuerit causas : *Secundo,* quæ, et qualis fuerit : *Tertio,* quot, et qualia præcepta complexa fuerit : *Quarto,* quam vim habuerit : *Quinto,* quamdiu viguerit, quove tempore vigere desierit.

QUÆSTIO PRIMA.

QUASNAM VETUS LEX HABUERIT CAUSAS.

Præsens Quæstio movetur maxime de triplici causa Legis Mosaycæ, nempe *de Efficiente, Ministeriali,* et *Declarativa* seu *Promulgativa.* An videlicet vetus lex Deum habuerit institutorem, Angelos ministratores et significatores, Moysem vero promulgatorem.

Notandum 1. ✻ " Quod etsi ante legem Mosaycam, plures aliæ fuerunt a Deo hominibus præscriptæ leges, præsertim vero Adamo humani generis propagatori, ut ad suos posteros eas derivaret, puta de colendo divino Numine per sacros ritus et sacrificia, de celebrando die Sabbati, et servanda erga proximum æquitate naturali, ut nullus alteri faciat quod sibi fieri non vult etc. Necnon et Noë humani generis post diluvium restauratori, cui ejusque filiis Deus præscripsit illa præcepta quæ dicuntur *Noachidarum,* de quibus actum est supra. Certum est tamen quod ante Mosaycam legem nulla divinitus hominibus scripto consignata lex, sed omnes quæcumque exstabant vel rationis naturalis dictamine, vel per traditionem a majoribus acceptam traducebantur. Unde Mosayca lex merito censetur legum omnium hominibus a Deo per scripturam constituta et posita; quamobrem legum omnium positivarum dicitur prima: " ✻ lex enim positiva divina significat jus quoddam integrum ab ipso Deo hominibus positum, in quo homines sub peculiaribus signis, seu sacramentis in ordine ad divinum cultum in unum corpus mysticum congregantur: hoc autem modo homines ante Moysem ita in cœtum non instituebantur, nec præscriptas habebant peculiares leges communes de Sacrificiis aut Sacramentis frequentandis. Idem dicendum de aliis ritibus, aut moribus instituendis; quapropter totum illud primum tempus appellatur *tempus legis naturæ:* quia toto illo tempore sola vigebat lex naturalis hominum cordibus inscripta cum adstipulante sibi divinitus gratia, et naturam ipsam ad ordinem supernaturalem promovente. Unde licet verum sit dicere cum Tertulliano supra laudato, plurima præcepta diversis hominibus a Deo, ante præscriptam Moysi legem, indita fuisse, eis tamen non est posita aliqua lex quæ ipsos homines ad divinum cultum, et perfectam invicem concordiam ineundam adunaret.

Notandum 2. Ante exaratam legem Mosaycam, triplicis generis præcepta hominibus a Deo fuisse indita, quibus deviantem naturam restitueret, et reformaret, ut luculenter docet et explicat Alensis q. 28. memb. 1. art. 3. dicens: quod triplex est inordinatio naturæ, quia est inordinatio ipsius concupiscibilis, ipsius irascibilis, ipsius rationalis; 1. « enim ante diluvium viguit inordinatio concupiscibilis ma-« xime, et ad hanc restringendam, et ordinandam fuit addita lex quæ-« dam, in qua vixit homo ante diluvium, *Gen.* 3. *Sub te erit appetitus* « *tuus,* scilicet ratione: hac autem lege rupta, post diluvium fuit « magna inordinatio irascibilis, scilicet quando filii Noë voluerunt ædi-« ficare turrim usque ad Cælos; propter quod data est lex ad ordi-« nandam irascibilem erga proximum; quæ fuit, *Carnem cum sanguine* « *non comedetis;* et ratio fuit ad horrorem sanguinis, et detestationem « homicidii, ut horreret homo fundere sanguinem humanum. Postea

« vero secuta est inordinatio rationalis tempore Abrahæ ; quia omnes « erant idololatræ : contra hanc inordinationem data fuit Abrahæ lex « Circumcisionis in signum revocationis ipsius populi ad Deum ado- « randum, et in signum fœderis inter populum fidelem, et Deum, *Ge- « neseos*. 17. *Ut sit signum inter me, et eos*. Prima inordinatio erat « hominis ad se : secunda hominis ad proximum : tertia, hominis ad « Deum : quia propter idola cultum dimittebat divinum ; sic ergo « fuit aliqua lex addita homini ante diluvium, et post in tempore « Abrahæ ». Hæc Alensis, quibus nomine legis, non legem pluribus præceptis constantem intelligit, sed specialia præcepta hominibus præscripta.

Notandum 3. Non abs re legem positivam ad Moysis usque tempora differri debuisse, ut *ibidem* explicat Alensis; « cum enim ipsa « sit jus hominum viventium sub uno jure; prius necesse fuit, quod « esset populus unitus, quam daretur lex: a tempore autem Circum- « cisionis cœpit esse populi unitas, et discretio ; unde dicit Hugo, quod « ex tunc cœpit unitas populi Dei, et unitas conversationis fidelis, quæ « primum figurata est per Sacramentum Circumcisionis ; postea signi- « ficatur per Sacramentum Baptismatis; et ideo ante non debuit dari « lex ; imo lex Circumcisionis fuit signum gratiæ futuræ, et ideo de- « buit præcedere. Præterea, prius oportuit quod esset fundamentum « legis, quam daretur lex. Erant autem fundamenta ista quatuor, sci- « licet fides unius Dei, et fides incarnationis, probatio fidei, et fidei « firmitas. Prius enim quam daretur, oportuit esse attestationem fidei « unius Dei, et hæc præcessit in signo Circumcisionis, quæ posita est « in signum fœderis inter Deum, et populum. Attestatio autem fidei « Incarnationis facta est, quando facta est promissio Abrahæ de Christo, « *In semine tuo*, etc.; sed quia non sufficit testimonium in ore illius, « imo in ore duorum vel trium testium stat omne verbum ; ideo po- « sterius facta est ista promissio etiam Isaac, et Jacob, ut repetita « cuilibet *In semine tuo*, etc., quam daretur lex. Sed nec statim de- « buit dari, imo prius oportuit quod esset fides probata : probata autem « fuit in Ægypto per adversitates ; ut scilicet nulla adversitas posset « eos avertere a fide, quibus danda erat lex ducens in Deum, etiam « incarnatum : oportuit etiam quod esset firmata, ne posset populus « seduci aliqua fallacia : firmata autem fuit in multis signis, et mira- « bilibus : quæ Dominus fecit, et ostendit in exitu de Ægypto, et « per desertum. His autem factis, et impletis, debuit dari ipsa lex « Moysi, quæ ducit in Christum : hoc autem fuit completum in quarta « ætate. »

Alteram hujusce dilationis causam ac procrastinationis in promulganda lege veteri ad Moysis usque tempora profert S. Thom. nempe quod illa lex duobus hominum generibus fuerit præscripta. *Primo*, duris et superbis, qui per legem compescuntur ac refrænantur : *Secundo*, bonis, qui per legem instructi adjuvantur, et diriguntur in implendis quæ intendunt : utrorumque autem respectu convenienter data fuit vetus lex. De prioris generis hominibus constat, quia de duobus homines superbiebant, scilicet de scientia, et de potentia : de scientia quidem, quasi ratio naturalis ipsis sufficiat ad salutem consequendam ; quem errorem ut deponeret homo superbus, diuturno

tempore permitti debuit regimini rationis absque adminiculo legis scriptæ, experturus suum defectum ex hoc, quod usque ad idololatriam, et certissima vitia prolapsus sit circa tempora Abrahæ, post quam necessum fuit dari legem in remedium humanæ ignorantiæ; quia nempe lex peccatum prius agnitum demonstravit. Ubi autem homo per legem convictus fuit de priori sua ignorantia, etiam et de sua infirmitate convictus est, dum agnovit se non posse implere quod rectum esse noverat. Idem probatur de probis ac justis, quibus auxilium gratiæ fuit necessarium quando per exuberantiam peccatorum lex naturalis jam offuscari ac obtenebrari incipiebat: oportebat enim hujusmodi auxilium ordine quodam subministrari, ut per imperfecta ad perfectionem manuducerentur: quapropter inter legem naturæ, et legem gratiæ debuit lex vetus interponi.

His ita prælusorie notatis, tria hic occurrunt determinanda: *Primum*, an lex vetus bona sit, et a vero Deo condita. *Secundum*, an per veros Angelos, aut per Dei Filium, qui ab Isaia *magni consilii Angelus* dicitur, fuerit intimata. *Tertium*, an Moyses illius promulgator duntaxat fuerit, anve aliqua ex parte eam instituerit et compleverit.

Conclusio prima. — Vetus lex revera fuit a vero Deo, et Patre Domini nostri Jesu tamquam a legislatore condita. Hæc est de fide contra varios hæreticos. *Primo*, namque Cerdoniani sta, teste S. August. lib. *De Hæresibus*, num. 21. *putabant Deum legis ac Prophetarum, nec bonum Deum esse, nec Patrem Christi Domini, sed illum Deum quem justum appellabant.* Hunc autem errorem innovaverunt ac propagaverunt Manichæi, Marcionistæ, et Valentiniani, qui Vetus Testamentum spernebant, affirmantes ore sacrilego Deum qui legem per Moysen dedit, et Hebræis locutus est, non esse verum Deum, sed unum ex principibus tenebrarum. Quibus erroribus facem prætulit Simon Magus, duos esse Deos affirmans, unum bonum, alterum malum, ut refert Clemens Romanus lib. *Constit.*, cap. 19. Contra quas pestes varii e SS. Patribus depugnarunt, maxime vero Iræneus lib. 1. cap. 10. et 27. Epiphanius *Hæresi* 21. et 66. Tertul. lib. *adversus Valentinianos*, et *quatuor libris contra Marcionem*. Aug. *in libris contra Faustum*, et *contra Adimantum Manichæum*, et *contra Adversarium legis, et Prophetarum*, maxime vero in *libris De Spiritu, et littera.*

Probatur 1. **Conclusio** auctoritatibus Scripturæ sacræ, quibus Christus legem veterem approbat, eamque implet; etenim ipse profitetur, *non veni solvere legem, sed implere:* quapropter ut legis præcepta servaret, circumcisus fuit, in templum a parentibus deportatus, et oblatus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo. Similiter ad templum diebus festis ascendebat, ut cum cæteris adoraret: Agnum Paschalem comedebat cum Discipulis, juxta legis præscripta. Insuper Matth. 15. Christus Dominus veterem legem *mandatum Dei* appellat, dicens Judæis: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras:* Lucæ 1. Zacharias testatur eumdem esse Deum Israel *qui fecit redemptionem plebis suæ, ac qui locutus est per os Sanctorum qui a sæculo sunt Prophetarum ejus:* et ibidem beatissima Virgo testatur in

Cantico suo, dicens: *Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham,* etc. — *Confirmatur* testimonio Apostolorum; nam S. Petrus *Act.* 3. sic loquitur: *Deus qui prænuntiavit per os omnium Prophetarum pati Christum filium suum, et implevit.* S. Paulus *Epist. ad Rom.* sic orditur: *Paulus vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis de Filio suo,* etc. Et *Epist. ad Hebræos* sic pariter incipit: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.* Ergo cum vetus lex Dei sit mandatum, cumque eam Christus probaverit et impleverit, ac servandam ab aliis toties in suis concionibus et colloquiis suaserit: insuper, cum idem Deus qui Novum Testamentum instituit, nobisque per Filium præscripsit; etiam locutus sit per Prophetas et Patres, legemque præscripserit, necessum est ut aut hæretici etiam Novum Testamentum explodant, aut fateantur Vetus Testamentum etiam a vero et unico Deo fuisse conditum. — His adde, quod in Novo Testamento Mosaica lex probatur ac ut bona laudatur; nam S. Paulus *ad Rom.* 7. ait: *Lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum:* et 1. ad Timot. 1. *Scimus autem quia bona est lex, si quis ea legitime utatur:* ad Galatas 3. *Lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur: at ubi venit fides* (per Christum) *jam non sumus sub pædagogo:* cum ergo lex tamquam pædagogus nos ad fidem Christi perduxerit, certe bona non potuit non esse, utpote ad tam perfectum scopum, et finem dirigens ac perducens. — Quapropter merito Conc. Tolet. *in confessione fidei* ita decrevit: *Si quis dixerit vel crediderit alterum Deum esse priscæ legis, alterum Evangeliorum, anathema sit:* quod utique Decretum innovavit Conc. Trid. sess. 4. initio, ubi de Canonicis Scripturis sermonem faciens statuit ac decernit: *Omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor... pari pietatis affectu ac reverentia suscipit, ac veneratur sacrosancta Synodus.*

Firmari potest etiam hæc nostra assertio ratione. *Primo* namque falsum est, et efficacissimis rationibus ac demonstrationibus explosum hæreticorum fundamentum in primo nostræ Theologiæ Tractatu, Quæstione de Unitate Dei, ubi probavimus impossibile esse quod sint duo aut plures Dii. *Deinde,* etsi per impossibile plures essent, non sequeretur inde quod lex vetus ad Deum malum esset referenda; quia Deus iste, si quis esset, ut fingunt hæretici, foret hostis intensissimus Christi Domini, et ipsius Patris, nempe Dei boni; subindeque non esset isti malo Deo adscribenda ea lex quæ de Christo testimonium perhibet, quæque ad Christum manuducit; non enim legem sanxisset qua ipsius Regnum destruetur penitus; siquidem contendebant Manichæi, et alii hæretici, veterem legem, et regnum Principis mundi, quem Deum justum, seu malum, appellabant, per Christum Dominum fuisse prorsus eversum; juxta illud ejusdem Christi Domini oraculum: *Princeps mundi ejicietur foras:* atqui lex vetus testimonium perhibet de Christo, juxta illud Lucæ ultimo: *Oportet impleri omnia quæ scripta sunt in lege, et in psalmis, et in Prophetis de me:* et Joan. 5. *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit.* Præmiserat autem: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam*

æternam habere: et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me: et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. Denique, ejusdem est proponere finem, et disponere media ad consequendum: sed lex Evangelica est finis legis Mosaycæ, quæ veluti pædagogus ad Christum deduxit tamquam ad finem: juxta illud ad Rom. 10. *Finis legis Christus ad justitiam omni credenti.* Ergo idem Deus qui est auctor legis Evangelicæ, est etiam auctor legis Mosaycæ.

Objicies 1. Illud Ezech. cap. 20. Deus de lege veteri sermonem faciens, *Dedi enim legem non bonam, et præcepta in quibus non vivent:* ergo revera lex vetus non erat bona, proindeque nec a bono Deo, nec vero, qui non potest esse auctor alicujus mali. — **Respondeo**, SS. Patres ad præfatum contextum varia reponere. *Primo* namque S. Hier. ad istum locum ait, *Sermonem hic non institui de lege veteri, sed de legibus iniquis tyrannicis, et impiis gentilium quibus Judæi dispersi ac vagabundi propter suas iniquitates justo Dei judicio premebantur, et puniebantur.* Quod utique confirmatur; nam in eodem capite Dominus prius dixerat versu 11. *Dedi eis præcepta mea, et judicia mea ostendi eis, quæ faciens homo vivet in eis.* Igitur in priori textu Deus loquitur de alio genere præceptorum quam de divinis: hæc autem aliud esse non possunt præter præcepta Gentilium quibus Judæi gravabantur. — Ex hypothesi autem quod præfatus textus intelligendus sit de lege veteri, *respondeo* cum S. Greg. lib. 28. *Moral.*, c. 27. præcepta veteris legis *dici non bona* comparate, non absolute; quia nimirum comparata ad præcepta novæ legis, quæ meliora sunt, bonitatem eam non habent; nam bonum absolutum comparate ac respectu melioris boni, habet rationem non boni. Dicitur vero quod *in illis homines non vivent;* quia non sunt sufficientia ad homines dirigendos in vitam æternam, nec tribuunt animæ sanctitatem, *Hos pannos,* inquit, *infantiæ, quos inchoantibus dedit ipse per Prophetam Dominus reprehendit dicens:* ego dedi eis præcepta non bona, *mala enim, quasi mala esse desinunt ratione pejorum, et bona, quasi non bona sunt comparatione meliorum; nam sicut Deus delinquenti Judææ de Sodoma atque Samaria, ait:* justificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es, *ita melioribus Novi Testamenti præceptis subsequentibus, præcepta bona, quæ rudibus data sunt, non bona esse memorantur.* — *Respondeo* 3. Legem veterem esse non bonam *occasionaliter;* nam teste Apostolo Rom. 7. *Peccatum occasione accepta per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam:* et cap. 1. *Lex iram operatur: et ubi non est lex, nec prævaricatio;* cap. 5. *Lex subintravit ut abundaret delictum.* 1. Cor. c. 15. *Virtus peccati lex.* 2. Cor. 3. *Littera occidit, et est ministratio mortis, et damnationis.* Et *concludit Scriptura omnia sub peccato.* Galat. 3. *Propter transgressiones lex posita est:* sed tamen per se bona est absolute; nam Rom. 7. *Lex quidem sancta, et mandatum justum, et bonum.* Gal. 3. *Lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur:* 1. ad Tim. 1. *Bona est lex, si quis ea legitime utitur,* etc.

Objicitur 2. Illud Apostoli ad Hebræos 8. ubi de Veteri, et Novo Testamento sermonem faciens, ait: *Si illud prius culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur:* sed lex quæ culpa non vacat, non est bona; bonum enim ex integra causa, malum autem ex quocumque

defectu; proindeque censet Apostolus legem veterem non fuisse bonam. — **Respondeo** distinguendo *majorem:* Vetus Testamentum culpa non caruit, quasi fuerit ad culpam inductio, nego; quia erat culpæ occasio, culpamque prius ignotam demonstrabat, concedo. Hinc S. Thomas ad hunc locum apposite dixit quod aliquid potest convenire legi dupliciter: *vel* secundum se, et sic erat bona: *vel* ratione illorum quibus data est, et sic dicitur culpam habere propter duo: *Primo,* quia non dabat virtutem ad purganda commissa, ut indicat idem Apost. infra c. 10. *Impossibile est sanguine taurorum, et hircorum auferri peccata. Secundo,* quia non dabat gratiam adjutricem ad vitanda peccata, sed tantum ad ea cognoscenda; et sic erat occasio peccati, juxta illud Romanorum 7. *Concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret: non concupisces:* et sic dicitur non vacasse a culpa, quia homines in ipsa culpa relinquebat.

Instabis: Ex Apostolo ad Rom. 7. *Lex subintravit ut abundaret delictum;* ergo lex est revera inductiva ad peccatum. Similiter ex eodem Apostolo ad Galatas 3. *Quæcumque sunt sub operibus legis, sub maledicto sunt;* quod autem sub maledicto est, malum est: ergo revera opera legis veteris mala erant. — **Respondet ad primum Alensis noster** qu. 28. art. 5. quod aliquid potest conferre ad augmentum peccati dupliciter, scilicet vel per occasionem, vel per causam: lex autem subintravit ut abundaret delictum, non per causam, quasi esset ad peccatum inductiva, sed per occasionem; nam ut ibidem ait Apostolus, *Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* — *Ad secundum vero* respondet idem *ibidem,* quod duplex est maledictum: aliud *pœnæ,* aliud *culpæ:* priori modo quæ erant sub lege, erant etiam sub maledicto, propter observantias gravantes; non autem erant sub maledicto culpæ, quatenus erant sub operibus legis, prout erant opera legis; sed tantum quatenus de illis operibus præsumebant, de se confidentes.

Objicies 3. In lege veteri, ut constat ex cap. 21. *Exodi,* inter præcepta judicialia pœna Talionis locum habet, *Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente:* sed hoc legis præceptum improbatum est a Christo Domino *Matthæi* 15. his verbis: *Audistis quia dictum est antiquis: Oculum pro oculo,* etc. *Ego autem dico vobis, non resistere malo.* Ergo lex vetus aliquid improbandum præcipiebat; adeoque nec erat bona, nec a bono, et vero Deo condita. — **Respondeo,** legem hanc Talionis non reprobari a Christo Domino tamquam malam: erat enim optima pro eo tempore, pro quo lata fuit: sed his verbis, *Ego autem dico vobis,* etc. meliorem, et perfectiorem instituit Christus ut diserte explicat S. Augustinus, libro de Sermone Domini in monte: *Pharisæorum,* inquit, *justitia minor est, non excedere vindictæ modum, ne plus rependat quisque quam accepit, et magnus hic gradus est: Nemo enim facile invenitur qui pugno accepto pugno reddere velit, et uno convitiante verbo audito, unum, et quod tantumdem valeat referre contentus sit: sed sive ira perturbatus immoderatius vindicat: sive quia justum putat eum qui læserit prior, gravius lædit quam læsus est qui non læserat. Talem animum magna ex parte refrænavit lex in qua scriptum est;* oculum pro oculo, dentem pro dente; *quibus nominibus significatur modus, ut injuriam vindicta non transeat, et hæc*

est pacis inchoatio. Perfecta autem pax est, talem penitus nolle vindictam: qui ergo tantum reddit quantum accepit, jam donat aliquid: non tantum enim pœnam meretur nocens, quantum ille qui ab eo læsus innocens passus est. Et lib. 19. contra Faustum cap. 25. *Non fomes, sed limes furoris est; non ut id quod sopitum erat, hinc accenderetur; sed ne id quod ardebat, ultra extenderetur.*

Dices 4. Sacrificia veteris Legis erant Deo ingrata, et invisa: ergo lex quæ talia sacrificia instituebat, bona non erat. Probatur antecedens ex Psalm. 50. *Si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis.* Isaiæ 1. *Quo mihi multitudo victimarum vestrarum? plenus sum: incensum abominatio est mihi. Calendas vestras, et solemnitates vestras odivit anima mea, laboravi sustinens.* Sed Apostolus Hebræorum 7. explicans illud Psalmi 39. *Sacrificium, et oblationem noluisti,* ait: *Oblationes, et sacrificia, et holocautomata pro peccato noluisti, nec tibi complacita sunt, quæ secundum legem offerebantur:* ergo lex ea sacrificia imperans, non erat Deo accepta, nec proinde ab ipso instituta; siquidem nihil odivit eorum quæ fecit. — **Respondeo** 1. Quod in verbis citatis Prophetarum prædicitur sacrificia illa cessatura tempore legis Evangelicæ: ex hoc vero consequens non est quod mala fuerint, lege Mosayca vigente. *Secundo,* Prophetæ non improbant in illis verbis sacrificia ipsa, sed perversam mentem offerentium, qui cum in gravissimis peccatis essent, putabant tamen per sacrificia in voluntate peccati mortalis oblata Deum placare: unde Isaias 1. *Cum multiplicaveritis orationes vestras, non exaudiam eas, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Tertio,* Prophetæ significant hac loquendi ratione, sacrificia hæc esse imperfecta, quod ultro fatemur: sicut dicemus infra, legem veterem quoque licet bonam, tamen imperfectam.

Objicies 5. Verbi Dei opera sunt perfecta, ut dicitur *Deuteronomii* 32: at Mosayca lex non erat perfecta: quocirca inquit Apostolus Hebræorum 7. *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem, et inutilitatem:* ergo Deus non est auctor illius. *Insuper* Ecclesiastici cap. 3. *Didici quod omnia opera quæ fecit Deus perseverent in æternum:* sed Mosayca lex in æternum permanere non debuit; siquidem adveniente nova lege, reprobanda erat. *Denique,* quæ sunt a Deo bona, sufficiunt ad salutem: sed lex vetus ad salutem erat insufficiens: ergo non est censenda fuisse a vero Deo condita. — **Respondeo ad primum**, aliquid posse dici perfectum, vel simpliciter et absolute, vel secundum quid et comparative ad eos quibus convenit. Fateor autem veterem legem non fuisse perfectam simpliciter et absolute, sed tantum respective et comparative ad eos quibus erat danda, et ad tempus quo danda erat: Judæi namque adhuc rudes et velut pueri erant, quibus necessarius erat Pædagogus, quo metu pœnarum erudirentur: tempus vero non advenerat in quo daretur lex gratiæ, quæ absolute et simpliciter perfecta est: nam nonnisi in plenitudine temporis dari debebat. Et quemadmodum præcepta quæ dantur pueris sunt perfecta, habita ratione illorum, licet non sint absolute et simpliciter perfecta: sic et lex vetus perfecta fuit, habita ratione Judæorum qui erudiendi erant: etiam perfecta fuit ratione temporis, neque enim perfectiorem postulabat tempus, quod prævium esse debebat ad legem perfectam

simpliciter. — *Ad secundum* dico: ea opera Dei esse æterna, quæ Deus fecit perfecta simpliciter et absolute, concedo: quæ fecit perfecta tantum comparate, et pro aliquo tempore, nego: nam cum illa ad aliud referantur, et sint a Deo facta in ordine ad aliud, adveniente eo ad quod referuntur, cessare debent. Unde Apostolus Galat. 3. *Ubi venit fides, jam non sumus sub Pædagogo.* — *Ad tertium* dico quod quæ sunt a Deo bono, una cum auxilio gratiæ, revera sufficiunt ad salutem, concedo: nisi gratiæ auxilium annexum habeant, nego. Hoc autem auxilium Deus etiam Judæis subministravit, sicut et cunctis gentibus subministrat sufficiens ad salutem; licet abundantiori fœnore uberiorique misericordia in Christi fideles sub Evangelica lege degentes largitus fuerit.

Objicies 6. Lex ea non est a Deo, quæ æternæ Dei legi non concordat: sed lex vetus æternæ Dei legi non concordat; *lex enim æterna*, inquit S. August. in libris *De libero arbitrio, jubet amorem avertere a temporalibus, et emundatum ad æterna convertere;* lex autem vetus convertit animam ad temporalia; siquidem bona temporalia ejus observatoribus tantum promittit in mercedem, ut constat ex pluribus textibus Exodi, necnon et Deuteronomii, maxime vero cap. 28. ubi Moyses populum Israeliticum alloquens, ait: *Si custodieris mandata Domini Dei tui, et ambulaveris in viis ejus... abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu uteri tui, et fructu jumentorum tuorum, fructu terræ tuæ, quam juravit Dominus Patribus tuis ut daret tibi. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cœlum, ut tribuat pluviam terræ tuæ in tempore suo: benedicetque cunctis operibus manuum tuarum.* — **Respondet Alensis**, quod duplex est conversio ad temporalia, una quidem propter sola temporalia, ut ibi fiat status, qualiter Mosayca lex ad temporalia non convertebat: altera conversio fit ad temporalia, non propter ipsa, sed propter æterna bona; et hoc modo lex Moysis convertit ad temporalia bona, ut per hæc alliciatur homo ad æterna, scilicet ut ex dono moveat hominem ad amorem ipsius donantis, nempe Dei. Unde Deuteronomii 2. Moyses vice Dei Israelitas alloquens ait: *Si ergo obedieritis mandatis meis, quæ ego hodie præcipio vobis, ut diligatis Dominum Deum vestrum, et serviatis ei in toto corde vestro, et in tota anima vestra, dabit pluviam terræ vestræ temporaneam, et serotinam, ut colligatis frumentum, et vinum, et oleum, fœnumque ex agris ad pascenda jumenta, et ut ipsi comedatis ac saturemini.*

Conclusio secunda. — Lex vetus Moysi a Deo tradita est ministerio Angelorum.

Probatur 1. ex Scriptura Act. 7. ubi de Moyse sic ait: *Hic est qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, et cum Patribus nostris, qui accepit verba vitæ dare nobis.* Et ad Galat. 3. Apostolus dicit: *Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est, et ordinata per Angelos in manu mediatoris,* Moysis scilicet, qui de seipso ait Deuter. 5. *Ego sequester, et medius fui inter Dominum, et vos in tempore illo, ut annunciarem vobis verba ejus.* Et ad Heb. 2. *Si enim qui per Angelos dictus est sermo etc.* ubi per sermonem illum, legem Mosaycam intelligit, ut ex verbis sequentibus constat: comparat enim illam cum lege Evangelica, et signi-

ficat hanc esse differentiam inter veterem legem, et novam, quod lex vetus tamquam lex servitutis tradita fuerit Judæis per Angelos; lex autem nova, quia est lex gratiæ, nobis præscripta sit per Dei Filium.

Hoc ipsum docent communiter sancti Patres; imprimis vero S. Dionysius lib. *De Cœlesti Hierarchia*, cap. 4. ubi cum dixisset Cælestes intelligentias *Angelorum* præcipue nomine appellari, *Propterea quod primum in eis insit divina illustratio, ac per eas ad nos illæ transportentur quæ naturam nostram superant, patefactiones*, subdit: *sic enim lex, ut divina Scriptura testatur, per Angelos nobis data est.* Deinde aperiens qualiter Angeli omnes Patriarchas, et Prophetas ad divinitatis notitiam perduxerint, concludit: *An non etiam sacram illam legislationem ab ipso quidem Deo Moysi datam esse divina Scripta tradiderunt; ut nos vere eam divinæ, ac sacræ simulacrum esse doceant? Sed hoc etiam eadem Theologia nos docet, eam Angelorum ad nos opere pervenisse, quasi ille ordo divinæ legis sanciat ea, quæ secundum locum obtinent, ab eis quæ primum ad Divinitatem excitari.*

Suadet hoc ipsum ratio. Congruentissimum enim fuit, ut cum lex perfecta dari debuerit per ipsum Deum incarnatum, imperfecta lex quæ ad perfectam disponebat, non per ipsum Deum, sed Angelorum ministerio hominibus traderetur.

Dices: Ille qui loquebatur Moysi veterem legem ipsi præscribendo, se Deum et Dominum appellavit. Exodi 20. dicens: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti:* ergo non erat Angelus, sed Verbum divinum; quod cum Deus sit, magni consilii Angelus appellatur ab Isaia. — **Respondeo** tale nomen sibi vindicasse Angelum legislatorem, non quod Deus videri vellet, sed quia nomine Dei loquebatur, eumque referebat, ac repræsentabat: unde S. Gregorius Magnus, in præfatione libri Job cap. 2. *Angelus*, inquit, *qui Moysi apparuisse scribitur, modo* Angelus, *modo* Dominus *memoratur:* Angelus *propter hoc, quod exterius loquendo serviebat:* Dominus *autem dicitur, quia interius præsidens loquendi efficaciam ministrabat. Cum ergo loquens ab interiori regitur, et per obsequium Angelus, et per inspirationem Dominus appellatur.* — ✳ " Ei præiverat S. Augustinus, lib. 3. *De Trinit.*, cap. 1. scribens: *Cum verba judicis præco pronuntiat, non scribitur in gestis: ille præco dixit, sed iste judex: sic etiam loquente propheta sancto, etsi dicamus: propheta dixit, nihil aliud quam Dominum dixisse volumus, et si dicamus: Dominus dixit, prophetam non abstrahimus, sed quid per eum dixerit admonemus.* " ✳

Conclusio tertia. — Moyses veteris legis dumtaxat promulgator fuit: nullatenus autem institutor.

Probatur: Primo quidem ex cap. 20. Exodi, ubi Deus solus asseritur omnia legis veteris præcepta, quæ postmodum sequuntur, condidisse et ordinasse his verbis: *Locutusque est Dominus sermones hos: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi de terra Ægypti, de domo servitutis; non habebis Deos alienos coram me, non facies tibi sculptile etc.* Postmodum vero traduntur sub eodem tenore verborum omnia legis illius præcepta, sive moralia, et ad Decalogum pertinentia, sive cæremonialia, sive judicialia; subindeque consequens est omnia

istius legis præcepta a Deo mandante et ordinante esse condita, et per Moysem promulgata.

Probatur 2. Si quæ præcepta legis veteris a Moyse fuissent condita, maxime vel cæremonialia vel judicialia, ut volunt aliqui: sed hæc etiam Deum ipsum habent auctorem, ut constat ex Scriptura sacra, quæ quoties de talibus præceptis sermonem instituit, sæpius repetit, et inculcat hæc verba: *Locutus est Dominus ad Moysem. Hæc dices filiis Israel:* vel ista apponit: *Locutus est Moyses ad filios Israel, omnia quæ præceperat Dominus.* De judicialibus autem *Exodi* 21. ubi hæc tradi incipiunt, Deus Moysem sic alloquitur: *Hæc sunt judicia quæ propones eis: si emeris servum Hebræum sex annis serviet tibi etc.* Pariter capite 25. in quo de præceptis cæremonialibus agitur, legimus: *Locutusque est Dominus ad Moysem dicens: Loquere filiis Israel, ut tollant mihi primitias etc.* Quibus loquendi modis inde stat, nihil penitus a Moyse nisi nomine Dei legislatoris fuisse derivatum, et promulgatum. *Denique,* lex vetus simpliciter dicitur *lex Domini;* quod indicium est eam a Domino fuisse conditam. Unde consulto Joan. 1. *Lex per Moysem data est, gratia, et veritas per Jesum Christum facta est.* Nam, ut observat Clemens Alexand. libro 1. Pædagogi cap. 7. « Lex per Moysem data est, non a Moyse, sed a Verbo, et de « lege quidem, data est tantum, inquit, Scriptura a Moyse; veritas « autem, et gratia non dicitur tantum dari per Christum, sed, quod « amplius est, fieri ».

Dices 1: Lex vetus plerumque vocatur *lex Moysis,* maxime Malachiæ 4. et Lucæ 2. Unde a Clemente Romano Pontifice, et nonnullis aliis Moyses illius legis non solum promulgator, sed etiam legislator appellatur; ergo aliqua illius præcepta a Moyse propria auctoritate instituta fuere. — **Nego consequentiam**; nam iisdem locis quibus lex vetus Moysis lex appellatur, etiam vocatur lex Domini, ut significetur a Domino fuisse tradita; nam eodem capite 4. *Malachiæ* 4. Deus sic loquitur: *Mementote legis Moysis servi mei, quam mandavi ei in Horeb, ad omnem Israel præcepta, et judicia:* Lucæ autem 2. sic dicitur: *Postquam impleti sunt dies purgationis illius,* Mariæ, *secundum legem Moysis, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini.* Quibus significatur eamdem legem et Domini, et Moysis appellatam; Domini autem ut auctoris, Moysis ut promulgatoris.

Dices 2: Præceptum de libello repudii non a Deo, sed a Moyse datum est, juxta illud Christi Domini. *Matth.* 19. ubi cum dixisset, *Non licere homini dimittere uxorem, quia quod Deus conjunxit, homo non separet,* inquirentibus Discipulis: *Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, et dimittere?* ait illis: *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic:* ergo aliqua præcepta legis veteris Moyses instituit. — **Nego antecedens**: si enim Moyses ipse libellum repudii instituisset, consequens esset quod ipse propria auctoritate facultatem dedisset dissolvendi legitimum matrimonium: at nullus hominum propria auctoritate potest dare talem facultatem, *Quod enim Deus conjunxit homo non separet,* ait Christus; subindeque præceptum de libello repudii non a Moyse, sed a Deo concessum est. Nec vis ulla

facienda est in illis verbis: *Moyses mandavit, et permisit;* nam si inde inferre liceret Moysem hujus mandati esse auctorem, etiam liceret inferre esse auctorem Decalogi; nam Marci 2. Christus Judæos arguens, quod propter suas traditiones servandas irritum facerent Dei præceptum, ait: *Moyses enim dixit: Honora Patrem, et Matrem tuam.* Nec pariter ulla vis est facienda in his verbis, *ab initio autem non fuit sic:* nam licet ab initio Deus hanc facultatem non fecerit hominibus, ut cum vellent impune dimittere uxores suas, libellum darent eis quas dimitterent; tamen ex eo non est consequens quod non potuerit Deus postmodum hanc facultatem concedere ad duritiam cordis; nam, inquit Alensis membr. 1. art. 2. ad quintum, « data est lex duris in flagellum; ut eos « puniret infligendo pœnas, et subtrahendo delectabilia, et quantum « ad hoc dedit lex libellum repudii, quod est in lege per permissionem, « ut ipsos duros scilicet et perversos a malo subtraheret, quia proni « erant ad interficiendum uxores suas; idcirco ut flagellaret eos in « hoc, ordinavit quod non liceret eis iterum assumere uxores postquam « libellum repudii eis dedissent ».

QUÆSTIO SECUNDA.

QUALIS ET QUEM OB FINEM LEX MOYSIS LATA FUERIT.

Notandum 1. Varios fuisse hæreticos, qui veterem legem salutî adversantem, utpote malam, et a perverso principio institutam, asserrent, quod maxime de Cajanis, Marcionitis, et Manichæis affirmant SS. Epiphanius et August. lib. *De Hæresibus;* idque suadere nitebantur ex eo quod vetus lex plerumque in Novo Testamento dicatur imperfecta, et infirma. Verum sciendum est quod aliquid perfectum dici potest duobus modis, nempe vel absolute, et positive: vel negative, et comparative. Priori modo illud perfectum dicitur, quod ex se non ordinatur ad aliud tamquam sui complementum, sed suis omnibus præcellentiis constat, et perfectionibus integratur. Posteriori vero modo dicitur aliquid perfectum, cum scilicet ex se habens omnia, quæ pro statu suo sibi conveniunt, nihilominus dum comparatur cum altero, dicitur imperfectum seu minus perfectum, quocirca ad illud ordinatur tamquam ad id quod præstantius est, et quo præstantiori adveniente, et radiante perfectum esse desinit; sic Auroræ lux licet in se perfecta, tamen comparative ad solem dici potest negative perfecta, quia lumine solis minor est, et ea irradiante desinit.

Notandum 2. Legem Moysis considerari posse per respectum ad tres leges, quas distinguit Apóstolus; nempe legem naturæ, legem concupiscentiæ seu fomitis, et legem Evangelii seu gratiæ; juxta quos respectus Mosayca lex considerari potest involvere triplicem necessitatem, et dispensationem: siquidem data videtur in adjutorium legis naturæ ex Dei misericordia, in correctionem, et emendationem legis peccati, vel fomitis ex ordinatione divinæ justitiæ; in designationem legis gratiæ, et præparationem, et manuductionem ad ipsam ex præscripto et consilio divinæ sapientiæ.

Notandum 3. Aliquid dici conducere ad salutem duobus modis: nempe quatenus est inductivum ad bonum, et revocativum a malo, quod vel per se vel occasionaliter hominem removeret ab eis præ-

standis, quæ necessaria forent ad salutem consequendam. Hoc autem utroque modo certum est veterem legem ad salutem hominum fuisse ordinatam; siquidem inductiva erat ad bonum quod præcipit, et revocativa a malo quod prohibet; quapropter Apostolus ad Rom. ait: *Lex sancta et bona*, et *mandatum sanctum, et justum et bonum.* Quæ verba glossa sic expendit: *Lex est ad vitam, et jubet bona, et mala prohibet, et facit peccatum cognoscere, unde dicitur* Sancta, *idest, sane docens:* mandatum justum, *idest, justificans peccatorem:* et bonum, *idest, utilem vitam acquirens.* — ✳ " Lex vetus Judæis data est propter Christianos, ut diserte exponit S. Aug. lib. 4. *cont. Faust.*, qui respondens objectioni Fausti contendentis legem illam solis Judæis præscriptam a Christianis esse abjiciendam, ait: *Temporalium quidem rerum promissiones Testamento veteri contineri, et ideo vetus Testamentum appellari, nemo nostrum ambigit; et quod æternæ vitæ, regnumque cælorum ad novum pertinet Testamentum. Sed in illis temporalibus figuras fuisse futurorum quæ implerentur in nobis, in quos finis sæculorum obvenit, non suspicio mea, sed apostolicus intellectus est, dicente Paulo, cum de talibus loqueretur: hæc omnia figuræ nostræ fuerunt. Et iterum: hæc omnia in figura contingebant illis; scripta sunt autem propter nos, in quos finis sæculorum obvenit. Non ergo vetus Testamentum ad consequendas illas promissiones, sed ad intelligendas in eis novi Testamenti prænuntiationes accipimus: veteris quippe testificatio fidem novo conciliat.* " ✳

Restat ergo tantum hic determinandum: *Primo*, an revera lex vetus positive et absolute, vel negative et respective dicenda sit imperfecta: *Secundo*, quos ob fines fuerit instituta.

Conclusio prima. — Lex Vetus imperfecta erat, non absolute, sed respective. Hæc Conclusio duas partes complectitur, *prima* quarum sufficienter probata fuit in priori Conclusione præcedentis Quæstionis.

Probatur autem *posterior*, nempe quod lex Mosayca imperfecta fuerit, non positive, sed comparative ad legem Evangelicam. Probatur, inquam: illa lex dicenda est imperfecta comparative, quæ gratiam justificantem, in qua perfectio, et efficacia ad æternam salutem consequendam consistit, non conferebat: sed talis erat lex vetus, subindeque erat negative, et comparative imperfecta. *Major* constat. *Minor* vero probatur. *Primo* ex Scriptura sacra, nam Joan. dicitur: *Lex per Moysem data est, gratia, et veritas per Jesum facta est.* Unde Apostolus ad Rom. 8. ait: *Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.* Quapropter ad Hebræos 7. affirmat: *Quod reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus, et utilitatem, nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Hinc sæpius ait justitiam non esse ex lege, sed per Christum; sic ad Galatas 2. *Si ex lege justitia, ergo gratis Christus mortuus est.* — *Probatur* 2. Hæc eadem *minor* ex sanctis Patribus: *Primo* quidem ex S. Augustino lib. 4. ad Bonifacium, qui sic de Christo loquitur: *Scriptum est, Proverbiorum 3. juxta septuaginta Interpretes:* le-

gem et misericordiam in lingua portat: *Legem qua terreat, misericordiam qua subveniat: Legem per servum, misericordiam per seipsum: Legem tamquam in baculo, quem misit Elisæus ad filium viduæ suscitandum, et non resurrexit. Si enim data esset lex, quæ posset vivificare, omnino ex lege esset justitia, Misericordiam vero tamquam in ipso Elisæo, qui figuram Christi gerens mortuo vivificando, magni Sacramenti, velut Novi Testamenti significatione conjunctus est.* Similia habet Sermone 2. *De Verbis Apostoli*, cap. 8. et 9. necnon et pluribus aliis in locis. — Ipsi subscribunt S. Fulgentius lib. 2. *De Veritate prædestinationis*, c. 19. *Lex sine gratia ostendere potest ægritudinem, non sanare: vulnera monstrat, medicamina non ministrat; ut autem legis impleatur præceptum, gratiæ ministrat auxilium, ac sic lex revelat culpam, gratia confert indulgentiam. Legis est igitur, quod peccata cognoscimus: gratiæ, quod vitamus.* Addit lib. 1. cap. 7. *Hæc igitur inter litteram jubentem, et spiritum vivificantem, idest, inter legem, gratiamque distantia est, quia lex convenit, gratia convertit hominis voluntatem. Ut bonum velimus, illa clamat, hæc donat: illic voluptati hominis incutit justitia divina terrorem: hic infundit misericordia charitatem; per illam accepit voluntas spiritum servitutis in timore; per istam accepit spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater.* — ✻ " Hinc S. Augustinus in expositione epist. ad Rom. quadruplicem distinguit hominum statum, nimirum ante legem Mosaycam, sub ipsa lege, sub gratia Christi, et in pace æternæ beatitudinis. *Ante legem*, inquit, *sequimur concupiscentiam carnis: sub lege trahimur ab ea: sub gratia nec sequimur eam, nec trahimur ea: in pace nulla est concupiscentia carnis. Ante legem ergo non pugnamus, quia non solum concupiscimus et peccamus, sed etiam approbamus peccata: sub lege pugnamus, sed vincimur; fatemur enim mala esse quæ facimus, sed quia nondum est gratia, superamur.* " ✻ — Adstipulatur S. Prosper sententia 32. dicens: *Qui dedit legem, ipse dedit et gratiam: sed legem per servum misit, cum gratia ipse descendit: ut quia lex ostendit peccata, non tollit, volentes legem suis viribus exequi, nec valentes, coguntur ad gratiam, quæ impossibilitatis morbum, et inobedientiæ aufert reatum.*

Dices: Patriarchæ et Prophetæ, aliique quamplurimi in statu veteris legis fuerunt justi et perfectissimi: ergo in lege veteri erat perfecta justitia. Subindeque hac ratione lex vetus non est dicenda imperfecta. — **Respondeo**: *Primo* quidem, paucos admodum in veteri lege justos fuisse ac perfectissimos, ut docet S. Augustinus lib. *De catechizandis rudibus* c. 22. et lib. contra Adimantum cap. 17. — *Dico* 2, quod si homines aliqui justi fuerunt in Veteri Testamento, non ad illud vetus Testamentum, sed ad legem Gratiæ, et Evangelii pertinuerunt, ut docet S. Augustinus lib. *De Spiritu, et littera* cap. 25. et 26. et lib. 3. *ad Bonifacium* cap. 4. dicens, « *Tunc homines Dei se-* « *cundum distributionem temporum, veteris quidem Testamenti dispen-* « *satores, et gestatores, sed novi demonstrantur hæredes.* « An vero illum « ad Testamentum novum negabimus pertinere, qui dicit: *Cor mundum* « *crea in me Deus, et Spiritum rectum innova in visceribus meis?* aut « illum qui dicit: *Posuit supra petram pedes meos, et direxit gressus* « *meos, et immisit in os meum Canticum novum Hymnum Deo no-* « *stro?* Vel illum ante Testamentum vetus, quod est a monte Sina,

« Patrem fidelium de quo dicit Apostolus: *Fratres, secundum hominem* « *dico, tamen hominis Testamentum nemo irritum facit, etc.* Satis « ostendit ad fidem nostram pertinere, quæ novi utique est Testamenti, « quod per promissionem donavit Deus Abrahæ ». *Hinc concludit S. Augustinus:* « Sive igitur Abraham, sive ante illum justi, sive post eum « usque ad ipsum Moysem, per quem datum est Testamentum, a « monte Sina in servitutem generans, sive cæteri Prophetæ post eum « et sancti homines Dei usque ad Joannem Baptistam, filii sunt pro- « missionis, et gratiæ ; secundum Isaac filium liberæ, non ex lege, « sed ex promissione hæredes Dei, cohæredes autem Christi. Absit « enim ut Noë justum, et prioris temporis justos, et quicumque ab « illo usque ad Abraham justi esse potuerunt vel conspicui vel oc- « culti, negemus ad supernam Jerusalem, quæ Mater nostra est, per- « tinere. Quamvis anteriore tempore inveniantur esse, quam Sara, « quæ ipsius liberæ matris prophetiam figuramque gestabat. Quanto « evidentius ergo post Abraham ? nam cui sic declarata est ipsa pro- « missio, ut pater multarum gentium diceretur, quicumque Deo pla- « cuerunt, hi filii promissionis habendi sunt ; non enim est Abraham, « et deinceps justorum generatio verior, sed prophetia manifestior re- « petitur. Ad testamentum autem vetus quod est a monte Sina in « servitutem generans, quod est Agar, illi pertinent, qui cum accepe- « rint legem justam, sanctam, et bonam, putant sibi ad vitam litteram « posse sufficere. Et ideo quo fiant factores legis, divinam misericor- « diam non quærunt, sed ignorantes Dei justitiam, et suam justitiam « volentes constituere, Justitiæ Dei non sunt subjecti. Et postea ; hac « plane magna distantia ; quod faciant ista sub lege positi, quod lit- « tera occidit terrenam felicitatem, vel cupiditate adipiscendi, vel ti- « more amittendi, et ideo non vere faciunt, quoniam carnalis cupi- « ditas, qua peccatum augetur, cupiditate alia non sanatur. Sic ad « vetus pertinet testamentum, quod in servitutem generat ; quia facit « eos carnalis timor, et cupiditas servos ; sed Evangelica fides, spes, « et charitas liberos. Sub gratia vero positi, quos vivificat Spiritus, « et fide ista faciunt, quæ per dilectionem operatur in spe bonorum, « non carnalium, sed spiritualium : non terrenorum, sed cælestium : « non temporalium, sed æternorum ; præcipue credentes in Mediatorem, « per quem sibi non dubitant, et spiritum gratiæ subministrari, ut « bene ista faciant ignosci posse cum peccant. Hi pertinent ad Te- « stamentum Novum filii promissionis, et regenerationis, a Deo Patre, « et libera matre, cujus generis fuerunt antiqui omnes justi, et ipse « Moyses Testamenti minister Veteris, hæres Novi : quia ex fide qua « nos vivimus, una eademque vixerunt, incarnationem, passionem, « resurrectionemque Christi credentes futuram, quam nos credimus « factam etc. »

Conclusio secunda. — Etiamsi imperfecta fuerit Mosayca lex, nihilominus varios ob fines sapienter a Deo fuit ordinata, et præscripta.

Primo quidem, ut suam homini notam faceret infirmitatem, quatenus ea cognita quæreret Salvatorem ; nam inquit Apostolus Rom. 7. *Peccatum non cognovi nisi per legem.* Quam utique causam præscri-

bendæ legis eleganter declarat S. August. pluribi, maxime vero sermone 13. *De verbis Apostoli* c. 2. *Data est lex,* inquit, *non ut morbus sanaretur, sed ut prævaricationis morbo crescente medicus quæreretur. Et quis est iste medicus nisi qui dixit* Matt. 9. Non est opus sanis medicus, sed male habentibus? *Qui ergo non confitetur Creatorem, negat superbus ægritudinem. Qui autem negat ægritudinem suam, superfluum judicat Salvatorem. Ergo et in natura nostra Creatorem laudemus, et propter vitium, quod nobis inflximus, Salvatorem quæramus. Et quomodo quærimus Salvatorem? Ut det legem? Parum est. Si enim data esset lex quæ posset vivificare, omnino esset ex lege justitia. Si ergo non est data lex, quæ posset vivificare, quare data est? sequitur, et ostendit quare sit data: quia etiam sic in adjutorium data est, ne te sanum putares.* Vel ut ait Epistola 44. *Lex docendo, et jubendo quod sine gratia impleri non potest, homini demonstrat suam infirmitatem, ut quærat demonstrata infirmitas Salvatorem, a quo sanata voluntas possit, quod infirma non posset: lex igitur adducit ad fidem, fides impetrat Spiritum largiorem, et diffundit Spiritus charitatem, implet charitas legem. Ideo lex Pædagogus vocatur, sub cujus minacissima severitate, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo autem invocabunt, in quem non crediderunt?* Licet autem homo absque lege veteri cognoscere potuerit plura habere rationem inhonesti, per legem nempe naturalem et rationis dictamen, tamen per legem divinam positivam manifestatur homini, quod quæ ratio naturalis inhonesta judicat, etiam peccata sunt et offensa Dei, qui illa prohibet ac severissime animadvertit in peccatores. *Adde* quod cum lex naturalis per originale peccatum in nobis maxime vitiata fuerit, ita ut plura non videantur jam nobis habere rationem peccati, quæ tamen revera peccata sunt, idcirco opus fuit altera lege, quæ perspicue peccati fœditatem et gravitatem explicaret.

Secundo, data fuit lex propter frangendam ac retundendam hominis superbiam; quatenus nempe cognosceret homo se prorsus esse imparem, et insufficientem propriis viribus ad peccata declinanda. Quod utique sic declarat S. August. Epist. 157. *Data itaque fuerat lex,* inquit, *quæ manifestius sibi ipsum ostenderet hominem, ne superbus animus humanus a seipso se posse esse justum putaret, et ignorans Dei justitiam, idest, quæ homini ex Deo est, et suam volens constituere, idest, quasi suis viribus partam, justitiæ Dei subjectus non fieret. Oportebat itaque ut addito mandato, cujus vox est, non concupisces, superbo peccatori etiam prævaricationis crimen accederet, atque ita gratiæ medicina non sanata per legem, sed convicta infirmitas quæreret.* Vel ut ait serm. 13. *De verbis Apostoli* cap. 4. *Lex prævaricationis gratia posita est, unde humiliaretur cervix multum sibi tribuentium, voluntati suæ tantum arrogantium, ut sibi liberum arbitrium posse putarent ad justitiam sufficere, quæ tunc quando erat integra libertate, idest, in Paradiso, ostendit vires suas, ostendit quantum possent, sed ad ruendum, non ad surgendum.* — Qualiter autem legis præscriptio hominis superbiam fregerit, docet idem S. Aug. pluribi; nempe quod lex posita motivum fuerit et occasio cur concupiscentia irritaretur magis, et adversus sibi repugnantem legem acrius insurgeret; nam, inquit Apostolus ad Rom. 7. *Peccatum occasione accepta per mandatum operatum est in me omnem*

concupiscentiam. Ubi nomine peccati concupiscentiam intelligit, quæ idcirco peccatum appellatur, quia est a peccato, in peccatum inclinat, et ipsa fit peccatum si ipsi consentiatur. Hinc S. August lib. 3. ad *Bonifaciun* cap. 2. exponens hæc Apostoli verba ad Corint. 13. *Littera occidit; aculeus enim mortis est peccatum, virtus autem peccati lex,* ait: *Auget quippe prohibendo peccati desideria, et inde occidit, nisi subveniendo vivificet gratia.* Et lib. *De Spiritu, et littera* cap. 4. *Ubi sanctus non audiat Spiritus, inspirans pro concupiscentia mala concupiscentiam bonam, hoc est, charitatem diffundens in cordibus nostris: profecto illa lex, quamvis bona, auget prohibendo desiderium malum: sicut aquæ impetus, si in eam partem non cesset vehementior fit obice posito, cujus molem cum emiserit, majore cumulo præcipitatus violentius per prona provolvitur. Nescio quo enim modo hoc ipsum quod concupiscitur fit jucundius, dum vetatur, juxta illud Poëtæ: Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.*

Tertio, data fuit lex vetus, ut populum Judaicum, alioqui rudem et imperfectum, metu pœnarum a malo deterreret: ac sic adhuc ostenderet sibi ad auxilium divinæ gratiæ confugiendum esse, ut docet Apostolus ad Galat. 3. scribens: *Lex Pædagogus noster fuit in Christo:* nam Pædagogus ille est sub cujus ferula et virgis puer datur erudiendus. Hunc locum expendens S. Thomas, ait: *Per legem Judæi, tamquam imbecilles pueri, per timorem pœnæ retrahebantur a malo, et promovebantur amore et promissione temporalium ad bonum.* Hanc utique doctrinam hauserat a S. Augustino Epist. 144. *Supracitata lex Pædagogus vocatur, sub cujus minacissima servitute, qui invocaverit nomen Domini salvus erit.* Lib. *De natura, et gratia* cap. 1. *Hanc justitiam Dei non in præcepto legis, quo timor incutitur, sed in adjutorio gratiæ Christi ad quam solam utiliter legis velut Pædagogi timor ducit, constitutam esse qui intelligit, ipse intelligit quare sit Christianus.* Lib. 4. ad Bonif. cap. 3. *Ad quam gratiam lex de prævaricatione terrendo tamquam Pædagogus perducit, ut sic conferretur homini quod conferre ipsa non potuit.* Lib. *De perfectione justitiæ* cap. 3. *Lex ista præcepit ut cum in his implendis homo defecerit, non se extollat superbia tumidus, sed ad gratiam confugiat fatigatus, ac sic eum lex terrendo ad Christum diligendum Pædagogi perducat officio.* Et cap. 19. ait: *Timore legis humilem factum tamquam Pædagogo ad fidem, gratiamque hominem perducere. Ne vero existimet nos initium aliquod salutis naturæ tribuere, dum statuimus ad hoc Legem Veterem datam fuisse, ut ostendat homini suam infirmitatem, qua agnita quærat medicum, ut frangat superbiam; quandoquidem ejus occasione augetur concupiscentia, et numero et gravitate: ut convincat illum de gravitate morbi, ne contemnat tamquam leviorem: ut denique terreat, metuque pœnarum abducat a malo, sic volumus per legem cognosci peccatum, ut sentiamus per gratiam medicum inquiri. Frangi vero per legem superbiam eatenus dicimus, quatenus peccator imparem se sentit legi quam novit sibi impositam custodiendæ, nisi juvetur per gratiam, cum tantum absit ut tollat peccatum, quin potius occasionaliter aucta concupiscentia augeat illud et numero et gravitate. Videt ergo sibi non sufficere legem cognoscere, quia cognita lege peccatum non tollitur, non minuitur, sed augetur: sic videt se imparem legi servandæ. At vana est ad sa-*

lutem ejusmodi confractio superbiæ, nisi quando per gratiam peccator coram Deo humiliatur. — Idem docet S. Hieronymus in illud ad Galatas 3. *Lex Pædagogus noster fuit in Christo. Pædagogus,* inquit, *parvulis assignatur, ut lascivior refrœnetur ætas, et prona in vitia corda teneantur, dum tenera in studiis eruditur infantia; et ad majores disciplinas metu pœnæ coercita præparatur. Itaque et lascivientibus lex Moysis ad instar Pædagogi severioris apposita est, ut custodiret eos, et futuræ fidei præpararet.*

Triplicem aliam legis veteris utilitatem profert Alensis mem. 1. art. 1. per respectum ad triplicem legem; nempe, naturæ, concupiscentiæ, et Evangelii. « Datur enim, inquit in adjutorium legis naturæ; et secundum hoc decurrit secundum misericordiam. Datur « etiam in correctionem legis peccati vel fomitis; et secundum hoc « decurrit secundum rationem justitiæ. Item datur in signum, et significationem legis gratiæ, et directionem ad ipsam; et secundum « hoc decurrit secundum sapientiæ rationem. De primo habetur super « illud: *Lex subintravit,* dicit glossa: *Data erat lex in adjutorium humanæ naturæ: ut quia ipsi naturæ quodammodo incerta sunt justitiæ semina, adderetur lex, cujus auctoritate, et magisterio ingenium naturale proficeret ad fructum justitiæ faciendum:* et hæc est prima « utilitas lationis legis. — *Secunda* autem ejus utilitas est *ad correctionem legis peccati* vel *fomitis:* et de hac habetur: *Lex propter transgressores* etc. glossa: *Lex posita est propter transgressionem cohibendam, idest, ut saltem timore cessarent homines transgredi, ut quandoque idem facerent voluntate.* Data est ergo, ut populum Dei erudiret sub timore Dei, ut dignus fieret accipere promissionem, quæ « est Christus. — *Tertia utilitas* fuit ad figurandam legem gratiæ vel « Evangelii, et directionem ad ipsam: unde Psalm. 18. *Lex Domini « immaculata convertens animas.* Glossa: *Convertens animas, idest, « sua distinctione corrigens, et ad Christi gratiam mittens.* Et sic patet, « quod est ad coercenda peccata, et ad directionem, et figurationem « legis gratiæ. Secundum hoc dicitur Rom. 5. *Lex intravit etc.* Glossa: « *Erant in illo populo tria genera hominum, scilicet duri, incipientes, « et perfecti; iis omnibus data est lex: sed duris datur in flagellum, « incipientibus in Pædagogum, data est justis in signum, scilicet futuræ gratiæ per Christum.* Et ad Galat. 3. *Propter transgressores, etc.* « Glossa. *Data est lex in signum futurorum, ut futura figuris attestarentur.* Et secundum hoc tria erant in lege: scilicet moralia, quæ « erant ad dilucidandam legem naturæ; et quantum ad hoc erat ad « instruendum incipientes. Item habuit lex judicialia, ad coercendam « legem concupiscentiæ vel fomitis; et quantum ad hoc erat duris in « flagellum. Item habuit figuralia, seu cæremonialia, ad figurandam « legem gratiæ; quia figuræ erant figuræ futurorum; et quantum ad « hoc fuit justis in signum ».

QUÆSTIO TERTIA.

QUOT, ET QUÆ FUERINT PRÆCEPTA VETERIS LEGIS.

Notandum 1. Tot ac tanta fuisse legis Mosaycæ præcepta, ut non immerito S. August. ipsam esse *sarcinam innumerabilium præceptorum*

dixerit. Quocirca etiam S. Petrus Vetus Testamentum appellat Act. 7. jugum insupportabile, dicens: *Quid tentatis inponere jugum super cervices discipulorum, quod neque nos neque Patres nostri portare potuimus?* Nec immerito quidem; si enim fides detur Genebrardo, sub finem Chronologiæ, et Guillelmo Parisiensi, lib. *De legibus* cap. 1. *circa medium,* præcepta cæremonialia erant ad minus sexcenta et tredecim; ex quibus 248. erant affirmativa; tot scilicet quot sunt membra in homine, et ossa: et 365. negativa, quot in anno dies numerari solent.

Notandum 2. Ex eodem Guillelmo Parisiensi *ibidem,* triplicem fuisse causam cur tot præcepta Judæis præscriberentur: « *Prima* fuit « ruditas, et ineruditio ipsius populi, propter quam generalibus præ« ceptis solum erudiri, et institui non potuit, et ideo per partes par« ticularium mandatorum erudiendum illum ac instituendum decrevit « Deus, quasi parvulum magis fractionibus panum, atque micis quam « panibus integris nutriendum. *Secunda causa*, execrabilis idololatria « multiplex, in cujus eliminationem pro parte magna intendit lex, et « hoc potissimum in omnibus mandatis, quæ absurda videntur, et « nullam utilitatem afferre servantibus. *Tertia causa,* quia librum legis « voluit Deus esse sufficientem pro tempore illo, et capacitate novitii « adhuc illius populi, vel pro parte maxima puerili. Voluit ergo legem « continere ea omnia, quæ dirigere, moderari, ac decorare sufficerent « vitam hujus populi, dans eis in hoc multam materiam meditationis, « vel exercitationis in lege illa, pro captu ruditatis eorum et impe« ritiæ; ne librorum paucitas, et parvitas mandatorum simul essent « eis occasio evagandi ad libros humanarum traditionum, et inde cre« dulitates novas, et errores impietatis, legique Dei contrarias super« stitiones haurirent: et hac multa vigilantia, ac distinctione obser« vatum est apud Hebræos multis temporibus, videlicet ut sapientia « legis contenti, libros aliarum gentium declinarent. Unde nec Philo« sophiæ operam dare illis temporibus ausi sunt, donec commixti inter « gentes, videlicet Chaldæos, disciplinas, et studia maxime proveherent, « et adhuc ampliare et provehere non desistant; quamque Ægyptii « incæperint, et Græci sint studiosissime atque magnifice prosecuti. « Hoc ipsum voluit lex Deuter. 4. ubi dicit: *Hæc est enim vestra sa« pientia, et intellectus.* Similiter, et Isaiæ 8. *Numquid non populus « a Deo suo requirit visionem pro vivis, ac mortuis, ad legem magis, « et ad testimonium?* Et Psal. 1. *Beatus vir qui in lege Domini me« ditatur die ac nocte;* et multa hujusmodi. Deinde ita arctavit eos « ipsa lex ad sui jugum, meditationem, et observantiam, ut alias ei « cogitare, et in aliis studere, nullo modo vacaret; sicut legitur Deu« teron. 6. *Meditaberis ea sedens in domo tua, et ambulans in itinere, « dormiens, atque consurgens etc.* Postquam autem Chaldæis sive Ba« byloniis, et genti Arabum commixti sunt, et miscuerunt se studiis « eorum, et Philosophiæ, et secuti sunt opiniones Philosophorum, ne« scientes legis suæ credulitates, et Abrahæ fidem, contra disputa« tiones eorum, et rationes defendere; hinc est quod facti sunt in lege « erronei, et in fide ipsius Abrahæ hæretici; maxime postquam Re« gnum Saracenorum diffusum est super habitationem eorum, exinde « enim æternitatem mundi, et alios Aristotelis errores secuti sunt « multi eorum. »

Notandum 3. quod ✳ " lex vetus tria præceptorum genera complectebatur: moralia, cæremonialia, et judicialia, juxta illud Deuter. v. 31: *Loquar tibi mandata mea et cæremonias meas atque judicia.* — Lex illa Judæis solis præscripta fuit, ut constat multis Scripturæ textibus. Primo quidem Deuter. 4. hæc habentur: *Quæ est alia gens tam inclyta, quæ habeat cæremonias ac justa judicia?* Psalmo 75: *Notus in Judæa Deus, in Israël magnum nomen ejus.* Psalmo 147: *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis.* Ad Rom. 7: *Quid ergo amplius Judæo est? multum quidem per omnem modum, primum quidem quia credita sunt eis eloquia Dei.* Ergo aliis a Judaïca gente data non est lex vetus: nimirum posita est in cæremoniis ac judiciis, in sincera Dei cognitione, in eloquiis divinis. " ✳

In cultu Dei considerari possunt ipse cultus, colentes, et instrumenta colendi. Cultus ipse specialiter consistit in sacrificiis quæ offeruntur in reverentiam Dei. Instrumenta colendi pertinent ad sacra, quale est tabernaculum, et vasa, et alia hujusmodi. Ex parte autem colentium duo possunt considerari, scilicet eorum institutio, quod fit per quamdam consecrationem populi vel ministrorum, atque ad hoc pertinent sacramenta: et eorum singularis conservatio, per quam distinguuntur ab his qui Deum non colunt, et ad hoc pertinent observantiæ, puta in cibis, et vestimentis, aliaque ejusmodi.

Sacrificia instituta sunt in veteri lege tum ut hac ratione Judæi, proclives alioqui admodum ad idololatriam, ab ea retraherentur immolando Deo vero, et non diis.

✳ " Explicat ista præclare Theodoretus, tom. 4. serm. 7. ubi scribit: *Israëlem, longum tempus in Ægypto versatum, pravisque indigenarum moribus imbutum, ut idolis ac dæmonibus immolaret ab illis edoctum, et ludis, choreisque ac musicis organis oblectari; harum rerum in habitu constitutum liberare volens Deus, sacrificare quidem permisit, non tamen omnia sacrificare, neque falsis Ægyptiorum diis, sed sibi soli, Ægyptiorum etiam deos offerre.... Haud itaque victimarum indigens Deus, nidorisve appetens, illa instituit sacrificia: sed ut ægrorum affectibus mederetur. Sic et musica instrumenta in cultu suo passus est, non quod illorum concentu oblectaretur ipse, sed ut idolorum errorem paulatim aboleret. Si enim, ut primum ab Ægyptiorum potestate liberati sunt, perfectas eis leges objecisset, resiliissent prorsus, et frœnum respuentes ad pristinam labem recurrissent.* — Similia habet Chrysostomus, homil. 6. in hæc S. Matthæi verba: *Ecce stella quam viderant Magi,* ubi scribit: *Ne opineris Deo indignum quod Magi per stellam vocentur: hoc enim modo omnes Judæorum cæremonias, omnesque ritus et sacrificia et purificationes, et neomenias, et arcam, templumque ipsum reprobabis. Siquidem hæc omnia originem a gentium ruditate traxere. Deus ob deceptorum salutem, se coli passus est per ea per quæ illi dæmones antea coluere; aliquantulum illa in melius deflectens, ut eos paulatim a consuetudine reduceret, et ad philosophiam altiorem perduceret.* Inde est quod sacrificia Israëlitis non præscripserit Deus, " ✳ nisi postquam in idololatriam declinaverunt conflantes sibi vitulum adorandum; tum maxime ut per illa homines protestarentur se cognoscere Deum tamquam supremum dominum vitæ et necis, atque rerum omnium Creatorem, sed et ut figurarent sacrificium Christi Domini tam-

quam imperfecta perfectum, ille quippe una oblatione explevit variorum differentiam sacrificiorum.

Sacrificia autem veteris legis erant in triplici differentia, ratione triplicis sacrificandi finis. *Primo holocausta,* quæ specialiter instituta erant ad protestationem supremi dominii Dei in res omnes : ideoque comburebantur omnino talium sacrificiorum victimæ ; ut sic ostenderetur quam summo jure Dominus mortificat, et vivificat, et quod sicut in iis totum animal resolutum in vaporem sursum ascendebat, ita etiam significaretur totum hominem, et omnia quæ hominis sunt, Dei dominio esse subdita, et esse ei offerenda. Habes præcepta Levit. 6. et ritus Levitici 1. ✳ " In hoc enim sic statuitur : *Homo qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus, idest, de bobus et ovibus offerens victimas ; si holocaustum fuerit ejus oblatio, ac de armento, masculum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi testimonii, ad placandum sibi Dominum ; ponetque manum super caput hostiæ, et acceptabilis erit, atque in expiationem ejus proficiens ; immolabitque vitulum coram Domino, et offerent filii Aaron sacerdotes sanguinem ejus, fundentes per altaris circuitum, quod est ante ostium tabernaculi. Detractaque pelle hostiæ, artus in frusta concident ; et subjicient in altari ignem, strue lignorum ante composita : et membra quæ sunt cæsa, desuper ordinantes, caput videlicet, et cuncta quæ adhærent jecori, intestinis et pedibus lotis aqua ; adolebitque ea sacerdos super altare in holocaustum et suavem odorem Domino.* In quibus verbis tria præsertim occurrunt spectanda: per ordinem ad victimam oblatam, ad personam eam offerentem, et ad sacerdotem immolantem. In victima tria requirebantur, 1. ut animal offerendum esset masculum; 2. ut esset immaculatum; 3. ut esset selectum. Debebat, inquam, 1. esse masculum, quia masculinum genus in rebus omnibus fœmineo præstantius est ; Deo autem bonorum omnium largitori in gratiarum actionem offerenda sunt quæ meliora. Deinde, cum Deus sit sanctissimus et ab omni prorsus defectu remotus, nihil nisi mundum et purum, gratum et acceptum habere potest. Denique, victima debebat esse selecta ; neque enim omnia indiscriminatim animalia poterant offerri in holocaustum, sed hæc dumtaxat : juvencus, agnus, hircus, turtur, columbarum pulli. — Ex parte offerentis necessarium erat 1. ut victimam adduceret in atrium, nimirum ut offerret oblationem suam coram Domino : præsentia autem Domini in loco sancto maxime spectabatur a primo atrio Israëlitarum, mulierum aut virorum ad interiora templi ; hic autem ritus adeo necessarius erat, ut mulieres quæ alioquin omnino arcebantur atrio, si victimam adducerent, necesse haberent in hoc ingredi, ut jam antea innuimus. 2. Offerentem oportebat manum imponere capiti victimæ dum vivebat. Levit. 1. 4. Omnibus victimis quæ a quopiam privato offerebantur, seu deberentur, seu spontaneæ essent, oportebat ipsum imponere manum dum vivebant, exceptis tantum primitiis, decimis et Paschate. Ita Joannes Lightfoot, *De ministerio templi.* 3. Opus erat ut hæc manus impositio fieret in atrio, nimirum ut sua veluti peccata imponeret coram Domino, quatenus per ejus mortem possent ablui et deleri ; locus vero in quo stabat offerens ordinarie erat, ut quidam volunt, ad portam atrii sacerdotum, alii vero juxta altare et intra atrium sacerdotum, quod minus probabile puto, cum

laïcis interdictus esset ingressus intra sacerdotum atrium. Offerendo autem victimam et manus ipsi imponendo, dicebat coram sacerdote : *Ad Dominum peccāvi, perverse feci, rebellis fui, hoc et hoc admisi, pœnitet me coram te, atque hæc sit mea expiatio.* — Tertio tandem ex parte sacerdotis immolantis victimam tria pariter requirebantur. 1. Debebat oblatam viventem victimam mactare, hoc tamen munus implere poterat eam offerens aut levita, quando plurimæ immolandæ erant victimæ, adeo ut sacerdotes pares non essent iis mactandis, ut fiebat præsertim tempore Paschatis et aliis solemnibus festis in quibus singula familiarum capita tenebantur astare coram Domino, et victimas offerre. 2. Debebat occisæ victimæ sanguinem excipere priusquam illa excoriaretur. Excipiebat autem sanguinem ipsum in vase mundo et cultui divino consecrato, et ex eo aspergebat altare per circuitum, aut saltem quatuor ejus angulos. 3. Tenebatur victimam excoriare, in partes dividere, sale condire, intestina et viscera lavare, eas partes super struem lignorum in altari positam collocare eo ordine quem illæ partes servabant in animali dum viveret, et tandem ignem adhibere quo penitus illæ cremarentur. Ita ut illius victimæ nihil residui superesset præter cineres. Reservabant tamen sacerdotes victimarum pelles quas sale condiebant, ut absoluto suo ministerio in subsequenti sabbato illas inter se dividerent, et in proprios usus converterent. " ✳

Secundo sacrificia pro peccato, quæ instituta fuerunt a Deo ad excitandum peccati detestationem ejusque expiationem propugnandam per pœnitentiam. Ex illis sacrificiis alia erant pro delicto, et alia pro peccato. Delictum et peccatum in Scripturis aliquando eadem sunt, sed in Levitic. distinguuntur, ut observat S. Augustinus, qu. 5. in *Leviticum ;* et videtur probabilior sententia quæ vult illud esse delictum, quod imprudenter, idest, ignoranter ; illud peccatum, quod a sciente committitur.

✳ " Addunt Hebræi doctores producti a Joanne Lightfoot loco supra laudato, sect. 3, quod oblatio pro peccato erat pro re imprudenter commissa adversus unum e negativis præceptis, et tum demum cognita ; oblatio vero pro delicto erat pro re commissa quidem, sed ita ut dubitaretur an præceptum esset ea actione violatum. Qui adhuc ignorabat utrum transgressus esset necne, attamen tenebatur offerre oblationem pro delicto, quæ tutum eum præstaret a pœna excisionis. Quod si semel resciret se violasse præceptum aliquod, quod excisionis pœna sancitum esset, tum tenebatur offerre sacrificium pro delicto. Ita Thalmudistæ in *Kerithuth perek.* 2. cujus varia proferunt exempla, ut videre est in auctore Thosaphte, ubi inter cætera legimus : *Viri uxor et soror simul sunt,* et ipse concumbit cum altera, sed utra sit ignorat. Habet duas uxores, una earum est in sua separatione, altera non item ; concumbit cum alterutra, sed utra fuerit ignorat. Ipsi opponitur adeps, et aliquid reliquum ex sacrificio, comedit ex alterutro, sed utrum fuerit ignorat. Est sabbatum et dies expiationis ; laborat alterutra, sed utra fuerit nescit. R. Eliezer judicat eum offerre debere sacrificium pro peccato ; sed R. Josua eum absolvit. Jamvero R. Jose dicit quamvis R. Josua ipsum ab oblatione pro peccato absolvat, tamen eum censet *offerre debere dubiam pro delicto oblationem.* Hinc ex eorum mente oblationes

ita affines sunt ut vix una discerni possit ab altera. ✳ " In sacrificio pro peccato pars una comburebatur, altera vero cedebat in usum sacerdotum : ad significandum quod expiatio peccatorum sit a Deo per ministerium sacerdotum : nisi quando sacrificium offerebatur pro peccato totius populi, vel specialiter pro peccato sacerdotis : tunc enim totum comburebatur, quia non debebant in usum sacerdotum venire ea quæ pro peccato eorum offerebantur, ut nihil peccati in eis remaneret, et quia hoc non esset satisfactio pro peccato : si enim esset in usum eorum pro quorum peccatis offerebatur, idem esse videtur ac si non offerentur. Horum sacrificiorum præceptum habes *Levitici* 7. ritus, *Levitici* 4. et 6.

✳ " Victimæ offerendæ pro peccato diversæ erant juxta diversitatem eorum pro quibus offerebantur. Illæ namque oblationes fiebant vel pro congregatione vel pro privatis. Hircus in die expiationis offerebatur pro peccatis omnium Israëlitarum, *Levit.* 16, v. 15. Vitulus autem pro peccatis alicujus communitatis particularis, puta pro una tribu, familia, synedrio, imo et pro omni cœtu Israëlitarum quando per ignorantiam et per imperitiam peccaverant, et postea peccatum suum agnoverant, ut præcipitur *Levit.* 4., v. 13. Pro privatorum autem peccatis diversæ debebant offerri victimæ, nam pro peccato principis per ignorantiam admisso hircus de capris immaculatis debebat immolari. Pro peccatis vero particularium et subditorum offerebatur capra aut ovis immaculata. Pro peccato sacerdotis offerebatur juvencus, idque publice, ut refert auctor Baal Turim in cap. 4. *Levit.* Ne quisquam, inquit, præ pudore refugeret fateri peccatum suum : ecce enim summus sacerdos peccaverat, confitebatur peccatum suum, et oblationem pro peccato offerebat. Cum autem immolaretur victima pro peccato et delicto per ignorantiam admisso, iidem servabantur ritus qui in holocaustis. Circa sanguinem vero qui ex eis victimis inferebatur in locum sanctum, sic se gerebat sacerdos, ut refert auctor Josaphthæ in Corban perek 6. *Juvenci comburebantur, et hirci qui comburebantur extra castra, dum mactabantur, et aspergebatur eorum sanguis* (in altare holocaustorum) *sacerdos intrabat, et stabat intra altare aureum et candelabrum. Altare erat ante ipsum immittebatque in sanguinem digitum suum, et septies aspergebat sanguinem versus sancta sanctorum ; et quoties digitum immittebat ac aspergebat sanguine etiam altaris cornua inungebat.* " ✳

Tertio denique erant *sacrificia pacifica* quæ offerebantur Deo, vel pro gratiarum actione, vel pro salute et prosperitate offerentium, ex debito beneficii vel accipiendi vel accepti. Et in tres partes dividebantur : una pars incendebatur ad honorem Dei, secunda cedebat in usum sacerdotum, tertia denique in usum offerentium, ad significandum quod salus hominis procedit a Deo, dirigentibus ministris Dei, cooperantibus ipsis hominibus qui salvantur. Habes præceptum hujus sacrificii *Levit.* 7. ritus autem *Levit.* 3. ✳ " Pacificæ oblationes ratione eorum pro quibus offerebantur, erant universim duplicis generis ; aliæ enim erant communes, aliæ privatæ. *Communes* dicebantur eæ quæ fiebant pro universa Israëlitarum gente in festo Pentecostes, ut statuitur *Levit.* 23., ubi post recensita sacrificia holocaustorum et pro peccato qui diebus istis erant offerenda, additur v. 19 : *duosque agnos anniculos hostias pacificorum,* et hæ oblationes

pacificæ a Thalmudistis in Zenach perek 5. *sanctissima sacrificia* dicebantur, cum reliquæ oblationes essent *sacrificia minus sancta.* — *Privatæ* oblationes pacificæ triplicis erant generis, nam aliquæ offerebantur sine pane : aliquæ vero cum pane, ut cautum est *Levit.* 7. v. 13, idque a singulis Israëlitis fieri concessum erat. Aliæ vero dicebantur oblationes pacificæ Nazaræorum, de quibus agitur Num. cap. 6. v. 14. et sequentibus. Poterant autem offerri in oblationes pacificas vel boves, vel oves, vel agni, vel capræ, ut statuitur *Levit.* 3. Offerebantur autem præsertim propter beneficium aliquod a Deo impetratum, vel liberationem ex periculis, ex morbo et carcere, vel conservatam valetudinem et prosperitatem, et propter votum emissum, vel in testimonium pietatis et devotionis. — Hæ autem pacificæ oblationes suscipi non poterant nec offerri pro Gentilibus et Ethnicis, ut docet Maimonides, in Corban perek. 3. *Accipiebant,* inquit, *tantum ab Ethnicis holocautomata, quia dicitur: a manu filii exteri non offerretis panem Dei vestri. Accipiebant etiam holocautomata avium ab Ethnicis, quamvis etiam essent idololatræ, sed non accipiebant ab iis pacificas oblationes, nec farinam, nec oblationes pro peccato ac delicto. Similiter enim holocautomata non accipiebant ab Ethnicis, nisi offerrentur instar spontaneorum, vel votivorum sacrificiorum. Cum Ethnicus offerrebat oblationem pacificam, offerrebant ea tamquam holocautomata, quia Ethnicus quemdam habet affectum erga cœlum,* id est Deum. *Si vovisset pacifica sacrificia, et daret ea Israëli, ut Israël per ea expiaretur, Israëlitæ ea comedebant non aliter ac si forent sacrificia Israëlitæ; si ea daret sacerdotibus, ea comedebant sacerdotes. Ab apostata Judæo qui in idololatriam delapsus erat, et data opera profanaverat sabbatum, nulla accipiebant sacrificia, ne quidem holocautomata, quod accepissent ab Ethnico.* — Hoc autem triplex sacrificiorum genus erat " ✳ juxta triplicem hominum statum. Quidam enim sunt incipientes, aliqui proficientes, alii perfecti ; hostia autem, inquit, Alensis, *paragr. 3,* pro peccato pertinebat ad incipientes sive ad statum pœnitentiæ ; hostia pacificorum ad proficientes spectabat, sive ad statum justitiæ in impletione mandatorum : holocaustum ad perfectos, sive ad statum supererogationis in impletione consiliorum.

✳ " Si quis rogaverit qua ratione ad ista offerenda sacrificia urgeri possent Israëlitæ? — **Respondebo** duobus ad id incitatos esse stimulis, interiori scilicet et exteriori. *Interiori* quidem conscientiæ, *exteriori* vero infligendæ pœnæ : ut si prior ad rei executionem non sufficeret, altera succederet. Primo, inquam, ad id provocabantur conscientiæ stimulis, qui et ad divinorum mandatorum observantiam, et ad peccatorum remissionem, ac Dei beneficiorum assecutionem excitabant, ac subinde urgebant ad ea comparanda media (qualia erant ista sacrificia), ut eorum omnium facili negotio fierent compotes. — At si quis nec conscientia nec religione moveretur ut ista persolveret, nihilominus accurrerent aliqui testes omni exceptione majores, qui asserent eum ad ista persolvenda sacrificia esse adstrictum, per judicum sententiam ad id implendum sub gravissimis pœnis cogebatur, maxime vero dum agebatur de sacrificiis et oblationibus pro peccato et delicto, atque etiam pro implendo voto quod in testium præsentia factum fuerat.

Si requiras quid præstandum esset ab Israëlita qui in peccatum aliquod lapsus, quod absque sacrificio expiare non deberet, dum procul Jerosolyma consisteret, an videlicet statim illuc deberet contendere ut istud sacrificium offerret? — **Respondebo**, eo in casu qui ad persolvendam oblationem pro delicto aut peccato tenebatur, potuisse eam differre ad proximum festum ex tribus illis solemnibus, quibus omnes Israëlitæ aut saltem familiarum capita tenebantur apparere coram Domino in Jerusalem. Qui tamen legis erant ferventiores æmulatores, statim atque alicujus se reos agnoscebant criminis, omnibus relictis properabant Jerusalem, ut per oblationem victimæ reatus admissi veniam obtinerent. — Qui vero immunes erant ab hac comparitione in tribus illis festis aliis sua vota committebant. Quidam enim inter Judæos ab ista comparitionis lege immunes erant, puta servi nondum manu missi, surdi, muti, mutili, immundi, decrepiti, ægri, debiliores, et qui pedibus iter facere nequibant, necnon et infantes qui manu a parentibus deducti non poterant ascendere in *Montem Domus*. — Qui autem prius invitabantur per nuncios emissos a synedrio magno qui per universas Israëlitarum regiones decurrentes, denunciabant tali die celebranda fore festa Paschatis, Pentecostes et Tabernaculorum, ac propterea properandum esse Jerosolymam ut ibi festum celebrarent. — Conveniebant itaque prima hebdomadæ festæ die in atrium templi ubi tenebantur offerre victimas pro peccato aut delicto, si quod admiserant, deinde vero oblationes pacificas quæ dicebantur illis diebus oblationes lætitiæ, quod scilicet cum animi exultatione dies illos festos agere deberent. " ✳

Petes primo: *Quare ex animalibus quæ sibi offerri mandavit Deus, solum ex quadrupedibus designata sint boves, oves, et capræ; ex volatilibus vero tantum turtur, et columba.* — **Respondet** Alensis noster qu. 50. hujusce rei assignari posse multiplicem rationem. « Quia, in-« quit, ista sunt, quæ totum, quod vivunt, et sunt, necessitati hominis « tribuunt: hoc est, victui, et vestitui. Si igitur recte humana neces-« sitas respiciatur, sola ista de animalibus necessaria sunt hominibus « in victum, et vestitum: cetera vero superflua sunt, quantum ad ne-« cessitatem vitæ, ut porcus, canis, et equus. Eo ergo ipso quod noluit « alia sibi offerri in sacrificiis, abstulit eis occasionem quærendi non « necessaria, dum eis non voluit honorari. *Amplius,* quia de quadru-« pedibus ista mundissima sunt; quia ex mundissimis vivunt pastibus, « et eorum immunditiæ etiam mundæ sunt. Præterea inter omnia « quadrupedia ista mansuetissima sunt, et minori rebellione sustinent « mortem: et ideo minori periculo immolantium. *Insuper,* quia istis « animalibus maxime utebantur, et in his erat largior beneficentia « Conditoris erga eos: conveniebat igitur de his animalibus Conditori « regratiationem, et honorificentiam pro beneficentia exhibere. Quare « vero elegerit de avibus *turturem,* et *columbam:* quas et præcepit « Abrahæ, ut sibi offerret in sacrificium, *Genes.* 15. dicendum est, « inquit, quod hæc præcipue electa sunt ad sacrificium, quia inter « omnes aves ista munda, et mansueta, et utilia usibus humanis sunt: « et etiam castitas quasi conjugalis in columbis, et quasi vidualis in « turturibus invenitur: unde per hoc expresse dabatur intelligi, quod

« si hujusmodi requirit in avibus sibi offerendis, quanto fortius in « hominibus sibi offerentibus? De hoc vero quod passer additur in « emundatione leprosi, præter rationem quæ supra dicta est, posset « specialis ratio assignari : quia dicitur passer secundum modum suum « morbum consimilem aliquando pati. Ratio autem generalis, quare « alia animalia ab istis noluit Deus sibi offerri, est quia omnia alia « genera animalium, aut idololatræ sacrificiis suis execrabilia fecerant, « aut Augures vanitate observationum suarum profanaverant; aut « Magi veneficis maleficiis suis abominabilia reddiderant. »Hæc Alensis. Idcirco ex avibus præcipue sibi Deus delegit columbas et turtures; tum quia horum magna habebatur copia in terra promissionis; tum quia hæc animalia sunt symbola luctus, castitatis, dilectionis, et mentis simplicitatis : unde Christi Domini simplicitatem, charitatem, atque dolorum acerbitatem præsignabant. — Observandum insuper Deum voluisse sibi offerri pullos columbarum, non autem pullos turturum; quia in turturibus majores longe meliores sunt quam pulli; in columbis vero pulli meliores sunt; id autem quod est optimum Deo debet offerri. Insuper solius masculini sexus animalia offerri debebantur in holocaustum, quia præstantissimum est inter sacrificia, fœmina vero est animal imperfectum. Quocirca etiam animalia maculosa, et imperfecta v. g. clauda, cæca, removebantur a sacrificio, quia solito despiciuntur ab hominibus. Denique non offerebantur ante octavum diem suæ nativitatis : quia erant quasi abortiva, et nondum plene consistentia propter suam teneritudinem. Pisces autem Deus non requisivit in sacrificia; tum quia cum in aquis degant, magis sunt alieni ab homine, ejusque minus dominio ac imperio subsunt, subindeque minus ad eum pertinent; homo autem offerre debebat Deo aliquid sibi proprium in testimonium suæ erga Deum observantiæ et gratitudinis : tum quia pisces statim ex aqua extracti intereunt; quod autem sacerdotibus sacrificandum Deo vivo offerebatur vivum esse debebat.

✳ " Petes secundo : *Cur Deus quædam animalia sibi offerri voluerit, alia vero a sacrificiis ablegaverit ut profana et immunda?* — **Respondet Theodoretus**, quæst. 1. in *Levit : Deum ea sibi sacrificari jussisse quæ pro diis coluntur ab Ægyptiis : de numero quidem quadrupedum, vitulum et hircum et ovem; e volatilibus autem turturem et pullum columbarum. Nec ignoramus alia multa pro diis habuisse Ægyptios; sed ex his quæ pro diis colebant, mansuetiora sacrificiis deputavit; reliqua vero appellavit immunda, ut hæc quidem execrati tamquam impura, in deorum numero non ponerent; illa vero, ut quæ ipsi sacrificarent, pro diis non haberent, sed eum solum adorarent cui convenit hæc offerri.* Similia habet serm. 7. contra Græcos supra laudato, ubi cum dixisset Deum Israëlitis permisisse sacrificia quoniam his ritibus erant assueti cum degerent in Ægypto, addit : « Sacrificare « quidem permisit, non tamen omnia sacrificare, neque falsis Ægy- « ptiorum diis, sed sibi soli Ægyptiorum deos offerre. Deorum siquidem « in numero bovem olim habebant Ægyptii, et ovem, et capram, et « columbam, et turturem, et alia quædam ex iis quæ non exculenta « erant, sed immunda vocabantur. Ne itaque indignarentur tamquam « a moribus illis penitus exclusi, falsis quidem diis sacrificare vetuit,

« sibi autem ea immolare jussit quæ ab eis dudum adorabantur, e ter-
« restribus quidem, capram, et bovem, et pecudem, e volucribus tur-
« turem et columbam. Mansueta enim sunt et hominum amantia hæc
« utraque animalia. Itaque sapientissimus medicus hoc remedii genus
« adhibuit ægyptiæ ægritudini, ut sacrificare quidem Judæis propter
« eorum imbecillitatem indulgeret, sed ea quæ prius colebant immo-
« lare juberet : ut sacrificando discerent deos non esse, quos tamquam
« victimas ipsi mactarent. » Ita Theodoretus. — Itaque Deus ex ani-
malibus quæ colebantur ab Ægyptiis, quædam sibi sacrificari voluit,
quædam vero ut impura a sacrificiis rejecit, ut Israëlitas a profanis
Ægyptiorum ritibus revocaret. Aliam profert rationem Origenes lib. 4.
Contra Celsum, quod videlicet Ægyptii illis animalibus utebantur ad
præsagia. « Mali quidem dæmones, et Titanici aut Gigantes qui impie
« in verum Numen et cælestes Angelos se gessere, ideoque e cælo
« ejecti sunt, circa corporum crassiora et impuriora in terris se agi-
« tant : quumque habeant aliquam circa futura perspicaciam, ut qui
« a terrenis corporibus sint liberi et in talibus negotiis multum ver-
« sati, hoc unice studentes humanum genus ut abducant a vero Deo,
« insinuant se in animantium fera ac rapacia maxime, deinde et in
« callidiora ; et ea, quoties volunt, quo volunt movent, aut etiam ta-
« lium animantium vim imaginosam invitant ad hos aut illos volatus
« motionesve, ut homines, capti divinationibus quæ per muta fiunt
« animalia, Deum cuncta continentem non quærant, neque veram exer-
« ceant pietatem ; sed cogitationibus suis decidant in terrram, in aves,
« in dracones, quin etiam in vulpes et lupos. Observatum enim est
« harum rerum peritis, prædictiones maxime notabiles per id genus
« animantia fieri : non valentibus, ut videtur, dæmonibus tantum effi-
« cere in mansuetis animantium, quantum prava ista animantia pos-
« sunt in aliis quæ diximus animantibus, ob id quod ista habent vitio
« simile, non vitium proprie, sed quasi vitium. Quamobrem si quid
« aliud in Moyse, et miratus sum ipse, et dignum miratu existimo, hoc
« est quod cum percepisset naturas animantium diversas, sive a Deo
« edoctus ea quæ ad animantia et ad dæmones animantium cuique
« affines pertinebant, sive propria ipse scientia perductus ad noscendos
« animantium gradus, omnia ea impura pronuntiavit quæ ab Ægy-
« ptiis aliisque gentibus vim divinam habere censebantur ; contra vero
« omnia ea pura quæ extra illam essent censum. » Ita Origenes. —
Ex quibus verbis elicitur quod cum Moyses certa quædam animalia
ad sacrificium et escam vel concessit, vel prohibuit, rationes partim
physicas ex natura animalium petitas, quæ a Plutarcho in Sympos.
lib. 4. probl. 5. et Æliano lib. 10. *De animal.* c. 16., tanguntur, et fuse
a S. Thoma 1. 2. quæst. 102, art. 6. explicantur ; partim morales ex
animantium instinctu sumptas, atque ab Aristea apud Eusebium lib. 8.
De præparat. Evangelica, cap. 9., Philone lib. *De Agric.* 3. Barnaba in
epist. cap. 10., et Theodoreto quæst. 2. in Levit. etc. declaratas, secutus
est, et ad Ethnicorum præsertim Ægyptiorum respexit consuetudines :
quibus pugnantia constituit plurima, ut ait Manetho apud Joseph.
lib. cont. Appionem, et confirmat Tacitus hist. lib. 5., asserendo pro-
fana Judæis esse omnia quæ apud Ethnicos sacra, cædique ab illis
arietem velut in contumeliam Ammonis, bovem quoque immolari quem

Ægyptii Apim colunt. Itaque Moyses edoctus a Deo impura pronuntiavit, aut sacrificiis deputavit quædam animantium genera quæ vel ex natura sua rapacia sint et callidiora, vel ab Ethnicis ad profanos cultus usurpari solebant, ut apposite observat clarissimus Ludovicus Ferrandus in notis ad psalm. 18.

Rogabis: quare Deus mandavit sibi offerri spicas, similam et his similia exigui valoris et pretii? — **Respondeo** id ex indulgentia et summa bonitate statuisse, quia consultum esse " ✳ voluit paupertati offerentium, ut qui non posset offerre animal quadrupes, offerret avem, qui non posset avem, saltem offerret panem, qui panem non posset offerre saltem farinam vel spicas præsentaret. Ex iis vero quæ ex terra proveniunt maxime Deus requirebat in sacrificiis ea quæ veniunt in usum hominum: unde panis offerebatur, quia hominis cibus; vinum, quia potus; oleum, et sal, quia cibi condimenta: thus quia medicamentum. Hæc autem omnia Christum figurabant: panis quidem, quia erat panis vivus, qui velut in spica pro statu legis naturæ in fide Patrum; sicut simila in doctrina legis, et Prophetarum: sicut vero panis de Cælo descendit a Spiritu sancto formatus in utero Virginis, et coctus in clibano passionis. Vinum autem erat figura Sanguinis ejus, oleum gratiæ ab eo diffundendæ, sal ipsius divinæ sapientiæ, thus jugis ac ferventissimæ ejus orationis.

✳ " Petes tertio. — *Quare Deus, Levit.* 2, *prohibuerit sibi offerri mel et fermentum?* — **Respondet** Alensis noster, hoc ideo, tum quia hæc " ✳ offerri consueverant in sacrificiis idolorum, tum etiam ut significaretur eos qui sacrificare intendunt, debere a se removere omnem carnalem dulcedinem et voluptatem; necnon et omnem corruptionem a sacrificiis arcere. Observandum denique circa sacrificium pro peccato, quod tanto vilius in eo animal offerebatur, quanto gravius erat peccatum pro quo offerebatur.

✳ " Petes quarto: *Cur inter animantia in sacrificia offerri et ad esum usurpari Judæis prohibita præ cæteris tantopere sues aversentur ut ex eorum tactu se etiam contaminari existiment.* — Fingit Plutarchus in Symposiaris lib. 4, quæst. 5, suem Judæis haud sane inter res execrabiles haberi, sed summo in honore apud eos esse autumat, quippe quam venerantur ut arationis magistram. Id eos primum in Ægypto didicisse ait: quippe illic agros numquam aratro verti, sed simul ac Nilus post solitam exundationem in alveum se recepit, e vestigio sues ab incolis propelli in agros, ut uberem glebam rostro fodiant, et semina occulant terra: quare vomerem quoque Græcis ὗν dici, originatione optima. Et quid mirum, inquit, tam fœdum animal a superstitiosa gente coli, cum Ægyptii quoque felem, gryphem, crocodilum adorent? Verum quam turpiter hallucinetur Plutarchus non opus est pluribus demonstrare, utpote cum inania Ethnicorum commenta qui cum rerum Judaïcarum essent ignari plurima de istis commenti sunt, de quibus ne levis quidem apud Judæos erat suspicio. Plutarcho tamen hoc in commento consentit Petronius cum vetustissimo epigrammate sic lusit:

Judæus, licet et porcinum numen adoret,
Et cœli summas advocet auriculas.

Genuinam autem rationem cur præ cæteris animantibus sues abominantur Judæi, existimat Petrus Cunæus De Rep. Hebræorum, cap. 24. inde petendam quod populus Israëliticus fuit olim mire obnoxius iis morbis qui Syros ut plurimum atque Ægyptios infestabant. Vitiligines enim psorasque et tetra ulcera jam olim illis gentibus velut proprias pestes adscripsere summi medicorum. Hos autem et similes pene morbos uno nomine complexus Moyses est, et *lepram* vocavit. Porro in suibus scabies et immundities non vitium sed natura est. Quare ne ad corporum pravam affectionem contagio quoque accederet aliqua ex esu contactuve paulo superstitiosius aversati sunt quam aut lex Numinis fortasse jusserat, aut positum in gentium aliarum institutis erat. — Attamen revera sues inter animantia immunda, quorum et esus et contactus et oblatio prohibebantur in lege veteri, notabantur imprimis; unde Isaïæ 65. carnem suillam comedentes conferuntur cum idolorum cultoribus, et iis qui arte necromantica dæmones consulebant in sepulchris; legimus enim v. 3. et 4: *Populus qui ad iracundiam provocat me ante faciem meam semper: qui immolant in hortis, et sacrificant super lateres: qui habitant in sepulchris et in delubris idolorum dormiunt: qui comedunt carnem suillam, et jus profanum in vasis eorum.* Et v. 17. capitis sequentis comedentes carnem suillam assimilantur iis qui edunt abominationem et mures: *qui comedebant carnem suillam et abominationem et murem.* Inde est quod Judæorum hostes sumpserunt occasionem aut eos acriter persequendi, aut proterve deridendi. Sic Antiochus postquam in ipso Jerosolymorum sacrario sacrilege mactasset sues per universam Judæam jussit ædificari aras et in eis immolari carnes suillas, ut refertur 1. Machabæorum, cap. 1. v. 50, ad quæ impura et profana sacrificia metu mortis intentato Judæos cogebat. Unde ipsius immanitatis et impietatis ministri Eleazarum unum de primoribus scribarum, ut ab avita religione abducerent, compellebant carnem porcinam manducare, Machab. cap. 6. v. 18. At extrema quæque vir religiosus generosusque perpessus est, potius quam impii regis perditis ministris hac in parte obsequeretur. Eleazari virtutem imitati septem Machabæi fratres, una cum matre, eadem de causa multa tormenta passi, vitam martyrio consummarunt.

Hinc est quod Ethnici poëtæ Judæos dicteriis impetendi et subsannandi ansam arripuerunt. Juvenalis enim satyra 6. de ipsis scribit:

> *Observant ubi mero pede sabbata reges,*
> *Et vetus indulget senibus clementia porcis.*

Et satyra 14.

> *Nil præter nubes et cœli numen adorant,*
> *Nec distare putant humana carne suillam.*

Et apud Macrobium, lib. 2. Saturnalium, cap. 4, refertur quod Augustus *cum audiisset inter pueros, quos Herodes Rex Judæorum, infra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum ait: melius est Herodis esse porcum, quam filium;* eum scilicet suggillans quod porcis parceret, qui proprio filio non pepercerat. Riserunt tamen et nihili fecerunt hos profanorum hominum sarcasmos sibi traditæ legis memores Judæi. Proinde cum a tyrannide Antiochi respirare cœpe-

runt, tradunt thalmudistæ in lib. Juchasim eos hanc legem sancisse: maledictus quisquis suem aluerit. Et hoc animal tantopere sunt execrati, ut illud nominare etiam proprio nomine nefas ducerent. Hinc quoties de porco sermo faciendus erat, pro hac voce *porci* substituebant *rem aliam*. Quæ præconcepta de hoc immundo pecore a Judæis aversis ad Arabes etiam derivata est. De his enim scribit Solinus: *suillis carnibus prorsus abstinent: sane hoc animalis genus, si invectum illic fuerit, moritur illico.* Hinc S. Hieronymus, lib. 2. in *Jovinianum*, cap. 6. de Saracenis qui Arabum pars erant scribit: *Illi nefas arbitrantur porcorum vesci carnibus.* Herodotus similiter de Ægyptiis scribit lib. 2. cap. 47. *suem pollutum animal esse putant; et eum si quis vel transeundo contigerit, abit immersum se flumini cum ipsis vestibus.* Cujus rationem hanc profert Ælianus lib. 10. *Historiæ*, cap. 16: *Sus præ voracitate, ne propriis quidem fœtibus parcit: et cum in humanum corpus incidit, non abstinet, sed illud mandit; proinde Ægyptii hoc animal oderunt ut abominandum et omnivorum.*

Petes quinto: Cur Deus Deuteron. 23. v. 18. sanxerit: *non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis, in domo Domini Dei tui, quidquid illud est quod voveris, quia abominatio est utrumque apud Dominum Deum tuum?*

Respondeo ad primum sanctionis membrum merito jure prohiberi prostibuli pretium in templum inferendum et offerendum Domino, nimirum ut Israëlitæ caverent a prava Ethnicorum consuetudine qua prostitutæ mulieres solebant ex quæstu meretricio comparata donaria fictitiis Numinibus offerre; nempe ut inde templorum structuræ reficerentur, sacerdotes alerentur, redimerentur hostiæ, et in illius obscœni Numinis honorem, pudicitiam suam cuilibet obvio venalem exponerent. Docet nos ista imprimis propheta Baruch. cap. 6. v. 42. et 43. etc. his verbis quæ sacros interpretes plurimum torquent: *Mulieres autem circumdatæ funibus in viis sedent, succendentes ossa olivarum. Cum autem aliqua ex ipsis attracta ab aliquo transeunte dormierit cum eo, proximæ suæ exprobrat quod ea non sit digna habita, sicut ipsa, neque funis ejus diruptus sit. Omnia autem quæ illis fiunt, falsa sunt. Quomodo æstimandum aut dicendum est, illos esse deos? A fabris autem et ab aurificibus facta sunt,* etc. Ubi sermo est de mulieribus inanium deorum cultui addictis, quæ ut ad eorum ministrorum et sacrificiorum necessaria compararent, sedebant in viis ad eorum templa ducentibus, et arte magica nodos amatorios ex longis funibus quibus erant nectebant, ut viros ad templum pergentes vesano amore inescarent, suique corporis copiam facerent ut prostituti pudoris præmium accipientes illud Numini suo consignarent. Tradit ista Herodotus qui lib. 1. cap. 199. impurum illum fœminarum babylonicarum ritum sic recenset: *Ad templum Veneris sedent multæ mulieres, nodis corollisque tempora revinctæ, e quibus aliæ accedunt, aliæ discedunt. Nam diverticula undecumque sic funiculis distincta aditum præbent externis ad mulieres illas, quam cuique libuerit eligendum. Porro, cum semel illic consederint, non prius domum regrediuntur, quam hospitum aliquis pecuniam mulieri in sinum conjecerit, et cum eadem, a scano seorsim abducta, rem habuerit. Hospitem autem illum qui pecuniam obtulit, dicere oportet: Tanti ego*

tibi deam Mylittam imploro. At vero pecuniam illam, quantulacumque sit, non est fas rejicere: siquidem in sacrum convertitur usum. — Confirmat ista Michæas prophcta, cap. 1. v. 7. ubi idololatricum hoc ac meretricium ritum Judæis exprobrat his verbis: *Omnia idola ejus ponam in perditionem: quia de mercedibus meretricis congregata sunt, et usque ad mercedem meretricis revertentur.* Quæ sic exponit S. Hieronymus: idola, donaria, ornatus et supellex idololatrica, mercede meretricia comparata, ad aliam meretricem, Ninivem, ducentur: ut exitum ortu suo dignum capiant, et igne consumpta in nihilum redigantur. Quamvis hæc expositio probabilitate sua non careat, non præter rem erit hic interponere, quod alicubi memoriæ reliquit Athenæus; nempe gentes, deorum sive templorum donaria quandoque meretricibus obtulisse. — At in scopum nostrum proximius collineat S. Hienonymi expositio, nihil enim usitatius apud idololatras, quam ut mulieres aliquæ falsorum numinum cultui addictæ pudicitiam suam prostituerent, ut impudicitiæ pretium idolorum suorum templis et altaribus devoverent. Ægyptios amore illo non prorsus alienos colligitur ex Luciano lib. *De dea Syria,* ubi agens de incolis terræ Bybliorum scribit: *E mulieribus autem quæcumque tonderi nolunt, talem pœnam exsolvunt: unum quidem diem, ad quæstum corpore faciendum, foro prostant: forum autem illud solis peregrinis exhibetur: et quod inde mercedis auferunt, hoc Veneri in sacrificium datur.* Moris ejusdem apud Cypros obtinentis testis est Justinus, Hist. lib. 22. cum ait: *Mos erat Cypriis, virgines ante nuptias, statutis diebus dotalem pecuniam quæsituras, in quæstum ad littus maris mittere pro reliqua pudicitia libamenta Veneri soluturas.* Huic affine testimonium nobis præbet Jul. Firmicus de error. profan. reliq. p. m. 15. *Audio* Cyniram, *Cyprium, templum amicæ meretrici donasse. Ei erat Venus nomem. Initiasse etiam Veneri Cypriæ plurimos, statuisse etiam, ut quicumque initiari vellet, secreto Veneris sibi tradito, assem in manum mercedis nomine decæ daret.* Ejusdem Ethnicorum propudiosæ consuetudinis tam apud Græcos quam apud Romanos fidem firmant Clemens Alexandrinus in Protreptico, Arnobius lib. 6. adversus gentes, Athenæus lib. 13. cap. 3. 4. et 5. Videsis etiam Martinum Delrio, lib. disquis. magic., Martinum Del Roa, Schedium de diis Germanis, Sedenum de diis Syris, et Joannem Spencerum, lib. 2. *De legibus Hebræorum,* cap. 23. e quibus ista delibavimus. Ex his omnibus apparet merito jure Deum repudiasse oblationes meretricis præmio comparatas, ne populus Israëliticus inde vesanæ libidinis frequentandæ occasionem arriperet, et in omnem vitæ propudiosæ licentiam solveretur. Nam si stupri mercedem sibi oblatam acceptasset Deus, pronum esset impuris mulieribus opinari ipsum non omnino ingratum habere libidinis commercium, atque facilem de eo commisso veniam concessurum. Accedit quod hac prohibitione improbare voluit pravum gentilium ritum in cultu Veneris usitatum; si enim acceptasset meretricum donaria et sacrificia earum turpi quæstu acquisita, propudiosum etiam hunc Ethnicorum cultum non improbare videretur.

De pretio canis non offerendo. — Non modicum laborant Interpretes in hujus divinæ prohibitionis rationibus et causis inquirendis et exponendis. Quorsum enim potius canis, animalis domestici et fidelitatis ac vigilantiæ symboli, quam alterius bruti cane vilioris et ho-

mini minus utilis pretium repudiavit Deus? Hunc nodum solvere putant Harbanel, Junius et alii recentiores, dicendo *canem* hoc in loco figurate accipiendum esse, et ea voce designari cinædum, seu puerum meretricium ac scortum masculum, cujus in præcedente versu facta fuerat mentio his verbis: *Non erit meretrix de filiabus Israël, nec scortator de filiis Israël.* Cinædum autem idcirco *canem* hic appellari existimant, quod hoc animal impudentia simul ac libidine repræsentet; hominem enim pudore vacuum *canem* appellat Martialis, lib. 4. *Epigram.* 53. At cum legislatores tropis et metaphoris edicta sua proferre non soleant, sed ea efferant verbis propriis, ne aliqua in lege occurrat æquivocatio, videtur hæc divina constitutio ad litteram de *cane* proprie dicto intelligenda. Quamobrem Josephus lib. 4. antiq. cap. 8. putat hic prohiberi inferendum in templum Dei pretium acceptum pro cane venatico vel pastorali; cui interpretationi subscribit Bonfrerius in commentario. At cum Josephi leges explicantis interpretationes plerumque sint erroneæ ac Scripturæ genuino sensui parum cohærentes; nec aliunde ulla appareat ratio cur pretium istiusmodi canis quod est animal ex æquo venale sicut et cætera, potius repudiari debeat quam pecunia ex aliorum venditione comparata — S. Augustinus cui consentiunt Lyranus, Abulensis et alii istius legis verba intelligenda esse de canis primogenito, cujus fit exceptio ne quemadmodum aliorum domesticorum primogenita pretio redimatur. At cum canis, inquit Spencerus, parere soleat in latebris, et catulos uno partu plures edere, adeo ut quinam ex illis redimendus esset vix cognosci possit, non videtur illa prædictæ legis genuina interpretatio. Accedit quod non videatur Deus voluisse legem de primogenitis animalium immundorum redimendis, num. 18. ad animalia vilissima extendi voluisse: tunc enim felis aut simiæ catulus primogenitus, agno, columba, vel forte siclo (non sine damno fortunæ tenuioris hominibus oneroso) fuisset redimendus. Satis clare superiora demonstrant, *canem,* hoc in loco, nec figurate sumendum esse, pro cinædo scilicet aut canis admissura, nec stricte, pro cane primogenito; sed proprie lateque, pro omni animali, quod *canis* nomine vulgo designamus.

Cur autem canis pretium sanctuario suo arceri voluerit Deus, plurimæ rationes probabiles occurrunt: 1. Quod canis licet vigilantissimum animal, et hero suo fidissimum, nihilominus inter animalia immunda in mosayca lege haberetur, Isaïæ 66. v. 3. 2. Quod reputaretur animal vilissimum et abjectissimum; unde nomen *canis* in opprobrium et vituperium vertebatur, hinc 11. Regum, 3. 8. Abner Isbosetho objurganti quod ingressus esset ad concubinam patris sui, respondit: *numquid caput canis ego sum,* etc. Quamobrem *ferre canem* ignominiæ argumentum et pœna olim fuit, unde sequentes versus:

Quippe vetus mos est, ut si quis rege remoto
Sanguine vel flamma vel seditionis apertæ
Turbine, seu crebris regnum turbare rapinis
Audet, ante gravem quam fuso sanguine pœnam
Excipiat, si liber erit de more vetusto,
Impositum scapulis ad contigui comitatus
Cogatur per rura canem confinia ferre.

In quæ verba Ursinus: *Nobiles*, dicit, *antequam capitali supplicio adficerentur, exauthorabuntur prius, ut et armigeri et servi eorum, illis canis dabatur gestandus publice.* In quorum confirmationem Guillelmus Saldenus, Exercit. 7. producit id quod narratur ab Ottone Frisingensi, nimirum a Frederico Barbarossa Imperatore condemnatum fuisse Hermannum quemdam Rheni comitem, decemque ejusdem socios, comitesque alios, quod, se in Italia absente, prædationibus et incendiis pacem publicam turbassent, ut per integrum milliare germanicum canem portarent. Sellam ferre pro ignaviæ, canem pro contumaciæ indicio habebatur. Hinc est quod Galli homines infimæ sortis et nebulones designare soleant hoc dicterio et scommate *la Canaille*, idest non pluris quam canes faciendi. — 3. Quod canes inter animantia bruta impurissimi sint et impudentissimi: impurissimi quidem, nam inquit Vossius, lib. 3. *De idololatria*, cap. 62. *de canum libidine domestici animalis res notissima, et quam fœdæ illud est libidinis argumentum quod, ut ab Aeliano proditum est*, lib. 7. *De anim.* cap. 19. *Romæ maritus uxorem accusarit adulterii, inque judicio adulter propalam canis diceretur; notum et illud, nec matribus parcere.* Unde homines obsceni, et vitæ impurissimæ, assimilantur canibus, Eccli 13. v. 22: *quæ communicatio sancto homini ad canem?* Et Matth. 7. v. 6: *nolite dare sanctum canibus.* Et Apocalyps. 22. v. 15: *foris canes et venefici et impudici.* Quamobrem Hebræi non minus canes quam porcos aversantur, propter utriusque impuritatem, teste Lightfoot in cap. 8. S. Matth., quin etiam maledictum pronunciant in eos qui canes et porcos alunt. Mirum igitur videri cuiquam non potest quod Deus purissimus noluerit cultum suum incontaminatum ejus impudicissimi animalis oblatione pollui. — Præterea canes impudentissimi sunt, unde Aelianus, lib. 7. *Historia animalium*, cap. 19. *impudentia sunt animalia quæ vix summoventur, musca et canis.* Inde *cynici* a *cane* nomen habent quod impudentissimi essent, aliosque philosophos continuo morderent. Unde Diogenes ipse Cynicus apud Apuleium floridor. 2. rogatus cur canis appellaretur, *respondit quia iis qui dant blandior; qui non dant, oblatro; malos autem mordeo.*

At potissima ratio cur Deus prohibuerit sibi canes offerri in sacrificio et canis venditi pretium repudiavit, hæc est, ut Israëlitas ab Ethnicorum, præsertim Ægyptiorum nefario cultu revocaret, nam ut refert Plutarcus in Iside, *antiquitus canis maximis in Ægypto honoribus afficiebatur.* Et Diodorus Siculus lib. 1. animalia quædam Ægyptii supra modum, non viva tantum, sed et demortua venerantur, ut feles, ichneumones, mustelas, et canes. Hinc Juvenalis satyr. 15. stolidum ac ridiculum Ægyptiorum cultum referens, inter cætera canit:

Illic cæruleos, hic piscem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.

Tanta vero religione canem venerabantur, ut omnes domus incolæ in qua canis extinguebatur toto raderentur corpore, quod maximi apud illos indicium doloris erat. Idcirco autem eum tam impense colebant, ut scribit Diodorus, quoniam canis dicitur adjuvisse Isidem in indagando Osiridis cadavere, qua de causa in sacris Isidis canes primas tenebant. Itaque ut superstitionem tam insulsam ludibrio et contem-

ptui exponeret Deus, atque Israëlitas in Ægyptiorum mores propensissimos, ab illo nefario cultu revocaret, prohibuit ne canis pretium in templum inferretur. Hoc enim sicut et meretricis abominatio est coram Deo. Idcirco prostibuli et canis pretium conjunctum reprobavit Deus, tum quod canis animal sit salacissimum, tum quod Ægyptiis æque ac aliis gentibus deam Isidem stupris colere, et lucrum stupro comparatum illius templo consecrare. Isis autem fictitium numen simul colebatur cum Mercurio, quod inter utrumque necessitudo intercederet, ut scribit Diodorus, lib. 1. Mercurius vero ab Ægyptiis repræsentabatur et colebatur sub imagine caput caninum. Unde Virgilius, 8. Æncides:

Omnigenumque Deum monstra et latrator Anubis.

Anubis autem dictus est Mercurius cujus idolum canino capite repræsentabatur, quod apud Ægyptios, ut litterarum et scientiarum auctor haberetur; solebant enim Ægyptii veteres canis hieroglyphico vatem, scribam, magistratum et judicem adumbrare, ut refert Herapollo hieroglyph. 39. *Sacrum quidem scribam,* inquit, *quoniam quicumque voluerit, ut par est, et absolutissime hoc fungi munere, eum oportet inulta meditari assidueque omnibus canum more allatrare et ferum esse, nullique gratificari. Vatem autem, quod canis præter cætera animantia fixis in deorum simulacra, non secus ac vates consuevere, intentisque prospiciat oculis. Sacrorum vero pollinctorem, quod et hic nuda et resecta, quibus justa facit, simulacra contempletur.* Quanta autem esset Isidis cum isto Mercurio necessitudo, apparet ex columna Ægyptiaca his inscripta verbis, ut refert Diodorus lib. 1: *Ego Isis sum, Regina hujus regionis, a Mercurio erudita. Ego sum, quæ in canis sidere exoritur,* etc. Verum de istis plura recensere impræsentiarum non expedit.

De sacramentis veteris legis. — Sacramenta veteris legis duplicis erant generis, alia quidem omnibus Israëlitibus communia ** * qualia erant circumcisio, agnus Paschalis, purificationes variæ ab immunditiis legalibus, et expiationes a peccatis: alia erant particularia solis sacerdotibus, et ministris; qualia erant consecratio, esus panum propositionis, ablutio manuum, et pedum. Nam per sacramenta homines deputantur quodammodo ad cultum Dei, cultus autem Dei, et generaliter spectat ad omnem populum Dei, et specialiter ad ministros. Respectu utriusque tria sunt necessaria: *Primo* quod instituantur ad talem cultum; id autem præstabat circumcisio in populo, consecratio in sacerdotibus, et institutio specialis in ministris Dei. *Secundo,* quod utantur iis quæ spectant ad divinum cultum; id autem populus præstabat per esum agni Paschalis, sacerdotes autem per esum panum propositionis, necnon et aliorum suis usibus deputatorum. *Tertio,* quod removeantur ea quæ prohibentur a cultu divino, quales sunt immunditiæ; respectu autem populi id fiebat per purificationes, et expiationes; respectu vero aliorum per manuum et pedum ablutionem, necnon et per pilorum aut capillorum abrasionem. * " Aliter veteris legis sacramenta distinguit Hugo Victorinus. « Tria, *inquit,* « genera sacramentorum inveniuntur fuisse scripta sub lege: quædam « specialiter ad remedium, quædam ad obsequium, quædam ad cultum

« divinum. Prima pertinent ad peccatorum remissionem, secunda ad « exercendam devotionem, tertia ad colendam pietatem. Prima insti- « tuta fuerunt quasi ad necessitatem, ut in eis homo sanctificaretur, « qualis fuit circumcisio et hostiæ pro peccato et pro delicto, et cæ- « tera quædam, quæ specialiter ad emundationem et remissionem in- « stituta fuerunt. Secunda autem quasi ad exercitationem fuerunt pro- « posita ut in eis devotio fidelium exerceretur, et meritum augeretur, « quales fuerunt hostiæ pacificorum quæ offerebantur a fidelibus ad « reconciliandam sibi gratiam divinam. Tertia instituta fuerunt quasi « ad præparationem quamdam; ut quasi instrumenta quædam essent « ad cætera sacramenta tractanda et sanctificanda, quale fuit taberna- « culum, et atrium, et omnia utensilia quæ continebantur in eis ». " *

Petes quas ob causas instituta fuerit Circumcisio tantum octavo die a nativitate parvuli facienda, cultro tantum lapideo, soli Abrahæ, et non ante præscripta, nec ab exitu de Ægypto usque ad ingressum in terram promissionis usurpata?

His omnibus quæsitis respondet Alensis q. 55. varias ob causas factam fuisse circumcisionem per extremitatem pelliculæ membri virilis. *Prima* ratio, inquit, est debilitatio libidinosæ concupiscentiæ, quæ viget in illo membro virili, et ex vulnere circumcisionis, et ex effusione sanguinis, quæ in ea fit. *Secunda* est expositio illius partis, idest, pulpæ membri illius frigori, et defricationi vestium; ex quibus omnibus efficitur minus sensibilis: quemadmodum, et manus duris operibus assuetæ, minus sensibiles, minusque passibiles inde redduntur: nihil autem in parte magis minuit ac debilitat concupiscentiam, quam diminutio sensualitatis, et passibilitatis illius. *Tertia* est in deletionem sacrorum Veneris, et Priapi: in quibus illa tamquam pars, et occupatio Veneris in corpore humano, non parum ornabatur, et colebatur: hæc enim erat pars carnis quæ maxime pugnabat contra spiritum, maximeque contaminaverat populos illarum terrarum, ita ut in omnia flagitia non solum masculorum, sed etiam brutorum animalium prorumpebant: sicut legitur Levit 18. *Omnes execrationes ista fecerunt accolæ, qui fuerunt ante nos, et polluerunt eam.* Et iterum cap. 20. *Omnia hæc fecerunt, et abominatus sum eos.* Hæc plaga effrenatæ ac flagitiosæ libidinis gentes illas septem execrabiles quæ terram promissionis ante adventum filiorum Israel inhabitaverant, in idololatria nutriebat ac potissimum detinebat. *Quarta* vero causa, seu ratio est fortitudo impressionis memoriæ Creatoris: est enim circumcisio signaculum, et stigma inseparabile, gravissimoque dolore impressum; et propter hoc fortissimum est memoriale Salvatoris. *Quinta* causa est firmitas pacti cum Deo; sicut legitur: *Statuam pactum meum inter me, et te, et inter semen tuum post te in generationibus tuis fœdere sempiterno.* Et iterum: *Hoc est pactum meum: circumcidetur ex vobis omne masculinum.* Quare manifestum est, quod hoc signaculo profitetur omnis circumcisus se hujusmodi pactum seu fœdus iniisse cum Deo, et ipsa susceptione hujus signaculi intrat in pactum ac fœdus Abrahæ: et ipsa susceptione illius obligat se, ac debitorem se constituit universæ legis, quæ data est semini Abrahæ, sicut dicit Apostolus: *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est*

universæ legis faciendæ, etc. quemadmodum suscipiens signaculum, hoc est, tonsuram vel habitum cujuscumque religionis, ad eam se obligat universam. — *Quare vero* præceptum fuerit primo Abrahæ, et non ante: ratio est, quia exuberante errore idololatriæ Abraham primus fuit (sicut narrant antiquæ historiæ) qui revocavit homines ab idololatria ad latriam Conditoris: quia ergo circumcisio ad hoc erat, ut per ipsam distinguerentur cultores Creatoris a cultoribus idolorum, dabatur Abrahæ primo præceptum faciendæ circumcisionis. *Præterea* ratio alia est, quia Abrahæ primo facta est promissio expressa, quod de ejus stirpe nasceretur Redemptor: cum dictum est: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Convenichat autem signaculum sanctificationis generationi de qua debebat nasci Redemptor: inde est quod Abrahæ et semini suo tantum præceptum circumcisionis est datum. — *Cur autem* jussa est fieri circumcisio die octava a nativitate parvuli? Ad hoc ratio est, quoniam ante octavam diem teneritudo infantium tam grave vulnus absque periculo mortis non facile sustineret: si autem differetur usque ad annos pueritiæ, vel majoris ætatis, multi declinarent eam suscipere propter gravitatem doloris. — *Cur autem* dilata fuerit ab exitu de Ægypto usque ad ingressum terræ promissionis ratio talis assignatur; quia forte non vacabat eis, quia vel bellis concutiebantur, vel pestibus vastabantur, vel seditionibus dividebantur, vel a murmurationibus exagitabantur, vel aliis incommodis urgebantur: secundum quod dicit Joannes Damascen. *Locus autem fuit circumcisionis faciendæ firmato populo in fide Abrahæ, et obtentis pro parte promissionibus eidem factis.* Tunc enim innovandum fuit pactum Abrahæ, et firmandum ex parte seminis ejus, cum firmum apparebat ex parte Dei, et hoc per exhibitionem promissorum. — *Quare autem* fieret cultro lapideo, causa est, quia malefici ferro faciebant incisiones in corporibus suis, et maxime in sacris Martis; metallum enim ferri metallum Martis, et partes ejus in metallis opinabatur idololatrarum vanitas: voluit ergo ritum istum per aliud, quam per ferrum exerceri, ut saltem hac dissimilitudine aliquantulum eos ab idololatria abduceret. *Alia ratio est,* ut fœdus quod cum eis pepigerat Dominus in petra Horeb, eis per hoc ad memoriam reduceretur: vel quod aquam eis de petra produxerit, in aspectu cultrorum lapideorum recordarentur. *Tertia* ratio est, ut lapideorum cordium suorum duritiam in hujusmodi cultris lapideis legerent in ipsa hora circumcisionis: ut sic in pœnitudinem emollirentur: et cordium suorum duritiam sentirent interius per compunctionem: quemadmodum cultrorum hujusmodi duritiam corporalem per circumcisionem.

✳ " De Agno paschali. " ✳ — Quantum autem ad Agnum Paschalem, ratio naturalis ejus institutionis fuit commemoratio beneficii quo Deus populum suum eduxit de Ægypto: tunc enim præceptum illis est, ut sanguine agni linirent postes domorum, quasi protestantes se recedere a ritibus Ægyptiorum qui arietem colebant. In illo duo ob oculos Judæorum ponebantur: *Primo,* festinantia ad discedendum de Ægypto, quod designabatur, et per panes azimos quos comedere tenebantur, quasi non fuisset satis temporis ut fermentaretur: et quod comederent agnum assum igni; quia sic velocius præparabatur: et quod os non comminueretur, quia qui festinant in frangendis ossibus

non morantur: quod etiam designabatur per id quod renes debebant habere accinctos, calceamenta in pedibus, baculos in manibus, quibus significatur homo promptus ad iter faciendum, et per id quod in una domo comedere debebant, neque foras carnes ferre; quia qui discedere festinant non valent mittere xenia. *Secundo,* amaritudo quam passi fuerant in Ægypto, quæ significabatur per lactucas agrestes. — Ratio figuralis hæc erat: immolatio Agni Paschalis figurabat immolationem Christi. Sanguinis Agni liberans ab exterminatore Sanguinem Christi quo liberamur a peccato: comedebantur carnes agni ad significandum esum Corporis Christi in Sacramento: erant assæ igni, ad significandum quod Christus in Sacramento est memoria passionis, vel quod igne charitatis omnia consumit: cum azimis panibus, quia Christum comedentes puri, et sinceri esse debent; cum lactucis agrestibus, quia corde pœnitenti; accinctis renibus, quia casti; cum calceamentis in pedibus, quia habentes exempla Patrum mortuorum: cum baculis, quia in pastorali custodia; in una domo, quia in Ecclesia Catholica, et non extra illam.

✳ " De purificationibus. " ✳ — Quantum autem ad cæremonias purificationum ab immunditiis, et expiationes a peccatis, earum institutio et ordinatio justæ congruentique rationi sita est; nam homines contrahebant immunditiam interiorem per peccatum, a qua purgabantur per sacrificia aut oblata pro tota communitate, aut etiam specialiter pro peccatis singulorum: non quod haberent ex se vim expiandi, sed quia significabant expiationem futuram per Christum, cujus participes illi erant per fidem in eumdem. Contrahebant etiam immunditiam externam quæ reputabatur *primo* ex hominibus, *secundo,* ex contactu rerum immundarum. Reputabatur ex hominibus immundum, quod corruptionem aliquam habebat, vel erat corruptioni expositum: unde cadaver immundum, leprosus immundus, mulier patiens sanguinis fluxum immunda, viri etiam immundi fluxum seminis patientes per infirmitatem, per nocturnam pollutionem, per coitum: reputabatur homo immundus, qui vel mortuum tetigerat, vel leprosum, etc. Erat præterea immunditia in domo, in vasis, in vestibus, etc. Purificabantur communiter per ablutionem, et per quædam sacrificia. — *Ratio litteralis* istarum purificationum et expiationum fuit; *primo,* ut cum reverentia tractarent ea quæ ad divinum cultum pertinent, nec immundi accederent ad illa. *Secundo,* ut raro accedentes ad hujusmodi sacra, quia sæpius immundi, majori reverentia, et humilitate ad ea se disponerent. *Tertio,* ut non reformidarent accedere ad divinum cultum, quasi refugientes consortium leprosorum, aliorumque similium, quorum morbus erat abominabilis et contagiosus. *Quarto,* quia Gentiles quandoque et humanum sanguinem et semen in suis sacrificiis adhibebant. — *Ratio figuralis* fuit, quia per varias istas immunditias varia peccata figurabantur: peccatum mortale, quod est mors animæ, per immunditiam cadaveris; hæresis per immunditiam lepræ, nam est contagiosa hæresis ut lepra, et vera habet falsis admixta, sicut in corpore leproso apparent partes integræ, et partes maculatæ: idololatria, per mulierem sanguinifluam, propter immolantium cruorem: vana locutio, per virum seminifluum; peccatum originale, per immunditiam, coitus, et partus mulieris: voluptatum mollities, per fœminam

menstruatam; consensus in peccatum alienum, per contactum rei immundæ. Ita de ceteris. — *Quia vero* tum circa purificationes istas, tum etiam circa expiationes aliqui negligentes erant, placuit Deo ut semel in anno decimo die septimi mensis fieret sacrificium expiationis pro toto populo, in quo prius Sacerdos offerebat pro suo peccato vitulum et arietem in holocaustum; deinde pro populo duos hircos, quorum unus immolabatur ad expiandum peccatum multitudinis: hircus enim est animal fœtidum de cujus pilis fiunt vestimenta pungentia, et per hoc significatur fœtor, et immunditia aculei peccati. Hujus autem hirci immolati sanguis inferebatur simul etiam cum sanguine vituli in Sancta sanctorum, et aspergebatur ex eo totum sanctuarium, ad significandum quod Tabernaculum emundabatur ab immunditiis filiorum Israel. Corpora vero hirci et vituli immolata pro peccato comburebantur, ad ostendendam consummationem peccatorum: non in altari, quia ibi non comburebantur nisi holocausta, sed extra castra in detestationem peccati. Alter vero hircus emittebatur in desertum, ac si ille deportaret peccata populi. Ritus emissionis erat ut Sacerdos imponeret manum super caput ejus, confitens peccata filiorum Israel. — *Ratio autem figuralis horum* ista erat: Christus significatur per vitulum propter virtutem; et per arietem, quia est dux fidelium: et per hircum, propter similitudinem carnis peccati, quia immolatus est pro peccatis, et per ejus sanguinem nobis aditus patet in regnum cælorum, quemadmodum sanguis vituli et hirci infertur in Sancta per Pontificem. Passus est extra portam; ad Hebræos ultimo; quemadmodum hircus, et vitulus combusti sunt extra castra. Hircus qui emittebatur in desertum est, vel divinitas quæ Christo patiente virtutem cohibens, veluti in solitudinem abiit, vel concupiscentia mala quam debemus a nobis abjicere, studiosos autem motus Domino immolare.

✻ " De pontificum et sacerdotum inauguratione. " ✻ — *Cæremoniæ* triplicis generis observabantur in institutione ministrorum. *Primo* namque purificabantur. *Secundo,* ordinabantur et consecrabantur. *Tertio,* applicabantur ad usum sacri ministerii. Purificabantur, inquam, idque communiter per ablutionem aquæ, et per quædam sacrificia: specialiter autem Levitæ radebant omnes pilos carnis suæ. Consecrabantur Pontifices et Sacerdotes hoc ordine. *Primo* abluti, vestibus specialibus dignitatum induebantur. *Secundo,* Pontifex oleo unctionis in capite ungebatur. Levitæ Domino offerebantur a populo per manus Pontificis qui orabat pro eis. Minorum vero Sacerdotum solæ manus consecrabantur, quæ erant applicandæ ad sacrificia, et de sanguine agni immolati tingebatur extremum auriculæ dextræ ipsorum, et pollicis pedis, aut manus dextra: ut scilicet essent obedientes legi Dei in oblatione sacrificiorum, quod significatur in tinctione pedis, et manus dextræ. Aspergebantur etiam ipsi et vestimenta eorum sanguine immolati animalis, in memoriam sanguinis agni per quem fuerunt in Ægypto liberati. Offerebatur autem in eorum consecratione vitulus pro peccato, in remissionem peccati Aaron, circa vitulum conflatilem: aries in holocaustum, in memoriam orationis Abraham et obedientiæ ejus, quam Pontifex debet imitari: aries quasi hostia pacifica, in memoriam liberationis ex Ægypto: canistrum denique panum in memoriam mannæ præstitæ populo. *Tertio,* applicabantur per impositionem super manus

eorum adipes arietis, tortæ panis unius, et armi dextri: ut ostenderetur quod accipiebant potestatem offerendi Domino sacrificia. Levitæ vero per hoc quod intromittebantur in Tabernaculum fœderis, quasi ad ministrandum circa vasa Sanctuarii. — *Ratio figuralis* erat, quia qui ad ministerium Ecclesiasticum deputantur, debent primo purificari per aquam baptismi, et lacrimarum in fide passionis Christi, quod est expiativum et purgativum sacrificium. Radere præterea debent omnes pravas cogitationes, quæ per pilos carnis adumbrantur: ornari virtutibus, et Spiritus sancti oleo consecrari ac aspersione Sanguinis Christi. — Observandum est autem quod Sacerdotes quatuor præcipue vestiebantur dum sacra ministeria implebant; nempe Fœmoralibus, tunica linea stricta, zona, seu balteo, et tiara, seu mitra, seu cydari. Fœmoralia, inquit Alensis, significabant continentiam, tunica linea munditiam, balteus modestiam, mitra capitis intentionem rectam. Præter hæc vero Pontificibus communia, si aliquid leve excipias, habebant, et quatuor alia sibi propria Pontifices, quibus fas non erat simplicibus Sacerdotibus vestiri, scilicet primo tunica hyacinthina, seu Pontificali in cujus extremitate versus pedes ponebantur per circuitum tintinnabula quædam, et mala punica, facta ex hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto. *Secundo,* Ephod Pontificale, seu Superhumerale quod tegebat humeros, et anteriorem partem usque ad cingulum; erat vero ex auro, et hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, et super humeros habebat duos honichinos, in quibus erant scripta nomina filiorum Israel. *Tertio,* Rationale ex eadem materia factum, quadratum, et ponebatur in pectore, et conjungebatur Superhumerali: in hoc erant duodecim lapides pretiosi distincti per quatuor ordines, in quibus erant etiam sculpta nomina filiorum Israël; sic eos super humeros, et in corde Pontifex habere significabat. *Quarto,* lamina aurea pendens in fronte ejus, in qua scriptum erat nomen Domini. — Hæc autem vestimentorum diversitas, inquit Alensis qu. 55. circa Articulum primum, secundum Josephum figurabat ipsum esse Ministrum, et Pontificem Conditoris universorum. Unde secundum quod tangitur Sap. 18. *Dispositio totius orbis figurabatur in veste Pontificis; fœminalia linea, et tunica linea, seu byssina terram figurabant.* Baltei vero circumvolutionem Oceani: tunica vero hyacinthina ipso colore aërem præseferebat: per tintinnabula tonitrum: per mala granata coruscationes significabantur; superhumerale sui varietate cælum sidereum: duo Sardonices, duo Hemispheria, vel Solem et Lunam: duodecim Gemmæ in pectore, duodecim Signa et Zodiacum; et pulchre quod in medio erat appellabatur Rationale: ratione enim cuncta sunt plena, et terrena per cælestia disponuntur: Cydaris Cælum empyreum: lamina aurea, Deum omnibus præsidentem; tamen non videtur hæc significatio convenire. Dicendum ergo quod varietas vestimentorum designabat varietatem virtutum, quibus oportebat Pontificem esse munitum: fœminalia signabant continentiam: tunica byssina quæ multis tunsionibus pervenit ad candorem, per mortificationem carnis munditiam interiorem: balteus, qui stringit ventrem, continentiam, et abstinentiam: tunica hyacinthina, quæ est exterior, et ætherei coloris, conversationem cælicam; cingulum vero quo tunica stringitur conversationis modestiam: superhumerale mandatorum obedientiam:

rationale vero divinam scientiam: cydaris intentionem bonæ voluntatis: lamina, cui nomen Dei inscribitur, memoria seu meditatio Dei jugis figurabatur.

✻ "De præceptis servandis in vestibus et cibis." ✻ — Denique erant quidam ritus ex præcepto observandi a populo in vestibus exterioribus, in ciborum delectu, in cultu divino. *Primo* quidem in vestibus, quibus indui debebant, plura cavebantur: sic Deuter. 20. *Non induetur mulier veste virili, et vir non induetur veste fœminea.* Et cap. 22. *Non indueris vestimento quod ex lana, linoque contextum est.* Causæ autem, inquit Guillelmus Parisiensis libro *De Legibus*, c. 13. prohibitionis, ne vir uteretur veste fœminea, vel e converso, multa fuere: *Prima* fuit congruentia ipsius naturæ, videlicet, ut quos natura sexu discreverat, discerneret et vestibus. *Secunda*, ut opportunitas auferretur turpitudinum latibus, posset enim intrare vir ad mulierem sub habitu muliebri, et e converso mulier sub habitu virili: ablata igitur est per hanc discretionem vestitus multa opportunitas flagitiis. *Tertia*, exterminatio sacrorum Martis, et Veneris, in sacris enim Martis non solum virili vestitu vestiebantur mulieres, sed etiam armabantur, ut in ipsis vestimentis bellicis, idest, armis, ipsum tamquam Deum belli, et victoriæ datorem colerent. Et Cocco Græcus in libro maledicto, quem scripsit de stationibus ad cultum Veneris, inter alia sacrilega, et Deo odibilia præcepit, ut qui nefandum illud exercet, coronam fœmineam habeat in capite suo. Eodem modo in sacris Veneris viri effœminabantur, videlicet in vestibus muliebribus sacra Veneris exercentes; propter hujusmodi sacrilegos ritus Marti et Veneri se placere credentes, atque quærentes. *Quarta* causa est ut occasio magna provocationi libidinis auferretur; magna enim est provocatio libidinis viris vestitus muliebris, et e converso, et hoc est quoniam vestis muliebris viro circumdata vehementer refricat memoriam, et commovet imaginationem mulieris, et e converso. *Quinta* causa, ut auferretur occasio maleficii, quibus gentes illæ refertissimæ erant, et in eis nutritæ. Consueverunt enim malefici, et maleficæ in vestibus, aut de vestibus libidinis maleficia exercere, et hoc nos in libris eorum sæpe legimus. Ut ergo occasio hujusmodi tolleretur, jam voluit Deus hanc confutationem vestitus esse in viris, et mulieribus. *Sexta* causa, ut tolleretur error periculosus, et superstitiosa credulitas, qua trahi possent ad idololatriam, quibus credebant decepti applicatione vestium muliebrium, maxime in sacris Veneris conjungi sibi ac conciliari amore fortissimo corda mulierum, propter quas hoc facerent, vel quæ postea hujusmodi vestibus uterentur. Similiter et deceptæ mulieres idipsum credebant de viris, et virilibus vestimentis. Voluit ergo Deus hunc superstitiosum errorem auferri de cordibus eorum, per ablationem abusionis istius, ne per illum tandem traherentur ad cultum Veneris. Usus vero vestis ex lana, linoque contextæ, prohibitus fuit juxta litteram, quia Sacerdotes idolorum, et in Ægypto maxime vestibus hujusmodi utebantur. *Causa* igitur in hoc fuit ne Dei populus assimilaretur idololatris. *Alia causa* fuit generalis, ut idololatria, quæ conjunctionibus exercebatur, ex hoc percuteretur. *Tertia* fuit, ut ordo naturæ quem idololatræ multipliciter pervertebant, servaretur in vestibus, ut linum scilicet sub lana esset, et corpori humano propinquius. *Quarta*,

ut in vestibus, et materiis earum, ipsa quam natura inter eas fecerat, discretio servaretur, ut linea sive camisia, natura camisia esset, et tunica, natura tunica, et ita de aliis. Hæc enim quæ diximus omnia confundebant, et commiscebant idololatræ, ad venerationem maxime elementorum, de qua aliquid loquemur in sequentibus, pro eo scilicet quod de commixtione elementorum, quibus serviebant, eorumque confusione omnia hujusmodi gigni dicebant. — Plura etiam erant prohibita quantum ad esum, nam judicavit lex *Levit.* 11. immunda gressibilia, quæ non ruminant, aut non findunt ungulam. *Item* aquatilia, quæ non habent pinnulas, et squamas. *Item,* volatilia rapacia, ut aquilam, et corvinum genus, et quædam alia, *Levit.* 11. et universaliter omnia reptilia, sicut stellio, lacerta, et alia quæ in terra moventur, ut mustela, mus, et similia, *Levit.* 11. — Hujus autem prohibitionis has rationes profert Alensis, dicendo, generali responsione, quod ratio fuit elongatio ab idololatria. « Illa enim animalia quæ præcipue lex « judicavit immunda, idololatræ assumpserant, vel in ritu sacrificio- « rum, vel in venerationem. Patet enim quod ex gressibilibus, et vo- « latilibus, et aquatilibus idolorum imagines figurabant: unde *Exodi* 20. « propter hoc dicitur: *Non facies eorum similitudinem, quæ in Cœlo « desuper, ut volatilium: nec eorum quæ in terra deorsum, ut gressi- « bilium: nec eorum quæ sunt in aquis, ut natatilium.* Item patet quod « simili modo faciebant idola reptilium: unde Isaiæ 2. *Projiciet homo « idola, quæ fecerat ut adoraret talpas, et vespertiliones:* Et Ezechiæ 8. « *Ingressus vidi, et ecce omnis similitudo reptilium, et animalium abo- « minatio, et universa idola ibi depicta, etc.* Inde est quod lex hujusmodi « judicavit immunda; vel quia in talibus idolis sacrificabant; unde por- « cus qui non ruminat, sed findit ungulam judicatur immundus: quia « adhuc pagani porcos immolabant, et fœdera sua sacrificio porcorum « firmabant: non aliter ratum existimantes, nisi ipsi qui paciscuntur, « aut fœderantur, per intermedium partium hujus sacrificii transierint. « Simili modo Camelum qui ruminat, sed non findit ungulam, sacri- « ficant idololatræ, et malefici, sicut legimus in libro *De Annulis,* 7. « Planetarum: ita etiam de aliis intelligendum est. Sicut nunc enim « ex necessitate statuendum esset in regionibus, ubi cattus dicitur « adorari, ne ibi inveniretur, et apud quem inveniretur, graviter pu- « niretur: eadem ratione, et in regionibus, in quibus bufo dicitur « adorari, si quis bufonem inveniens, non statim occideret, gravi ani- « madversione plectendus esset: ita et prædicta animalia, quæ usur- « paverat sibi idololatria, voluit esse abominabilia Deus suo populo, « ut nec ea comederent, nec contingerent ». ✳ " Ita Alensis noster.

✳ " De temporibus sacris in veteri lege servandis. — Tempora sacra ea dicimus quæ in religiosum Dei cultum ex ipsius mandato aut inspiratione præscribuntur. Illa vero in lege veteri duplicis erant generis, alia quidem diurna, nimirum determinatæ quædam cujusque diei horæ in Dei venerationem et obsequium impendendæ: alia vero tantum post aliquot dies recurrentia. Prioris generis erat juge sacrificium mane et vespere offerendum, ut præceperat Deus his verbis Num. 28: *Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis: agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum: unum offeretis mane, et alterum ad vesperum; decimam partem ephi similæ, quæ*

conspersa sit oleo purissimo, et habeat quartam partem hin. Holocaustum juge est quod obtulistis in monte Sinai in odorem suavissimum incensi Domini. Et libabitis vini quartam partem hin per agnos singulos in sanctuario Domini. Alterum quoque agnum similiter offeretis ad vesperum, juxta omnem ritum sacrificii matutini, et libamentorum ejus, oblationem suavissimi odoris Domino.

De eodem similia sic statuerat Exod. 29. v. 38: *Hoc est quod facies in altari : agnos anniculos duos per singulos dies jugiter etc.* Vocabatur autem sacrificium istud *juge* aut *sempiternum*, quia jugiter singulis diebus debebat offerri quamdiu lex mosayca vim obtineret. Præsignabat autem hoc sacrificium mane et vespere offerendum duplicem Christi oblationem, alteram quidem initio incarnationis et in primo assumptæ nostræ humanitatis momento, de qua S. Paulus ad Hebræos, 10. v. 5: *Ingrediens mundum dicit, hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi : holocautomata pro peccato non tibi placuerunt : tunc dixi ecce venio.* Alteram autem in cruce, nam ait ibidem Apostolus, cap. 9. v. 11. *Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, idest, non hujus creationis ; neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introïvit semel in sancta, æterna redemptione inventa etc.* Hoc autem in sacrificio potius agnus immaculatus quam quodlibet aliud animal debebat offerri, quia typus erat Christi Domini qui in Apocal. vocatur Agnus. Unde Origenes, homil. 24 in num. *Dicitur agnus quia voluntas et bonitas ejus, qua Deum repropitiavit hominibus, et peccatorum indulgentiam dedit, talis extitit humano generi, quasi agni hostia immaculata et innocens, qua placari hominibus divina creduntur.* Accedit S. Augustinus cap. 1. lib. 21. sententiarum *Agnus,* inquit, *eligitur, ut simplicitas et innocentia designetur: masculus quæritur, ut virtus comprobetur; immaculatus, ut sine crimine* etc. Quibus perfectam Christi figuram induebat repræsentabatque illius innocentiam et mansuetudinem atque voluntariam oblationem: nam ait Isaïas, cap. 53: *Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet* etc. — Hoc in sacrificio offerebantur pariter simila, oleum et vinum, quia Christus non solum immolari voluit cruento sacrificio in ara crucis, sed etiam incruento in Eucharistiæ sacrificiis per manus sacerdotum novæ legis sui perpetui sacerdotii secundum ordinem Melchisedech administros: quia vero hoc debebat esse eximii sui erga nos amoris pignus, in ejus divinæ charitatis symbolum oleum jusserat admisceri. Amplior autem similæ quam vini erat mensura, quia plures illius divini beneficii debebant esse sub specie panis quam sub specie vini. — Sacra per aliquod tempus recurrentia, erant festivi dies quæ triplicis generis possunt distingui, nimirum hebdomadarii, menstrui et annui. *Hebdomadarius* erat diei septimi solemnitas dicta *sabbatum,* de qua satis supra dictum est. *Menstrui* festivi dies erant primus cujusque mensis dies festus ab Hebræis *initium mensis* dictus; a septuaginta vero interpretibus *Neomenia,* nomine composito a vocibus νεος id est *novus,* et μην id est *mensis,* ita ut Neomenia dicatur quasi novus mensis, vel αρτω μηνι a luna, quia Hebræi menses cum nova luna ut plurimum incipiebant. Unde Philo. lib. *De septenario: In Neomenia*

incipit sol splendore sensibili lunam illustrare, ipsa proprium decus tum patefacit spectantibus. Ipsi concinit Maïmonides in krindush Hachodesh, idest *sanctificatio kalendarum,* ubi scribit: *Hæc est constitutio Moysis in monte Sinaï, quod quamdiu duraret sanhedein, Neomenias constituerent secundum lunæ* φασιν, idest apparitionem. Docet ibidem Hebræos mensis initium computasse a primo lunæ apparentis momento, ita quod quando luna apparebat statuto tempore, hoc est trigesima nocte mensis labentis, mensis iste constabat viginti novem diebus; dies autem sequens primus erat mensis exordientis, si vero illa nocte non appareret, prior mensis constabat triginta diebus, subsequens vero dies primus erat mensis exordientis. Ut autem de istis constaret, senatus Hierosolymitanus tabulas astronomicas habebat, quarum beneficio sciebat utrum nova luna nocte trigesima appareret, aut adhuc lateret: delegabat præterea viros fide dignos qui inspicerent et renuntiarent an exoriens luna fulsisset, si vero per tabulas astronomicas deprehenderent lunam apparere non posse nocte trigesima, non expectabant relationem inspectorum, sed absolute statuebant diem sequentem esse primum mensis exordientis. — Ut autem hoc notum esset cœteris pariter civitatibus, jubebat senatus faces accendi supra montium vertices, ut indicium esset celebrandæ Neomeniæ. At cum Samaritani, Judæorum hostes, interdum similes faces accenderent, ut hac arte ipsos ludificarent, inducerentque ad celebrandas Neomenias altero, quam par erat, die, ut hoc præjudicium declinaret senatus ille, delegabat cursores ad præcipuas civitates judaïcas, ut denuntiarent novam lunam apparuisse, ac Neomenias celebrari debere. Hic pariter ritus Neomenias celebrandi propagatus est apud Ethnicos, teste S. Isidoro lib. 5. *Originum,* cap. 33. *Apud veteres,* inquit, *omnium mensium principia colebantur, sicut et apud Hebræos.* Hinc de Homero refert Herodotus in ipsius vita quod in Neomeniis ad ditiorum domos se conferre solitus esset, ut eorum munificientiam experiretur. Scribit etiam Macrobius lib. 1. *Saturnalium,* cap. 15, *priscis temporibus pontifici minori hanc provinciam delegatam fuisse ut novæ lunæ primum observaret aspectum, visamque regi sacrorum, idest, pontifici nuntiaret.* Huc etiam respiciunt illa Virgilii 6. Æneidos.

> .... *qualem primo qui surgere mense,*
> *Aut videt, aut vidisse putat per nubila lunam.*

Qualiter autem Neomeniæ celebrandæ essent declarat Moyses num. 28: *In calendis autem offeretis holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos septem immaculatos, et tres decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio per singulos vitulos: et duas decimas similæ oleo conspersæ per singulos arietes: et decimam decimæ similæ ex oleo in sacrificio per agnos singulos* etc. — Tametsi vero in Neomeniis publica fierent sacrificia, in eis tamen vacandum non erat ab omni opere servili ex præcepto, licet plerique ab eis abstinerent propter diei solemnitatem, ad quam tubarum clangore invitabantur, juxta illud num. 10: *Si quando habebitis epulum, et dies festos et calendas, canetis tubis super holocaustis, et pacificis victimis, ut sint vobis in recordationem Dei vestri.* Quo etiam spectat illud psalm. 80: *Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solemnitatis*

restræ. — Celebrabatur autem hæc solemnitas in gratiarum actionem beneficii divinæ gubernationis, inquit S. Thomas 1. 2. quæst. 102. art. 4. ad 10; et Lyranus addit in illud num. 28. *In calendis autem* etc.: *Ideo fiebat in novilunio, quia mutatio in istis inferioribus magis apparet secundum innovationem lunæ, quam temporibus aliis, et ideo celebratur hoc festum in novitate lunæ, non autem in ejus plenitudine, ad evitandum idololatrarum cultum, qui in tali tempore lunæ sacrificabant.* Possunt et aliæ hujus institutæ solemnitatis rationes proferri, nempe quod sicut e terra nascentium primitias sibi Deus offerri voluit, ita pariter voluit sibi consecrari primitias temporis revolvente quolibet mense per revolutionem illius astri qua apud Judæos tempora distinguebantur. Atque etiam ut Deus precibus et sacrificiis placatus, sua benedictione efficeret ut cuncta prospere fausteque succederent. —

Festa annua duplicis erant generis, quædam enim quotannis recurrebant, alia vero dumtaxat post certam annorum periodum anniversariæ festivitates, in quibus omnis masculus ex Dei mandato comparere debebat cum oblationibus et munere coram Domino. Maxime celebres erant Pascha, Pentecostes et festum tabernaculorum, quæ quamvis instituta essent ob recordationem beneficiorum præteritorum, ut Pascha, in memoriam liberationis ex Aegypto; Pentecostes ad recolendam gratiam traditæ et acceptæ Legis; scenopegia vero seu festum tabernaculorum in memoriam divinæ protectionis in tempore peregrinationis Israëlitarum in deserto; erant tamen typus et adumbratio spiritualium beneficiorum per Christum concedendorum: sic Pascha præsignabat et spondebat liberationem ex Ægypto, et liberationem de potestate inferni, et Christi immolationem adumbrabat 1. Cor. 5. 7; 1 Petr. 1. 18. 19. Pentecostes Spiritus Sancti remissionem, et legis in tabulis cordium per eumdem Spiritum inscriptionem 2. Cor. 3. 5. 6; Jerem. 31. 32. Scenopegia peregrinationem hominis pii per hoc mundi desertum ad cælestem patriam. Hebr. 13. 14. — Ad hæc autem tria festa convenire tenebantur omnes Israëlitæ, præsertim viri qui mentis et sanitatis erant compotes. Observant autem Thalmudici agentes de *Chagigah*, idest, die festo, singulare illud fuisse divinæ Providentiæ beneficium et veluti assiduum miraculum quod qui ad ista festa pergebant et domi tantum relinquebant senes aut infirmos, aut mulieres et pueros, res suas in reditu salvas et intactas inveniebant. Adjicit R. Nathan in Aboth quod illis diebus *decem*, inquit, *miracula ostendebantur* Patribus nostris in sanctuario. Nulla mulier abortum fecit propter odorem carnis victimarum. Nemo unquam Hierosolymæ cespitavit: nec unquam cecidit quisquam Hierosolymæ: nec unquam contigit abortus Hierosolymæ: nec quisquam alteri unquam dixit: non inveni Hierosolymæ ignem ad quem torrem agnum meum paschalem: nec dixit unquam quisquam alteri: non inveni lectum Hierosolymæ in quo cubarem: nec unquam quisquam dixit alteri: meum hospitium est nimis arctum Hierosolymæ etc. — Festa post certam annorum periodum recurrentia erant primo, *annus sabbaticus* septimo quoque anno celebrandus, ut præscribitur Levit. 25. in quo terræ culturæ erat intermissio, siquidem in eo non serebantur segetes, nec arbores excolebantur; sed quidquid sive terra, sive arbores ex nativa fœcunditate progerminabant, cedebat in subsidium et usum pauperum, ut cautum est Exod. 23. ubi de cul-

toribus terræ statuitur: *anno autem dimittes eam, et requiescere facies, ut comedant pauperes populi tui, et quidquid reliquum fuerit, edant bestiæ agri. Ita facies in vinea et in oliveto tuo.* Quod ut facilius exsequerentur Israëlitæ, promiserat Deus Levit. 25. se daturum benedictionem terræ anno sexto ut *faceret fructum·trium annorum.* Secundo, in eo anno manumittebantur et libertatem recuperabant omnes servi ex Hebræis oriundi, ut cautum est in Exod. 21. *Si emeris servum hebræum, sex annis serviet tibi, in septimo egredietur liber gratis.* Nam si alienigena erat servus, numquam manumittebatur, Levit. 25. *Servus et ancilla sint vobis de nationibus quæ in circuitu vestro sunt: et de advenis qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in terra vestra, hos habebitis famulos, et hæreditario jure transmittetis in posteros, ac possidebitis in æternum.* Tertio, omnia debita remittebantur, Deuter. 15. *Septimo anno facies remissionem quæ hoc ordine celebrabitur: Cui debetur aliquid ab amico, vel proximo ac fratre suo, repetere non poterit, quia annus remissionis est Domini. A peregrino et advena exiges, civem et propinquum repetendi non habebitis potestatem.* — At omnium celeberrimus erat *annus jubilæus* quinquagesimo quoque anno revolvente celebrandus, in quo fiebat manumissio servorum, debitorum remissio et bonorum venditorum restitutio. quibus præsignabantur eximia beneficia nobis per Christum concedenda, scilicet libertas a servitute peccati, diaboli et mortis, ut apparet Lucæ 1. v. 14; et Rom. 6. v. 13; deinde debitorum spiritualium, nimirum peccatorum relaxatio, ad Rom. 8. et ad Coloss. 2. v. 14; præterea restitutio bonorum spiritualium deperditorum in Adamo, Rom. 5. v. 15. et 20. — Mitto cætera Judæorum festa quæ erant minoris celebritatis, qualia erant *dies expiationis, dies cœtus* atque *collectæ, dies Encæniorum* seu dedicationis templi Salomonici, *dies victoriæ de Nicanore, dies sortium* ob liberationem Judæorum beneficio Estheris etc. " ✻

De lege forensi. — *Præcepta judicialia veteris legis ea erant, quæ non sola ratione, sed ex institutione vim habebant obligandi homines in ordine ad se invicem.* Quatruplex autem ordo in aliquo populo inveniri posset. *Primo,* principum populi ad subditos. *Secundo,* subditorum ad se invicem. *Tertio,* eorum qui sunt de populo ad extraneos. *Quarto* denique ad domesticos. Ergo totidem modis dividi possunt judicialia præcepta veteris legis. De principibus convenienter ordinavit lex vetus; nam, ut ait S. Thomas, in bona ordinatione principum duo attenduntur. Primum est, ut omnes habeant partes in principatu, quia per hoc conservatur pax populi, et omnes talem ordinationem amant, et custodiunt. Secundum est summa regiminis, vel principatus, cujus cum sint diversæ species, præcipuum tamen est regimen, in quo unus principatur secundum virtutem, et Aristocratia in qua aliqui pauci principantur secundum virtutem: unde optima ordinatio Principum est in aliqua civitate, vel regno, in quo unus præficitur secundum virtutem, qui omnibus præsit, et sub ipso sunt aliqui principantes secundum virtutem, et tamen talis Principatus ad omnes pertinet: tum quia ex omnibus eligi possunt: tum etiam quia ex omnibus eliguntur: atqui sic disposuerat Deus de Principatu veteris Legis; nam Moyses et ejus successores gubernabant populum quasi singulariter

omnibus principantes, quod est quædam species regni. Eligebantur autem 72. Seniores secundum virtutem, et isti de omni populo eligebantur. Electionem vero Principis non reliquit populo, sed sibi reservavit, ut patet de Moyse, Judicibus ac Regibus, hac de causa, quia populus ille sub speciali Dei cura regebatur: neque vero constituit ab initio Reges in plena potestate, sed Judices, et Gubernatores, ne degeneraret tale regimen in tyrannidem, quod contingit maxime si crudeles sint atque avari: tales autem erant Judæi: unde Regem ad petitionem populi tantum quasi indignatus concessit. 1. *Regum* 8. Instituit tamen a principio circa Regem eligendum; *Primo,* modum electionis, qui in eo consistebat ut judicium Domini expectaretur, neque ex altera gente quis in Regem eligeretur. *Secundo,* qualiter se habere deberent Reges constituti ad seipsos, ad Deum, et ad subditos. *Deuter.* 8. — De subditis ad se invicem convenienter ordinavit: nam justis præceptis ordinatum est de communione quam ad invicem habere debent. Hæc duplex: alia quæ fit auctoritate Principum, alia quæ fit propria voluntate personarum privatarum. Circa utrumque providit lex sufficienter: circa primum instituendo judices, ordinem judicii, numerum testium, et certas personas pro venditionibus, successionibus, cura parentum, et similibus. Lege S. Thomam de his fusius more suo disserentem optime qu. 105. art. 2. — De subditis per ordinem ad extraneos convenienter pronuntiavit: nam cum extraneis conversatio potest esse duobus modis: pacifice et hostiliter; de utroque modo statutum. De *primo,* et cum alienigenæ transibant per terras eorum, et cum apud illos inhabitabant, prohibendo ne contristarentur, aut molestia illis inferretur, *Exodi* 22. et 23. et cum volebant totaliter admitti in eorum consortium, cui etiam provisum est, ut nec statim admitterentur, nec tam omnino excluderentur, quidam tamen omnino excluderentur, quia hostes infensissimi, quales Amalecitæ. De secundo autem, antequam inirent bellum pax offerebatur: *Deut.* 20. *Secundo,* præcipiebatur ut bellum inceptum fortiter exequerentur. *Tertio,* ut impedimenta prælii removerentur, remittendo quosdam ad domum, qui possent impedimenta præstare. *Quarto* denique, ut victoria moderate uterentur, parcendo mulieribus et parvulis, ac ligna fructifera regionis non incendendo. Lege S. Thom. art. 3. — *Denique* quantum ad domesticos lex vetus ordinavit convenienter; nam circa domesticas personas tres sunt combinationes; scilicet, domini ad servum, viri ad uxorem, et patris ad filium. Circa primam ordinavit convenienter, et de laboribus illis moderate imponendis, et de pœnis infligendis, et de dimissione eorum, qui erant ex populo: circa secundum ordinavit etiam convenienter, præcipiendo ut ex eadem tribu duceretur uxor, ne tribus confunderentur, ut frater ducat uxorem fratris sui defuncti absque liberis, suscitaturus semen fratri suo, ut alienigenæ non accipiantur in conjuges propter periculum seductionis, neque propinquæ, propter reverentiam naturalem, quæ debetur illis: ut recens conjugato nihil publicæ necessitatis injungatur quo possit libere lætari cum uxore sua, et firmare amicitiam, ut non leviter uxores infamentur; ut propter odium vir non affligat uxorem; sed potius dimittat, idque non nisi scripto libello perficiat; ut denique propter uxoris odium filius detrimentum minime patiatur. Circa tertium denique, ut patres filios

instruant in disciplinis et moribus, ne vacent comessationibus et lasciviis. Cetera vide apud S. Thomam.

QUÆSTIO QUARTA.

AN ET QUANDO LEX VETUS ABROGATA FUERIT, ET OBLIGARE DESIERIT.

✳ "Notandum 1. Mosaycam legem spectari posse juxta triplicem temporis differentiam, qua primo *viva* fuit, secundo *mortua*, tertio *mortifera*. Fuit, inquam, primo viva, vimque obligandi habuit eos quibus erat præscripta, nimirum Israëlitas statim ab illius constitutione et promulgatione; unde amplissimam illius cultoribus mercedem, transgressoribus vero pœnam indixit Deus per Moysem, ut videre est Deuter. 28, quo significaret se sincere velle istius legis observantiam. Perseveravit autem istius Mosaycæ legis vigor ad Christi Domini nativitatem. Tunc enim infirmari cœpit et languescere, unde Christus Dominus Matth. 11. v. 13: *Omnes prophetæ et lex usque ad Joannem*, scilicet Baptistam, qui velut aurora Christi Domini, justitiæ solis et præco novi hominum Legislatoris ortum et officium præsignavit. Tandem vero extinctus est et omnino hebetatus ille vigor in Christi Domini morte, quando scilicet omnia quæ de ipso scripta erant, prophetarum vaticinia, reipsa complevit, et Mosaycæ legis sacramentorum et sacrificiorum utilitatem et efficaciam cruento suæ mortis sacrificio evacuavit et extinxit. Cœpit vero esse mortifera, quando propter pseudo-apostolos Mosaycam legem simul cum Evangelica servandam esse contendentes, decreverunt Apostoli, fideles ad Christum recens conversos non debere amplius ad Mosayca præcepta attendere, utpote quæ nihil jam prodessent ad salutem. Quando vero id statutum fuerit, hic est determinandum." ✳

Notandum 2. Veterem Legem solis Judæis revera fuisse præscriptam, nec Gentiles ad ejus observantiam fuisse ulla ratione adstrictos: quod utique colligitur ex illo Deuter. 4. *Quæ est alia gens tam inclyta, quæ habeat cæremonias ac justa judicia?* Psal. 75. *Notus in Judæa Deus:* Psal. 57. *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis.* Hanc eamdem veritatem luculenter demonstrat Apost. ad *Rom.* 3. ubi declarans prærogativas, quibus Judæi divinitus a Deo donati fuerunt, ait: *Quid ergo amplius Judæo est? multum quidem per omnem modum, primum quidem, quia credita sunt eis eloquia Dei:* sub. eloquiis autem maxime comprehendit legem, quæ solis Circumcisis data est, et ideo Gentiles arcebantur ab ingressu templi, et participatione illius legis, nisi circumciderentur: non obligabantur autem Gentiles circumcidi, sed in eorum voluntate et arbitrio liberum erat, ut constat Exodi 12. *Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, et facere phase Domini, circumcidetur prius omne masculinum ejus, et tunc rite celebrabit: eritque sicut indigena terræ, Si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo.* Hæc autem specialis prærogativa populi Judaici supra Gentiles non fuit eis a Deo concessa propter eorum merita, et fidelem in eum observantiam, sed ex mera Dei liberalitate ipsum populum præ cæteris sibi peculiariter adlegentis, eo quod Christus ex ipso oriundus erat;

quod utique declaravit Moyses Deuter. 9. ubi alloquens populum Judaicum ait: *Scito ergo quod non propter justitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in possessionem, cum durissimæ cervicis sis populus. Memento et ne obliviscaris quomodo ad iracundiam provocaveris Dominum Deum tuum in solitudine; et eo die quo egressus es ex Ægypto usque ad locum istum semper adversum Dominum contendisti.* Decebat autem ut populus ille, ex quo Christus erat oriundus, speciali sanctitate fulgeret, et peculiari Dei dilectione... Hinc Moyses Deuter. 4. populum Judaicum interpellans ait: *Audistis verba ejus de medio ignis, quia dilexit Patres, et elegit semen eorum post eos.* Semen, inquam, illud benedictum, nempe Christum Dominum in quo benedicendæ erant omnes gentes.

Notandum 3. Quod etsi lex vetus soli populo Judæorum præscripta fuerit, ut eam observaret et custodiret, tamen non ad solos Judæos, sed maxime ad Christianos spectabat: nam promissiones, et dona in lege ista facta sunt propter veros Israëlitas, et filios Abrahæ, non qui secundum carnem nati sunt, sed qui filii Abrahæ sunt secundum fidem, ut probat Apost. pluribi: maxime ad *Rom.* et ad *Gal.* Hinc egregie advertit S. August. lib. 4. *Contra Faustum*, terram Chanaam, necnon et omnia bona a Deo Judæis concessa, sumi posse duobus modis, vel in se et ut est aliquod bonum sensibile, qualiter solum spectabat ad eos qui sunt Judæi secundum carnem, vel quatenus est figura boni invisibilis longe melioris ac præstantioris, et sic pertinet ad Christianos. *Temporalium rerum promissiones*, inquit, *in Testamento Veteri contineri, et ideo vetus Testamentum appellari nemo nostrum ambigit, et quod æternæ vitæ promissio, regnumque Cœlorum ad novum pertinet Testamentum; sed in illis temporalibus figuras fuisse futurorum, quæ implerentur in nobis, in quos finis sæculorum obvenit, non suspicio mea est, sed Apostolicus intellectus est, dicente Paulo cum de talibus loqueretur: hæc omnia figuræ nostris fuerunt: et iterum: hæc omnia in figuris contingebant illis, scripta autem sunt propter nos in quos finis sæculorum obvenit. Non ergo vetus Testamentum ad consequendas illas promissiones, sed ad intelligendas in eis novi Testamenti renuntiationes accepimus: veteris quippe significatio fidem novo conciliat.* His ita præmissis, tria supersunt determinanda: *Primum*, an revera jam desierit legis veteris obligatio et virtus. *Secundum*, quandonam vigere cessaverit. *Tertium* denique, an statim ac vigere desiit, ejus observatio mortifera fuerit.

Conclusio prima. — Lex Mosayca de facto abrogata est, et jam obligare desiit. Hæc est de fide definita ab Apostolis in Conc. Jerosolimitano celebrato ut hæc quæstio solveretur, sicut legimus Act. 15. per illa verba: *Visum est Spiritui sancto, et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc necessaria, etc.*

Hanc autem veritatem pluribus probat S. Paulus ad *Rom.* nam cap. 6. fidelibus baptizatis ait: *Non estis sub lege, sed sub gratia.* Et c. 7. id declarat exemplo uxoris, quæ per mortem viri soluta est a lege illius: unde concludit: *Itaque fratres mei, et vos mortificati estis legi per Corpus Christi.* Et ad Gal. id varie inculcat. c. 2. 3. et 5. maxime vero istis verbis: *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit.*

Et postea : *Evacuati estis a Christo qui in lege justificamini.* Quibus certe significat quod gratia Christi Domini non prodest ei, qui circumcisionem necessario servandam esse existimat. Idem Apost. ad *Hebræos*, 7. ait : *Translato Sacerdotio necesse est ut legis translatio fiat:* atqui Sacerdotium veteris legis translatum fuit in Sacerdotium novæ legis : nam cum ante esset Sacerdotium Aaronicum, factum est Sacerdotium Christi, qui dicitur Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech : ergo et ipsa lex vetus in novam cessit, sicque de facto desiit, et abrogata est.

Probatur 2. Illa lex abrogatur, et obligare cessat, maxime quando amplius non viget respectu eorum pro quibus lata est : sed lex vetus cessavit obligare Judæos, quibus maxime præscripta fuit : ergo revera obligare desiit. *Major* constat : tum quia solvi et ligari respectu ejusdem dicuntur, alioqui opposita non essent : tum quia repugnantiam involvit quod lex aliqua censeatur abrogata, et tamen vigeat respectu eorum quibus est præscripta. *Minor* vero probatur : *Primo*, quia lex vetus non fuit data in sempiternum, sed tantum, ut habet Apostol. ad *Gal.* 4. *Donec veniret plenitudo temporis.* Ergo adveniente plenitudine temporis per Christum, qui natus est in medio temporum, lex antiqua continuo cessavit. *Secundo*, ex eodem Apost. *Umbram habet lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem :* sed umbræ desinunt ad Solis ortum, cessant figuræ dum veritas apparet. Hinc S. Bern. hom. 1. super *Missus est : Prodeunte fructu, flos decidit, quia veritate apparente in carne, figura pertransit.* Vel ut ait Hieron. in cap. 4. ad *Gal. Priusquam Christi in toto orbe Evangelium coruscaret, habuerunt suum fulgorem præcepta legalia ; postquam vero majus Evangelicæ gratiæ lumen effulsit, et Sol justitiæ toti mundo se prodidit, Stellarum lumen absconditum est, et eorum radii caligaverunt.* Similia habet Theodoretus ad *Philippens.* 3. ubi hæc scribit: *Supervacaneus est lychnus, si Sol apparuerit, supervacaneus Pædagogus iis, qui perfectam acceperunt sapientiam : inutile lac nutricis iis, qui solido cibo vescuntur. Palea fert frumentum, sed postquam collectum est frumentum, palea ejicitur; ita lex ostendit Christum, postquam autem is apparuit, ea est deinceps supervacanea.*

Probatur 3. Illa lex censetur esse abrogata quæ tantum duratura erat, et vigere debebat usque ad institutionem et promulgationem alterius legis succedentis : at lex Mosayca tantum vigere debebat usque ad institutionem legis Evangelicæ : ergo hac instituta prior cessare debuit. *Major* constat. Probatur *minor* iis omnibus sacræ Scripturæ testimoniis, quibus Deus prædixerat mutationem legis, et status populi faciendam esse in adventu Messiæ. Sic per Malac. c. 1. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra, ab ortu Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.* Quibus verbis aperte prædicitur totum illum cultum sacrificiorum veteris legis abjiciendum esse a Deo, et in aliud purissimum commutandum, ut exponit Conc. Trid. sess. 22. cap. 1. Item significavit Jeremias c. 23. ubi præmissa Messiæ promissione per hæc verba: *Ecce dies renient, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum, etc.* subdit: *Propter hoc dies renient, dicit Dominus, et non*

dicent ultra: vivit Dominus, qui eduxit filios Israël de Terra Ægypti: sed: Vivit Dominus, qui adduxit, et duxit semen domus Israël de terra Aquilonis, et de cunctis terris; quibus verbis Propheta significat Gentiles ad Messiam futurum convertendos. *Denique* hanc ipsam veritatem probant omnes illi Scripturæ textus, quibus Deus olim promiserat se daturum novam legem, qualis est Jeremiæ 31. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et feriam domui Israël, et domui Juda fœdus novum;* ubi nomine *fœderis* legem significat. Hinc subjungit: *Dabo legem meam in visceribus eorum.* His enim significavit Deus se aliquando instituturum, et daturum novam legem quæ priorem solveret, ut optime colligit S. Paulus ad Hebræos c. 8. ubi cum præmisisset præfatos textus Prophetæ, concludit: *Dicendo autem novum, veteravit prius, quod autem antiquatur et senescit prope interitum est.*

Dices 1: Lex semel lata, et promulgata non abrogatur nisi per expressam revocationem, vel per legem posteriorem incompossibilem cum priore: sed in lege nova lata a Christo non legitur expressa revocatio legis veteris, nec illæ leges sunt incompossibiles, sed simul observari possent: ergo posterior priorem non revocavit, maxime respectu illius populi quem illa vetus obligabat. — **Respondeo** 1. Negari posse *majorem;* nam præter illos duos modos abrogandi legem, invenitur tertius, nempe quod lex cesset per temporum mutationem, et successionem, quando dumtaxat pro determinato tempore lata est, et propter aliquem finem quo posito et obtento, obligare desinit; talis autem fuit lex vetus, nam præscripta fuit tantum ad tempus, et *donec veniret semen,* idest Christus, ut ait S. Paulus ad Gal. 3. nam *finis legis fuit Christus,* ut idem Apost. docet ad Rom. 10. et ideo completo illo tempore, et eo fine obtento, cessare debuit illa lex absque alia abrogatione et revocatione. Hinc Lucæ 16. dicitur: *Lex et Prophetæ usque ad Joannem.* — *Respondeo* 2. negando *minorem,* quantum ad secundam partem: licet enim Christus Dominus in Evangelica lege tradenda non addiderit aliqua verba formalia, quibus expresse significet se præcepta veteris legis abrogare, et revocare, nihilominus revera illam veterem legem sua nova lege abrogavit, ut significat Paulus ad Rom. 3. *Exclusa est,* inquit, *per quam legem? factorum? non, sed per legem fidei.* Et ad Ephesios dicens: *Legem mandatorum decretis evacuans;* quod enim ait *decretis,* idem significat, ac per decreta sua, seu, ut exponit S. Chrysost., per præcepta, vel ut loquitur S. Hieron. per dogmata Evangelica. Christus ergo suis præceptis, suaque nova lege veterem abrogavit. Neque fuit necessaria expressa revocatio, inquit Suarez l. 9. cap. 10. n. 15. quia opera illarum legum licet non videantur formaliter repugnare, nihilominus leges ipsæ inter se pugnant. *Primo,* quia lex nova traditur a Christo, ut per se sufficiens ad salutem, et necessaria; subindeque ipsi repugnat obligatio, et necessitas prioris legis. *Deinde,* observantiæ legis Mosaycæ tantum erant figuræ, et signa futurorum mysteriorum Messiæ; Sacramenta autem legis novæ, maxime Baptismus et Eucharistia, significant redemptionem per Messiam non esse amplius faciendam, sed factam, ac proinde subsistere non possunt cum illis signis, quæ redemptionem futuram præsignabant. *Denique,* prior lex tantum uni populo data est qua distingueretur et segregaretur ab aliis nationibus; posterior vero

data est cunctis gentibus, ut Ecclesia habens perfectam unitatem ex hominibus congregaretur.

Dices 2: Mosayca lex in sacris Litteris dicitur in perpetuum duratura: ergo nusquam cessare debuit. Probatur *antecedens* ex illo Gen. 17. ubi de circumcisione Deus ait: *Erit pactum hoc meum in carne vestra in fœdus æternum.* Item Exodi 12. *Habebitis hanc diem... solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno.* Psalm. 104. *Statuit illud Jacob in præceptum, et Israël in Testamentum æternum.* Item Baruch. 3. *Hic liber mandatorum Dei, et lex quæ est in æternum.* — **Nego consequentiam**, et ad *antecedens* dico vocabulum *æternum* in Scripturis sumi dupliciter: *Primo* quidem improprie et pro diuturno et longiore tempore, quamvis finito: sic Psal. 75. *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis: Secundo* vero proprie pro duratione quæ principio et fine careat: lex autem vetus dicitur æterna priori modo, quia scilicet longissimo tempore, et per multa sæcula erat duratura: vel dicitur perpetua et sempiterna, eo quod præscripta fuit absque determinato tempore, qua ratione dici solet perpetuum quod præscribitur sine termino, qualiter diximus supra in prima Disputatione, leges propriissime dictas debere esse perpetuas. Vel lex vetus dicitur fœdus sempiternum et perpetuum, eo quod ex natura sua indissolubile erat, nec solvi poterat nisi per causas extrinsecas, et supremam Dei auctoritatem, qualiter etiam res aliqua quæ per solam vitam hominis durat, dici solet perpetua, ut vinculum matrimonii, professio religiosa, etc. Sic igitur pactum veteris legis dicitur fœdus sempiternum, quia dissolvi non poterat donec impleretur: neque lex illa erat abroganda nisi per rerum positionem, quas præfigurabat, et quibus positis jam significare, et præsignare desiit. ✳ " *Vel* denique dici potest legem Mosaycam cœremonialem esse æternam et perpetuam, non ratione *signorum* et in se, sed ratione *rerum significatarum* et veritatis quæ per illas adumbratur. Hac enim postrema ratione Mosayca lex dici potest perpetua, quia veritates evangelicæ et mysteria fidei christianæ per ea quæ Mosayca lex continebat figurabantur, hæc autem ad finem usque mundi perseverabunt, imo et in æternum, dicente Christo Domino Matth. 24. v. 35: *Cælum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Hac ratione Apostolus ad Coloss. 2. v. 11. dicit circumcisionem esse confirmatam et ratam per Christum et fideles in ipso circumcisos *circumcisione non manu facta in exspoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi, consepulti ei in baptismo.* Et 1. ad Cor. cap. 5. v. 7. dicit Pascha per Christum esse propagatum. *Etenim,* inquit, *Pascha nostrum immolatus est Christus.*

Instabis: Quod est juris divini secundum se, est etiam invariabile ac perpetuum secundum se: sed Mosayca lex est juris divini secundum se, utpote cum sit a Deo dictata et præscripta: igitur etc. — **Distinguo majorem**: quod est juris divini naturalis est perpetuum et invariabile secundum se, quia fundatur in sanctitate et æquitate divina, concedo: quod est juris divini positivi, est in se perpetuum et immutabile, nego. Cum enim fundetur in sola Dei voluntate, quæ pro suo nutu et arbitrio res statuit aut mutat, istud non aliam habet consistentiam quam quæ petitur ex Dei beneplacito, ac subinde mutari potest juxta illius ordinationem, qui enim legem posuit quando voluit eam etiam pro

arbitrio revocare potest. Porro Mosayca lex secundum sanctiones cæremoniales non est juris naturalis, sed dumtaxat positivi, quippe cum non omnibus hominibus nec omni tempore, sed tantum judaïco populo et diutissime post rerum initium fuerit a Deo per Moysem præscripta.

Urgebis: Quæ a divina voluntate constituuntur etiam debent esse constantia et immutabilia, alioqui ipsa divina voluntas variationi et mutationi esset obnoxia. Igitur etiamsi Mosayca lex per divinam voluntatem fuerit constituta, non minus debet esse invariabilis. — **Distinguo antecedens:** Si constituantur eo fine ut perseverent in perpetuum, concedo; si dumtaxat ut durent ad determinatum aliquod tempus, nego. Porro Deus Mosayeam legem in iis quæ cæremonialia sunt præscripserat tantum ad determinatum tempus, nimirum donec accederet veritas, succederentque mysteria fidei christianæ, quorum istius cæremonialis legis capita erant typi, adumbrationes et figuræ. Unde mutata est lex illa ex immutabili Dei voluntate, qui in ea mutatione non incœpit velle quod nolebat, nec desiit velle quod volebat, sed æternum suum implevit decretum et consilium de lege gratiæ constituenda.

Adjicies: Tantum abest ut per adventum Christi submoveri debuerit Mosayca lex, quinimo omnia prophetarum vaticinia illius legis restaurationem spondent per Messiam, ut videre est Deuter. 30. v. 2. 1. et 5; et Ezechiel. cap. 37. v. 24. et 40. Igitur illius legis vigor etiam cum lege Evangelica debet subsistere. — **Respondeo,** pleraque ex eis oraculis intelligenda esse de restitutione Reipublicæ Judæorum post varias captivitates, præsertim vero post captivitatem Babylonicam; unde mirum non est quod in eis oraculis propheticis agatur de restauratione templi, altaris, sacrificiorum et aliorum Mosaycæ legis rituum. Si vero de statu Ecclesiæ sub Messia quis ea velit interpretari, sicut eorum vaticiniorum nonnulla debent accipi, dico locutiones istas non esse ad litteram intelligendas; sunt enim symbolicæ, non propriæ; typicæ, non litterales; spiritaliter, non vero carnaliter exponendæ, ita quod Israël restituendus sint fideles per Christum regenerandi et solvendi a captivitate dæmonis, et restituendi in libertatem filiorum Dei; urbs Jerosolyma sit Ecclesia, quam S. Joannes, Apoc. 21. v. 2, appellat *sanctam civitatem Jerusalem novam;* ritus, sacrificia et sacramenta instauranda significent Dei cultum et sacrificium ac sacramenta in nova lege frequentanda. Itaque dum prophetæ loquuntur de revocatione Israëlitarum in patriam eorumque restitutione, hoc potest intelligi partim ad litteram pro reditu ex captivitate, partim mystice et symbolice, et de Ecclesiæ Novi Testamenti constitutione, quæ per terminos legales describitur. Nam quod ad litteram non possunt simpliciter intelligi, ex eo satis patet quod hæc nec impleta sunt hactenus, nec impleri possint, destructo semel templo, vastata Hierosolyma, et dissipata gente. " ✳

Dices 3: Lex bona non debuit mutari: atqui lex vetus erat bona: ergo mutari non debuit. — **Distinguo majorem:** lex bona et perfecta nec per se ad alteram ordinata non debuit mutari, *concedo:* lex imperfecta et quæ per se ad aliam ordinabatur perfectiorem, *nego.* Talis autem erat Mosayca lex, quæ tantum ordinabatur ad significandam legem Evangelicam, quæ aliquando erat instituenda.

※ « Ex his apparet veterem legem omnino abrogatam esse quantum ad præcepta cæremonialia et judicialia quæ in ipsa erant præscripta, quippe cum ea dumtaxat consignata fuerant ad tempus, scilicet usque ad adventum Messiæ, nimirum in synagoga figura esset œconomiæ regni Christi seu Ecclesiæ; unde omnes illæ sanctiones Mosaycæ nullum amplius apud christianos vigorem obtinent nisi vel quatenus sunt conformes juri naturali, aut per ipsum Christum Dominum vel Apostolorum constitutiones, vel Ecclesiæ vel principum christianorum edicta instauratæ et denuo propositæ.

Ad moralia istius legis præcepta quod attinet, cum illa sint duplicis generis, alia quidem capitalia et universalia, omnes omnino homines spectantia, utpote juri naturali consentanea, qualia sunt præcepta Decalogi: alia vero particularia et nonnisi ad privatos quosdam homines aut particularem eorum statum attinentia, puta æquitas servanda a judicibus, cavenda ab eis munera etc., puritas et corporis ac animi mundities a sacerdotibus, cum præsertim ad sacra accedunt, et sic de aliis; certum est utriusque generis præcepta moralia etiam apud christianos vim obtinere, tum quia hæc conformia sunt dictamini rationis et legi naturali, quam quia per Christum aut Apostolos vel Ecclesiam sunt innovata, unde S. Leo, serm. 11. *De passione Domini*, cap. 5. cum declarasset cæremonialium præceptorum Mosaycæ legis abrogationem, subjungit: *In præceptis autem moralibus nulla prioris Testamenti decreta reprobata, sed Evangelico magisterio multa sunt aucta.*

Ex his præcluditur Socinianorum error contendentium Christum Dominum legem moralem ut imperfectam sicut et cæremonialem et judicialem reprobasse, aut ut minus rectam in quibusdam correxisse, ut videre est in eorum catechismo Racoviensi cap. 1. et 2. necnon apud Astoroodum, *De institutione religionis christianæ* cap. 22, et Volkelium lib. 4. *De vera religione*, cap. 21. quibus subscribunt Anabaptistæ et Remonstrantes, isti quidem in apologia sua cap. 12, illi vero in colloquio Trancoth. cap. 1. a. 10. et 11. Qui omnes contendunt Christum Dominum pura Mosaycæ legis præcepta moralia emendasse, quod ut evincant varia proferunt additamenta singulis Decalogi præceptis per Christum adjecta, quod evincere putant præsertim ex cap. 5. Matth. ubi Christus Dominus multa Decalogi præcepta discutiens prout in praxi erant apud Judæos, qualiter ipsa ea velit observari indicat cum ait: *dictum est antiquis* etc. *Ego autem dico* etc. At eis verbis Christus falsam et erroneam Scribarum et Pharisæorum interpretationem Decalogi præceptorum convellit quidem, non vero alium sensum verbis legis affingit, nec agit novum legislatorem, sed tantum interpretem et vindicem legis per Moysem datæ, et opponit dicta sua, non dictis aut scriptis Moysis, sed Scribarum et Pharisæorum, prout se illa ab antiquis doctoribus accepisse jactabant. Patet 1. ex Christi *propositione*, v. 20. ubi loquitur de justitia Pharisæorum: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Pharisæorum.* Ergo contra justitiam pharisaycam, non contra justitiam lege Moysis imperatam agere intendit. 2. *Ex modo loquendi*, non ait scriptum in lege Moysis, vel lex aut Moyses dixit vobis, sed *audistis* ex Scribis scilicet, aut Pharisæis dictum esse *antiquis*, vel *ab antiquis*. Atque ita ostendit

se traditiones tantum seniorum, de quibus mentio fit Matth. 15, et perversam interpretationem Scribarum et Pharisæorum, non vero ipsam Moysis legem refellere. — Itaque legem ipsam non emendavit, sed a pravis interpretationibus et commentariis eam vindicavit, ac priori nitori ac puritati restituit et per adjectas quasdam appendices quæ implicite in ea continebantur splendidius illustravit. Quod ut fiat manifestum, necessum est singula præcepta disquirere.

Primum præceptum de cultu divino pessime interpretabantur Scribæ et Pharisæi de solo cultu externo quem in rebus dumtaxat civilibus, puta sacrificiis aliisque rituum signis reponebant. At Christus verum illius ac genuinum sensum declaravit cum ait Joan. 4: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.*

Secundum pariter præceptum, de non usurpando nomine Dei in vanum, restringebant Pharisæi ad *perjurium* illius qui jurasset per nomen Dei, et laxabant fibulam juramentis levibus et temerariis in quotidiano sermone, sicut et juramentis per creaturas: quasi non peccaretur in legem vel Legislatorem jurando temere et leviter, vel falso etiam, modo non per nomen Dei, sed per nomen alicujus creaturæ. Et obstrictus quidem esset qui jurasset per nomen Dei, vel per donaria Deo sacra; sed non qui per templum, per altare, per similia jurasset. Matth. 23. 16. 17. 18.; talia juramenta impune fieri posse et violari. Christus falsissimas istas glossas redarguit, ostendens nec vana et temeraria juramenta esse licita, nec ea quæ concipiuntur per creaturas, qualescumque illæ sunt, ut apparet ex his verbis Matth. 5. v. 34. et sequentibus: *Ego autem dico vobis; non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum ejus: neque per Jerosolymam, quia civitas est magni Regis: neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo vester, est, est: non, non: quod autem his abundantius est, a malo est.*

Similiter tertium præceptum, quo cautum est vacandum esse ab omni opere die sabbati, quod legis doctores sic pessime interpretabantur, ut assererent illo die non esse licitum etiam opera charitatis in proximi solatium exercere. Quamobrem cum Christus Dominus die sabbati curasset mulierem, *quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem*, archisynagogus ægre ferens quod miraculum istud sabbato fuisset patratum, dicebat turbæ concurrenti ad Christum ut pariter sanitatem acciperent: *Sex dies sunt in quibus oportet operari, in his ergo venite et curamini, et non in die sabbati.* Hanc pessimam interpretationem refellens Christus Dominus. Luc. 13. v. 15: *Hypocritæ, unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum aut asinum a præsepio, et ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit Sathanas, ecce decem et octo annis, non oportuit solvi vinculo isto die sabbati?*

Quartum præceptum de colendis parentibus, quo statuitur eis in necessitate subveniendum esse, sic explicabant Pharisæi, ut convenientius judicarent Deo esse litandum quam parentibus opitulandum, et in Dei cultum impendendum id quo parentum calamitates poterant sublevare. Quam divinæ legis pravam interpretationem sic arguit et emendat Christus Dominus, Marc. 7: *Moyses dixit: Honora patrem tuum et matrem tuam. Et: qui maledixerit patri, vel matri, morte*

moriatur. Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri, aut matri, Corban (quod est donum) quodcumque ex me, tibi profuerit; et ultra non dimittitis eum quidquam facere patri suo aut matri, rescindentes verbum Dei per traditionem vestram quam tradidistis; et similia hujusmodi multa facitis.

Ad quintum præceptum quod attinet de cavendo homicidio, cui satisfactum putabant Pharisæi si quis proximo aut mortem aut plagam non inferret; cœterum vero licitum existimabant, injurias injuriis rependere, et inimicitias aversionibus fovere. At Christus Dominus hoc redarguit, Matth. 5. 21: *Audistis quia dictum est antiquis: non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo: Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit: Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Quibus omnem iræ affectum et vindictæ proscribit. Quod rursus confirmat adjiciens, v. 38: *Audistis,* inquit, *quia dictum est, oculum pro oculo et dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram.* Quin etiam ut omnes simultates a suis sectatoribus arceat, præcipit ibidem v. 44. inimicos esse diligendos, benefaciendum his qui nos oderunt, et orandum pro persequentibus et calumniantibus nos.

Sextum præceptum exacte implere se putabant Pharisæi si proximi thorum non invaderent et macularent. At Christus Dominus ibidem v. 28. asserit hoc præcepto non solum prohiberi exteriorem spurcitiam et corporis per adulterium inquinationem, sed etiam pravam mulieris concupiscentiam. *Qui viderit,* inquit, *mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est in corde suo.*

Ad observantiam septimi præcepti satis esse ducebant Pharisæi, si bona proximi furto non invaderent, cæterum proprias facultates tenaciter et caute servandas esse suadebant. At Christus Dominus ibidem v. 40. ait: *Qui vult tecum judicio contendere et tunicam tollere, dimitte ei et pallium.* Omnemque avaritiæ radicem præscindit extinguitque fomitem cum ait Matth. 6. v. 19. et 20: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur et ubi fures effodiunt et furantur. Thesaurizate vobis thesauros in cœlo.* Quod utique fit largas pauperibus eleemosynas erogando, præsertim vero eis largiendo superflua.

Ad duo postrema præcepta quod attinet, existimabant Scribæ et Pharisæi ad eorum observantiam sufficere si quis studio et arte proximi uxorem et bona surripere ac in pravam voluptatem et illicitum usum sibi vindicare non tentaret. Verum Christus Dominus etiam horum desiderium injustum et pravum esse pronuntiat, cum ait hos affectus a corde esse penitus eliminandos, utpote cum istæ concupiscentiæ in corde etiam latentes homines omnino contaminent, ait enim Matth. 15: *Quæ procedunt de ore, de corde exeunt et ea coinquinant hominem: de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.*

Ex his omnibus apparet Christum Dominum non improbasse sed confirmasse Decalogi præceptorum observantiam, eamque ad divini Legislatoris intentionem et mentem interpretatum esse, et legitimam

eorum normam præscripsisse, quibus proscribitur Socinianorum error qui Manichæorum hæresim instaurantes contendunt Decalogi, sicut et alia Mosaycæ legis præcepta, per Christum Dominum fuisse abrogata.''*

Conclusio secunda. — Lex Mosayca languescere cœpit, et infirmari per Christi nativitatem, mori vero et extingui tantum per ejus mortem.

Probatur prima pars: Primo quidem ex illo Lucæ 16. *Lex et Prophetæ usque ad Joannem*, hoc est ad Christi Domini nativitatem vim obligandi habuerunt, maxime vero in eis præceptis et cæremoniis quæ Messiæ nativitatem et adventum præsignabant. *Adde quod* aliqua saltem præcepta cæremonialia legis impleta fuere per varia Christi Domini mysteria ante mortem patrata: puta omnes illae cæremoniæ, quæ ejus miracula et doctrinam præsignabant, maxime in curandis leprosis, cæcis illuminandis, mortuis suscitandis, ignorantibus instruendis, nutriendis famelicis per miraculosam panum ac piscium multiplicationem. *Denique,* baptismus a Christo institutus fuit ante mortem, et vivificandi ac solvendi peccatum originale vim habuit, subindeque præceptum circumcisionis obligare ex parte desiit ante Christi Passionem.

Patet etiam secunda pars, nempe quod Mosayca lex mori cœpit, et extingui tantum per Christi mortem. Suadetur *Primo*, quia sicut *translato Sacerdotio necesse est ut fiat legis translatio*, inquit Apostolus, *ad Hebræos* 7. ita perseverante Sacerdotio necesse est legem subsistere; sed Sacerdotium Mosaycæ legis non fuit translatum usque ad passionem et mortem Christi, ut affirmat Apostolus ad *Hebræos* 9. ubi cum dixisset Christum per proprium Sanguinem introisse semel in sancta, concludit: *Et ideo Novi Testamenti Mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis: ubi enim Testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris.* Quasi diceret: Vetus Testamentum vim non amisit nisi ubi Novum instauratum est: at hoc dumtaxat instauratum fuit per mortem Christi: ergo tantum per Christi mortem Vetus Testamentum desinere ac mori cœpit. — *Deinde,* Christus ad mortem usque aliqua legis præcepta servanda mandavit: ergo signum est legem ipsam vim adhuc aliquam habuisse usque ad Christi passionem. Patet *antecedens* ex illo Matth. 8. ubi Christus leproso sanato præcepit ut Sacerdotem adiret, offerretque munus quod Moyses pro leprosis mundatis offerri præceperat: et Matth. 23. dixit: *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ et Pharisæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis servate, et facite:* insuper ipsemet pridie quam pateretur implere voluit præceptum de comedendo agno Paschali: unde Lucæ 22. dicitur, *Venit dies azimorum in quo necesse erat occidi Pascha:* necesse, inquam, necessitate præcepti, quod ipsemet Christus implere voluit. — *Denique*, lex Mosayca tota umbratilis erat et figurativa, subindeque non cessavit donec omnes ejus figuræ et umbræ impletæ fuerunt: sed illæ non fuerunt impletæ usquequo Christus jam spiritum extremum emissurus, dixit: *Consummatum est.* ergo Mosayca lex quantum ad omnia sua præcepta penitus non fuit

extincta nisi per Christi mortem : unde merito S. Thomas, qu. 103. art. 3. ad secundum : Christo prædicante et miracula faciente currebant simul Lex et Evangelium, quia jam mysterium Christi erat inchoatum, sed nondum consummatum, et propter hoc mandavit Christus Dominus ante passionem leproso ut legales cæremonias observaret.

Confirmatur hæc eadem veritas ex eo quod in passione Christi Domini *velum templi* legitur scissum *Matth.* 27. quod indicium fuit revera legem Moysis cessasse. Unde S. Ambrosius lib. 1. in Luc. c. 23. *Etiam velum templi scinditur, quo mysteriorum Synagogæ profanatio declaretur ;* et S. Augustinus sermone 114. *De Temp. Velum Templi scinditur,* inquit, *quia Synagoga honore nudatur, observatio antiqua dissolvitur.* — Signanter autem dixi legem Mosaycam cœpisse extingui in Christi morte : non enim prorsus extincta fuisse videtur ante diem Pentecostes quo promulgata fuit Evangelica lex. Lex enim Mosayca non prius desiit quam Evangelica cœperit obligare, cum generatio istius sit corruptio illius : juxta illud Apostoli ad Ephes. 2. *Legem mandatorum decretis evacuans :* idest, legem Mosaycam decretis Evangelicis excludens, ut exponunt Chrysostomus, Theophilactus, et Oecumenius ibidem : atqui lex Evangelica non cœpit obligare ante diem Pentecostes : ergo ante illum diem lex Mosayca obligare non desiit. *Majorem* ut certam supponunt. *Minor* vero probatur : lex ante sui promulgationem non obligat, ut etiam docet S. Thomas q. 90. art. 4. sed lex Evangelica non fuit promulgata ante Pentecosten : ergo ante diem Pentecostes obligare non cœpit. *Minor* probatur; tum quia usque ad tempus Pentecostes Apostoli non proposuerunt populo publice Evangelium : tum etiam, quia quemadmodum lex vetus non fuit promulgata, nisi quinquagesimo die a Paschate Judæorum ; ita non debuit lex nova promulgari, nisi post quinquaginta dies a Paschate sive resurrectione Christi. Promulgationem enim legis Mosayeæ figuram fuisse promulgationis legis Evangelicæ, docent SS. Patres, maxime S. Augustinus Epist. 119. et S. Leo Sermone 1. *De Pentecoste.* Id pariter suadet mira inter utriusque legis promulgationem convenientia. *Primo* namque sicut lex Mosayca promulgata est die quinquagesimo post Pascha ; sic etiam lex Evangelica promulgata fuit die quinquagesimo a Christi Domini Resurrectione, *Act.* 2. *Secundo.* Sicut illa in monte Sinai, ita hæc in monte Sion promulgata est, juxta illud Isaiæ 2. *De Sion exibit lex, et Verbum Domini de Jerusalem. Tertio,* quemadmodum in monte Sinai audita sunt tonitrua, et fulgura, et Angelus, Dei vices agens, apparuit Moysi in medio ignis : ita hic *factus est repente de Cœlo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis, et apparuerunt dispertitæ linguæ tamquam ignis.*

Conclusio tertia. — Lex Mosayca non fuit mortifera statim ac obligandi vim amisit, sed licitum fuit, quamvis non necessarium, aliquo tempore post ejus abrogationem illius præcepta cæremonialia servare.

Probatur : Illud non potest censeri mortiferum quod ab Apostolis repletis et illustratis Spiritu sancto fuit usurpatum : sed post Christi mortem, postque legis Evangelicæ in die Pentecostes promulgationem imo post ejusdem apud Judæos et apud gentes evulgationem, ipsimet

Apostoli usurparunt, et frequentarunt legis Mosayeæ præcepta cæremonialia, quamvis ea necessaria observatu non judicarint: ergo non mortifera fuit legis observantia statim ac mortua ejus fuit obligatio. *Major* constat. Probatur *minor* pluribus quidem Apostolorum factis. Primo namque Paulus qui ad *Galat.* 2. *c.* non est passus Titum Gentilem circumcidi, ne veritati Evangelii præjudicaret; nihilominus *Act.* 16. Timotheum ex matre Judæa, et patre Gentili natum circumcidit, et cap. 18. more Nazareorum totundit caput in Cenchris: et cap. 21. seipsum purificavit cum Judæis ut illos sibi conciliaret, et cum ipsis purificatus templum est ingressus. — *Insuper*, S. Jacobus, qui *Act.* 15. iverat in sententiam Petri, scilicet ut non onerarentur gravi jugo legis qui ex Gentilibus ad Christum converterentur, idem *Act.* 21. consilium dedit Paulo ut se cum aliis purificatum sisteret Sacerdoti levitico, nempe ut Judæorum recenter conversorum invidiam et æmulationem declinaret; eum enim ex consilio seniorum ita alloquitur: *Vides frater quot millia sunt in Judæis qui crediderunt, et omnes æmulatores sunt legis: audierunt autem de te, quia discessionem doceas a Moyse, eorum qui per gentes sunt Judæorum: dicens non debere eos circumcidere filios suos, neque secundum consuetudinem ingredi. Quid ergo est? utique oportet convenire multitudinem: audient enim te supervenisse. Hoc ergo fac quod tibi dicimus: Sunt nobis viri quatuor, votum habentes super se; his assumptis, sanctifica te cum illis, et impende in illis ut radant capita, et scient omnes quia quæ de te audierunt falsa sunt, sed ambulas et ipse custodiens legem.* Quod autem judicaret Jacobus hanc legis observantiam non esse necessariam, sed tantum licitam, patet ex his quæ subjicit; *De his autem qui crediderunt ex gentibus, nos scripsimus judicantes ut abstineant ab idolis immolato, et sanguine, et suffocato, et fornicatione.* — *Denique* Apostoli etiam omnes in Concilio convenientes *Act.* c. 15. statuerunt ut Christiani abstinerent a sanguine et suffocato: sed abstinentia a sanguine et suffocato una erat ex cæremoniis legalibus: ergo Apostoli non judicarunt mortiferam esse veteris legis observantiam, statim ac mortua fuit ejus vis et obligatio. Hanc autem veritatem clarius demonstrabit subsequentis quæstiunculæ resolutio.

Quæres: *qualis, et quanta fuerit S. Augustini cum S. Hieronymo de legali observantia post Evangelicæ legis promulgationem controversia, et disceptatio?*

Respondeo 1. Eam quidem gravissimam fuisse, ut constat ex utriusque sancti Patris epistolis ultro citroque hac de re scriptis: cum enim S. August. Commentarium sancti Hieronymi in Epistola ad Galatas legisset, advertissetque eum contendere, quod quæ narrantur cap. 2. de reprehensione Petri a Paulo, eo quod ille legalia usurparet, seque a gentibus Antiochenis recens conversis segregaret, ut viveret judaice cum Judæis qui Jerosolymis a Jacobo advenerant: quod, inquam, S. Hieronymus vellet illam reprehensionem non fuisse seriam, sed simulatoriam, nec Apostolus serio, sed tantum simulatorie legalia servasse, ne scilicet Judæis recens conversis foret in scandalum; S. Augustinus id graviter accipiens, ita ad eum scribit Epistola 9.

In expositione epistolæ Pauli ad Galatas invenimus aliquid quod nos multum moveat : si enim ad Scripturas sanctas admissa fuerint officiosa mendacia, quid eis remanebit auctoritatis? quæ tandem de Scripturis illis sententia proferetur, cujus pondere contentiosæ falsitatis subruatur improbitas? Statim enim ut protulerit; si aliter sapit, qui contra nititur ; dicet illud, quod prolatum erit, honesto aliquo officio scriptorem fuisse mentitum. Quapropter cum illam sententiam sancti Hieronymi pluribus improbasset, dixissetque : *Itaque, et ipse* (Petrus) *vere correptus est, et Paulus vera narravit, ne sancta Scriptura, quæ ad finem posteris edita est, admissa auctoritate mendacii, tota dubia nutet, et fluctuet.* Tandem concludit : *Quare arripe, obsecro te, ingenuam, et vere Christianam cum charitate severitatem ad illud opus corrigendum, atque emendandum ; et palinodiam, ut dicitur, cane, incomparabiliter enim pulchrior est veritas Christianorum, quam Helena Græcorum.* — Hanc autem Epistolam una cum duabus aliis ab eodem S. Augustino exaratis cum recepisset S. Hieronymus, graviter quidem, et acerbe tulit, quod cum ad canendam palinodiam S. Augustinus provocaret : quapropter ad eum rescripsit Epistolam, quæ est numero undecima apud Augustinum, in qua non leviter eumdem S. August. carpit, pluribusque suadere nititur Apostolos tantum simulatorie servasse legalia, et ita S. Paulum reprehendisse Petrum. Unde post plura, sic Epistolam concludit : *Peto in fine Epistolæ, ut quiescentem senem olimque veteranum, militare non cogas, et rursum de vita periclitari, tu qui juvenis es, et in Pontificali culmine constitutus, doceto populos, et novis Africæ frugibus Romana tecta locupleta. Mihi sufficit cum auditore et lectore pauperculo in angulo Monasterii susurrare.* — Igitur hujus controversiæ inter utrumque Patrem summa fuit, quod licet inter se convenirent in tribus: *Primo,* quod observatio, sive ficta sive seria, legalium aliquo modo licita fuerit post Christi mortem : *Secundo,* quod ea non erat necessaria, nec vim, nec efficaciam habebat ad salutem : *Tertio,* quod post sufficientem Evangelii prædicationem tandem hæc observatio fuit mortifera : nihilominus in quatuor maxime invicem dissidebant: *Primo* namque S. Hieron. censebat duo esse distinguenda tempora, *unum* ante Passionem Christi, in quo legalia non erant mortua, sed adhuc aliquam vim obligatoriam, necnon et expiativam suo modo conservabant ; nec etiam erant mortifera, quia non peccabant ea observantes : *Alterum* post Passionem Christi, in quo non solum mortua fuerunt legalia, nec ullam obligandi vim et efficaciam habuerunt, sed etiam mortifera fuerunt, ita scilicet quod peccarent mortaliter quicumque ea observarent : unde ita S. Augustinum interpellat: *Judæorum Paulus cæremonias observabat, cum jam Christi esset Apostolus, et dicis eas non esse perniciosas iis, qui eas velint sicut a Parentibus acceperant, custodire? Ego e contrario loquar, et reclamante mundo, libera voce pronuntiem, cæremonias Judæorum, et pernitiosas esse, et mortiferas Christianis, et quicumque eas observaverit, sive ex Judæis, sive ex gentibus, eum in baratrum diaboli devolutum. Finis enim legis Christus ad justitiam omni credendi, Judæo scilicet, et Gentili ; neque enim omni credenti erit finis ad justitiam, si Judæus excipitur.* Sanctus autem Augustinus volebat distinguenda esse tria tempora, *unum* ante Christi Passionem, in quo legalia neque

mortua erant, neque mortifera : *aliud*, post tempus sufficientis promulgationis Evangelii, in quo legalia mortua sunt, et mortifera, quia videlicet sine mortali peccato ab hoc tempore observari non potuerunt ; *tertium* autem erat tempus medium, scilicet a Passione Christi usque ad Evangelii sufficientem evulgationem, quo tempore legalia quidem fuerunt mortua, quia neque vim aliquam habebant, nec aliquis ea ex præcepto servare tenebatur: non tamen fuerunt mortifera, quia illi qui ex Judæis conversi fuerant ad Christum, poterant per id tempus legalia servare, dummodo non putarent illa esse necessaria ad salutem, quasi sine legalibus fides Christi justificare non posset. — *Secundo*, S. Hieronymus existimabat, quod Apostoli numquam secundum veritatem servaverunt legalia, sed simulaverunt se ea servasse, ut vitarent scandalum eorum, qui fuerant ex circumcisione : quod quidem facientes non deludebant alios, quia id præstabant, non animo servandi legalia, sed propter causas alias, veluti *si* quis nunc abstineret a sanguine et suffocato, quia id suæ sanitati adversaretur : S. Augustinus censebat e contra Apostolos ex animo servasse legalia, non tamen in illis posuisse spem salutis, quasi ad salutem essent necessaria : et hoc quidem fecisse eos, *Non mentientis astu, sed compatientis affectu, nec simulatione fallaciæ, sed compassione misericordiæ*. Qua fiebat ut Apostolus 1. ad Cor. 9. diceret: *Factus sum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrifacerem :* hoc est, inquit Augustinus Epist. 9, *fit tamquam ægrotus, qui ministrat, non cum se febres habere mentitur, sed cum animo condolentis cogitat, quemadmodum sibi ministrari vellet, si ipse ægrotaret : Nam utique Judæus erat, Christianus autem factus, non Judæorum sacramenta reliquerat, quæ convenienter ille populus, et legitimo tempore, quo oportebat, acceperat ; Ideoque susceperat ea celebranda, cum jam esset Christi Apostolus, ac doceret non esse perniciosa iis, qui ea vellent, sicut a Parentibus per legem acceperant, custodire, etiam cum Christo credidissent : non tamen in eis jam constituerant spem salutis, quoniam per Dominum Jesum salus illa, quæ illis sacramentis significabatur, advenerat. — *Tertio*, S. Hieronymus existimabat quod Petrus in simulatione ista, qua dicitur coegisse gentes judaizare, non docentis imperio, sed conservationis exemplo, inquit S. August. quod, inquam, S. Petrus per hanc inductionem non peccavit ; quia hoc faciebat ex motivo charitatis, ne scilicet Judæis foret in scandalum. Sanctus autem Augustinus contra censebat peccasse S. Petrum, venialiter tamen, propter scilicet parum discretam adhæsionem parti Judæorum ad vitandum scilicet eorum scandalum. Hinc S. Hieron. S. Augustinum a sua sententia non multum discedere putavit, ita scribens : *Nec multum interest inter meam, et tuam sententiam ; quia ego dico, et Petrum et Paulum, timore fidelium Judæorum, legis exercuisse, imo simulasse mandata : Tu autem asseris eos fecisse clementer, non mentientis astu, sed compatientis affectu, dummodo illud constet, vel metu, vel misericordia eos simulasse esse, quod non erant. — Quarto denique* S. Hieron. existimabat, quod Paulus vere non reprehendit Petrum, sed simulatorie tantum, sicut ipsemet Petrus dumtaxat simulatorie servabat legalia, ita quod sicut Petrus nolens scandalizare Judæos, simulabat se legalia servare, sic Paulus ut non scandalizaret gentes, voluit Petrum arguere, quibus significa-

ret se non probare, quod Petrus faciebat, sicque conventione et pacto uterque fidelibus sibi commissis providebat: Petrus quidem Judæis, Paulus vero Gentilibus. S. autem August. e contra censebat Paulum vere reprehendisse Petrum, non autem simulatorie: et licet Petrus venialiter peccaverit servando legalia, quia inde erat scandalo apud Gentiles, a quibus se substrahebat: Paulus tamen non peccavit reprehendendo Petrum, quia ex ejus reprehensione nullum scandalum oriebatur. His ita præmissis,

Respondeo 2. quod Apostoli legalia ficto atque simulato animo non observaverunt, imo nec observare potuerunt. Hujus responsi prior pars constat ex dictis; et insuper probatur, quia nullum talis simulationis extat argumentum in Scripturis, imo contrarium colligitur ex eo, quod Paulus de consilio Jacobi, et seniorum sanctificavit se cum quatuor viris. Cujus quidem consilii motivum erat, ut ostenderet hoc ritu Paulus se non docere discessionem a Moyse; unde subjiciebat Jacobus: *Et scient omnes quoniam quæ de te audierunt, falsa sunt: sed sequeris hoc ipse custodiens legem.* Consilium autem illud non fuit datum Paulo, ut simulate tantum se cum viris quatuor sanctificaret; sed ut se sanctificaret simpliciter; nam, inquit S. Augustinus epistola 19. *Si revera sic ea reprobaret, quemadmodum de illo auditum erat, et ideo celebranda susciperet, ut actione simulata suam posset occultare sententiam: non diceret Jacobus, et scient omnes: sed diceret, et putabunt omnes, quoniam, quæ de te audierunt, falsa sunt: præsertim quia in ipsis Hierosolymis Apostoli jam decreverant, ne quisquam gentes cogeret judaizare; non autem decreverant ne quisquam tunc judæos judaizare prohiberet, quamvis etiam ipsos judaizare doctrina Christiana non cogeret. — Patet etiam secunda pars* responsi: id enim licite fieri non potest quod annexum haberet mendacium, irreligionem et scandalum: sed tria hæc in simulata observatione legalium ab Apostolis reperta fuissent. Mendacium quidem, toties enim censetur quis mentiri, quoties assumit falsa signa ad insinuandam falsam opinionem cum intentione fallendi: atqui si Apostoli simulato animo servassent legalia, usurpassent falsa signa ad insinuandam falsam opinionem cum intentione fallendi: nam usi fuissent legalibus, ut persuaderent se per illa legalia colere religiose, cum tamen non esset illis animus tali cultu Deum colendi: ergo revera mentiti fuissent. Fuisset pariter irreligio in ipso facto: tunc enim est irreligio, quando quis assumit ritus falsæ religionis eo animo, ut alii credant, se illam falsam religionem tamquam veram sectari: unde peccatum est contra religionem sumere etiam signa distinctiva externa pseudo-religionis: hinc plurimi inter Martyres habentur, atque coluntur a fidelibus, quia thus idolis noluerunt adolere: hoc autem si animo simulato licitum fuisset agere, non tamquam Martyres venerationem, sed tamquam homicidæ contemptum, atque maledictionem hominum promeruissent; quapropter lib. 2. Machab. c. 6. jure merito Eleazarus senex cum ab amicis sollicitaretur, ut simularet se manducasse carnes porcinas, sicut Rex imperaverat, ut hoc facto a morte liberaretur; generoso animo respondit, dicens: *mitti se velle in infernum: Non enim ætati nostræ dignum est,* inquit, *fingere; ut multi adolescentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transiisse ad vitam alienigenarum, et ipsi propter meam simulationem,*

et propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur : et per hoc maculam, atque execrationem meæ senectuti conquiram : sed si Apostoli simulato animo legalia mortifera servassent, assumpsissent ritus falsæ religionis eo animo ut alii crederent se illam falsam religionem tamquam veram fuisse sectatos. De scandalo denique probatur : is dat scandalum alteri, qui confirmat illum suo exemplo in mali operatione, vel inducit alios exemplo suo ad malum faciendum : atqui si mortifera erant legalia tempore Apostolorum, ante sufficientem ipsius Evangelii evulgationem, Apostoli exemplo suo confirmassent Judæos in observatione legalium, quæ erat mala, quandoquidem erat mortifera. Exemplo quoque suo provocassent Gentiles ad similem observationem, qui merito credidissent sibi ex religione usurpandum quod usurpatum aguovissent ab Apostolis. Neque vero scandalum dederunt Apostoli quando ex animo ea observaverunt. Non Judæis, quibus videntibus ea significabant se ideo usurpare, non quasi necessaria essent saluti consequéndæ, sed ut cum honore deducerent ad tumulum Synagogam, neque detestari sicut idololatria detestanda est, cum illa fieri Deus præceperit, hanc satanas persuaserit : et quod ut tamquam necessaria non debent appeti, ita neque damnari debent tamquam sacrilega. Non Gentilibus, quia illis significabant se ideo honorem impendere Deo tali cultu, quod ipsi ex Judæis assumpti essent, apud quos non vigebat lex vetus, bona erat tum cum observabant, modo mortua, sed non mortifera, cum e contra cultus idolorum semper mortem inferat.

Confirmatur 1. Quia ratio quare nunc non licet simulato etiam animo servare legalia, alia non potest afferri, nisi quod nunc sunt mortifera : ergo si tempore Apostolorum ante divulgationem Evangelii fuerunt mortifera, ne quidem simulato animo licuit Apostolis ea servare. *Secundo,* quia non licet Gentilismum simulare, quia est aliquid mortiferum : ergo neque a pari licuit Apostolis Judaismum mortiferum simulare. Hanc autem rationem urget S. Augustinus epist. 19. *Cur,* inquit, *mihi non licet dicere Apostolum Paulum, et alios rectæ fidei Christianos, tunc illa vetera Sacramenta paululum observando veraciter commendare debuisse? deputarentur illæ Propheticæ significationis observationes a piissimis patribus custoditæ, tamquam sacrilegia diabolica a posteris detestandæ : jam enim cum venisset fides, quæ prius illis observationibus renunciata, post mortem et resurrectionem Domini revelata est, amiserant tamquam vitam officii sui, verumtamen sicut defuncta corpora necessariorum officiis deducenda erant quodammodo ad sepulturam, nec simulate, sed religiose; non autem deferenda continuo, vel inimicorum obtrectationibus tamquam canum morsibus objicienda. Proinde nunc quisquis Christianorum, quamvis sit ex Judæis, similiter ea celebrare voluerit, tamquam sopitos cineres eruens, non erit pius deductor, vel bajulus corporis, sed impius sepulturæ violator.*

Dices cum S. Hieronymo : « Legalia, aut bona erant, et salutem « afferentia, aut non; si salutem non afferunt, cur observantur? si « autem observanda sunt, utique salutem afferunt, maxime quæ ob- « servata martyres faciunt : non enim observarentur, nisi salutem af- « ferrent; neque enim indifferentia sunt inter bonum, et malum, sicut « Philosophi disputant : bonum est continentia, malum est luxuria; « inter utrumque indifferens ambulare, digerere alvi stercora, capitis

« naribus purgamenta projicere, sputis rheumata jacere. Hoc nec « bonum, nec malum est, sive enim feceris, sive non feceris, nec ju- « stitiam habebis, nec injustitiam. Observare autem legis cæremonias « non potest esse indifferens, sed aut malum est, aut bonum est: tu « dicis bonum, ego assero malum, et malum non solum his, qui ex « gentibus, sed et his, qui ex Judaico populo crediderunt. In hoc « (nisi fallor) loco dum aliud vitas, in aliud devolveris. Dum enim « metuis Porphyrium blasphemantem in Hebionis incurris laqueos, his « qui credunt ex Judæis observandam legem esse decernentis. » — **Respondet S. Augustinus** Epist. 19. præcepta legalia statim post Christi Domini mortem potuisse dici nec bona, nec mala. « Cur autem, « inquit, non dicam præcepta illa veterum Sacramentorum nec bona « esse, quia non eis homines justificantur, umbræ enim sunt prænun- « tiantes gratiam, qua justificamur; nec tamen mala, quia divinitus « præcepta sunt temporibus, personisque congruentia: cum me adjuvet « etiam Prophetica sententia, qua dicit Deus se illi populo dedisse præ- « cepta non bona: forte enim propterea non dixit mala, sed tantum « non bona, idest, non talia ut illis homines boni fiant, aut sine illis « boni non fiant. Vellem me doceret benigna sinceritas tua, utrum « simulate quisquam sanctus Orientalis, cum Roman venerit jejunet « Sabbato, excepto illo die Paschalis vigiliæ? Quod si malum esse « dixerimus, non solum Romanam Ecclesiam, sed etiam multa ei vi- « cina, et aliquanto remotiora damnabimus, ubi mos idem tenetur, et « manet. Si autem non jejunare Sabbato malum putaverimus, tot Ec- « clesias Orientis, et multo majorem orbis Christiani partem, qua te- « meritate criminabimur? Placetne tibi, ut medium quiddam esse « dicamus, quod tamen acceptabile sit ei, qui hoc non simulate, sed « congruente societate absque observantia feceris? Et tamen nihil inde « legimus in Canonicis libris præceptum esse Christianis: quanto magis « illud malum dicere non audeo, quod Deum præcepisse ipsa Chri- « stiana fide negare non possum, quia didici non eo justificari, sed « gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum? Dico ergo cir- « cumcisionem præputii, et cætera hujusmodi priori populo per Testa- « mentum, quod Vetus dicitur, divinitus data ad significationem fu- « turorum, quæ per Christum oportebat impleri, quibus advenientibus « remansisse illa Christianis legenda tantum, ad intelligentiam præ- « missæ Prophetiæ, non autem necessario facienda, quasi adhuc ex- « pectandum esset, ut veniret fidei revelatio, quæ his significabantur « esse ventura. Sed quamvis gentibus imponenda non essent, non « tamen sic debuisse auferri a consuetudine Judæorum tamquam de- « testanda, atque damnanda. Sensim proinde atque paulatim ferventé « sana prædicatione gratiæ Christi, qua sola nossent credentes se ju- « stificari, salvosque fieri, non illis umbris rerum antea futurarum, « tunc jam venientium, atque præsentium, ut in illorum Judæorum « vocatione, quos præsentia carnis Domini, et Apostolica tempora sic « invenerant, omnis illa actio consumeretur, umbrarum hoc eis suffe- « cisse ad commendationem, ut non tamquam detestanda, et similis « idololatriæ vitaretur, ultra vero non haberet progressum tamquam vel « ab illa salus esset, vel sine illa esse non posset. Quod putaverunt « hæretici, qui dum volunt, et Judæi esse, et Christiani, nec Judæi,

« nec Christiani esse poterunt; quorum sententiam mihi cavendam, « quamvis in ea numquam fuerim, tamen benevolentissime admonere « dignatus es. » — *In hoc* enim videtur S. Hieronymus S. Augustini mentem non fuisse assequutus in prioribus Epistolis: ex eo enim, quod S. Augustinus assereret legalia fuisse licite usurpata ab Apostolis; inde existimat S. Hieronymus, quod etiam vellet ea adhuc fore licita post sufficientem Evangelii promulgationem; propterea quod tempus non determinaverat Augustinus quo licite fieri posset Legalium observatio, ut ipsemet indicat Epist. 19. dicens: « Fateor sane « in eo, quod Epistola continet mea, quod ideo sacramenta Judæorum « Paulus celebranda susceperat, cum jam Christi esset Apostolus, do- « ceret non esse perniciosa his, qui ea vellent, sicut a parentibus per « legem acceperant, custodire, minus me posuisse illo dumtaxat tem- « pore, quo primum fidei gratia revelata est, tunc enim hoc non erat « perniciosum; progressu vero temporis erat perniciosum, nisi illæ « observationes ab hominibus Christianis desererentur: ne si tunc fie- « rent, non discerneret, quod Deus populo suo per Moysem præcepit « ab eo, quod in templis dæmoniorum spiritus immundus, etc. Pro- « inde potius culpanda est negligentia mea, quia hoc non addidi, quam « objurgatio tua. »

Quæres 2. *An Petrus vere fuerit reprehensibilis, et vere non autem simulate a Paulo reprehensus?*

Affirmo; idque probatur primo ex 2. cap. ad Galatas, ubi S. Paulus ait: *Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.* Et postea: *Cum vidissem, quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ etc.* Quibus quidem verbis præmiserat 1. cap. *Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior.* Nam si verum est in Scriptura sacra nihil falsi contineri, verum est Petrum merito reprehensibilem fuisse, et vere a Paulo reprehensum. Unde Augustinus Epist. 19. *Si hoc fecit Petrus, quod facere debuit, mentitus est Paulus, quod eum viderit non recte ingredientem ad veritatem Evangelii. Quisquis enim facit, quod facere debet, recte utique facit, et ideo falsum de illo dicit, qui dicit eum non recte fecisse, quod eum novit facere debuisse. Si autem verum scripsit Paulus, verum est quod Petrus non recte ingrediebatur ad veritatem Evangelii: id ergo faciebat, quod facere non debebat. Et si tale aliquid Paulus ipse jam fecerat, correptum potius credam Coapostoli sui correptionem non potuisse negligere, quam mendaciter aliquid in sua Epist. posuisse: et si hoc non in Epistola qualibet, quanto magis in illa, in qua prælocutus ait:* quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior? — *Probatur secundo;* quia ille reprehensibilis est, qui exemplo suo inducit alios ad faciendum id, ad quod non tenentur tamquam ad illud tenerentur, sicque illis est causa scandali: atqui Petrus exemplo suo gentes inducebat ad judaizandum, quasi vero illud esset necessarium, quod tamen necessarium non fuisse illis, statutum fuerat in Concilio Apostolorum: nam res ita se habebat: Petrus cum Gentilibus conversis ad fidem conversabatur, utens indifferenter cibis illorum, idque instinctu Spiritus sancti, qui dixerat ei: *Quod Deus sanctificavit, tu ne commune dixeris.* Act. 10. Cum autem ad eum accessis-

sent postea Judæi a Jacobo zelantes pro legalibus, substraxit se a Gentibus, seque ab eis segregavit, quia timebat Judæos istos, simulans se in illorum sententia esse. Exemplo illius Barnabas, cæterique Judæi, qui erant Antiochiæ, discreverunt quoque se a Gentilibus in cibo. Tunc commoti sunt Gentiles, quasi jugum legis ipsis imponeretur: unde Apostolus Petro: *Si tu cum Judæus sis gentiliter vivis, et non judaice, quomodo gentes cogis judaizare?* Non quidem imperio, sed suæ conversationis exemplo. Hinc reprehensionis occasio, quia cum Petrus instructus esset a Deo de non discretione ciborum facienda, contrarium tamen simulabat: inde sequebatur scandalum Gentilium.

Objicies 1. Hoc contigit post acceptam gratiam Spiritus sancti ab Apostolis die ipso Pentecostes: ab eo vero tempore nullo modo peccaverunt Apostoli: ergo falsum est, quod Petrus tunc fuerit reprehensibilis: nam reprehensibilis nemo est, nisi propter peccatum. — **Respondeo**, a die, qua acceperunt Apostoli Spiritum sanctum, non amplius peccasse illos mortali peccato; quia fuerunt confirmati in gratia: cæterum peccasse venialiter, quia non fuerunt confirmati in bono. Peccatum vero S. Petri fuit *veniale conversationis vitium, non doctrinæ*, ut loquitur Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 3. *superstitiosæ simulationi, ex qua sequebatur Gentilium scandalum.*

Objicies 2. Non est verisimile Paulum id ex animo arguisse in Petro, quod ipse censuerat posse fieri legitime, immo et fecerat: sed Paulus offensionis Judæorum metu observaverat legalia, factusque fuerat Judæus Judæis et omnia omnibus, ut omnes lucrifaceret. *Qua igitur fronte,* inquit S. Hieron, *qua audacia Paulus in altero reprehendat, quod ipse commisit?* Hinc præmiserat: *O Beate Apostole Paule, qui in Petro reprehenderas simulationem qua subtraxit se a gentibus propter metum Judæorum, qui a Jacobo venerant, cur Timotheum, filium hominis Gentilis, utique, et ipsum Gentilem, neque enim Judæus erat, qui non erat circumcisus, contra sententiam tuam circumcidere cogeris? Respondebis mihi: propter Judæos, qui erant in illis locis. Qui igitur tibi ignoscis in circumcisione discipuli venientis ex gentibus, ignosce et Petro prædecessori tuo, quod aliqua fecerit metu fidelium Judæorum.* — **Respondet S. August.** non fuisse parem utriusque Apostoli legalium observationem; *Nam,* inquit, *Petrus illa servavit mentientis astu: Paulus vero compatientis affectu: nam Paulus circumcidit Timotheum, ne Judæis, et maxime cognationis ejus maternæ sic viderentur, qui ex gentibus in Christum crediderant, detestari circumcisionem, sicut idololatria detestanda est: cum illam Deus fieri præceperit, hanc Satanas persuaserit: et Titum propterea non circumcidit, ne occasionem daret eis, qui sine ulla circumcisione dicebant credentes salvos esse non posse, et ad deceptionem gentium hoc etiam Paulum sentire jactarent.* Itaque Paulus hæc omnia præstitit compatientis affectu, ne scilicet Judæis, aut gentibus foret in scandalum; Petrus vero non ita, sed id præstitit, ut simularet se cum Judæis zelare legis et legalium observantiam; nam, inquit S. Thom. q. 103. art. 4. ad. 2. *Non peccavit Petrus in hoc, quod ad tempus legalia observabat, quia hoc ei licebat tamquam ex Judæis converso; sed peccabat in hoc, quod circa legalium observantiam adhiberet nimiam diligentiam, ne scandalizaret Judæos, ita ut ex hoc sequeretur scandalum gentilium: at Paulus*

adhibebat moderatam circa legatia diligentiam, quia usurpabat tantum illa, ut non videretur damnare Synagogam, atque ut eamdem cum honore sepeliret.

Objicies 3. Inferior non potest licite superiorem arguere: sed Paulus erat inferior Petro, qui Apostolorum princeps a Christo fuerat institutus, ut alios confirmaret: ergo etc. — **Respondet S. August.** Epistola 19. inferiorem non posse quidem superiorem arguere reprehensione, quæ fiat per auctoritatem, *concedit:* quæ fiat libertate charitatis, *negat.* Verba ejus sunt: *Ipse vero Petrus quod a Paulo fiebat utiliter libertate charitatis, sancta, ac benigna pietate humilitatis accepit, atque sanctius et rarius exemplum posteris præbuit, ut non dedignarentur, sicubi forte recti tramitem reliquissent, etiam a posterioribus corrigi, quam Paulus, quo confidenter auderent etiam minores majoribus, pro defendenda Evangelica veritate salva fraterna charitate resistere. Est laus itaque justæ libertatis in Paulo, et sanctæ humilitatis in Petro.* Hoc sane exemplo motus Augustinus circa finem ejusdem Epistolæ, ita S. Hieron. precatur: *Idemtidem rogo, ut me fidenter corrigas, ubi mihi hoc opus esse perspexeris; quamquam enim secundum honorum vocabula, quæ jam Ecclesiæ usus obtinuit, Episcopatus presbyterio major sit, tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est, licet etiam a minore quolibet non sit refugienda, vel dedignanda correctio.*

Petes: utrum ille qui reprehensus est a Paulo, fuerit revera Petrus Apostolorum princeps: an alius quispiam, siquidem non nominatur ibi Petrus, sed Cephas? — **Respondeo** 1. Illum Cepham a Paulo reprehensum aliquibus videri unum esse ex 72. discipulis. Ita censent Dorotheus in Synopsi, et Clemens Alexandrinus apud Eusebium l. 1. *Histo.* c. 12. Eo autem fundamento nituntur, quod S. Lucas in Act. Apost. non referat adventum Petri Antiochiam, in qua tamen civitate erat ille, qui reprehensus est a Paulo. *Respondeo* 2. Verius apparere illum Cepham a Paulo reprehensum revera fuisse Petrum Apostolorum principem; quia hic Cephas, qui reprehensus fuit, una et Jacobus, et Joannes, dicuntur ibidem esse Ecclesiæ columnæ, et dedisse dexteras Paulo ac Barnabæ: non videtur autem alius a Petro Apostolorum principe adjungi Jacobo et Joanni posse, ut cum eis dicatur columna, qua maxime Ecclesia fulciebatur; subindeque verior apparet aliorum sanctorum Patrum sententia existimantium illum Cepham revera fuisse Petrum Apostolorum principem.

ARTICULUS TERTIUS.

DE LEGE EVANGELICA.

Legem Evangelicam pluribus gloriæ titulis illustrem, quibus supra Mosaycam celebratur, nemo est qui nesciat. *Primo* namque a SS. PP. *Lex nova* appellatur, juxta illud Apostoli 2. ad Corint. 5. *Vetera transierunt, ecce omnia facta sunt nova.* Unde Chrysost. ibidem ait: *Rerum vices jam mutatæ sunt, ut et anima nova, et corpus novum, et novum orationis genus, et pollicitationes novæ, et Testamentum, et vita, et mensa, et vestis, et ut uno verbo dicam, omnia nova.* Cui concinit Gregorius, Homil. 22. in Evangelia, *Novus*, inquit, *homo venit in mundum,*

nova præcepta dedit mundo, et vitæ nostræ veteri contrarietatem opposuit noritatis suæ. Quod utique ipse Christus confirmavit dum Apostolos alloquens, Joan. 13. ait: *Mandatum novum do vobis*, quæ licet de mandato amoris specialiter dicta fuerint, merito tamen ad totam legem Evangelicam extenduntur; quæ in hoc a veteri secernitur, quod illa timoris, hæc amoris lex sit. *Nam*, inquit August. 1. adversus Adimantum c. 17, *Hæc est brevissima et apertissima differentia duorum Testamentorum: timor et amor;* quod utique S. Paulus observaverat ad Rom. 8. scribens: *Non accepisti spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater*, qui est *spiritus dilectionis*, ut idem Paulus dicit 2. ad Tim. 1. — *Secundo* eadem lex *Evangelica* appellatur; quia, ut ait Auctor Operis imperfecti in Matth., *Evangelium est bonum nuntium: bona autem hominibus nuntiantur, quando promittitur eis beatitudo cœlestis, peccatorum remissio, adoptio filiorum, mortuorum resurrectio, immortalis vita, hæreditas regni cœlestis, possessio gloriæ sempiternæ, societas Angelorum, et communicatio spiritus, et fraternitas Christi, et paternitas Dei.* — *Tertio* interdum appellatur *lex fidei*, ad Rom. 8, propter videlicet majorem expressionem, et determinationem mysteriorum Dei, et articulorum fidei erga sanctam Trinitatem Verbi incarnationem etc. Unde Christus Dominus Apostolos alloquens Marci. 4. ajebat: *Vobis datum est nosse mysteria regni Dei, illis autem, qui foris sunt, omnia in parabolis fiunt, ut videntes videant, et non videant: et audientes audiant, et non intelligant.* Et idem Christus Dominus Joan. 15. ipsis pariter Apostolis dicebat: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Vocatur etiam *lex spiritus vitæ*, ad Rom. 8, seu *lex gratiæ;* nam gratia est spiritus vitæ nostræ, vel vita spiritus nostri; imo solet interdum Evangelica lex, *gratia* simpliciter appellari, juxta illud Joan. 1. *Lex per Moysem data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est:* et ideo Paulus ad Galat. 5. dixit: *Non estis sub lege, sed sub gratia.* — De hac autem Evangelica lege nonnulla hic occurrunt resolvenda. *Primum*, an et qualiter Christus novam legem instituerit. *Secundum*, quanta, et qualia hæc nova lex habeat præcepta. *Tertium*, quos complectatur effectus, quibusve præcellentiis effulgeat.

QUÆSTIO PRIMA.

AN, ET QUALEM NOVAM LEGEM CHRISTUS INSTITUERIT.

Notandum 1. Eam fuisse Hæresiarcharum posterioris hujus sæculi impiam et absurdam sententiam, ut assererent Christum Dominum non esse verum legislatorem, nec eum novam aliquam legem condidisse, sed solum a lege veteri nos liberasse. Ita sensit Lutherus, libro *De libertate Christiana*, ubi ait: *Nullo opere, nulla lege homini Christiano opus est: cum per fidem sit liber ab omni lege.* Eumdem errorem evulgavit Calvinus, nam exponens illud Apostoli ad Galat. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret etc.* sic exclamat: *O miserabilem*, inquit, *justitiam! o perniciosum errorem prædicantium Christum novum legislatorem. Quasi veterem legem abrogaverit, ut novam Christianis omnibus legem*

imponeret. Non fuit id Christi officium, sicut ipse dixit: Non misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. *Et alio loco:* Ego, inquit, non judico quemquam. *Non habuit profecto Christus id operis ac muneris, ut novam institueret legem, sed ut ab hominum cervicibus servile illud legis jugum auferret. Hoc illud est, quod Paulus clamat, Deum misisse* filium suum factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret. *Nostri vero novitii Theologi, divino adversantes consilio, pro Liberatore Legislatorem, qui nos in durissimam tradat servitutem, suscipiendum docent.* Hujus autem male feriati capitis ut vesaniam compescamus evidentius,

Notandum 2. Duo maxime esse legis cujuslibet munia; nempe *dirigere*, et *præcipere:* dirigit, inquam, creaturam rationalem ad finem sibi congruum per media convenientia, quæ præscribit, dum ad bonum stimulat, et revocat ab eo quod inhonestum et malum est: *præcipit* autem quæ judicat esse necessaria; ut finis ille honestus et debitus possit obtineri. Concedunt quidem hæretici Novum Testamentum habere quidem rationem legis directivæ, ipsique quadrare quod Regius Vates ait: *Lex Domini immaculata, convertens animas, testimonium fidele, sapientiam præstans parvulis.* Est enim *immaculata;* cum nihil pravum, aut suadeat, aut permittat; *convertens animas,* quod nedum externos hominum motus, sed internos etiam, intimosque animi sensus regat: *testimonium fidele,* quod nulli errori obnoxia sit: *sapientiam præstans parvulis,* quod hominem sub nativæ legis Mosaycæ et aurora, velut adhuc cœcutientem divina fidei luce illustret, et ad æternam beatitudinem vocet, ac promoveat. An autem Evangelica lex etiam sit præceptiva, et fidelibus aliqua mandata sub peccato, et interminatione æternæ damnationis præscribat, controversia est hic determinanda.

Notandum 3. Quod etsi nova lex ea ratione dici possit a mundi exordio instituta, quatenus quotquot justi fuerunt ad Novum Testamentum spectabant, nec nisi per gratias intuitu meritorum Christi concessas justificati fuerint, ut significat Apostolus *Primæ ad Corinth.* 10. ubi de patribus Veteris Testamenti ait: *Omnes eumdem potum spiritalem biberunt, bibebant autem de spiritali consequente eos petra: Petra autem erat Christus;* quocirca idem *ad Hebræos* 13. dicit *Christus heri, et hodie, et in sæcula;* hoc est licet Christus apparuerit tantum in medio temporum, nihilominus omnes cujusvis temporis justos sua fidei luce illustravit, et gratia ditavit; licet, inquam, hac ratione Evangelica lex censeri possit ab initio condita, tamen certum est ipsam nonnisi per Christum fuisse in medio temporum institutam, et promulgatam, tum quantum ad sua præcepta, tum respective ad gratiam Spiritus sancti, necnon et beneficiorum abundantiam. Cur autem ante id tempus non incœperit, triplex proferri potest ratio: *Primo,* quia gratia non debuit abundanter dari antea quam impedimentum peccati ab humano genere tolleretur, consummata redemptione per Christum: unde Joan. 7. *Nondum erat spiritus datus, quia nondum erat Jesus glorificatus.* Et *Roman.* 8. *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato, damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis.* Secundo, quia quod est perfectum non debuit dari ab initio, sed prius quod est imperfectum tamquam dispositivum ad illud. Et

hæc est ratio Apostoli ad Galat. 3. *Lex Pædagogus nóster fuit in Christo, ut ex fide justificemur.* Tertio quia lex nova est lex gratiæ: et ideo oportuit primo, quod homo relinqueretur sibi in statu veteris legis, ut in peccatum cadendo suam infirmitatem cognoscens, recognosceret se gratia indigere: et hanc rationem assignat Apostolus ad Rom. 5. dicens: *Lex autem subintravit, ut abundaret delictum: ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia.*

Conclusio unica. — Christus Dominus revera instituit Novam Legem, non solum directivam, sed etiam præceptivam. Hæc est de fide contra hæreticos.

Probatur primo variis Scripturæ testimoniis, quibus in Veteri Testamento Messias promittitur venturus ut legislator, et novæ legis conditor. Sic Jeremiæ 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israël, et domui Juda fœdus novum, etc. dabo legem meam in visceribus eorum.* Quæ verba de Christo, ejusque fœdere et lege dicta esse interpretatur Apostolus ad Hebræos 8. et 10. Item Isaiæ 2. sic dicitur: *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi, et dicent: Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.* Quæ de Messia, ejusque lege dicta esse, ex ipso textu manifestum est. Et cap. 3. de eodem Messia, sic ait: *Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus Rex nóster, ipse salvabit nos.* Idem constat ex Novo Testamento; nam Christus passim loquitur de sua lege: Joan. 14. *Mandata mea servate.* Joan. 10. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea.* Matth. 28. *Docete eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Et Paulus 1. ad *Corint.* 9. *Illis qui sine lege erant, factus sum tamquam sine lege essem, cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi.* Et ad Hebræos 2. confert inter se Christum, et Moysem, et tamquam duos legislatores, alterum Veteris, alterum Novi Testamenti; et ait: *Si transgressores legis a Moyse datæ puniti sunt, multo magis transgressores legis a Christo puniendos esse.* Quapropter merito Tridentinum Sess. 6. Canon. 21. sic pronuntiat: *Si quis dixerit Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut Redemptorem, cui fidant, non etiam ut Legislatorem, cui obediant, anathema sit.*

Probatur insuper hæc veritas ratione: Ad providentiam, et prudentem administrationem supremi regis, ac summi Pontificis pertinet leges condere, quibus et regnum pacate tranquilleque regatur et subsistat, et debitus Deo cultus impendatur: at Christus fuit Ecclesiæ summus Pontifex, totiusque mundi supremus Monarcha: ergo utroque titulo etiam legislator esse, et leges ferre debuit. *Major* constat: nullum enim regnum, nullave communitas perfecta, civilis, aut Ecclesiastica potest sine certis legibus convenienter gubernari, et stabiliter conservari, atque ad finem sibi propositum efficaciter dirigi, ut experientia notum est. *Minor* vero constat ex ipsa Scriptura sacra, quæ Christum Regem esse profitetur simul ac summum Pontificem. Regem, inquam; sic Psal. 2. David in Messiæ persona vaticinans ait: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus,*

prædicans præceptum ejus. Quæ verba de Christo interpretatur Apost. ad Hebræos 5. et Lucæ 1. Angelus Virgini Mariæ incarnationem Verbi divini in ipsa faciendam ait: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum.* Fuit pariter pontifex, ut constat ex Psal. 109. qui totus est de Messia, ut ipsemet Christus exposuit Matth. 22. De ipso itaque dicitur: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Quod etiam specialiter de Christo dictum esse affirmat Apost. ad Hebræos 5. et cap. 4. prius dixerat: *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum Filium Dei.* Cum igitur Christus Ecclesiam instituerit ut novum regnum spiritale, cujus ipse Rex simul et summus Pontifex est, debuit leges instituere, quibus rite administrari, et ad finem propositum, nempe salutem æternam promoveri possit. — Quapropter merito Concil. Trid. Lutheri ac Calvini errorem proscribens, ita statuit, Sess. 6. can. 19. *Si quis dixerit nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera: aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit.*

Objiciunt 1. Hæretici: Novum Testamentum in hoc Veteri opponitur, quod qui vere sub novo sunt, non sunt sub lege, sed sub gratia: unde Joan. 1. *Lex per Moysem data est, gratia autem, et veritas per Jesum Christum facta est:* ergo Moyses fuit equidem legislator, non autem Christus, qui nullam legem statuit; sed solum gratiam, et justificationem nobis promeruit. — **Nego consequentiam**; et ad *antecedens* dico, ideo gratiam dici per Christum factam, legem vero datam per Moysem, non quod Christus nullam legem tulerit, sed quod non dederit legem nudam sine ulla gratia, ut Moyses dederat Judæis legem, quæ jubebat, non juvabat, minabatur, non opitulabatur, languores ostendebat, non sanabet: Christus autem dedit nobis legem eam gratiæ, idest, legem præcipientem quæ facienda sunt, et subministrantem auxilia, quibus fiant.

Objiciunt 2. Illud Apost. ad Rom. 6. *Non estis sub lege, sed sub gratia;* necnon et illud ad Galat. 5. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege:* sed fideles ducuntur spiritu; subindeque non sunt sub lege. — **Respondeo**, Apostolum illis verbis sermonem facere de lege Mosayca, cui legem gratiæ opponit, in eo quod præcipiebat, et non juvabat: secus est autem de lege Evangelica, quæ gratiam confert, qua interius juvamur ad servandum quæ præcipit, vel, ut inquit S. August. 1. *De continentia*, c. 3. *Non sumus sub lege bonum quidem jubente, non tamen dante: sed sumus sub gratia, quæ id quod lex jubet, faciens nos amare, potest liberis imperare.* Ad alterum autem Pauli contextum, dico eum pariter loqui de lege Mosayca, quam tota illa Epistola ostendit non amplius vigere: nam cap. 1. ait, *Dicite mihi, qui sub lege vultis esse, legem non legistis? etc.* Et cap. 3. *Lex Pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur. At ubi venit fides, jam non sumus sub Pædagogo.* Igitur censet Apostolus, quod licet fideles teneantur ad vitanda peccata, non tamen ad id teneantur vi legis Mosayeæ, sed virtute legis naturalis, et legis Evangelicæ conferentis spiritum gratiæ.

Objiciunt 3. Illud 2. ad Cor. 3. *Ubi spiritus Domini, ibi libertas,* scilicet ab obligatione legis: sed fideles habent spiritum Domini; *Nam,* inquit Apost., *non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed*

accepistis spiritum adoptionis filiorum, etc.; quapropter Novum Testamentum, ad Galat. 5. et Jacobi 1. vocatur *lex libertatis* : ergo fideles nulli legi subjiciuntur. — **Respondeo**, Apostolum per legem libertatis intelligere exemptionem a lege Mosayca, quæ erat lex cogens et terrens, accusans et damnans, a qua revera liberantur, qui spiritu Christi ducuntur, tametsi sub lege Evangelica degant. Quapropter per annexum divinitus auxilium, fit ut fideles sponte et liberaliter et spiritu faciant ea, quæ lex imperat : unde potius videntur esse supra legem, quam sub lege, ut exponit S. Chrysost. in illa verba 1. ad Timoth. 1. *Justo non est lex posita.* Hinc S. August. in Psalm. 1. circa versum secundum, *Justus,* inquit, *non est sub lege ; quia in lege Domini est voluntas ejus. Qui enim in lege est, secundum legem agitur : ille ergo liber est, iste servus.* Ambrosius lib. 3. offic. cap. 5. *Lex justo non est posita, sed injusto, quia justus legem habet mentis suæ, et æquitatis, ac justitiæ suæ normam.*

Objiciunt 1. Lex nova vocatur *Evangelium,* eo quod vitam æternam promittat sub conditione fidei solius, cum e contrario lex vetus eam non promitteret, nisi sub conditione observationis mandatorum, juxta illud Ezech. 20. *Qui fecerit ea, vivet in illis.* — **Respondeo**, legem Evangelicam vocari Evangelium synedochice, non quia vitam æternam promittit sub conditione fidei solius, sed quia, ut supra diximus cum auctore Operis imperfecti in Matth., *Evangelium est bonum nuntium ; bona autem hominibus nuntiantur, quando promittitur eis beatitudo cœlestis, peccatorum remissio, adoptio filiorum, mortuorum resurrectio, immortalis vita, hæreditas regni cœlestis, possessio gloriæ sempiternæ, societas Angelorum, et communicatio spiritus, et fraternitas Christi, et paternitas Dei.* Hæc autem promissio et constitutio authentica præmii est lex, et pars totius legis Evangelicæ, sicut comminatio et constitutio authentica pœnæ est lex pœnalis.

Petes: *in quo igitur consistat libertas Christiana?* — **Respondeo**, non consistere in eo, quod simus liberi ab observantia præceptorum Dei, sed *primo,* in libertate a servitute peccati, et morte, juxta illud Joan. 8. *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati : Si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis.* Et ad Rom. 6. *Liberati a peccato, servi facti estis justitiæ.* Secundo, in libertate a jugo legis cæremonialis et judicialis Judæorum : ad Galat. 4. *Quomodo iterum convertimini ad infirma, et egena elementa, quibus denuo servire vultis?* Tertio, in libertate a dominio et reatu legis etiam naturalis. Ad Rom. 6. *Non estis sub lege, sed sub gratia,* 2. ad Cor. 3. *ubi spiritus Domini, ibi libertas.*

QUÆSTIO SECUNDA.

QUALITER NOVA LEX PRÆSCRIPTA FUERIT, ET QUÆ PRÆCEPTA CONTINEAT.

Notandum 1. In nova lege duo esse potissimum distinguenda; Unum quidem *primarium et principale,* nempe Spiritus sancti gratiam, quæ Christi fidelibus conceditur, qua nempe justificantur, et ex animo implent, quæ sibi ad vitam æternam consequendam præscribuntur, juxta illud Apost. ad Rom. 8. *Lex spiritus vitæ in Christo Jesu*

liberavit me a lege peccati, et mortis. Hæc autem gratia abundantissime nobis per Christum concessa est, siquidem de ejus plenitudine omnes nos accepimus, et charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. *Aliud* autem est *secundarium et minus principale,* qualia sunt ea omnia, quæ disponunt ad gratiam, aut ejus usum spectant. Quæritur ergo, an utrumque fuerit scriptis exaratum, vel cordibus nostris divinitus inscriptum.

Notandum 2. Tria posse cogitari præcepta legis Evangelicæ: nempe cæremonialia, moralia, et fidei. *Præcepta cæremonialia* legis Evangelicæ vocantur ea, quæ pertinent ad sacramenta, et ad sacrificium Eucharistiæ, ad sacerdotium, et jurisdictionem Ecclesiasticam, cultumque Dei externum. Cujusmodi est illud de Baptismo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto,* etc. Joan. 2. et illud de Eucharistia: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis.* Joan. 6. et de Sacramento Pœnitentiæ; *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis etc.* Joan. 20. et de sacrificio Eucharistico: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ad *moralia* vero spectant ea omnia præcepta, quæ ad mores probe instituendos Christus præscripsit, maxime vero præcepta Decalogi, quæ innovavit, dum dixit Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Ad *præcepta autem fidei* pertinent ea omnia, quæ fidem, vel suscipiendam, vel servandam, vel profitendam spectant. Sic Marci 16. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.*

Notandum 3. Inter hæc triplicis generis præcepta hoc discrimen esse statuendum, quod *Moralia* cum sint juris naturalis, non fuerunt a Christo instituta, sed tantum explicata, et vindicata ab erroribus, quibus ex hominum malitia fuerant involuta. *Sacramentalia* vero, et cæremonialia instituta sunt a Christo, ut essent loco veterum, quæ ab ipso abrogata sunt. Præcepta vero *fidei* de novo instituta non sunt, sed tantum ex implicitis facta fuerunt magis clara; ita ut nunc explicite mysteria quædam credere teneamur, quæ in lege veteri dumtaxat implicite credebantur: cujusmodi sunt nativitas, passio, et mors Christi, quæ a Judæis obscure credebantur, sed expresse creduntur a Christianis.

His præsuppositis duo sunt determinanda: *Primum* quidem, an Evangelica lex fuerit per se primo scripta, tam quoad id, quod principaliter importat, nempe gratiam et charitatem, qua movemur et incitamur ad bene operandum, quam quoad præcepta et regulas bene operandi. *Secundum,* an congrue Christus Dominus tria genera præceptorum, moralium, cæremonialium, et fidei præscripserit.

Conclusio prima. — Lex evangelica in eo differt a Mosayca, quod non fuerit primo, et per se ab auctore suo Christo scriptis tradita, sed viva voce denuntiata exterius, et interius per illuminationem Spiritus sancti, et gratiæ abundantiam alte hominum cordibus inscripta.

Probatur hæc veritas primo quidem ex illo Jerem. 31. ubi Deus de novo fœdere a se inendo dicit: *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in cordibus eorum scribam eam.* Quapropter Apostolus 2. ad Cor. 3. fideles alloquens ait: *Epistola estis Christi ministrata a nobis, scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis,*

sed in tabulis cordis carnalibus: ubi Theophilact. ex hoc loco Pauli Novi Testamenti infert præcellentiam: *Lex,* inquit, *atramento scribebatur, Evangelium nobis per Spiritum scriptum est; quanto igitur intervallo spiritus ab atramento distat, et cor a lapide, tanto et novum a lege discrepat, etc.* Ipsi concordat S. August. lib. *De spiritu, et littera,* cap. 17. cujus verba hæc sunt: *Ibi in tabulis lapideis digitus Dei operatus est, hic in cordibus humanis. Ibi lex extrinsecus posita est, qua injusti terrerentur: hic intrinsecus data est, qua justificarentur.*

Dices 1: Lex nova Evangelica æque scripta fuit ac Mosayca, eam namque Apostoli, et Evangelistæ suis scriptis exararunt: ergo Evangelica non fuit per Spiritum sanctum hominum cordibus inscripta. — **Respondent** communiter Theologi ex Angelico Doctore *q.* 106. *a.* 1. legem novam duo continere: *Primo,* et principaliter gratiam et charitatem diffusam in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qua impellimur et juvamur ad bene operandum. *Secundo,* præcepta et regulas bene operandi. Concedunt itaque quantum ad hoc secundum, legem novam scripto quidem fuisse traditam æque ac veterem; sed quoad primum, affirmant illam fuisse in cordibus fidelium diffusam et inscriptam præcipue in die Pentecostes: tanta enim fuit tunc data gratiæ et charitatis abundantia, ut vi illius tota nova lex sine scripto conservari potuisset, ut docet S. Irenæus lib. 3. *Contra Hæreses* cap. 3. — **Verum**, cum gratia Spiritus sancti, et charitas non proprie, sed tantum metaphorice appelletur lex, quatenus nempe movet, et impellit ad bene operandum, sicuti concupiscentia dicitur improprie lex peccati, quia ad peccandum inducit; idcirco *Respondeo* aliter, nempe quod licet lex nova, sicut et Mosayca, fuerit scripto exarata, non est par utriusque ratio; siquidem lex nova non fuit per se primo scripta, et ex professo, sicut Mosayca, quæ partim digito Dei, idest, ministerio Angelorum, et partim a Moyse fuit descripta: sed per accidens, et per occasionem scribendi vitam Christi, vel docendi fideles per Epistolas, aut occurrendi hæresibus Cerinthi, et Ebionis, et aliorum deinceps contra Ecclesiam insurgentium, ut recte observat Martinonus, cum Suarez *cap.* 26. Sectione 3. Neque fuit scripto mandata eodem die Pentecostes, quo fuit promulgata, sed tantum post mortem Christi anno 6. quo S. Matth. suum Evangelium cœpit scribere, ut docent Irenæus lib. 3. cap. 1. et Eusebius lib. 3. *Historiæ* cap. 8.

Dices 2: Etiam Mosayca lex insculpta fuit Judæorum cordibus per sancti Spiritus gratiam, quæ Judæis non defuit, ut possent intelligere, et servare illam legem multa supernaturalia præcipientem, juxta illud Deuteron. 30. *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie non supra te est, etc. sed juxta te est sermo valde in ore tuo, et in corde tuo, ut facias illum;* ergo hæc legis in mente consignatio non fuit propria legis Evangelicæ prærogativa. — **Respondeo**, quod etsi Judæis non defuerit gratia, qua legis Mosaycæ præcepta possent implere, illa tamen gratia ad Mosaycam legem præcise non spectabat, sed ad novam legem, et ad Christum ejus auctorem, a quo tamquam a fonte scaturiebat; quippe concedebatur solum intuitu meritorum ejus. *Adde* quod gratia Judæis concessa non fuerit in ea abundantia, ut dici possit legem Mosaycam a Spiritu sancto hominum mentibus inscriptam fuisse, hoc

enim privilegium servabatur ipsi Evangelicæ legi quæ in die Pentecostes, quo per visibilem sancti Spiritus effusionem promulgata fuit, etiam fidelium cordibus fuit consignata.

Dices 3: Lex ipsa naturalis etiam hominum cordibus inscribitur: nam, inquit Apostolus ad Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt... quia ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis:* ergo non est peculiare Evangelicæ legis privilegium, quod in hominum mentibus exaretur. — Respondet Alensis q. 66. membro 4. quod revera utraque lex, naturalis et Evangelica, hominum cordibus inscribitur; sed, inquit, est duplex inscriptio: una quidem inscriptio debiti facienti secundum dictamen inditum conscientiæ ab ipsa hominis formatione: altera inscriptio secundum dictamen impressum conscientiæ ex fide, seu justificatione. *Prima* inscriptio est naturæ: *secunda* est legis Evangelicæ: prima est ex natura indita: secunda ex gratia data seu superaddita. Prima eadem est apud omnes homines: secunda vero eadem est apud omnes credentes.

Conclusio secunda. — Christus Dominus prudentissimo, divinoque prorsus consilio tria præceptorum genera in evangelica lege præscripsit, nempe sacramentalia, moralia, et fidei.

Patebit hujusce conclusionis veritas ex singularum partium declaratione. *Primam* autem sic egregie expendit Seraphicus Doctor lib. 6. *Compendii Theologici* c. 3. « Sacramenta, inquit, legis gratiæ « Christus instituit, tamquam legis novæ lator, in qua vocans ad « præmia dedit præcepta, instituit Sacramenta. Christus enim Verbum « Patris cum sit summæ bonitatis, et summæ veritatis et virtutis, ra- « tione summæ bonitatis promisit præmia beatificantia; ratione veri- « tatis dedit præcepta dirigentia; ratione virtutis instituit Sacramenta « adjuvantia, ut sic per Sacramenta repararetur virtus ad implenda « præcepta, et per præcepta perveniatur ad præmia. Instituit autem « Sacramenta in verbis, et elementis, ut ait Augustinus: *Accedit verbum « ad elementum, et fit Sacramentum,* et est ibi elementum pro ma- « teria, et forma verborum pro forma. Ad hoc vero instituta sunt Sa- « cramenta in verbis et elementis, ut haberent evidentiam significandi, « et efficaciem sanctificandi: quia dum elementa oculis, et verba au- « ribus se offerunt, qui sunt duo sensus præcipue cognoscitivi, dant « evidentiam significationis. *Deinde,* verba sanctificant elementa, ut « plenior fiat humanæ creationis efficacia. — Instituta sunt autem Sa- « cramenta multiplici de causa: *Primo,* propter humiliationem, qua « homo quærit salutem inferioribus se subjiciendo. *Secundo,* propter « eruditionem, qua homo per visibilia ad cognoscenda invisibilia ra- « pitur. *Tertio,* propter exercitationem, qua homo noxiam declinet « occupationem, et otium. *Quarto,* propter congruitatem medici ad « medicinam, quia cum medicus sit Deus, et homo ægrotus, con- « gruenter medicina debet continere aliquid divinum, scilicet, in- « visibilem gratiam, et aliquid humanum, scilicet visibilem gratiæ « formam. *Quinto,* propter congruitatem ex parte infirmi, quia cum « infirmus sit homo constans ex corpore et spiritu, spiritus autem « in corpore non bene capiat spiritualia nisi in corporalibus, con-

« gruum fuit dare medicamenta spiritualia in rebus corporalibus, « sicut pilulæ in nebula dantur. *Sexto,* propter augmentationem me- « riti, multum enim valet ad meritum, quando Deus creditur in his, « ubi humana ratio non præbet experimentum. Patet ergo ex prædictis, « quæ sit sacramentorum *causa efficiens,* quia divina institutio: quæ « *formalis,* quia gratiæ santificatio: quæ *finalis,* quia humanæ infir- « mitatis curatio. — Sacramenta autem novæ legis sunt septem, se- « cundum septem diversitates hominum in Ecclesia. Primum est in- « trantium, ut *Baptismus.* Secundum pugnantium, ut *Confirmatio.* « Tertium vires resumentium, ut *Eucharistia.* Quartum resurgentium, « ut *Pœnitentia.* Quintum exeuntium, ut *Extrema unctio.* Sextum mi- « nistrantium, ut *Ordo.* Septimum novos milites introducentium, ut « *Matrimonium.*

« Sacramenta figurata sunt in septem signaculis quibus fuit ve- « teris Testamenti pagina sigillata, quæ Agnus, qui habet clavem « David, qui claudit, et nemo aperit, reseravit. *Item* in septem tubis, « quibus Angeli cecinerunt. *Item* in septem stellis, quas habebat si- « milis filio hominis in dextera sua. *Item* in septem panibus, quibus « Dominus turbam satiavit. *Item* in septem oculis super unum la- « pidem. *Item* in septem lucernis Tabernaculi superpositis candelabro. « *Item* in septem lotionibus Naaman. — Sacramenta sunt septem, quæ « disponunt ad septem virtutes habendas; nam *Baptismus* est sacra- « mentum Fidei, *Confirmatio* Spei, *Eucharistia* Charitatis, *Pœnitentia* « Justitiæ, *Extrema unctio* Perseverantiæ, quæ est fortitudinis com- « plementum, *Ordo* Prudentiæ, *Matrimonium* Temperantiæ. *Alia* etiam « ratio numeri Sacramentorum est, quia ordinantur contra triplicem « culpam, et contra quadruplicem pœnam. Unde *Baptismus* ordinatur « contra peccatum originale, *Pœnitentia* contra mortale, *Extrema unctio* « contra veniale; *Ordo* contra ignorantiam, *Eucharistia* contra malitiam, « *Confirmatio* contra impotentiam. *Matrimonium* contra concupiscen- « tiam, quam temperat et excusat. *Alia* adhuc ratio numeri, quia Sa- « cramenta sunt causa sanativa morbi spiritualis ad modum corpo- « ralium. Medicina vero corporalis quadruplex est; scilicet curativa, « conservativa, præservativa, et meliorativa. Simili modo et Sacra- « menta curant. *Baptismus* curat simul, et totaliter. *Pœnitentia* vero « curat paulatim quantum ad pœnam, quousque nullius pœnæ homo « debitor sit. *Extrema unctio* curat a morbis levioribus, scilicet a ve- « nialibus, sicut *baptismus,* et *pœnitentia* curant a lethalibus. Sic « ergo prædicta tria Sacramenta sunt quasi medicina curativa. *Con-* « *firmatio* autem est medicina conservativa sanitatis spiritualis, in qua « datur Spiritus sanctus ad robur, et conservationem gratiæ datæ in « baptismo. *Matrimonium* est medicina præservativa. *Ordo* est me- « dicina meliorativa, in quo augmentatur gratia. *Eucharistia* hæc « omnia simul facit, curat enim venialia, quæ sunt occasio ruinæ ma- « joris: conservat etiam gratiam inventam in homine, et augmentum, « sicque meliorat, et nihilominus præservat ». Hæc Doctor Seraphicus. Quibus patet quam congruenti ordine Christus Dominus ordinaverit Cæremonialia, et Sacramentalia novæ Legis. »

Idem pariter constat de præceptis ad fidem spectantibus. Cum enim fidei summa eo maxime sita sit, quod homo fidelis nosse debeat quæ

Deum, et Christum Dominum spectant, juxta illud ipsius Christi Domini oraculum Joannis 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum;* ut utriusque divini illius objecti perfecta, quantum mortales decet, habeatur notitia, eam ore Christi exceptam sub specialibus et distinctis articulis Apostoli in suo Symbolo ediderunt. Nam, ut observat Seraphicus Doctor *ibidem* lib. 5. c. 21, si respectus habeatur ad eos, qui Symbolum ediderunt, tunc articuli sunt duodecim secundum numerum duodecim Apostolorum: si autem consideremus quæ radicaliter sunt credenda, tunc articuli sunt quatuordecim, quorum septem spectant ad Divinitatem, et septem ad Christi humanitatem, et hæc signa sunt in septem stellis, et septem candelabris aureis, in quorum medio Filius hominis ambulabat. Sunt igitur septem articuli Fidei qui pertinent ad Divinitatem. Primus est unum Deum esse, qui ibi notatur, *Credo in Deum.* Secundus est, Patrem Deum esse, ibi, *Patrem omnipotentem.* Tertius est, Filium Deum esse, ibi, *et in Jesum Christum Filium ejus.* Quartus, Deum Spiritum sanctum esse, ibi *Credo in Spiritum sanctum.* Et sic patet quod prædicti quatuor articuli sunt de unitate divinæ Essentiæ, et Trinitate Personarum. Quintus est, credere remissionem peccatorum his, qui sunt in Ecclesia, ibi: *Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum.* Sextus est credere mortuorum resurrectionem. Septimus est, credere bonorum remunerationem, sub quo et comprehenditur malorum punitio, ibi, *vitam æternam.* Et isti tres articuli ad Divinitatem pertinent; quia virtute Divinitatis fit peccatorum remissio, quæ est animæ vivificatio, et corporum resurrectio, atque corporis simul et animæ glorificatio. — Alii septem sunt articuli, qui pertinent ad humanitatem Christi. Primus est, credere Filium Dei esse conceptum de Spiritu sancto, ibi: *qui conceptus est de Spiritu sancto.* Secundus est, credere Filium Dei natum ex Maria Virgine, ibi: *ex Maria Virgine.* Tertius, Filium Dei pro nobis mortuum in cruce, ibi: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus.* Quartus est, Filium Dei descendisse ad inferos secundum animam, ibi: *Descendit ad inferos.* Quintus est, Filium Dei resurrexisse a mortuis, ibi: *Tertia die resurrexit a mortuis.* Sextus est eumdem ascendisse ad Cælos, et sedere ad dextram Patris, ibi: *Ascendit ad Cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.* Septimus est, Filium Dei judicaturum vivos, et mortuos, sive bonos, sive malos, ibi: *Inde venturus est judicare vivos, et mortuos.* Ita Seraphicus Doctor.

Idipsum patet de præceptis Moralibus, quibus homo ordinari debet ad Deum, proximum, et seipsum: ad Deum quidem, ut ei cultum debitum exhibeat; ad proximum, ut ei in omnibus justitiam impendat; ad seipsum vero, ut quæ sibi necessaria sunt ad salutem comparet, et servet. Hæc autem omnia hominis debita rite Christus Dominus ordinavit in Evangelio. *Primo* namque quæ Dei cultum concernunt distincte docuit, præscripsit; Deus enim summe colendus est, et honorandus propter supremam majestatem; ex toto corde amandus propter infinitam bonitatem; summe timendus propter tremendam ejus justitiam; enixe rogandus propter paternam clementiam; in omnibus audiendus, et sequendus propter vigilantem providentiam, etc. Ad omnia autem hæc munia Deo præstanda Christus Dominus hominem

instruxit: docuit enim qualiter suprema ejus majestas esset colenda, cum ait Joan. 4. *Venit hora, et nunc est quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, et veritate: nam Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus: et eos, qui adorant eum, in spiritu, et veritate oportet adorare.* Qualis ejus infinitæ bonitati impendi debeat amor, præscripsit Marci 12. cum ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua:* quibus demonstrat, inquit Alensis *memb.* 8. *ad tertium,* quod non sufficit diligere Deum ex toto corde, idest intellectu declinando errorem: ex tota anima, idest voluntate declinando contradictionem: ex tota mente, idest memoria, vitando oblivionem: sed etiam ex tota virtute, addendo bonam operationem. Docuit pariter quantopere Deus sit timendus propter justitiæ severitatem, cum ait Matt. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest, et animam, et corpus perdere in gehennam.* Aperuit etiam qualiter Deus esset exorandus propter paternam clementiam, dum non solum orandi modum præscripsit Matt. 6, dicens: *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito: et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi: Orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici, putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur:* sed etiam præscripsit orationis formulam, cum ait ibidem: *Sic ergo vos orabitis: Pater noster qui es in Cœlis, etc.* — *Denique* etiam hominem docuit, quomodo divinæ curæ, ac providentiæ sese fidenter committere debeat. cum ait ibidem: *Dico vobis, nec solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini, nonne anima plus est quam esca, et corpus quam vestimentum? Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et Pater vester cælestis pascit illa: nonne vos magis pluris estis illis? quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? et de vestimento quid solliciti estis? considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis: Si autem fœnum agri, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quanto magis vos modicæ fidei? Nolite ergo soliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia Gentes inquirunt, scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.* — Similiter hominem instruxit quantum ad omnia debita proximo impendenda: proximus namque corripiendus est, et revocandus a miseriis animæ, nempe peccato, sublevandus in necessitatibus corporis, tuendus in bonis fortunæ, provocandus ad bona gloriæ. Hæc omnia autem debita Christus ordinavit. *Primum* quidem cum ait Matt. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te, et ipsum solum:* cum pariter docuit proximo remittendam esse omnem injuriam, dicens Matth. 6. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, sic dimittet vobis Pater vester cælestis peccata vestra: si autem non dimiseritis hominibus, sic nec Pater vester cælestis dimittet vobis.* Docuit pariter quando sublevandus esset proximus in miseriis corporis, cum ait Lucæ 6. *Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester*

cœlestis misericors est; nolite judicare, et non judicabimini: nolite condemnare, et non condemnabimini, dimittite, et dimittemimi, date, et dabitur vobis. Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et superefluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur et vobis. In summa præscripsit omnia erga proximum debita, cum ait Lucæ 10. proximum esse diligendum sicut seipsum; et Matt. 7. *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis.* Et Joan. 3. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Quibus verbis mandatum de diligendo proximo *novum* appellat, vel quia fuit ab ipso renovatum, et auctum, cum antea esset fere per pravam consuetudinem antiquatum, et restrictum, ut exponit Clemens Romanus lib. 6. *const.* cap 23; vel quia Christus novo modo illud præscripsit, addendo videlicet novum motivum sumptum ex suo exemplo, et mirabili sua erga homines dilectione, ut ait Chrysost. hom. 71. in Joan. *Ex eo quod per ejus adventum homines facti sunt fratres, et eo nomine specialiter diligendi, maxime vero Christiani, qui Christo ut Capite inserti unius, et ejusdem Ecclesiæ membra sunt, propter quod seipsos tamquam ejusdem corporis membra diligere debent.* — *Denique*, hominem ordinavit erga seipsum, dum scilicet suæ sanctissimæ vitæ ab hominibus sectandæ exemplar proposuit dicens Joan. 13. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.* Quam utique sanctissimam vitam ut homines facilius sectari possent, tribus eam veluti lineamentis, et characteribus distinxit, cum ait, Matt. 16. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, et sequatur me.* Quibus tria hominis Christiani debita distinguit; nempe rerum omnium et sui ipsius abnegationem: nam inquit Lucæ 14. *Qui non renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Et Matt. 19. *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.* — Insuper docet jugiter esse invigilandum mortificationi corpori, crucemque quotidie ferendam, *Christus enim passus est, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus.* Denique admonet omnes actus nostros ex charitate, et propter Dei gloriam esse eliciendos, in omnibus autem cavendam esse vanagloriam. *Attendite*, inquit Matth. 6. *ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in Cœlis est.*

Petes 1. Quare Christus Dominus præcepta judicialia non instituerit. — Respondeo, id quidem consulto fecisse; quia regnum temporale, aut rempublicam civilem non condidit, sed spiritalem communitatem, cujus regimen præcipuum spiritale est, et ad finem supernaturalem ordinatur: neque externum et politicum ejus regimen ita curavit, ut leges judiciales illi utiles statuere per se voluerit, sed eas condendi auctoritatem fecit suo in terris Vicario, nempe summo Pontifici. Cum enim optimo Ecclesiæ regimini expediat sæpe mutari leges pro temporum et occasionum varietate, maluit Christus dare Ecclesiæ potestatem de illis statuendis, leges autem a se latas voluit esse stabiles et invariatas. — ✻ " Inde concludit Doctor in 3. dist. 40. n. 6.

legem Evangelicam esse quidem leviorem Mosayca, si spectetur secundum præcepta judicialia in ordine ad Christum, quia nulla hujusmodi præcepta Christus instituit. Secus vero si spectetur in ordine ad fidelium rectores, *quia*, inquit, *tunc non licuit sacerdotibus, vel judicibus condere quascumque leges, sicut modo licet principibus christianis. Sic ergo quantum ad hoc videtur, quod pauciora sunt onera legis christianæ in quantum ipsa est a Christo tradita, sed forte plura in quantum ipsi postea sunt addita alia per eos, qui habent regere populum christianum.* » ✳

Petes 2. An præceptis moralibus, et fidei antiquæ legis Christus aliquid addiderit. — **Respondet Alensis** qu. 56. memb. 8. *ad tertium*, quod quantum ad substantiam fidei, credendis nihil additum est, tamen articulis fidei aliquid additum est: « et additio ista est, sicut ex-« pliciti ad implicitum, et determinati ad indeterminatum, ut patet « in exemplo. Ante tempus Abrahæ fuit fides reparationis nostræ, ta-« men implicita; postea aliquantulum fuit explicita Abrahæ, quod fieret « in carne, cum dictum est ei: *In semine tuo benedicentur omnes Gentes, Genes.* 22. et ita articulus de Incarnatione, qui prius erat implicitus, « factus est aliquantulum explicitus: tamen adhuc non erat determi-« natum, utrum incarnatio fieret de viro, muliere, quousque dixit Isaias: « *Ecce Virgo concipiet:* item adhuc non erat determinatus modus, per « quem Virgo conciperet, quousque dixit Angelus: *Spiritus sanctus su-« perveniet in te.* Fides ergo non mutata est, sed tamen additio facta « est in fide reparationis articuli ad articulum, sicut expliciti ad im-« plicitum, vel magis expliciti ad minus explicitum. Similiter dicen-« dum, quod in moralibus quantum ad potestatem sensus nihil ad-« ditum est: sed quantum ad rationem litteræ additio facta est per « illos modos, qui dicti sunt ».

QUÆSTIO TERTIA.

IN QUIBUS PRÆCIPUE NOVA LEX DIFFERAT A VETERI, EAMQUE EXCEDAT.

Notandum 1. Legem Mosayeam, et Evangelicam invicem contrarie non discrepare, nec perfecte opposita præcepta statuere: quamquam enim aliqua Mosayca lex prohibeat, quæ Evangelica facienda permittit; sic *Levit.* 11. plura prohibentur edenda, sicut immunda, Matt. vero 5. nulla edulia dicuntur immunda; nam, inquit ibidem Christus, *Non quod intrat in os coinquinat hominem:* ex quo Apost. ad Tim. 1. ait: *Omnia munda mundis:* hæc tamen duo præcepta invicem non pugnant; nam inquit Alensis qu. 56. art. 1. « Lex prohibuit escas et « dixit immundas triplici de causa: *Primo*, propter signationem: unde « immunda dixit, quia figurabant immunda: *Secundo*, propter abusum, « unde immunda dixit et prohibuit illa, quia his utebantur ad cultum « idololatriæ: *Tertio*, propter indignitatem illius populi, propter quam « quædam substraxit ei velut immunda: lex vero Evangelii dicit, et « concedit omnia munda respiciens ad naturam rerum, et ad conve-« nientem usum et ad dignitatem utentium: itaque lex, et Evange-

« lium tantum pugnant disparate, quatenus nempe Evangelica lex in « pluribus Mosayeam præcellit ».

Notandum 2. Ex eodem Alensi *ibidem*, legem veterem cum nova maxime secundum sex considerationes posse conferri. *Prima* quidem, secundum considerationem virtutis, et efficacitatis. *Secunda*, secundum considerationem severitatis. *Tertia*, secundum considerationem veritatis. *Quarta*, secundum considerationem bonitatis. *Quinta*, secundum considerationem remunerationis. *Sexta* denique, secundum considerationem lationis, vel legislatoris. Itaque resolvendum est in præsenti, an lex Mosayca ab Evangelica in his omnibus revera discrepet. Quoniam autem potissima difficultas movetur de efficacia et virtute legis utriusque, idcirco

Notandum 3. Ex eodem Alensi *ibidem* art. 2. *ad secundum*, quod duplex distingui potest sanctificatio, nempe carnalis, et spiritualis. *Sanctificatio carnalis* est liberatio a pœna peccati, quam incurret quis, si quod præceptum est, contemneret, seu non faceret: *Sanctificatio* vero *spiritualis* est ipsa emendatio a macula peccati, quæ in anima est. Certum est autem, quod Mosayca lex vim habuerit conferendi sanctificationem carnis: nam inquit Apost. ad Hebræos 9. *Sanguis hircorum, et taurorum, et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem*, idest, inquit Glossa, inquinatos contactu mortuorum sanctificat a pœna, valens ad emundationem, non animæ sed carnis, quia a pœna liberabat. Difficultas autem est utrum etiam Mosayca lex vim habuerit conferendi veram justificationem coram Deo, quæ consistit in remissione peccatorum, et infusione gratiæ sanctificantis.

Conclusio unica. — Lex Vetus, et Nova differunt primo in eo, quod hæc habeat vim justificandi, illa vero non ita. Probat hanc veritatem **Apostolus** pluribi, maxime autem *ad Rom.* 1. ubi ait: *Non erubesco Evangelium; virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum, et Græco.* In quem locum sic scribit Anselmus: *Virtus est, quia gratiam præstat, per cujus auxilium valeamus facere, quæ præcipit. Quod quia lex* (Mosayca) *non fecit, infirma fuit.* Quod autem lex Mosayca non habuerit virtutem justificandi, aperte docet idem Apost. *ibidem* c. 8. cum ait: *Nam quod erat impossibile legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens damnavit peccatum, ut justificatio legis impleretur in nobis:* et ad Galat. 2. vers. 16. *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro, idest homo.* Et v. 12. *Si enim per legem est ad justitiam, ergo gratis Christus mortuus est.* Et cap. 3. *Quoniam in lege nemo justificatur apud Deum* (utique vi legis) *manifestum est, quia justus ex fide vivit;* et ad Hebræos 7. *Reprobatio fit præcedentis mandati, propter ejus infirmitatem, et inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Quibus omnibus constat utramque legem in eo discrepare, quod Vetus mundaret quidem ab inquinatione carnis contracta ratione transgressionis præceptorum cæremonialium, non autem veram animæ justitiam conferret; Nova vero vim habeat conferendi talem justitiam; quia habet præsentem Christum justitiæ fontem, qui pro peccatis nostris satisfactionem Deo obtulit, et gratiam sanctificantem promeruit: unde Joan. 1. *Lex per Moysem data*

est: gratia, et veritas per Jesum Christum facta est. Hinc, ut diximus, quotquot justificabantur in veteri lege ex opere operato, sive per martyrium, sive per alia Deo impensa obsequia, non obtinuerunt hanc justificationis gratiam, nisi per respectum ad Christum, ejusdem gratiæ auctorem et fontem, ex quo gratia justificationis ad omnes prorsus homines sub quacumque lege degentes derivavit; *Neque enim aliud est nomen sub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri,* ut legimus Act. 1. Hinc cap. 15. *Per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi,* Patres scilicet Veteris Testamenti, qui ut ait Apostolus 1. ad Cor. 1. *bibebant de spirituli consequente eos Petra: Petra autem erat Christus.*

Hinc omnes sancti Patres constanter affirmant eos qui in Veteri Testamento fuerunt Deo per fidem accepti, ad Novum Testamentum pertinuisse: non enim justificabantur nisi per fidem Christi, qui est auctor Novi Testamenti: quam utique veritatem sic expendit S. Augustinus epist. 157. quæ est ad Optatum, ubi ait: *Cum omnes justi, idest, veraces Dei cultores, sive ante incarnationem, sive post incarnationem Christi, nec viverent, nec vivunt nisi ex fide incarnationis Christi, in quo est gratiæ plenitudo, profecto quod scriptum est,* non esse aliud nomen sub Cælo, in quo oporteat nos salvos fieri, *ex illo tempore valet ad salvandum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum est: sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur: quia sicut in regno mortis nemo sine Adam, ita in regno vitæ nemo sine Christo: sicut per Adam omnes injusti, ita per Christum omnes justi homines: sicut per Adam omnes mortales in pœna facti sunt filii sæculi, ita per Christum omnes immortales in gratia fiunt Filii Dei.*

Hanc eamdem veritatem mirum in modum explicat S. Leo sermon. 3. *De Nativit., Cessent igitur,* inquit, *illorum quærelæ qui impio murmure divinis dispensationibus obloquentes, de divinæ nativitatis tarditate causantur, tamquam præteritis temporibus non sit impensum, quod in ultima mundi ætate est gestum: Verbi incarnatio hæc contulit facienda quæ facta, et Sacramentum salutis humanæ in nulla unquam antiquitate cessavit, quod prædicaverunt Apostoli, hoc annuntiaverunt Prophetæ: nec sero est impletum quod semper est creditum. Sapientia vero, et benignitas Dei hac salutiferi operis mora capaciores nos suæ occasionis effecit, ut quod multis signis, multis vocibus, multisque mysteriis per tot fuerat sæcula prænuntiatum, in his diebus Evangelii non esset ambiguum, et nativitas, quæ omnia miracula, omnemque intelligentiæ erat excessura mensuram, tanto constantior in nobis gigneret fidem, quanto prædicatio ejus, et antiquior præcessisset et crebrior. Non itaque novo consilio Deus rebus humanis nec sera miseratione consuluit: sed a constitutione mundi unam, eamdemque omnibus causam salutis omnibus instituit. Gratia autem Dei, qua semper est universitas justificata Sanctorum, aucta est Christo nascente, non cœpta, et hoc magnæ pietatis Sacramentum, quo totus jam mundus impletus est, tam potens in suis significationibus fuit, ut non minus adepti sint qui in illud credidere promissum, quam qui suscepere donatum.* Ex quo intelliges, quod sicut idem Sol naturæ utrumque hemispherium suo lumine perfundit et calore fovet, ita quod non sit qui se abscondat a calore

ejus, sic Christus Dominus Sol justitiæ utramque legem suæ gratiæ luce et rore fœcundavit. Sicut autem unum hemispherium eo magis clarescit, quo propius Sol ad eum accedit; ita status veteris legis juxta majorem ad Christum propinquantem, uberiorem divinorum mysteriorum illustrationem et fructum accepit, et ut loquitur S. Gregorius homil. 16. super Ezechielem, *Secundum incrementa temporum crevit scientia Sanctorum Patrum, et quanto viciniores adventui Salvatoris fuerunt, tanto sacramenta salutis plenius perceperunt.*

Secundo, differunt lex Evangelica, et Mosayca *quantum ad veritatis manifestationem;* nam inquit Alensis, « veritas tam in Evan« gelio, quam in lege respicit tria. 1. Notitiam credendorum. 2. Gra« tiam meritorum. 3. Gloriam præmiorum. Respectu notitiæ creden« dorum differt Evangelium, et lex secundum velatum, et revelatum: « respectu gratiæ faciendorum, sicut promissio, et exhibitio: respectu « gloriæ præmiorum differunt sicut umbra, et imago: ita quod in lege « est velamen notitiæ, promissio gratiæ, umbra gloriæ: in Evangelio « vero est revelatio notitiæ fidei, exhibitio gratiæ Dei, imago præmii ». Quam utique veritatem confirmat Apostolus 2. ad Corinth. 3. ubi ait: *Velamen in lectione Veteris Testamenti manet non revelatum, quoniam in Christo evacuatur.* Hinc subdit: *Nos autem revelata facie gloriam Dei speculantes, in eamdem imaginem transformamur.* Unde veritas in lege fuit ut umbra: in Evangelio autem ut imago, hinc Hebr. 10. *Umbram habens lex futurorum, non ipsam imaginem.* Quapropter sanctus Gregorius super Ezech. 1. cap. exponens hæc verba, *Rota erat in rota,* ait: *Rota erat in Rota, quia quod prædicat lex, quod Prophetæ annuntiant, hoc exhibet Evangelium:* et S. Leo serm. 7. *De Passione. Ut umbræ adhærent corpori, antiqua observantia novo excluditur Sacramento. Hostia in hostiam transit, sanguine sanguis aufertur, et legalis festivitas dum mutatur, impletur.*

Tertio, Lex vetus, et nova differunt ratione severitatis; siquidem lex vetus iram præseferebat, Evangelica autem misericordiam; illa erat lex timoris, ista amoris; illa servitutis, hæc libertatis; illa servis præscripta, hæc filiis. Quapropter Apost. ad Roman. 8. ait: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba Pater.* « Severitas autem Mo« sayeæ legis in eo maxime vigebat, quod, inquit Alensis, illa lex in « præceptis judicialibus habet iram, et districtionem punitionis: in « præceptis moralibus timorem per multitudinem comminationis: in « præceptis vero cæremonialibus servitutem per intuitum, et pavorem « æternæ damnationis »: quocirca S. Petrus Act. 15. difficultatem observandæ legis explicans, ait: *Quid tentatis imponere jugum super cervices Discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?* Secus autem de lege Evangelica, quæ pauca admodum habet præcepta, annexamque continet gratiæ plenitudinem, qua facilia fiant: hinc Christus Dominus merito dixit Matt. 11. *Jugum meum suave est, et onus meum leve.* Nam, ut exponit S. Augustinus Epist. 118. *Levi jugo suo Christus nos subdidit, et sacrificia levi, sacramentis numero paucissimis, observatu facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit.* — Nec obstat quod in Lege Evangelica videantur aliqua præcepta observatu difficilia, quale est præceptum de

indissolubilitate matrimonii, de dilectione inimicorum, de necessitate confessionis; illa enim propter abundantiam gratiæ, quæ a Christo in lege nova confertur, redduntur facilia; juxta illud vaticinium Isaiæ 10. *In die illa auferetur onus ejus de humero tuo, et jugum ejus de collo tuo, et computrescet jugum a facie olei.* — Nec refert pariter quod Evangelium vocetur *onus*, et *jugum;* nam inquit S. Augustinus serm. 22. *De Verbis Apostol. Hæc sarcina non est pondus onerati, sed alæ volantis, habent enim et aves pennarum suarum sarcinas, portant illas in terra, portantur ab illis in Cælo, etc.* Et sanctus Bernardus Epistol. 341. ad Monachos 6. Bertini: *Leve,* ait, *Salvatoris onus, quo crescit amplius, eo portabilius est, nonne et aviculas levat, non onerat, pennarum numerositas ipsa? Tolle eas, et reliquum corpus fertur ad imum: sic disciplina Christi, sic suave jugum, sic onus leve, quod quo magis deponimus, eo depromitur ipsi, quia portat potius, quam portatur.* — Hanc veritatem egregie commendat Apostolus ad Galatas 4. his verbis: *Scriptum est, quoniam Abraham duos filios habuit: unum de Ancilla, et unum de Libera, etc.* Quæ verba expendens S. Anselmus ibidem, ait: *In utroque Testamento genuit Deus filios, qui sibi servirent, sed in Veteri Judæos servos, qui timore pœnæ, et promissionibus temporalium ei serviliter obedirent: in gratia vero Novi Testamenti liberos, qui ex dilectione servirent.* Ipsi concinit S. Chrysologus serm. 1. *in Evangelium: Cum jejunatis etc.* ubi ait: *Ubi Deus Dominum mutavit in Patrem, voluit charitate magis quam potestate regnare, et amari maluit, quam timeri.* Quam veritatem prius indicaverat Sanctus Augustinus scribens libro adversus Adimantum cap. 16. *Deus veteri homini fugienti tamquam Dominus apposuit quod timeret, et novo redenti tamquam Pater aperuit quod amaret.* Quocirca cap. 17. ait: *Hæc est brevissima, et apertissima differentia duorum Testamentorum, timor, et amor.*

Quarto, discrimen inter legem Veterem, et Novam est, quod lex Vetus minus perfecta fuerit: lex autem Evangelica omnem prorsus perfectionem sapiat, et interat: quam utique Legis Novæ prærogativam multis commendat Apostolus *ad Galat.* 4. et *ad Hebr.* 7. dicens quod lex Vetus figura fuerit, et umbra Novæ: Nova autem veritas, et complementum Veteris: unde Hieron. lib. 1. adversus Pelagianos c. 9. *In lege promittitur, in Evangelio impletur, ibi initia, hic perfectio est: in illa fundamenta jaciuntur, hic fidei, et gratiæ culmen imponitur.* Quam utique veritatem eleganti similitudine explicat Victor Antiochenus exponens illud, quod habetur Marci 4. *Ultro terra fructificat primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica,* ait enim: *Primo herbam fructificat in lege naturæ, postmodum spicas in lege Moysis, postea plenum frumentum in Evangelio.*

Quinto, lex Nova Veterem excedit secundum rationem mercedis, et præmii; siquidem lex Vetus sola spondebat, ac promittebat bona temporalia in mercedem suis observatoribus, ut jam observavimus, juxta illud Isaiæ 1. *Si audieritis me, bona terræ comedetis.* Evangelica autem repromittit vitam æternam, regnumque cæleste suis sectatoribus; unde Apost. ad Hebr. 7. *Melioris Testamenti sponsor factus est Christus.* Hoc est, ut fert Glossa, melius Novum Testamentum quam Vetus: quia meliora bona promittit, idest, æterna: Vetus autem temporalia.

Denique, præcellentia Legis Novæ supra Veterem ex eo maxime apparet, quod lex Vetus soli populo Judaico præscripta fuerit: unde Deut. 4. *Quæ est alia gens sic inclyta, ut habeat cæremonias, justa judicia, et universalem legem?* Hinc Apost. ad Galat. 3. *Abrahæ datæ sunt promissiones, et semini ejus.* Unde Regius Vates Psalm. 147. *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis.* Evangelium autem datum est omni prorsus humano generi, Christus enim Marci 16. Apostolis mandat: *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* Et Matth. 28. *Ite, docete omnes Gentes* etc. Insuper, lex Vetus præscripta fuit populo Judaico, a Deo quidem, sed ministerio Angelorum, et per manus Moysis; lex autem Evangelica Christum Dominum Dei Filium habet auctorem et promulgatorem: quam utique prærogativam multis commendat Apostolus ad Hebr. 1.

Demum, lex Vetus cum terrore, Nova vero cum amore promulgata est; cœpit enim evulgari ipso die Pentecostes, quo Spiritus sanctus, cujus peculiare nomen est Amor, Apostolis sese infudit, in eorum cordibus divinum amorem effudit, ad quod respiciens S. Bernard. Epist. 107. admirans exclamat: *O geminum, ipsumque firmissimum erga nos amoris argumentum! Christus moritur: meretur ergo amari. Spiritus afficit, et facit amari: ille fecit cur ametur, iste ut ametur, ille multum dilectionem nobis commendat, iste dat: in illo cernimus quod amemus, ab isto sumimus unde amemus: charitatis ergo ab illo occasio, ex isto affectio.*

* « Petes: utrum lex Evangelica convenienti tempore præscripta fuit. **Respondeo** affirmative: cum enim ea lex habeat adjunctam rationem Spiritus Sancti, præscribi non debuit priusquam peccatum ab humano genere per Christi mortem et passionem tolleretur, ut docet Apostolus ad Rom. 8. ubi cum præmisisset elogium legis novæ, subjungit: *Deus Filium suum mittens in similitudinem peccati, de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis.* 2. Lex nova est lex perfecta; sed quod perfectum est, statim dari non debet, sed quodam (ait S. Thomas) temporali successionis ordine, sicut aliquis fit puer, et postmodum vir. Traditur ea ratio ab Apostolo: *Lex*, inquit ad Galatas 3. *pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur: at ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo.* 3. Par fuit ut homo per peccata suam experiretur infirmitatem, et cognosceret se gratia indigere, juxta illud Apostoli ad Rom. 5. *Lex subintravit, ut abundaret delictum: ubi autem abundavit delictum, superabundavit et gratia.* — Has omnes Evangelicæ legis supra Mosaycam prærogativas quinque capitibus complexus est Subtilis Doctor in 3. dist. 19. n. 7. « Primo, quia Christus per suam passionem exhibitam « nobis plus gratiæ meruit quam per eam antiquis exhibendam. Se- « cundo, quia plura quam Israëlitæ habemus gratiæ adjutoria, nam « illi, inquit, præter matrimonium (si tamen apud illos matrimonium « fuit sacramentum) nullum habuerunt sacramentum nisi circumci- « sionem, et hoc ut remedium contra originale. Post recidivationem « vero, si mereri potuerunt gratiam aliquam motu proprio, bene « quidem: sed ad gratiam tunc acquirendam nullum fuit sacramentum « tunc institutum apud eos. Non enim habuerunt sacramentum pœni- « tentiæ, nec alia plura adjutoria ad gratiam impetrandam, quæ

« habemus nos. Tertio, præter majorem efficaciam sacramentorum et « pluralitatem eorum, habemus doctrinam magis explicativam et de- « claravivam veritatis, quam ipsi habuerunt, et exempla sanctorum « plura, et efficaciora ad imitandum. Et quarto plura merita sanctorum « qui forte non tantum sibi sed etiam nobis meruerunt, et nos etiam « meremur invocando auxilium eorum, et intercessionem apud Deum. « Simpliciter ergo plura adjutoria et efficaciora sunt in lege christiana « quam veteri, et ideo ex ea parte, lex nova est levior. Est etiam unum « adjutorium valde notabile, quia nobis pro observatione legis chri- « stianæ promittitur explicite vita æterna: illis autem vel raro, vel « numquam, nisi bona temporalia promittebantur: numquam autem « tantum alliciunt animam ad servandam legem æternam bona tem- « poralia, sicut bona æterna. » *Ita Doctor.* " ✳

DISPUTATIO QUARTA.

DE LEGIBUS HUMANIS.

Quamquam ad Theologum proprie non spectet de Legibus ab homine editis et sancitis disserere, utpote cum hæc dicendi materies ad utriusque Juris, Pontificii nempe ac Cæsarei Doctores, veluti propria messis aliena manu non metenda pertineat, nihilominus quoniam humanæ Leges non solum naturæ, sed etiam Dei legibus affines sunt, et quasi fluvioli ab illo totius æquitatis ac rectitudinis oceano defluentes; cumque non solum rectæ rationis dictamini, sed etiam divinæ ordinationi et administrationi congruere debeant, ut justæ censeantur: hinc est, quod a sibi præscripto stadio non deviet Theologus, dum nonnulla de humanis Legibus discutienda proponit. — *Lex autem Humana* dicitur *illa, quæ immediate auctoritate Humana, sive Civili, sive Ecclesiastica præscribitur.* Auctoritas autem legislativa civilis nulli homini singulari ex natura rei, et per se convenit; cum enim omnes homines ex natura nascantur liberi, nullus in alterum jure naturæ politicam auctoritatem et jurisdictionem obtinet. Licet enim parentes habeant in filios paternam et œconomicam potestatem; hæc tamen ad leges ferendas non sufficit: nam potestas legislativa est potestas regiminis publici perfectæ communitatis; siquidem lex unus est ex præcipuis actibus, quibus Respublica gubernatur; hæc autem nonnisi publica potestate et jurisdictione administratur et subsistit. Hinc quicumque inter homines habent potestatem legislativam, necessum est ut vel eam recipiant a Deo immediate, uti de facto receperunt Saul, David, et alii quidam ab ipso Deo Reges electi et designati; vel eam excipiant a communitate hominum conveniente in unum corpus politicum, quatenus recte regantur, et feliciter vivant. — Habent autem homines a natura, et a Deo ut auctore naturæ facultatem, et inclinationem conveniendi in ejusmodi communitatem: *Nam*, inquit Cicero in lib. *De Amicitia: nihil principi Deo in rebus humanis est gratius, quam homines habere inter se societatem ordinatam, et perfectam:* cum enim homo natura sua sit animal sociabile, naturaliter appetens vivere in communitate, multisque rebus indigeat ad commode vivendum, quæ neque ab uno solo homine, nec unica familia præstari possunt, qualia sunt omnia necessaria, vel commoda petenda

ab artibus, et disciplinis; idcirco homines ut sibi illa necessaria procurent, jus habent instituendi communitatem perfectam, quæ civilis vocatur, estque vel inter incolas ejusdem civitatis, vel etiam inter plures civitates in uno regno. Hæc autem communitas ut perfecte dirigatur, necessum est, in ea vigeat aliqua suprema potestas, ad quam ex officio pertineat bonum commune intendere, et procurare; alioqui negligetur, dum privati quique ut solent, commodis suis tantum, aut præcipue attendunt, minusve curant quæ ad bonum commune pertinent. Inter media vero quibus commune bonum procuratur, et Respublica perfecte administratur, præcipuæ sunt leges, quibus ea constituuntur, quæ ad pacem, et justitiam conservandam, communemque felicitatem instituendam expediunt. Quocirca illi, quibus ex officio incumbit Rempublicam cum suprema jurisdictione administrare, debent habere jus ferendi leges necessarias ad publicam concordiam, pacem, justitiam, et felicitatem stabiliendam necessarias. — Ut igitur cæteris Theologis morem gerentes, nonnulla de Legibus Humanis discutiamus, præsentem Disputationem, sicut et præcedentem tres in Articulos distribuemus, quorum *Primus* Legum Humanarum necessitatem, existentiam, et causas aperiet: *Secundus*, efficaciam, et obligandi vim: *Tertius*, earumdem imminutionem, et relaxationem explicabit.

ARTICULUS PRIMUS.

DE EXISTENTIA, ET CAUSIS LEGUM HUMANARUM.

Etsi hominibus ingenita lex dictitet in communi quid faciendum sit, quidve fugiendum; quoniam tamen præter præcepta morum singulis ingenita, multa alia desiderantur ad rectam hominum societatem instituendam et gubernandam, juxta varios rerum eventus particulares, ideo necessarium fuit, ut per humanam rationem generalia legis præcepta magis in particulari determinarentur; quatenus nempe datis occasionibus provideretur Reipublicæ paci, concordiæ, ac felicitati, quod utique per leges ab hominibus sancitas efficitur; quapropter illas esse Reipublicæ utiles et necessarias nullus sanæ mentis denegabit. Unde S. Isidorus lib. 5. *Etymolog.* c. 20. *Factæ sunt Leges ut humano metu humana coerceretur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia, et in ipsis improbis formidato supplicio refrænetur nocendi facultas.* Necessarium ergo fuit Leges Humanas stabiliri, quibus et justi vitam tranquille pacateque ducerent, et protervi ac ad vitia proni, qui nec virtutis pulchritudine moventur, nec verbis cedunt, per vim, et metum intentati per legem supplicii a malo cohiberentur, et tandem per assuetudinem probi fierent. — Inde colligitur altera Legis Humanæ ratio summæ necessitatis, quod in Lege Naturali nulla pœna decernatur; in divina vero Evangelica, pœna dumtaxat in altero sæculo luenda præscribitur: quocirca propter sui dilationem minus homines timore percellit; subindeque oportuit leges humanas institui, quæ pœnam earum transgressoribus brevi luendam statuerent, quo facilius quisque a malo revocaretur. Non opus est igitur diutius immorari in probanda legum humanarum necessitate et existentia, quam tota prædicat antiquitas, Gentes omnes, quæ barbariem deposuerunt, universim testantur, nullus enim est hominum

cœtus, qui leges non habeat; et Deus ipsemet probat, cum ait Proverb. 8. *Per me Reges regnant, et Legum conditores justa decernunt.* Necnon et dum adversus Tyrannos intonat Isaiæ 10. *Væ qui condunt leges iniquas.* Cum enim solum arguat legum institutionis abusum, rectum, ac legitimum usum perspicue probat.

Itaque solum hoc in Articulo proponimus determinandum: *Primo,* an adhuc sub Evangelica lege vigeat humanarum legum obligandi virtus: *Secundo,* apud quos resideat leges condendi auctoritas: *Tertio,* quinam legibus præscriptis subjiciantur.

QUÆSTIO PRIMA.

AN, QUID, ET QUOTUPLEX SIT LEX HUMANA.

Notandum 1. Omnem humanam legem derivari a lege naturali: lex enim nulla est, nisi sit justa; in rebus autem humanis in tantum aliquid censetur justum, in quantum censetur conforme regulis rationis; rationis autem prima regula est lex naturæ. Unde omnis lex humanitus posita, in tantum habet de ratione legis, in quantum a lege naturæ derivatur; si vero in aliquo a lege naturæ discordet, jam non erit lex, sed legis corruptio. *Dupliciter* autem potest aliquid a lege naturæ derivari, vel scilicet per modum conclusionum ex principiis communibus legis naturæ: sicut *quod non sit occidendum* derivatur ex eo quod *nulli est faciendum malum;* vel per modum determinationis, sicut lex naturæ habet, *malefactorem puniendum esse,* sed quod tali vel tali pœna puniatur, est quædam determinatio legis humanæ: utraque igitur inveniuntur in lege humana posita: sed ea, quæ sunt prioris modi, continentur in lege humana, non tamquam solum per eam posita, sed habent etiam aliquid vigoris ex lege naturali; ea vero, quæ sunt posterioris modi, ex sola lege humana vigorem habent.

Notandum 2. Legem humanam juxta variam sui considerationem, varie posse dividi. *Primo* namque quatenus derivata est a lege naturæ, dividitur in jus positivum, gentium, et jus civile. Ad jus gentium pertinent ea, quæ derivantur ex lege naturæ, sicut conclusiones ex principiis: ad jus autem civile spectant ea, quæ a lege naturæ emanant per modum particularis determinationis, secundum quod quælibet civitas, vel quodlibet regnum aliquid ad sui tranquillitatem, et securitatem judicat esse stabiliendum et servandum. *Secundum,* cum de ratione legis humanæ sit, quod ordinetur ad bonum commune civitatis, et regni, juxta hanc considerationem dividi potest secundum varium statum hominum, qui incumbunt bono communi procurando, stabiliendo, et administrando, qua ratione aliæ leges præscribuntur pro Sacerdotibus, aliæ pro gubernatoribus, aliæ pro militibus, etc. *Tertio,* quia de ratione legis humanæ est, ut instituatur a Gubernante communitatem et societatem hominum: inde fit quod leges humanæ distinguantur secundum diversa regimina in monarchicas, aristocraticas, et democraticas. *Quarto,* cum lex humana tota sit in directione bonorum actuum; secundum hoc distinguuntur leges penes ea, de quibus feruntur. Hinc est lex Julia *de adulteris,* lex Cornelia *de sicariis,* et sic de aliis. *Quinto* denique cum lex spectari possit secundum

distinctam auctoritatem Legislatoris, nempe politicam et ecclesiasticam, hinc fit quod aliæ leges dicantur Ecclesiasticæ, quæ alias appellantur canones, seu regulæ præscriptæ ab iis, qui a Christo Domino curam et auctoritatem habent administrandæ et regendæ Ecclesiæ; aliæ sunt leges Civiles, seu Politicæ, quæ præscribuntur a Principibus, atque ab iis, qui regendæ Reipublicæ incumbunt.

Notandum 3. Circa Christi Domini nativitatis tempora exortum fuisse errorem quorumdam asserentium non esse licitum fidelibus alium præter Deum superiorem agnoscere; subindeque nec parendum esse sæcularibus Principibus, nec eorum legibus obediendum. Quorum errorum antesignanus extitit *Judas Galilæus in diebus professionis,* ut legimus Act. 5. idest, circa nativitatem Christi, quando videlicet *exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis, et ibant omnes ut profiterentur,* ut legimus Lucæ 2. Additur autem de illo Juda quod *avertit populum post se.* Quid autem ille prædicaret, sacer textus non loquitur: S. autem Hieronymus refert, dicens in 3. cap. Epist. ad Titum: *In initio, inter cætera hoc quasi probabile proferebat ex lege, nullum debere Dominum, nisi solum Deum vocari, et eos, qui ad templum decimas deferrent, Cæsari tributa non reddere.* Aitque hanc hæresim multum percrebuisse usque ad tempora prædicationis Christi, et illius occasione Pharisæos misisse Discipulos suos ad Christum interrogandum, *an liceret dare censum Cæsari.* Addit autem Anastasius Nyssen. q. 67. in *Scripturam,* sectatores hujus Judæ Galilæi vocatos fuisse *Galilæos,* qui prohibebant offerri sacrificia pro Imperatore, et populo Romano, et ideo interfectos fuisse a Pilato: hos enim credit esse illos Galilæos, quorum sanguinem miscuit Pilatus cum eorum sacrificiis. Hunc autem pridem sopitum errorem denuo suscitavit Lutherus in lib. *De libert. Christiana,* ubi ait: *Nullo opere, nulla lege homini Christiano opus est, cum per fidem sit liber ab omni lege.* Et in Commentario Epist. ad Galat. *Sola fides,* inquit, *necessaria est, ut justi simus: cætera omnia liberrima, neque præcepta amplius, neque prohibita.* Ibidemque hæc addit: *Si conscientia dictat, peccasti. Responde, peccavi: ergo Deus puniet, et damnabit? non. At lex hoc dicit? sed nihil mihi cum lege. Quare? quia habeo libertatem:* et addit *ibidem* nullam legem Christianis, sive ab hominibus, sive ab Angelis imponi posse, nisi quantum ipsi velint. Ab hoc autem errore non longe abest Calvinus; nam lib. 4. Inst. c. 10. n. 8. affirmat, *Deum esse unicum Legislatorem: non licere hominibus id sibi honoris sumere,* et num. 5. prius dixerat leges humanas dictas et probatas sive ab Ecclesia, sive a magistratu ferantur, non ligare per se conscientiam. Contra quos errores sit

Conclusio prima. — Fideles per Legem Evangelicam non eximuntur ab obligatione parendi Legibus Humanis, et obedientia erga superiores Ecclesiasticos, et temporales; proindeque adhuc perseverat legum humanarum necessitas, et utilitas.

Probatur Conclusio illis omnibus Scripturæ textibus, quibus Christus Dominus, et Apostoli fidelibus præcipiunt, ut debitam observantiam, et obedientiam Superioribus, tam Ecclesiasticis, quam politicis

impendant. Sic Matth. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo,* ex quibus verbis Justinus Martyr in *Apologia secunda pro Christianis*, colligit præceptum solvendi tributa Principibus: *ibidemque* profitetur nomine omnium Christianorum subjectionem, et obedientiam erga Romanos Imperatores tunc Ethnicos. Similiter Lucæ 10. Christus Dominus alloquens Apostolos ait: *Qui vos odit, me odit; et qui vos spernit, me spernit:* quibus Christus præcipit fidelibus, ut Apostolis, et in eorum persona, Prælatis aliis Ecclesiasticis Apostolorum successoribus debitam ex præcepto divino impendant obedientiam. Hinc S. Paulus ad Rom. 13. generaliter præscribit v. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non enim est potestas nisi a Deo: quæ autem sunt a Deo, ordinata sunt*: et v. 2. *Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt:* et v. 5. *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Cujus postremi testimonii priora verba, *necessitate subditi estote,* directe pugnant contra id, quod contra dixit Lutherus, non esse subditos fideles, nisi ipsi velint. Posteriora vero, *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*, contraria sunt ei, quod dicit Calvinus, leges humanas non obligare per se conscientiam. Et ad Tit. 3. v. 1. *Admone illos Principibus, et Potestatibus subditos esse.* Et Hebr. 17. v. 17. *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Et 1. Petri 2. v. 13. *Subditi igitur estote omni humanæ creaturæ, sive Regi, quasi præcellenti, sive Ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum; quia hæc est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam,* eorum scilicet, qui Christianos accusabant ipso initio prædicationis Evangelii, quod principatum humanum everterent, et inobedientiam erga Principes, et erga leges humanas introducerent, ut testantur S. Hieron. in c. 3. *Epist. ad Titum*, initio; et Chrysost. homil. 23. in *Epist. ad Tim.* his verbis: *Plurima tunc temporis circumferebatur fama, traducens Apostolos veluti seditiosos, rerumque novatores, qui omnia ad evertendum leges communes, et facerent, et dicerent:* qui etiam notant idcirco Apostolos Petrum et Paulum, tam multa in suis Epist. dixisse de obedientia erga Principes et Superiores, ut huic errori sese opponerent. — *Confirmatur* ex facto Apostolorum, qui varia præcepta variasque leges in ipso nascentis Ecclesiæ exordio fidelibus præscripserunt. Sic Act. 15. statuerunt, *ut gentibus de novo conversis præcipiatur abstinere a sanguine, suffocato, et idololythis.* In fine ejusdem capitis de Paulo, scribitur: *Præcipiens custodire præcepta Apostolorum, et Seniorum.* Et ex eo quod Apostolus usus est ista potestate 1. ad Timot. 3. *Hæc tibi scribo, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari.* Ibidem Bigamos et Neophytos ad Episcopatum non esse assumendos edicit, 1. ad *Cor.* 14. mulieres in Ecclesiis taceant, et ex antiqua Ecclesiæ praxi, ut constat ex Canonibus Conciliorum vetustissimorum 3. et 4. sæculo coactorum.

Suffragatur etiam ratio; quia lex Evangelica Principes sæculares, et Prælatos Ecclesiasticos sua auctoritate non fraudat, et spoliat, imo potius illam commendat, stabilit, et confirmat, velut a Deo derivatam, juxta illud Joan. 19. *Non haberes potestatem adversum me ullam*, in-

quiebat Christus, *nisi tibi datum esset desuper:* et Rom. 13. *Non est potestas nisi a Deo.* Nec etiam eos privat illius potestatis usu in condendis legibus necessariis vel utilibus ad bonum regimen Ecclesiæ aut Reipublicæ; nam sicut ante legem Evangelicam, sic etiam sub ea multa occurrere possunt ad Dei cultum, morum directionem, Reipublicæ tranquillitatem et pacem conducentia, quæ divinis legibus Novi Testamenti determinata non sunt et expressa, ut patet non solum in legibus pertinentibus ad Sacramentorum administrationem et receptionem, censuris Ecclesiasticis, impedimentis matrimonii, sed etiam in iis, quæ spectant ad rectam imperii, regni, et cujusvis communitatis directionem; nam non potest communitas civilis perfecta sine legibus gubernari. Hinc tanto studio fideles nascentis Ecclesiæ observabant imperatorias leges, quæ divino cultui non erant contrariæ, ut merito Plinius scribens ad Trajanum de Christianis, significaverit nihil se invenisse quo culpari possint, de non servatis, excepta religione, Imperatoriis legibus, atque edictis. Cujus quidem observantiæ S. Augustin. lib. *De catechizandis rudibus* cap. 21. dicit fuisse figuram in Veteri Testamento, quando Judæis capta Jerosolyma, et Babyloniam deducti jussi sunt orare pro eis, a quibus captivi tenebantur, et in eorum pace pacem sperare suam: eoque id effecerunt, ut verum Deum tandem quidam illorum Regum agnoscerent et colerent. Simili modo Christi fideles exacte servando Imperatorum decreta effecerunt, ut et ipsi tandem Christo crediderint.

Objiciunt hæretici: Judæis est prohibitum aliquas leges legi divinæ superaddere: ergo pariter Christianis non est licitum novas condere leges, quæ jus divinum in Novo Testamento exaratum determinent, ejusque impletionem promoveant. *Probatur antecedens,* ex Deuter. 4. ubi dicitur: *Non addetis ad verbum, quod loquor vobis, nec auferetis ex eo, etc. et quod præcipio tibi hoc tantum facies, nec addas quidquam nec minuas.* Patet etiam *consequentia,* tum a paritate rationis, tum quia S. Joan. cap. ult. Apocal. ita præscribit: *Contestor omni audienti verba Prophetiæ libri hujus, si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto: et si quid diminuerit de verbis libri Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, etc.* — **Respondeo 1.** Distinguendo *anteced.* Judæis est prohibitum aliquid addere legibus a Deo sancitis; tamquam si leges ab eis additæ divinæ essent, *concedo;* secus, *nego.* Nam ex ipsomet Veteri Testamento constat plura ab hominibus sanctissimis fuisse sancita ab universis Israelitis in perpetuum servanda; nam Esther 9. Judith. ult. et 1. Machab. 4. nova festa fuerunt instituta in perpetuum servanda: et 1. Regum 30. David constituit *ut esset æqualis portio descendentium ad prælium, et remanentium ad sarcinas.* — *Respondeo* 2. Negando *consequentiam;* discrimen enim inter Legem Novam, et Veterem est, quod in veteri lege præter moralia præcepta, etiam præscripta fuerunt judicialia et cæremonialia, etiam quantum ad minima, quæ vel Dei cultum, vel pacem inter Judæos stabiliendam et servandam spectabant: quare non mirum est, si forte non fuit in potestate hominum leges humanas Ecclesiasticas ferre, cum Deus providerit omnibus per seipsum; at in lege Nova secus accidit; cum enim nihil præscriptum fuerit a Christo Domino circa judicialia et cære-

monialia, eo quod hæc per se non ordinabantur, nec quidquam conferebant ad gratiam, in qua primario lex nova consistit, idcirco debuerunt ea præscribi per homines. Unde ad textum Apocal. dico S. Joannem tantum prohibere detractionem, vel additionem ad ea, quæ vaticinatus fuerat, et in eo libro scripserat: non vero facultatem adimit Christianis Prælatis, et Principibus nova decreta stabiliendi, quæ vel Ecclesiæ, vel civilis communitatis rectam administrationem concernunt.

Objiciunt 2. Christus Dominus Marci 7. damnat humana præcepta, proferens illud Isaiæ c. 29. *In vanum me colunt docentes doctrinas, et præcepta hominum.* Et Matth. 23. arguit Pharisæos, quod *onera gravia humeris hominum imponerent, digito autem suo nollent ea movere.* Ergo censuit non morem gerendum præceptis et legibus humanis. — **Nego consequentiam**, et ad textum S. Marci, *respondeo*, idcirco Christum Dominum reprehendere Pharisæos, quod nempe multas vanas, et inutiles observantias superstitiose proponebant suis sectatoribus, parvi autem ducebant observantiam divinorum mandatorum, ut patet ex ratione, quam ipsemet Christus subjungit dicens: *Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditiones hominum, baptismata urceorum, et calicum, et alia similia his facitis multa.* Addit: *Bene irritum facitis præceptum Dei, ut traditionem vestram servetis.* Cujus quidem rei subjicit exemplum, nempe quod potius essent munera in templo offerenda, quam parentum necessitati subveniendum. *Ad textum vero Matth.* dico Christum partim redarguere Pharisæos, quod digito suo nollent movere onera aliis imposita, ad quæ tamen portanda hortabatur populum dicens: *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis servate, et facite:* partim quod in minutioribus quibusdam observantiis, ut in solvendo decimas menthæ, et anethi, etc. essent accurati, et graviora negligerent: unde subjungit: *Hæc oportuit facere, et illa non omittere.*

Objicies 3. Christiani in Novo Testamento dicuntur exleges, et omnino liberi: ergo nullis humanis legibus, tam Ecclesiasticis quam civilibus tenentur. *Probatur antecedens.* ex illo Matth. 7. ubi Christus ait: *Liberi sunt filii,* scilicet a dandis tributis. Similiter ad *Galatas* 2. conquæritur Apost. quod falsi fratres *subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu: ut nos in servitutem redigerent.* Et cap. 1. *Itaque fratres non sumus ancillæ filii, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit.* Et cap. 5. *Vos in libertatem vocati estis.* Et ibidem: *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Et 1. ad Timoth. 1. *Justo non est lex posita.* Et 2. ad Corinth. 3. *Ubi spiritus Domini, ibi libertas.* — **Nego consequentiam**: licet enim Christiani vocati sint in libertatem, hæc tamen libertas non est exemptio ab obedientia superioribus præstanda, sed vel a dominio peccati, vel a spiritu et timore servili, vel ab onere legis Mosaycæ. Unde monebat S. Petrus Epist. 1. cap. 2. *Quasi liberi, et quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei.* Unde ad singulos textus respondeo: *Ad primum quidem dico,* illa verba Christi ex Matth. non esse ad propositum; nam sensus illorum est, Reges et Principes non solere tributum exigere a suis filiis, sed hoc esse ab omni tributo liberos; adeoque nec vere a Christo fuisse exigendum tributum, qui erat filius summi Regis, et omnium Dominus. — *Ad textus autem*

Apostoli ad Galatas dico eum ibi sermonem instituere de Christianorum libertate, et exemptione ab onere legis Mosaycæ, quam ostendit fuisse legem servitutis, et populum Judaicum, cui data est, fuisse præsignatum per Ismaëlem Ancillæ filium; Christianos autem per Isaac filium Liberæ, quibus significat nos esse liberos a lege Mosayca, non autem ab omni alia; propter quod addit: *Tantum ne libertatem hanc* (a Lege Mosayca) *in occasionem detis carnis; sed per charitatem spiritus servite invicem.* Hinc ibidem rite advertit S. Chrysost. quod Apostolus, *cum legis jugum detraxisset, ne subsilirent, aliud illis imponit jugum, nimirum charitatis, illo quidem validius, sed multo levius, ac jucundius.* Vult igitur Apostolus, quod Christiani liberi sint a jugo legis Mosaycæ, non autem a lege charitatis erga invicem et erga Deum, quæ lex charitatis omnia alia moralia præcepta continet, ut ibidem significat Apostolus dicens: *Omnis enim lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* — *Ad illud Epist. ad Timoth.* dico *justo non esse legem positam,* quatenus pœnas, et terrores minatur; cum justus legem impleat, non formidine pœnæ sed amore honestatis et justitiæ: illo modo autem est posita injustis, et parricidis, ut ibidem docet Apostolus. — *Ad locum* 2. *ad Cor.* dico Apostolum solum velle, quod fideles liberi sint ab obscuritate et crassitie veteris legis, et a cæcitate et duritie cordis Judæorum; quatenus libere Deo serviant, et veritati rebusque divinis intendant: unde paulo ante dixerat: *Usque in hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen positum est super cor Judæorum. Cum autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen: Dominus autem spiritus est, ubi autem spiritus Domini ibi libertas, non vero revelata facie gloriam Domini speculantes, etc.*

Objiciunt 4. Christus Dominus *Lucæ* 22. Apostolos alloquens ait: *Reges gentium dominantur eorum: vos autem non sic:* ergo censet Christus nullam vigere dominationem apud fideles; proindeque nec apud eos esse legislativam potestatem. Similiter 1. *ad Cor.* 7. Apostolus ait: *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum.* — **Respondeo** primum, Christum illis verbis monere tantum discipulos suos, ut nec dominatum, nec titulos honoris, et excellentiæ affectent, sed potius exoptent aliis servire. Si autem cæteris præesse cogantur, non id faciant quasi dominantes, sed quasi ministrantes, suumque imitentur exemplum, qui cum esset eorum Dominus et magister, in medio eorum erat sicut qui ministrat. — *Ad Apostolum* dico ipsum prohibere ne efficiamur servi hominum in iis, quæ Deum offendunt, eis scilicet ita se accommodando, ut eis obsequium impendentes, quæ Dei sunt deseramus: alioqui enim alibi servos monet Apostolus, ut suis dominis temporalibus obsequantur. Sic ad Ephes. 6. *Servi, obedite dominis carnalibus cum tremore, et timore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: scientes quoniam unusquisque, quod fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber.* Idem repetit *ad Coloss.* 3. idem pariter docet S. Petrus 1. cap. 2. dicens: *Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis.*

Conclusio secunda. — Lex humana non incongrue describitur: dictamen rationis practicæ ad commune bonum ar-

EO, QUI CURAM COMMUNITATIS HABET, ET IN EAM AUCTORITATE POLLET, SUBDITIS SUFFICIENTER NOTIFICATUM.

Patet hujusce descriptionis veritas ex illius partium declaratione. *Primo* namque lex humana dicitur *dictamen rationis practicæ*, in quo veluti generice convenit non solum cum lege naturali, a qua velut a fonte derivatur, sed etiam cum consilio, et simplici mandato præscripto ab eo qui potestatem exercet; dum autem subditur *ad bonum commune*, excluditur privilegium, quod in bonum privatum alicujus particularis dumtaxat conceditur. Cætera vero adduntur, tum ut excludatur consilium, quod auctoritatem unius in alterum non exigit: tum ut explicetur vis et efficacia coactiva legis, quæ fieri potest per superiorem habentem supremam potestatem in subditos, quibus legem præscripsit et notificavit.

Advertendum nihilominus, alias a jurisperitis legis humanæ definitiones tradi: Gratianus enim c. *Lex* distinct. 2. ait quod *Lex est constitutio populi, qua majores natu simul cum plebibus aliquid sanxerunt.* Papinianus vero *Lege* 1. *ff. de legibus*, sic eam describit: *Lex est commune præceptum, virorumque prudentum consultum, delictorum prohibitio, et communis reipublicæ sponsio.* Demum Rebuffus *in Proœmio constitutionum regalium glossa* 1. *num.* 1. hanc tradit legis humanæ descriptionem; *Lex est commune bonum, sine quo nihil unquam boni fieri possit.* Licet autem hæ omnes, et aliæ similes legis humanæ descriptiones revera probari possint, nihilominus ea, quam tradidimus, exactior, et magis probanda videtur; utpote quæ genus, et differentiam perspicacius explicet.

Advertendum insuper ad legis humanæ integritatem, et perfectionem varias requiri conditiones, quas omnes complectitur Isidorus lib. *Etym.* cap. 2. et Gratianus dist. 4. his verbis: *Erit autem lex honesta, justa, possibilis, secundum naturam, secundum consuetudinem patriæ, loco et tempori conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat: nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta.* Primo dicitur quod lex debet esse *honesta, et justa:* cum enim ordinetur lex ad componendos hominum mores, qui probi et virtuosi esse nequeunt, nisi honestate virtutis, et justitia imbuantur; hinc merito sanctus Augustinus lib. 1. De libero arb. c. 5. *Mihi lex esse non videtur, quæ justa non fuerit.* Discrimen autem est inter has duas legis humanæ particulas, *honesta, et justa*, quod eatenus *honesta* dicitur, quatenus præcipit quod honestum est, et rectæ rationi congruum; *justa* vero prout æqualiter, et sine ulla exceptione omnes subditos ad præscriptum obeundum, vel vitandum compellit. — *Secundo* dicitur, quod lex debeat esse *possibilis*, idque non solum possibilitate physica, verum etiam morali, nempe, ut subditorum viribus sit contemperata: lex enim humana debet multitudinem, cui præscribitur dirigere ad bonum commune; tali autem modo non dirigeret, si aliquid factu difficile præciperet, siquidem id potius vergeret in detrimentum boni communis, essetque subditis in laqueum, cum vix a paucissimis observaretur, ob difficultatem rei præceptæ, et humanam fragilitatem. Quare id maxime cavere debent Principes et prælati ne multitudine legum, et difficultate subditos opprimant et obruant. Unde merito dixit Seneca Epist. 94. *Legem brevem esse opor-*

tet, quo facilius ab imperitis teneatur, vel ut emissa divinitus vox sit: jubeat, non disputet. Hinc S. Augustinus Epistola 119. quæ est ad Januarium de variis ritibus Ecclesiasticis, ubi diversa Ecclesiæ præcepta commemorasset, ait cap. 19. *Omnia itaque talia, quæ neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universæ Ecclesiæ roborata sunt, sed diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix aut omnino numquam inveniri possint causæ, quas in eis instituendis homines secuti sunt; ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione rescanda existimo. Quamvis enim neque hoc inveniri possit, quomodo contra fidem sint, ipsam tamen religionem, quam paucissimis, et manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premunt ut tolerabilior sit conditio Judæorum, qui etiamsi tempus libertatis non agnoverint, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus subjiciuntur. Sed Ecclesia Dei inter multam paleam, multaque zizania constituta multa tolerat, et tamen quæ sunt contra fidem, vel bonam vitam non approbat, nec facit.* — *Tertia* conditio est ut lex humana feratur secundum *consuetudinem patriæ:* siquidem juxta regionum, et gentium varietatem variæ sunt etiam consuetudines; proindeque variari debent leges. — Additur quod *loco, et tempore congruere debeant.* Inde factum est, quod tanta sit legum variatio; quæ enim uno tempore congruebant, altero videntur infestæ. — Sequitur quod debeat esse *necessaria*, et *utilis:* necessaria, inquam, ad malorum proscriptionem; si enim in republica omnia recte constent, omnino supervacanea est lex. Utilis autem, nam si nullam communi bono utilitatem afferat, omnino ut frustranea et inanis est ableganda. Additur quod *lex debeat esse manifesta:* unde Justinianus lib. *De legibus: Leges,* inquit, *sacratissimæ ab omnibus intelligi debent, ut universi præscripto earum manifestius intellecto prohibita declinent, et faciant præscripta.* Cætera adduntur ut exinde constet qualiter leges omnes cedere debeant in bonum commune, ut in prima Disp. dictum est.

QUÆSTIO SECUNDA.

PENES QUOS RESIDEAT LEGISLATIVA POTESTAS.

Notandum 1. Supremam legislativam potestatem penes solum Deum residere; cum enim unus sit potentissimus omnium rerum Artifex, ejus solum est res omnes, maxime ratione præditas, per debita media suos in fines dirigere. Cum autem duplex hominum sit status, ac finis, unus naturalis, alter supernaturalis, ad quos duplici divinæ suæ providentiæ vigilantia, Deus suos in fines ordinat, etiam duplicem hominibus auctoritatem indidit, qua tamquam ejus supremæ potestatis administri alios sibi subditos dirigerent ad utramque felicitatem, naturalem, et supernaturalem. Hinc *duplex* exurgit inter homines legislativa potestas: *alia* quidem civilis, et politica, qua respublica rite, pacateque administretur et subsistat; *alia* autem spiritalis, et Ecclesiastica, qua Christi Domini fideles invicem non solum charitatis, sed etiam tranquillitatis, et concordiæ vinculo cohæreant; ac sibi præ-

scriptis legibus obtemperantes faciliori, securiorique gressu vitam æternam possint assequi. Quæritur ergo apud quos hæc utraque leges ferendi potestas maxime resideat, et vigeat.

Notandum 2. Hoc esse discrimen inter utramque hanc legislativam potestatem, quod Ecclesiastica a Christo Domino derivata sit in Petrum, et ejus Successores, juxta illud Matth. 16. *Tibi dabo claves regni Cœlorum*, et Joan. 20. *Pasce oves meas:* quibus, ut dicemus mox, promittitur, deinde committitur regimen universalis Ecclesiæ Petro, et ejus Successoribus: politica vero primario, et quasi radicaliter resideat penes ipsam communitatem, seu rempublicam; hæc enim potestas consequitur ex natura rei conditionem corporis politici, velut quædam illius moralis proprietas; siquidem eo ipso quo aliqui coeunt in aliquem cœtum, ista communitas ex natura rei habet potestatem se regendi per media convenientia: proindeque præscribendi leges, quibus singula membra bono communi studeant, et invigilent. Sicut enim eo ipso quo servus aliquis, aut alius adscribitur in familiam alicujus Domini, ex conscientia ipsius regimini subjacet; ita et membra communitatis, hoc ipso quod in unum corpus coeunt, ipsius corporis regimini, et auctoritati subjacent. Hæc autem potestas totius communitatis non residet penes aliquod ipsius membrum; quia non est potior ratio de uno homine, quam de altero, ob quam illi ex natura rei jus regendi multitudinem, seu communitatem competeret: maxime cum singuli homines sibi libertatem vindicent, nec ex natura sua alicui politicæ potestati subjiciantur. Hæc igitur potestas penes totam ipsam communitatem residet, non tamen ei ita immobiliter est affixa, quin possit ab ea amoveri, nam primo Deus tamquam supremus omnis creati juris Dominus potest hanc potestatem legislativam auferre ab illa communitate, et alicui illius membro conferre, sicut regiminis potestatem super Israëlitas contulit Sauli et Davidi. Potest etiam ipsa Respublica hanc potestatem in unicum sui membrum transferre.

Notandum 3. Hoc insuper esse discrimen inter utramque potestatem, quod Ecclesiastica sit excellentior civili, quantum spiritualia præstant temporalibus, et supernaturalia naturalibus: Ecclesiastica nempe potestas est ordinis supernaturalis, non solum quantum ad principium a quo derivatur, utpote instituta ab Auctore gratiæ, sed etiam quantum ad finem; siquidem finem supernaturalem intendit, et per media supernaturalia; quamvis autem multa præcipere videatur, quæ in substantia sunt ordinis naturalis, tamen hæc idcirco imperat, ut per illa melius consistat ordo Ministrorum Ecclesiæ, qui sacrificia offerre, et ministrare debent sacramenta, cæteraque munia Ecclesiastica obire; quibus populus salutem facilius operetur, seu consequatur. Civilis autem potestas tantum est ordinis naturalis; solum enim spectat ad politicam felicitatem, nec per se spiritualem, et supernaturalem intendit. Nihilominus hæc utraque potestas invicem debet cohærere: hinc Hugo Carnotensis Epist. 238. ad Paschalem Papam merito ait: *Cum regnum, et Sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret, et fructificat Ecclesia: cum vero inter se discordent, non tantum parvæ res non crescunt, sed etiam magnæ miserabiliter dilabuntur.*

His ita prælibatis, tria maxime hic occurrunt examinanda. *Primum* quidem, an et quas leges possint Imperatores et Reges ferre. *Secundum*, an Ecclesiæ Prælati, puta summus Pontifex, Episcopi, etc. possint sibi subditis fidelibus leges præscribere. *Tertium*, an etiam Communitates, et cœtus leges condere valeant.

Conclusio prima. — IMPERATORES, ET REGES NON POSSUNT CONDERE LEGES PURE ECCLESIASTICAS, SED SOLUM POLITICAS : IDQUE DUMTAXAT PRO SIBI SUBDITIS POPULIS. Hæc conclusio duas habet partes, quarum

Probatur prima : Primo quidem auctoritate SS. Patrum, ut constat ex S. Athanas. Epist. ad solitariam vitam agentes ; Hilario adversus Constantium, maxime vero ex S. Ambrosio, qui in concione de *Basilicis non tradendis hæreticis*, ita de Imperatore loquitur : *Quid honorificentius, quam ut Imperator Ecclesiæ filius esse dicatur? Quod cum dicitur sine peccato dicitur, Imperator enim bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est : bonus enim Imperator quærit auxilium Ecclesiæ, non refutat etc.* Et Epist. 13. ad Imperatorem Valentinum, qui mandaverat Ambrosio, ut coram se veniret disputaturus de fide cum Auxentio Ariano, inter cætera scribit : *Quando audisti, clementissime Imperator, in causa fidei Laicos de Episcopo judicâsse? Ita ergo quadam adulatione curvamur, ut Sacerdotalis juris simus immemores, et quod Deus donavit mihi, hoc ipse aliis putem esse credendum? Si docendus est Episcopus a Laico, quid sequetur? Laicus ergo disputet, et Episcopus audiat : Episcopus discat a Laico. At certe si vel Scripturarum seriem divinarum, vel vetera tempora tractemus, qui est qui abnuat, in causa fidei, in causa, inquam, fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis judicare? Evis, Deo favente, etiam senectutis maturitate provectior, et tunc de hoc censebis, qualis ille Episcopus sit, qui Laicis jus Sacerdotale substernit. Pater tuus, Deo favente, vir maturioris ævi, dicebat : Non est meum judicare inter Episcopos : tua nunc dicit Clementia : Ego debeo judicare : et ille baptizatus in Christo, inhabilem se ponderi tanti putabat esse judicii ; Clementia tua, cui adhuc emerenda baptismatis sacramenta servantur, arrogat de fide judicium, cum fidei ipsius sacramenta non noverit.*— Simili constantia et animi fortitudine S. Augustinus scribit ad Bonifacium Comitem de Donatistis, et Circumcellionibus ostendens qualiter, et quando fideles debeant Imperatorum legibus obtemperare ; *Quia*, inquit, *et Imperatores, quando pro falsitate contra veritatem constituunt malas leges, probantur bene credentes, et coronantur perseverantes : quando autem pro veritate contra falsitatem constituunt bonas leges, terrentur sævientes, et corriguntur intelligentes : Quicumque ergo legibus Imperatorum, quæ contra veritatem Dei non feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium, etc.* — Nec obstat : quod aliqui Imperatores Christiani leges aliquas Ecclesiasticas præscripserint, ut constat ex *Codice Justiniani :* nam si quid decreverint, nullam habuit vim obligandi, ex vi sanctionis Imperatoriæ, sed solum *vel* ex concessione Ecclesiasticæ potestatis, quasi per tacitam vel expressam invocationem Ecclesiæ postulantis auxilium brachii sæcularis adversus sævientes hæreticos, aut alia vitia religioni contraria, puta

blasphemias, ritus Paganicos, et Judaicos, quæ per solam Ecclesiæ spiritualem potestatem non poterant cohiberi; *vel* id præstiterunt Imperatores, ut executioni demandaretur, quod vel a Christo Domino, vel ab Ecclesia sancte fuerat ordinatum; nam Reges et Imperatores Ecclesiæ tuendæ ac servandæ maxime invigilare debent, juxta illud Isaiæ vaticinium de Ecclesia: *Erunt Reges nutritii tui, et Reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent.*

Patet etiam secunda pars, nempe quod Imperatores et Reges tantum possint condere leges pro sibi subditis populis. Cum enim leges ferendi auctoritas tantum sese ad subditos extendat, quos Legislatores possunt ad legum observantiam coercere, inde fit, quod nullam prorsus obligandi vim habeant leges respectu eorum, qui Legislatori non subjiciuntur.

Conclusio secunda. — Summus Pontifex, Episcopi, et Concilia potestatem habent leges Ecclesiasticas ferendi.

Prima pars fundatur in illis duobus testimoniis Matth. 16. ubi Christus Petro specialem auctoritatem promittit, dicens: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum*, et *Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Postmodum vero promissum implendo Joan. 21. cum ter Petrum interrogasset, an se plus diligeret, quam cæteri, subjungens, ait: *Pasce oves meas,* hoc est, accipere potestatem regendi, et leges ferendi: verbum enim pascendi in Scripturis significat eam potestatem, ut colligitur ex 2. Regum c. 5. *Tu pasces populum meum Israël, et eris Princeps super eum.* Dum autem indefinite dixit *oves meas,* ostendit potestatem Petro concessam in omnes Christi fideles. — Quam utique veritatem diserte explicat S. Bernardus, lib. 2. *De consideratione ad Eugenium summum Pontificem* cap. 8. ubi eum alloquens ait: *Age, indagemus adhuc diligentius quis sis, quam geras vicelicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, summus Pontifex. Tu princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt... Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium pastor. Unde id probem quæris? Ex verbo Domini. Cui enim, non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolute, et indiscrete, totæ commissæ sunt oves?* Si me amas Petre, Pasce oves meas: *quas? illius vel illius populi, civitatis, aut regionis, aut certe regni?* Oves meas, *inquit. Cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse? nihil excipitur ubi distinguitur nihil.*

Hanc ipsam veritatem plures summi Pontifices asseruerunt: Sic Anacletus Papa dist. 22. Epist. *ad omnes Episcopos*, ita scribit: *Sacrosancta Romana, et Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro primatum obtinuit, et eminentiam potestatis super universas Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem assecuta est; sicut ipse Beato Petro Apostolo dixit:* tu es Petrus, etc. Idem affirmat Innocentius III. c. Sollicite est, etc. *Nobis in Beato Petro sunt*

oves Christi commissæ, dicente Domino, Pasce oves meas. Et Innocentius IV. in Concilio Generali Lugdunensi: *Cum Jesu Christi vices teneamus in terris, nobisque in Petri Persona dictum sit: Quodcumque ligaveris super terram, etc.*

Confirmatur hæc eadem veritas ex praxi veteris Ecclesiæ: Nam Victor Asiaticas Ecclesias excommunicavit, quod Pascha non celebrarent die Dominica, sed ea die, qua celebratur a Judæis, ut legitur apud Eusebium lib. 5. hist. cap. 34. Zephyrinus, ut refert Tertull. lib. *De Pudicitia* cap. 7. statuit, ut mœchi, ac fornicarii ad pœnitentiam admittantur. Item Montanistas damnavit, ut refert ipse Tertullianus lib. *Contra Praxeam*. Stephanus Papa statuit non esse rebaptizandos ab hæresi redeuntes. Ita Eusebius lib. 7. cap. 6.

Petes: *an summus Pontifex possit leges condere independenter a Cardinalium consilio?* — **Respondeo**, quod antiquitus Romani Pontifices, dum aliquid gravioris momenti statuendum habebant, non assumebant consilium, quam vicinorum Episcoporum, ut patet plurimis exemplis, quæ non juvat in præsentiarum expendere. Nihilominus congrue summus Pontifex nihil maximi ponderis statuit, ac decernit absque Cardinalium consilio: *Quia*, ut ait Innocentius III. sicut refertur titulo *Qui filii sunt legitimi*, cap. Per venerabilem, *sunt Sacerdotes Leritici generis fratres nostri, qui nobis jure Leritico in executione Sacerdotalis officii Coadjutores existunt: Is vero super eos Sacerdos, sive judex existit, cui Dominus inquit in Petro:* quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in Cælis. *Ejus Vicarius, qui est Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, constitutus ab eo judex vivorum, et mortuorum.*

Probatur secunda pars: *Primo*, quia Episcopi habent potestatem in suis Diœcesibus, et positi sunt regere Ecclesias suas a Spiritu sancto. *Secundo*, quia talem potestatem agnoscit Ecclesia in illis, ut patet ex cap. *Si quis de majoritate, et obedientia*, et cap. *ut animarum, in sexto. Tertio*, ex praxi veteris Ecclesiæ, quæ cernitur in S. Cypriani Epistolis 10. 11. 12. et 14. in qua decernit, et præcipit in suo Clero, ne temere pax lapsis concedatur, et in Epist. 13. in qua statuit *ne lapsi, et Catechumeni exeant ex hoc mundo sacri communione.* — Item ex Canonibus Petri Alexandrini *Sermone de Pœnitentia: Epist. Canonica* Gregorii Thaumaturgi constituente varias pœnas pro diversitate peccatorum, et aliis.

Patet etiam tertia pars, quia 1. Concil. Generale legitime congregatum habet potestatem condendi leges pro tota Ecclesia: *Tum quia* Concilia Generalia in Spiritu sancto congregantur, et universam Ecclesiam repræsentant: *Tum quia* Apostoli sedentes in Concilio Generali leges sanxerunt, ut patet ex *Act.* 15. *Tum denique*, quia id semper factitatum est in Conciliis Generalibus, in quibus plurima sancita fuere ad bonum Ecclesiæ regimen, et probam morum institutionem spectantia. — *Concilia Provincialia* itidem possunt condere leges, quæ obligent in Provinciis; et *Nationalia*, quæ in nationibus ut constat pariter ex universali et perpetua Ecclesiæ praxi. Quod si quasdam leges tulerint Nationalia, vel Provincialia Concilia, quæ ad totum orbem sese extendunt, id non factum est, quia ab illis Conciliis sau-

citæ fuerunt illæ leges, sed quia a fidelibus omnibus hujusmodi leges fuerunt acceptatæ, id postulantibus et præcipientibus Episcopis.— *Quantum vero* ad Capitula Ecclesiarum Cathedralium sede vacante, verisimilius est nihil posse constituere, quod obliget in tota Diœcesi, nisi provisionaliter, in iis maxime, quibus necessarium est pro tempore vacationis provideri: tum quia ipso jure cavetur, ne sede vacante aliquid innovetur, et licet jurisdictio episcopalis in capitulo Cathedralis Ecclesiæ subsistat sede vacante, tamen in eo residet per modum transeuntis, et provisionaliter tantum, donec constituatur Episcopus: leges autem ferri debent ab auctoritate se habente per modum permanentis; siquidem, ut diximus, leges ex se debent esse perpetuæ. Tum denique, quia ampliorem non habet jurisdictionem Capitulum Cathedrale, vacante sede Episcopali, quam Collegium Cardinalium, vacante sede Apostolica; sed non licet Cardinalibus aliquas leges condere, vacante sede Apostolica, nisi solum per modum provisionis, et id exigente summa necessitate, quia unicum negotium injungitur Cardinalibus, nimirum vacare electioni summi Pontificis, ut constat ex Clementina *Ne Romani etc.* et ex capite *ubi periculum, de electione: in sexto;* ergo etc. — *Denique* omnes Superiores habentes jurisdictionem Episcopalem, aut quasi Episcopalem, quales sunt plurimi Abbates, aliique superiores, et Ordinum Prælati, condere possunt leges pro sibi subditis religiosis. Potest et idipsum præstare Congregatio Generalis, et Provincialis, ut ex usu Religionum a Pontificibus approbato constat. *Observandum* nihilominus, nullas leges ferri posse in Seraphico nostro ordine, quæ fratres obligent sub pœna mortali: hanc enim auctoritatem proscripsit Sixtus IV. in Bulla *Circumspecta Apostolicæ Sedis*, quæ est num. 26. ejusdem Pontificis in Bullario Rodriguez. In ea namque summus Pontifex ad instantiam Ministri Generalis, et universi Ordinis, annullavit obligationes sub pœna mortali, ex censuris oriundas, ac statutis hactenus factis etiam Papalibus: quam utique annullationem confirmavit Pius V. ut refert Portel. verbo *statutum*, in additionibus; concedens ut per quæcumque statuta etiam Apostolica, non ligarentur Fratres ad aliquas censuras, seu pœnas Ecclesiasticas, vel ad peccatum mortale: sed tantum ad pœnas seu pœnitentias per Prælatos imponendas, dummodo non sit contemptus, vel mandatum non sit positum sub pœna excommunicationis, vel in virtute sanctæ obedientiæ.

QUÆSTIO TERTIA.

QUINAM LEGIBUS HUMANIS TENEANTUR.

Notandum 1. Certum esse leges præceptivas, aut prohibitivas non obligare ad aliquid vitandum aut faciendum, nisi subditos rationis compotes: cum enim lex sit actus jurisdictionis et superioritatis, qui non potest exerceri, nisi erga subditum qui præceptum cognoscere debet ut impleat; inde constat, quod obligare non possint leges præceptivæ, aut prohibitivæ, nisi eos, qui legislatoris imperio subjacent, et illius mandatum nosse possunt, ut illud implere valeant. *Adde* quod quicumque legibus tenentur sint ejus conditionis et status, ut nisi pareant, transgressio illis imputetur ad culpam: at qui non sunt capaces rationis

nihil admittere possunt, quod imputetur ad culpam ; siquidem taliter nihil imputatur, nisi fiat more humano, idest, intelligenter, et rationabiliter ; proindeque infantes, qui nondum ad rationis usum pervenerunt, non tenentur legibus præceptivis aut prohibitivis : unde possunt vesci cibis prohibitis, et ingredi claustra monialium, etc. Similiter Cathecumeni, et infideles nondum baptizati, non tenentur legibus præceptivis, et prohibitivis Ecclesiæ, quia non sunt illius subditi ; quare non peccant contra præceptum Ecclesiasticum, si neque festa celebrent, nec abstineant a carne diebus jejunii. Dixi leges *præceptivas*, aut *prohibitivas*, quia leges simpliciter constitutivæ, ut aliquid sit, aut non sit, etiam feruntur in eos, qui non sunt rationis capaces ; puta quod nullus non baptizatus sit capax aliorum sacramentorum. Ratio autem discriminis est, quia qui carent usu rationis, licet non sint capaces moralis obligationis, cui teneantur parere sub pœna peccati, sunt tamen capaces impedimenti quasi naturalis, et non pendentis a libero usu voluntatis eorum.

Notandum 2. Præsentem quæstionem non moveri adversus hæreticos, et nonnullos Errones, quorum *aliqui*, ut Lutherani, contendunt Christianos homines non obligari legibus humanis, utpote qui per Christum liberi facti sunt : *alii* vero volunt saltem justos non teneri legibus humanis ; quippe cum, inquiunt, *justo lex non sit posita*. *Cæteri* autem contendunt saltem eximie perfectos legibus humanis non subjacere, ut aliquando affirmarunt Beguardi, sicut colligitur ex Clementina *Ad nostrum, de hæreticis*. Hi namque omnes errores a nobis supra confutati sunt. *Nec* pariter sermo est de subditis imperio legislatoris ; constat enim omnem hominem viatorem, et superiorem habentem, posse legibus illius obligari, ac subinde leges humanas obligare omnes subditos, ad quos diriguntur ; *Nam*, inquit S. Paulus ad Rom. 3. *Scimus quoniam quæcumque lex loquitur, iis, qui in lege sunt, loquitur*. Illos ergo omnes obligat, quibus loquitur imperando, imperium enim ligat subditos, juxta illud S. Pauli ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*. Unde triplex maxime superest hic examinanda difficultas: *Prima*, an principes et legislatores suis legibus subjiciantur, easque teneantur servare. *Secunda*, an personæ Ecclesiasticæ obligentur ad servandas leges Principum sæcularium. *Tertia* denique, an peregrini teneantur legibus loci per quem transeunt.

Notandum 3. Principem, et Legislatorem obligari non posse ad servandas leges, quæ ex æquo minime pertinent ad omnes ; certum quippe est Principem illis non teneri : sic immunis est a lege tributorum, quæ solis subditis præscribitur : immunis pariter a lege, quæ præscriberet modum in conviviis, vestibus, et supellectili : iniquum enim esset iis coarctari Principem, non secus ac subditi tenentur. Difficultas igitur solum est, an Princeps tam politicus, quam Ecclesiasticus teneatur ad servandas leges, quæ ex æquo ad omnes pertinent : hæc autem obligatio potest cogitari *duplex* : vel quantum ad vim directivam solum ; ita quod Princeps tantum teneatur exequi, aut cavere id, quod lege præcipitur, aut prohibetur, ut suis subditis ad earum legum observantiam viam demonstret : vel censeri potest obligari etiam quantum ad vim coactivam, seu punitivam, ita quod pœnis a lege præscriptis subjaceat, si quod præceptum est non impleat.

Rursus moveri potest difficultas, ex quo oriri possit utraque, aut alterutra obligatio in Principe ad servandas leges : an videlicet ex virtute et efficacia ipsius legis, et vera obedientia erga ipsam, ut plurimi Theologi censent ; an vero ex solo affectu ejus virtutis, quæ lege ipsa præcipitur; puta ex affectu justitiæ, si pretium solvendum sit taxatum, abstinentiæ si jejunium sit præceptum, ut cæteri Theologi contendunt.

Conclusio prima. — Principes tam Politici quam Ecclesiastici, tenentur suis legibus quoad vim directivam, non autem quoad vim coactivam, idque ex solo motivo virtutis, quæ per legem præcipitur.

Probatur 1. auctoritate; nam L. *digna vox*, cap. de legibus, sic dicitur : *Digna vox majestate regnantis est, legibus alligatum se Principem profiteri*, et 1. *Princeps* ff. de legibus : *Pareto legi quisquis legem sanxeris.* Similia habentur in jure Canonico cap. *Justum* dist. 9. his verbis : *Justum est Principem legibus obtemperare suis, tunc enim jura sua ab omnibus custodienda existimat, quando et ipse illis reverentiam præbet.* Et ne videatur id consilii tantum causa dici, subditur : *Principes legibus teneri suis, nec in se posse damnare jura, quæ in subjectis constituunt, justa est enim vocis auctoritas eorum, si quod populis prohibent, sibi licere non patiantur.* Demum S. Ambrosius ad Valentinianum Imperatorem Epist. 32. ita loquitur : *Quod cum præscripsisti aliis, præscripsisti et tibi. Leges enim Imperator fert, quas ipse primus constituit.* — Hæc autem non solum vera sunt de Principe Politico, sed etiam Ecclesiastico ; nam summus Pontifex interdum tenetur legibus a se præscriptis, ut constat ex Decreto 2. *parte causa* 12. q. 2. c. 20. ubi Pontifex Symmachus legem fert, quæ ipsum etiam Papam comprehendit his verbis : *Non liceat Papæ prædium Ecclesiæ alienare aliquo modo pro aliqua necessitate, nec in usumfructum rura dare ; nisi tantummodo domos, quæ in quibuslibet urbibus non modica impensa sustentantur, etc.*

Probatur idem ratione : Nulla est assignabilis ratio, cur Princeps eximatur a lege pertinente ad omnes : quia leges humanæ ordinantur ad bonum commune, atque ut efficiant eos qui sunt de communitate bonos : sed non minus Princeps tenetur procurare bonum commune, et satagere, ut ipse bonus fiat per legis observationem, quam aliquis subditorum : ergo, etc. *Insuper* lex naturalis dictitat, ut caput cæteris membris cohæreat, et conformetur, alias maxima deformitas esset in corpore politico, sicut et in naturali, si membra invicem non cohærerent, et in suis officiis ab bonum commune non conspirarent ; nam, inquit S. August. 3. confess. c. 8. *Turpis est omnis pars suo universo non congruens :* igitur cum Princeps sit caput corporis politici, cujus subditi sunt membra, debet una cum subditis conspirare ad bonum commune, quod nonnisi per legum observantiam stabilitur ac firmatur.

Probatur etiam secunda pars, nempe quod legislator non subdatur suis legibus quoad vim coactivam, sed solum quoad directivam. Vis coactiva, seu coercitiva est inductiva pœnæ propter legis inobservantiam : sed Princeps non potest cogi vel puniri pœna inductiva ad legis observantiam ; cum nullum habeat superiorem, a quo cogatur, et nemo

proprie a seipso cogi possit; quippe cum istud contra ordinem naturæ pugnet: ergo Princeps non subditur suis legibus quoad vim coactivam, seu coercitivam, sed ab eis quantum ad obligationem pœnæ subeundæ solutus est. — Unde eo cautius, vigilantiusque Principes supremi suas leges servare debent, quod in terra nullum habeant emendatorem, sed ideo acerbius punientur a supremo judice Deo, juxta illud Sap. 6. *Horrende, et cito apparebit nobis, quoniam judicium durissimum, his, qui præsunt, fiet.* Quapropter David pœnitens Deo dicebat, *Tibi soli peccavi:* quasi diceret juxta glossam: nullum in terris superiorem agnosco, qui meum peccatum judicare, aut vindicare queat, nisi te solum; ac proinde tibi soli quoad condignam pœnam præscribendam peccatum meum subjicio.

Probatur denique tertia pars, nempe quod Princeps maxime teneatur ad suas leges servandas vi directiva ipsius legis, tum pariter ex affectu ejus virtutis, quæ lege ipsa præcipitur. *Primum* constat ex dictis; cum enim Princeps teneatur ad servandas suas leges, non per vim coactivam, necessum est saltem eum ad illam observationem teneri quoad vim directivam. *Secundum* etiam constat; cum enim Princeps sit caput Reipublicæ, tenetur se membris conformare in iis, quæ ad ipsius Reipublicæ bonum spectant: ergo sicut subditi jure naturali tenentur obedire superioribus, et eorum præceptis se conformare, quia alias magna esset in corpore mystico Reipublicæ cum suo capite discrepantia, sic Princeps tenetur vita et moribus convenire cum reliquo corpore in iis, quæ æque ipsi ac populo conveniunt; proindeque tenetur suas leges servare; alias ipse alio jure viveret, quam populus, multum a reliquo corpore discordaret, et rectæ rationis regulam non teneret: quod certe in maximum Reipublicæ detrimentum cederet.

Dices *contra priorem partem nostræ propositionis:* Nemo nisi superioris lege ligatur. Par in parem non habet imperium. Nemo sibi imperare aut prohibere potest. Princeps est solutus legibus suis. Ergo, etc. — **Respondeo** *ad tres primas propositiones,* quod princeps habet duplicem respectum: est enim superior, et inferior: superior est quidem, quatenus est caput communitatis: inferior vero est, quatenus membrum est ejusdem: quando itaque legem dat communitati, est inferior veluti respectu sui, ut superioris. *Ad quartam propositionem* respondeo sensum esse, quod Princeps solutus est legibus suis, quantum ad vim coactivam, quia nullus est, a quo possit puniri, si deficiat a lege communi.

Dices 2: Princeps potest dispensare, et eximere quemcumque voluerit a legum observatione: ergo ut primum legem condidit, potest secum dispensare, seseque eximere ab earum, quas tulit, observatione: et ita continget, ut numquam obligetur, saltem jure humano in conscientia ad observandas leges suas. — **Respondeo**, posse Principem dispensare et eximere quemcumque voluerit a legum observatione ex justa causa: alias minime posse: quod autem servare tenetur respectu alicujus e suis subditis illud ipsum servare tenetur respectu sui: imo magis, quia eximere et dispensare hominem privatum, non tam vertit in perniciem et exitium Reipublicæ, quam principem secum dispensare, utpote in quem velut in exemplar omnium oculi defixi sint.

Dices 3: *Contra posteriorem partem*, nihil obstare quominus possit

Princeps puniri pœna ab ipsa lege inflicta, quæ non requirat sententiam judicis, sed ipso facto incurratur : licet forte repugnet puniri pœna, quæ infligi debeat ab homine. — **Respondeo**, obstare aliquid, quia qui pœnam infligit ex vi legis, debet esse persona distincta ab ea, cui infligitur.

Conclusio secunda. — Clerici, seu Ecclesiastici non subjiciuntur legibus civilibus, quæ eorum statum et ordinem dedecent : subjiciuntur vero iis, quæ nec statui nec ordini repugnant. Hæc Conclusio duas habet partes, quarum

Prima probatur iis omnibus constitutionibus, quibus Clerici a jurisdictione Principum sæcularium eximuntur. Sic de constitutionibus cap. *Ecclesia sanctæ Mariæ* statuitur : *Nos attendentes, quod Laicis super Ecclesiis, et super personis Ecclesiasticis nulla sit attributa facultas : quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, a quibus si quid motu proprio statutum fuerit, quod Ecclesiarum etiam respiciat commodum et favorem, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum.* Et cap. *decernimus* de Judiciis, *Decernimus ut laica potestas, et Laici Ecclesiastica tractare negotia non præsumant, sed Episcopi, Abbates, Archiepiscopi, et alii aliorum Prælatorum de negotiis Ecclesiasticis* (maxime de illis, quæ spiritualia noscuntur) *Laicorum judicio non disponant : nec propter eorum prohibitionem Ecclesiasticam dimittant justitiam exercere.* Et cap. nullus judicum, Tit. de foro competenti : *Nullus Judicum, neque Presbyterum, neque Diaconum, aut Clericum ullum, aut minores Ecclesiæ sine permissu Pontificis per se distringere, aut condemnare præsumat. Quod si fecerit, ab Ecclesia Dei, cui injuriam irrogare dignoscitur, tamdiu sit sequestratus, quousque reatum suum cognoscat et emendet.*

Patet idipsum ratione : Lex, quæ non est honesta, et religioni consentanea, nullius est roboris ac efficacitatis : sed leges, quæ Clericorum statui et ordini adversarentur, nec honestæ essent, nec religioni congruæ; subindeque nullius essent valoris, nec aliquis eis parere teneretur.

Patet etiam secunda pars : Tum ex illo Apost. Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit :* tum ex praxi primitivæ Ecclesiæ, qua constat Clericos legibus Imperatorum obtemperasse; tum denique, ex eo quod cum sint membra Reipublicæ, debent studere bono communi, atque ad illud procurandum concurrere in quantum eorum status sacer et ordo patitur.

Conclusio tertia. — Subditi extra Regnum degentes iis tenentur legibus, quas interest ab illis observari pro bono ejus communitatis cujus sunt partes : secus autem de aliis legibus, quæ ita ad bonum commune non spectant.

Patet prima pars : In tantum enim cives et subditi tenentur parere legibus Civitatis et Regni, in quantum illa observatio confert ad bonum commune procurandum, et stabiliendum : ergo ubi commune bonum procurari potest ab illis subditis etiam extra Regnum. et Civitatem degentibus per legum sancitarum observantiam, illi subditi tenentur leges servare.

Posterior pars etiam est evidens ; ubi enim nihil refert ad bonum communitatis illius legum a subditis observatio, haud dubium est illos ad eam observationem non teneri, quando in alieno territorio, vel transeundo, vel immorando existunt. Ratio est, quia jurisdictio uniuscujusque civitatis, vel Principis particularis non extenditur quoad leges ferendas extra civitatem, seu territorium ; ut docet Bertholus *in lege prima Cod. de summa Trinit.* nu. 14. colligiturque ex lege, *Omnes populi, ff. de justitia, et jure :* ubi lex dicitur *Jus proprium civitatis :* sicut ergo agentia naturalia non agunt extra sphæram activitatis, defectu potestatis, ita quia jurisdictionis activitas limitatur intra proprium territorium ; ideo lex extra ipsam non obligat : unde colligitur, quod etiamsi Legislator id maxime velit, et sub his verbis explicet, non potest obligare subditum extra territorium existentem.

Conclusio quarta. — PROBABILIUS EST PEREGRINOS, ET ADVENAS TENERI AD OBSERVANTIAM LEGUM, QUÆ PRÆSCRIBUNTUR IN HIS LOCIS, IN QUIBUS SUNT, ETIAM TANTUM PER MODUM TRANSEUNTIS.

Probatur 1. Auctoritate S. August. Epist. 119. quæ est ad Januarium, in qua refert S. Monicam venientem Mediolanum animo commigrandi, et non commorandi, cœpisse turbari eo quod Sabbato ibi non jejunaretur, se autem matris gratia consuluisse S. Ambrosium, *qui respondit se nihil docere me posse, nisi quod ipse faceret, quia si melius nosset, id potius observaret. Cumque ego putassem nulla reddita ratione auctoritate sola sua nos voluisse admonere, ne Sabbato jejunaremus, subsecutus est, et ait mihi : Cum Romam venio, jejuno Sabbato : cum hic sum, non jejuno ; sic etiam tu, ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi. Hoc cum matri renuntiassem, libenter amplexa est ; ego vero de hac sententia etiam atque etiam cogitans, ita semper habui, tamquam eam cœlesti oraculo susceperim : Sensi enim sæpe dolens et gemens multas infirmorum perturbationes fieri, per quorumdam fratrum contentiosam obstinationem vel superstitiosam timiditatem, qui in rebus hujusmodi, quæ neque Scripturæ sanctæ auctoritate neque universalis Ecclesiæ traditione, neque vitæ corrigendæ utilitate ad certum possunt terminum pervenire, tantum quia subest qualiscumque ratiocinatio cogitantis, aut quia in sua patria sic ipse consuevit, aut quia ibi vidit, ubi peregrinationem suam quo remotiorem a suis eo se doctiorem factum putat, tam litigiosas excitant quæstiones, ut nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum existiment.*

Probatur 2. Tum quia illa legum a peregrinis observatio ad bonum commune, idest, ut advenæ eorum se moribus conforment, apud quos vivunt, impedit, ne dissidia inter advenas et incolas oriantur, ne scandala et offensiones contingant ; neve etiam ex inobservantia lex aliqua ratione vilescat. Tum etiam quia æquum videtur, ut subjiciantur legibus regionis advenæ in ea degentes, juxta illam regulam juris in 6. *Qui sentit commodum, sentire debet et onus.*

Confirmatur ab inconvenienti ; nam si Peregrini et Advenæ, ut supra diximus, leges proprii territorii, a quo discesserunt, servare non tenentur, si non tenerentur legibus loci per quem transeunt, nullis

legibus particularibus obligarentur; atque ita si esset lex aliqua particularis, quæ tam in proprio territorio, quam in loco per quem transeunt, servaretur, ab illa fierent prorsus immunes, quod est absurdum.

Ex his colligе, Advenas et Peregrinos transeuntes per loca in quibus festum aliquod celebratur, si sint ibi toto mane diei festi, teneri Sacrum audire, non tamen ibi commorari ut audiant.

Colligе 2. Abeuntem mane ex proprio domicilio, in quo jejunium obligat, et nocte pervenientem ad locum, ubi jejunium non obligat, posse nocte cenare, carnesque comedere; cum discedens non teneatur servare leges sui domicilii, sed possit sequi leges favorabiles loci per quem transit.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE EFFICACIA, ET OBLIGATIONE LEGUM HUMANARUM.

Satis superque constat ex dictis, legem quamlibet vim et efficaciam habere ad obligandos eos, quibus præscribitur ad executionem et observantiam eorum, quæ dictat: quocirca paucis determinandum est in præsenti Articulo, quænam et quanta sit Legum Humanarum vis et efficacia; quod utique fiet tribus in sequentibus Quæstionibus, quarum *Prima* aperiet circa quid Humanæ Leges versari possint: *Secunda*, qualiter obligent subditos: *Tertia*, quas conditiones exigant, ut vere ad sui observationem compellere queant.

QUÆSTIO PRIMA.

CIRCA QUID HUMANÆ LEGES VERSENTUR.

Notandum 1. Legem omnem versari circa actum humanum, idest factum scienter et libere; lex enim est regula actionum humanarum; quapropter sicut is, qui usu rationis et libertatis caret, lege non tenetur, ut dictum est in præcedenti Quæstione; sic nec lex alium quam rationis aut libertatis usum præcipit, aut vetat. Cum autem actus humanus sit triplex; quorum alius est moraliter malus, alter indifferens, alter vero bonus; inde restat examinanda difficultas, an ejusmodi triplicem actum præcipere possit.

Notandum 2. Actum humanum insuper distingui posse duplicem: *internum* videlicet, et *externum*. Internus ille est, qui elicitur a facultatibus internis, quales sunt intellectio, volitio, et imaginatio; *externus* vero qui producitur a facultatibus externis, quales sunt quinque sensuum externorum operationes. *Rursus*, actus illi vel sunt pure interni, nec ullatenus connectuntur cum externis, vel non sunt pure interni, sed quamdam connexionem habent cum actibus externis. *Dupliciter* autem potest connecti actus internus cum exteriori; nempe vel *per se*, vel *per accidens*. Actus internus connectitur cum externo per se, *vel* quando est causa, et veluti forma illius; qua ratione voluntas adulterandi connectitur cum adulterio actuali: *vel* quando est conditio necessario requisita ad substantiam actus exterioris in genere moris considerato; qualiter attentio connecti debet cum oratione vocali, et dolor internus contritionis aut attritionis cum confessione Sacramen-

tali, et intentio baptizandi cum actione externa baptizantis: non enim est vera oratio exterior in genere moris considerata, nisi procedat ex aliqua attentione, nec vera confessio Sacramentalis, quæ non procedit ex dolore interno: nec vera actio baptizandi, quæ ex intentione Ministri non sequitur.

Notandum 3. Magnum esse discrimen inter actus internos, qui connectuntur cum externis per se, et eos qui solum connectuntur per accidens. Nam actus, qui connectuntur per se, sufficienter manifestantur per exteriores; quis enim non videat volitionem furandi manifestari per furtum exterius? Actus vero connexi per accidens, non sufficienter manifestantur per exteriores; recitatio enim exterior officii non sufficienter manifestat attentionem et devotionem, cum possit esse sine illa. *Tertio,* actus interior potest connecti cum exteriori non per se, sed per accidens, etiam quantum ad esse morale actionis, sicut motivum pœnitentiæ per accidens conjunctum est externo jejunio, et motivum vanæ gloriæ largitioni eleemosynæ. — Præsens ergo difficultas procedit universaliter, utrum videlicet lex Humana, tam Civilis quam Ecclesiastica, possit obligare ad actus internos, tam secundum se, et ut sunt pure interni, quam ut connectuntur cum exterioribus, tribus modis jam explicatis. Duo igitur maxime veniunt hac in Quæstione resolvenda: *Primum,* an et qualiter Leges Humanæ præcipere possint omnes actus humanos non solum bonos, sed etiam indifferentes, et malos. *Secundum,* an, et quomodo præcipere, aut prohibere possint actus internos.

Conclusio prima. — Leges Humanæ præcipere possunt omnes actus bonos, et indifferentes, non vero malos. Hæc Conclusio tres habet partes, quarum

Probatur prima: id omne præcipere possunt Humanæ Leges, quod per se conducit ad bonum commune stabiliendum et conservandum: sed omnes actus boni conducere possunt ad bonum commune: subindeque potest lex humana eos omnes præcipere.

Patet etiam secunda pars: quia actus indifferentes possunt interdum conferre ad bonum commune, et ipsi interdum adversari: igitur per leges humanas præcipi, aut prohiberi possunt.

Tertia pars est contra Politicos quosdam impios, qui cum nefario Machiavello existimant Principem pro tuendo regno posse quæcumque mala præcipere et permittere; cujus quidem impiæ assertionis falsitas constat: quia lex mala præcipiens, directe militat in primum principium morale nempe, *declina a malo.* — *Deinde,* nullus potest obligari ad peccandum: sed si quis teneretur parere legibus mala præcipientibus, obligari posset ad peccandum: ergo, etc. *Major constat;* quia nemo teneretur obedire legi inferioris potestatis in his, quæ prohibentur a lege auctoritatis superioris: sed si quis posset obligari ad peccandum, teneretur obedire legi latæ ab interiori potestate, nempe creata, in iis, quæ prohibentur per legem et auctoritatem divinam, quod aperte falsum est, juxta illud Act. 5. *Oportet obedire Deo magis, quam hominibus.* — *Denique,* nusquam efficaciori modo procuratur bonum commune temporale Reipublicæ, quam cum divinæ leges observantur; quid enim magis ad bonum commune confert, quam ubi male agendi

necessitas omnino præcluditur? quid vero magis ipsi adversatur, quam male agendi necessitas?

Dices: Plerumque expedit ad pacem et quietem publicam hæreticis permittere, ut suos errores in conventiculis suis publice doceant, et leges ferre, ne ullus eos in suis ministeriis interturbet; sed hoc per se malum est: ergo leges humanæ possunt interdum mala præcipere. — **Respondeo,** posse quidem interdum licite mala quædam tolerari, ne gravius aliquid inde accidat; sicut enim in corpore naturali expedit aliquando pati detruncationem et abscissionem alicujus membri, ne totum corpus tabe inficiatur et intereat, sic et in corpore politico juvat interdum quædam mala minus infestantia pati, ne grandiora exurgant, quibus Respublica omnino pessundaretur: hac autem ratione in plerisque regnis tolerantur hæretici, ne scilicet ob eorum per perduellionem tota Respublica bellis intestinis divexaretur, subindeque rueret. *Adde* quod longe diversum sit mala tolerare, et ea præcipere; fatemur enim interdum ea posse tolerari, ne graviora inde emergant; negamus autem posse usquam ea præcipi quocumque prætextu.

Conclusio secunda. — Leges Humanæ præcipere possunt actus internos, qui per se sunt causa actuum exteriorum, quive ad eorum integritatem requiruntur in genere moris, vel ad eos conferunt ut conditiones necessariæ; non vero eos, qui pure interni sunt, vel qui tantum per accidens conjunguntur cum exterioribus. Hæc conclusio quatuor particulas complectitur, quarum

Prima et secunda simul probantur: quicumque præcipit, vel prohibet aliquid faciendum aut omittendum, etiam præcipit et prohibet id omne quod cum ipso necessariam connexionem habet, et sine quo esse non potest: sed actus exteriores, qui præcipiuntur vel prohibentur per leges humanas, necessariam habent connexionem cum actibus interioribus, qui vel sunt causa actuum exteriorum, sicut voluntas furandi est causa furti, quod admittitur; vel qui requiruntur ad actus exteriores, ut censeantur esse completi integritate morali: ergo eædem leges, quæ tales actus exteriores præcipiunt, aut prohibent, etiam interiores, qui sunt eorum causa, vel ad eorum integritatem moralem desiderantur, censentur præcipere vel prohibere.

Tertia, et quarta pars similiter constat, nempe quod leges humanæ non possint præcipere, aut prohibere actus pure internos; nec eos, qui tantum per accidens connectuntur cum exterioribus; quia potestas legislativa humana per se primo tendit ad externum, et commune Reipublicæ regimen: sed actus pure interni, aut qui tantum per accidens cum exterioribus conjunguntur, non spectant ad externum, et sensibile regimen Reipublicæ: ergo per leges humanas præcipi, aut prohiberi nequeunt. *Major* constat, *Minor* pariter; quia potestas legislativa humana tantum sese extendit circa ea, quæ Principum judicio, et animadversioni subjacere possunt: sed illi actus interni hominum animadversioni, aut judicio non subjacent, quia unus homo naturaliter non subditur alteri secundum animam, sed secundum corpus: *Errat enim,* inquit Seneca 3. De Beneficiis, *si quis putat in servitutem totum hominem descendere, pars enim melior excepta est: corpora obnoxia sunt et adscripta dominis, mens sui juris est.* Quocirca adorandus Salvator suos

Discipulos monebat Matt. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest animam, et corpus perdere in gehennam.* — *Confirmatur* hæc assertio ex cap. 14. *Cogitationis* de pœnitentia dist. 1. *Cogitationis pœnam nemo patitur;* quod desumptum est ex jure civili, lib. 47. *Digest.*, tit. 11. lib. 1. Item cap. *erubescant* dist. 32. *De Manifestis,* ubi de homine dicitur, *Quod de manifestis quidem loquimur: secretorum autem, et cognitor Deus, et Judex est.* Similiter cap. *Tua nos* de Simonia, habetur, *Ecclesiam tantum de manifestis, non de occultis judicare.* Quam utique sententiam confirmat Concil. Trid. Sess. 24. c. 1. *De Reform. Matrimonii:* affirmans, quod *Ecclesia de occultis non judicat.*

Dices 1. contra duas priores partes: Christus Dominus Matthæi 18. potestatem Ecclesiasticam conferens suis Discipulis generaliter dicit, *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in Cœlo:* sed actus interni fiunt super terram: ergo Ecclesiasticæ jurisdictioni subjacent. *Confirmatur,* quia potestas Ecclesiastica respicit bonum, et salutem animarum; ad id autem actus interni maxime conducunt: ergo in illos etiam a Christo est concessa potestas. — **Respondeo,** illam auctoritatem generalem a Christo concessam non absolute, sed distributive tantum esse accipiendam; nempe quantum ad ea, quæ necessaria sunt, ut recte, et convenienter Ecclesia possit regi, vel tantum ad ea, quæ consentanea sunt legislativæ potestati sensibili, qua homines inter se communicare possunt. Inde est quod potestas legislativa a Christo Discipulis, et Ecclesiæ Prælatis concessa, tantum versatur circa actus interiores, qui necessariam habent connexionem cum exterioribus; nam cum illa concessa potestas tantum spectet ad gubernationem sensibilis hyerarchiæ, etiam tantum concernit actus, vel qui sunt exteriores, vel sine quibus hujusmodi exteriores actus esse non possunt.

Dices 2: Ecclesia remittit exterius culpas per absolutionem Sacramentalem: *Similiter* præcipit fidelibus, ut singulis annis confiteantur peccata sua, etiam pure interiora. *Denique,* reservare potest peccata mere interna: ergo habet auctoritatem in actus pure internos. — **Nego consequentiam,** et ad primum dico, quod cum Sacramentalis absolutio, et pœnitentia spectet ad auctoritatem et jurisdictionem a Christo Ecclesiæ ministris concessam, in cujus administratione Sacerdos se gerit tamquam minister Christi, hinc illa potestas legislativa non est pure humana, sed potius divina: unde cum Ecclesia, vel absolutionem largitur de peccatis internis, vel satisfactiones internas injungit, vel concedit indulgentias etiam pro peccatis internis, aut dispensat in votis, vel juramentis internis, id non exequitur per potestatem sibi velut propriam et connaturalem, qua potest actus externos præcipere vel prohibere, quatenus conferunt ad bonum commune societatis fidelium: sed per potestatem velut vicariam nomine Dei et Christi, aut solvendo peccata, aut satisfactionem injungendo, aut relaxando pœnas peccatis debitas, et declarando cessare obligationem ex promissione Deo facta resultantem, aut denique negando potestatem absolvendi a tali, vel tali peccato interno, si forte pœnitens illud Ecclesiæ clavibus per confessionem sensibilem subjiciat; quæ omnia, ut constat, non sunt actus potestatis legislativæ, et propriæ, sed potius divinæ, et a Christo delegatæ.

Dices 3: Ecclesia punit et prohibet plures actus mere internos: ergo revera habet auctoritatem et jurisdictionem in eos. *Probatur antecedens;* nam in Concilio Toletano primo dicitur anathema non solum dicentibus, sed etiam credentibus contrarium Fidei Catholicæ. Et in Clementina prima De hæreticis cap. *multorum,* excommunicantur Inquisitores hæreticæ pravitatis, si odii, gratiæ, vel amoris, lucri, vel commodi temporalis obtentu contra justitiam, et conscientiam suam omiserunt contra quemquam procedere, ubi fuerit super pravitate hæretica procedendum: et cap. *dolentes,* De celebratione Missarum, præcipitur Clericis, ut divinum officium, nocturnum pariter et diurnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter et devote: sed hæresis, amor, odium, devotio sunt actus interni: ergo, etc. — **Respondeo,** hos omnes actus ita prohiberi, non quatenus pure interiores sunt, sed solum prout connexionem habent cum exterioribus: sic excommunicatio decernitur in hæresim, non ut pure peccatum mentis est, sed quatenus hæresis illa interna per signa, aut verba exteriora manifestatur. Unde ad Concilium Toletanum dico, illud non ferre anathema præcise in non credentes, sed proponere tamquam credenda de fide; ac proinde ipsum declarare eos fore hæreticos, qui contrarium, etsi animo tantum, crediderint. Similiter odium, et amor puniuntur, ut conjuncta sunt cum actibus exterioribus: et interna devotio præcipitur, ut conjuncta est orationi vocali.

✳ " Objicies: Eos actus aut præcipere, aut vetare non possunt leges humanæ, de quibus potestas humana judicare non potest: frustra enim præcipiuntur, quæ si omittuntur, puniri non possunt: atqui leges humanæ judicare non possunt de actibus internis: sicut enim de ignotis nulla est cupido, ita nec potest esse judicium. — **Respondeo:** nego *majorem.* Ratio est quia cognitio actuum requiritur quidem ad vim coactivam quæ posita est in pœnis quibus in prævaricatores animadvertitur. Ut enim prævaricatores puniantur, necesse est ut de prævaricatione convincantur: sed ea cognitio non requiritur ad vim directivam, possunt enim humanis legibus imperari quæ an postea a subditis fiant aut non fiant, ignoratur. Nec inde sequitur quod humanum præceptum de eis fiat: licet enim prævaricatores per prævaricationis manifestationem apud homines rei non sint, rei tamen apud Deum constituuntur. " ✳

QUÆSTIO SECUNDA.

QUALITER HUMANÆ LEGES OBLIGENT.

Notandum 1. Certum esse non omnes humanas leges ad sui observantiam obligare sub mortali; quia neque ipsæmet divinæ leges talem obligationem important; nec enim leve furtum, puta denarii, aut assis, censetur esse mortale, propter levitatem materiæ, licet furtum omne tam divina, quam humana lege vetitum sit. Multo minus igitur omnis humana lex sub mortali obligare censenda est. Restat igitur determinandum, an aliquæ saltem humanæ leges in conscientia sub mortali obligare queant.

Notandum 2. Eam fuisse variorum Hæreticorum erroneam assertionem, quod nullæ leges humanæ in foro conscientiæ obligare queant,

nec eas transgredientem reum esse culpæ apud Deum. Ita imprimis docuerunt Waldenses, ut affirmat Guido lib. *De Hæresibus.* Eumdem errorem innovarunt Joannes Wiclef, et Joan. Hus, ut testatur Bellarm. lib. 4. *De Summo Pontifice,* cap. 15. quos secutus est Calvinus 4. *Instit.,* cap. 15. et sequentibus, ubi tametsi concedat Prælatos, et Magistratus politicos posse leges aliquas ad conservationem disciplinæ et pacis inter cives præscribere, negat tamen eas in conscientia obligare, *Cum conscientia,* inquit, *soli Deo subdita sit, ideoque ab eo solo ligari, seu lege coërceri possit.* Ab hoc errore non longe distare videtur Joannes Gerson. Tract. *De Vita spirituali,* lect. 4. asserens solum Deum habere auctoritatem obligandi in conscientia: unde licet admittat leges humanas obligare in conscientia; contendit tamen illam vim ipsis non competere ratione auctoritatis humanæ, sed solum divinæ; ita quod Legislatores, dum leges statuunt, solum declarent obligationes, quas Deus imponit; ipsi vero nullam obligationem in foro conscientiæ præscribant: cujus assertionis exemplum profert de ægrotis, qui in conscientia tenentur medicis obedire, non quod medici imperandi auctoritatem habeant, sed quia declarant id, ad quod ægrotus lege naturali, ac divina obligatur.

Notandum 3. Controversiam non levem moveri inter Theologos, num humanæ leges ad sui observationem interdum obligent cum vitæ dispendio; in cujus difficultatis resolutione duæ sunt sententiæ extremæ oppositæ: *Altera* quidem Almiani in *Moralib.,* tract. 1. cap. 3. concl. 1. negantis legem humanam unquam obligare ad sui observationem cum dispendio vitæ: *Alia* autem Adriani in 4. qu. 3. *De Clavibus,* asserentis omnem legem humanam, quæ obligat sub peccato mortali, servandam esse in omni eventu etiam cum vitæ discrimine, nisi aliqua lex interveniat ex benignitate Legislatoris, quæ talem obligationem expresse non importet. Inter has autem extremæ oppositas sententias mediat *Tertia,* affirmans legem humanam interdum obligare cum periculo, et dispendio vitæ; non tamen semper. Quibus præmissis sit

Conclusio prima. — Leges Humanæ tam Civiles, quam Ecclesiasticæ obligare possunt in foro conscientiæ, ita quod earum transgressio sit culpabilis apud Deum.

Probatur 1. de Legibus Civilibus ex Scriptura; dicitur enim 1. Petri 2. *Subditi igitur estote omni humanæ creaturæ, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tamquam ab eo missis, in vindictam malefactorum... Hæc est enim voluntas Dei.* 2. Petri 1. dicitur, *eos, qui spernunt dominationem, reservari in diem judicii cruciandos.* Et ad Rom. 13. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Quod de damnatione etiam apud Deum Chrysost. et alii Interpretes *ibidem* intelligunt. Et versu 5. *Adeoque necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Addit *ibid.* versu 4. Principes esse Dei Ministros, unde qui illis resistit, Deo resistit; adeoque Deum offendit.

Probatur idem de Legibus Ecclesiasticis; primo quidem auctoritate Concilii Constantiensis sess. 8. et 15. ubi damnantur errores Wiclefi, et Joann. Hus negantium ullam legem humanam, sive Ecclesiasticam, sive Civilem obligare in conscientia. Hoc ipsum definitum est in Con-

cilio Trid. sess. 7. can. 8. his verbis: *Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus S. Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, anathema sit.* — Idem constat ex variis Scripturæ testimoniis; Christus enim sic pronunciat: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus, et Publicanus,* ubi Chrysost. hom. 16. *Considera quomodo publicanum ad exemplum summæ nequitiæ posuit. Præceptis ergo Ecclesiæ non obedire summæ nequitiæ est.* Idem Christus Luc. 10. ait: *Qui vos spernit, me spernit.* Et Paulus ad Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis, ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Demum idem Apost. ait 1. ad Cor. 7. *Præcipio non ego, sed Dominus.* Et Act. 15. Apost. dicunt: *Visum est Spiritui sancto, et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, etc.* Quibus locis designatur specialis potestas legum Ecclesiasticarum obligandi in foro conscientiæ, ut procedunt a Legislatoribus humanis, alias non diceret Paulus: *Præcipio non ego, sed Dominus,* nec Apostoli: *Visum est Spiritui S. et nobis.* Neque hoc ultimo loco continetur solum consilium, ut Hæretici volunt; iis enim contineri præceptum in conscientia obligans, indicant verba illa, *oneris,* et *necessaria.*

Probatur utraque pars ratione: *Primo* quidem, omnis lex, quæ per auctoritatem a Deo derivatam fertur, obligare potest in conscientia: at leges tam Ecclesiasticæ, quam Politicæ feruntur per auctoritatem a Deo derivatam; subindeque obligare possunt in conscientia *Major* constat; hac enim ratione lex Vetus et Nova censentur obligare in conscientia, quia per auctoritatem divinam, vel a Deo emanatam latæ sunt, et promulgatæ. *Minor* etiam patet ex præfatis Scripturæ textibus, quibus tam Ecclesiastica, quam Civilis potestas declaratur hominibus a Deo tradi. Hinc Prov. 8. Deus ipsemet ait: *Per me Reges regnant, et legum Conditores justa decernunt.* — *Secundo,* potestas obligandi in conscientia reperitur in quavis communitate imperfecta, quæ constat ex viro, uxore, filiis, ac famulis: ergo multo magis reperiri debet in communitate perfecta, quæ constat, vel Prælatis, et Fidelibus subditis, vel Principe, Magistratu, et Civibus. Patet *antecedens,* tum ex *Deuter.* 21. ubi jubetur, *Morte puniri filium inobedientem, et contumacem.* Et ex Apostolo ad Ephesios 5. ubi monet *uxores esse subditas viris suis.* Et ex 1. Petri 2. ubi *servi declarantur teneri ad obtemperandum dominis suis. Consequentia* etiam patet ex eo quod majus debitum sit obediendi Principi propter bonum Reipublicæ, quam patrifamilias propter bonum unius domus; quia bonum quo universalius est, eo divinius. — *Tertio,* si lex humana, sive Ecclesiastica, sive Civilis, non posset ad culpam, et in foro conscientiæ homines obligare, sequeretur eam plerumque suo frustrari effectu; sæpe namque contingit, quod quis violare possit legem absque periculo incurrendi pœnam præscriptam; subindeque si ex conscientia non teneretur eam servare, non raro posset eam transgredi.

Dices 1: Ille solus obligare potest ad culpam, præcipue mortalem, qui potest hominem privare gratia, quive potestatem habet ligandi in foro conscientiæ: sed nullus homo potest alterum gratia privare; quemadmodum nullus potest in eum gratiam inducere: similiter Legislator, saltem Civilis, non habet potestatem ligandi, atque solvendi in foro

conscientiæ: ergo vel nulla lex obligare potest in conscientia, vel saltem Civilis, et Politica id non potest. — **Respondeo** ad *majorem*, primam illius partem tantum esse veram de potestate privativa gratiæ primaria, et per se, qualis tantum Deo competit; non vero de potestate secundaria, et ratione decreti ac statuti conditi per auctoritatem derivatam a Deo, quod decretum qui transgreditur, per illam voluntariam transgressionem privat se gratia demeritorie; privatur autem eadem efficienter per Deum, qui non vult amplius conservare gratiam in anima hominis legem transgredientis. *Ad alteram vero majoris partem* dico illum solum posse condere legem, in quo est potestas ligandi et solvendi in foro conscientiæ; vel judicialis, qualis est, quæ per actus clavium exercetur, et per quam remittuntur, vel retinentur peccata: vel imperativa et constitutiva decreti, cujus observatione bonus actus evadat; inobservatione vero malus.

Dices 2: Potestas Legislatoris interioris non potest inducere obligationem in judicio, et foro potestatis superioris: sed forum conscientiæ est forum superioris potestatis, scilicet Dei: ergo potestas Legislatoris humani non potest obligationem inducere in foro conscientiæ. *Minor* patet: *Major* etiam videtur manifesta; nam ordinarii judices non possunt inducere obligationem in judicio superioris Principis, nec Episcopi in judicio Papæ; quia nimirum eorum potestas excedituur a judicio superioris potestatis. — **Respondeo** distinguendo *majorem:* potestas Legislatoris interioris non potest obligationem inducere in foro potestatis superioris, contra, aut præter ordinem superioris potestatis, *concedo majorem;* ut subest ordini superioris potestatis, *nego majorem:* et ad illius probationem eodem modo respondetur, ordinarios scilicet Judices, aut Episcopos id non posse contra ordinem Principis, aut Pontificis, bene tamen ut stant sub ordine illorum; quasi Princeps daret potestatem ordinario Judici, ut ferret legem obligantem in suo foro: sic autem contingit in nostro casu; nam eo ipso quod lex humana est justa, subest ordini naturalis Legis, aut divinæ, ex qua participat vim obligandi etiam in foro divino, quod est forum conscientiæ.

Dices 3: Potestas Principum sæcularium est mere temporalis, et politica: ergo non potest se extendere ad aliquid spirituale; nec per consequens obligare ad culpam, et in foro conscientiæ. — **Respondeo**, potestatem Principum sæcularium dici temporalem ratione objecti, quia secundum se tota est de personis, rebus, et actionibus temporalibus; ratione tamen obligationis, quam inducit, dici potest spiritualis, et in conscientia obligare; licet enim per se primo respiciat bonum temporale Reipublicæ, et per se primo non intendat ligare conscientias sub pœna damnationis æternæ, sed solum præcipere aliquid ad promovendum tale bonum sub pœna temporali proportionata ad consequendum suum finem; ex consequenti tamen, quia hoc præcipit ut stat sub ordine divinæ potestatis, et in virtute illius potentis obligare in foro conscientiæ quantum ad culpam et pœnam æternam, ad culpam et in foro conscientiæ obligat.

Conclusio secunda. — Interdum utrique Leges tam Ecclesiasticæ, quam Civiles obligant sub mortali.

De Ecclesiasticis quidem constat; in confesso est enim apud omnes,

plures esse leges Ecclesiasticas, quæ ad sui observationem sub mortali obligent; qualis est lex de quadragesimali jejunio, de annua confessione facienda, de communione in Paschate, etc.

De Politicis pariter eadem veritas patet ex Apost. ad Rom. 13. dicente, *Eos, qui superiorum potestati resistunt, damnationem sibi acquirere,* quod de damnatione æterna SS. Interpretes *ibidem* intelligunt: sed damnatio æterna nonnisi ob peccatum mortale incurritur: igitur lex humana etiam politica aliquando sub mortali culpa obligare potest. *Quod utique confirmat* S. Augustinus Epist. 50. ✻ " quæ est ad Bonifacium comitem et exercituum imperialium præfectum, qui cum ab Augustino inquisivisset utrum tuta conscientia cogere posset hæreticos Donatistas armorum vi ut juxta Imperialia edicta sese ad Ecclesiæ Catholicæ sinum reciperent, respondet S. Augustinus istud nedum esse licitum, sed etiam pernecessarium. *Quoniam,* inquit, *multi per illas leges correcti sunt et quotidie corriguntur, et se esse correctos, atque ab illa furiosa pernicie liberatos gratias agunt. Et qui oderant diligunt, molestasque sibi fuisse salubérrimas leges, quantum in insania detestabantur, tantum recepta sanitate gratulantur.* Deinde subdit: *Quando Imperatores pro falsitate contra veritatem constituunt malas leges, probantur bene credentes, et coronantur perseverantes. Quando autem pro veritate contra falsitatem constituunt bonas leges, terrentur sævientes, et corriguntur intelligentes. Quicumque ergo legibus Imperatorum quæ contra veritatem Dei feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium. Quicumque autem legibus Imperatorum quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium,* " ✻ scilicet apud Deum, apud quem nonnisi propter mortale grande supplicium incurritur.

Quo pacto autem dignosci possit, quando leges humanæ obligent sub veniali, aut sub mortali, hæ quatuor regulæ sunt spectandæ: *Prima,* lex illa censetur obligare sub mortali, quæ pro tali habetur ex consensu et consuetudine Ecclesiæ universalis, ut lex de servando quadragesimali jejunio ab iis qui nec labore, nec infirmitate, nec aliis impedimentis excusantibus detinentur. — *Secunda Regula,* quando lex humana præcipit aut prohibet aliquid quod est grave, et ad bonum commune maxime conducens, censetur obligare sub mortali: hinc nulla lex humana potest in levi materia obligare sub mortali; quia vis obligativa legis humanæ derivatur vel ex lege naturali, vel divina: sed Deus sua lege naturali, vel divina numquam imponit obligationem ad culpam mortalem, quando materia est levis, ut fatentur omnes; ergo nec Legislator humanus potest obligare sub mortali, nisi materia sit gravis. Hinc Legislator humanus non potest rem levem, et minimi momenti præcipere sub mortali; quia ut lex humana obliget, debet esse justa; quamvis autem justa sit ratio præcipiendi rem levem, non est tamen justa præcipiendi eam sub mortali, sicut neque justa est ratio præcipiendi rem gravem sub veniali dumtaxat. Quapropter, Prælati non possunt præcipere res leves sub pœna excommunicationis. Idcirco cap. *nemo Episcoporum causa* 11. qu. 3. ex Concil. Meldensi capit. 56. statuitur, *quod anathema est æternæ mortis damnatio, et nonnisi pro mortali debet imponi crimine, et illi qui aliter non potuerit corrigi.* — *Tertia Regula est,* quod lex censeatur

obligare sub mortali, quando præcipit aut prohibet aliquid sub graviori pœna, v. g. mortis, mutilationis, excommunicationis, irregularitatis; nam severitas pœnæ argumentum est, quod res, quæ præcipitur, est gravissima. — *Quarta denique Regula est,* quod lex obliget sub mortali, quando id, quod præcipitur, licet leve sit, spectata ratione objecti, et materiæ, grave tamen est habita ratione finis, quem intendit Legislator, et ad quem lex, aut præceptum ordinatur. Hinc quia, dicitur 1. ad Tim. 2. *Finis præcepti est charitas,* illa censetur materia gravis, quæ ad dilectionem Dei, vel proximi necessaria est. *Item* quia lex ad bonum commune ordinatur, illa erit materia gravis, quæ ad bonum Reipublicæ, vel Communitatis stabiliendum, et firmandum necessaria est, licet secundum se sit levis: unde quia in Religionibus prohibitum est, ne Monasterii, vel Conventus negotia sæcularibus propalentur, quamvis hæc propalatio in aliquibus videatur levis ratione materiæ, tamen gravis est ratione boni communis.

Conclusio tertia. — LEGES HUMANÆ NON SEMPER ET REGULARITER OBLIGANT AD SUI OBSERVATIONEM CUM DISPENDIO VITÆ, AC NEQUIDEM CUM PERICULO GRAVIORIS DAMNI. Ratio est, quia ne leges quidem divinæ mere positivæ taliter censetur obligare, nisi Deus, qui pro sua summa auctoritate potest præcipere et obligare prout voluerit, aliud significet, aut ejus voluntas aliunde constet: adeoque Christus Dominus Matthæi 12. referens factum Davidis qui 1. *Reg.* cap. 21. comedit panes propositionis in necessitate, quibus tamen non licebat nisi Sacerdotibus vesci, illud factum non damnat, imo usurpat ad retellendam Pharisæorum calumniam qua carpebant Christi Discipulos, quod die Sabbati vellerent spicas, et manducarent: et Luc. 14. etiam Christus Dominus demonstrat Pharisæis licere die Sabbati extrahere asinum, qui in puteum cecidisset, quamvis alioqui omne opus faciendum prohibeatur die Sabbati.

Conclusio quarta. — LEGES HUMANÆ OBLIGANT CUM DISPENDIO VITÆ, QUANDO PLUS CONFERT OBSERVATIO ILLARUM AD COMMUNE BONUM, QUAM MORS UNIUS HOMINIS: SECUS VERO QUANDO HOMINIS VITA POTIOR EST OBSERVATIONE LEGIS HUMANÆ.

Patet prima pars assertionis; quia homo non solum quantum ad ea quæ possidet, sed etiam quantum ad seipsum est pars Reipublicæ: ergo ubi conservandum est ac tuendum bonum publicum, tenetur vitam suam discrimini exponere; cum enim in Republica sit potestas ad suam conservationem necessaria, et ad bonum commune; alioqui non esset provisum sufficienter ejus gubernationi et conservationi; hinc est quod ferri potest præceptum obligans ad aliquid agendum propter Reipublicæ bonum, etiam cum vitæ dispendio; sicut enim quilibet homo habet potestatem exponendi partem sui corporis dispendio, quando id necessarium est ad totius conservationem, sic Respublica habet potestatem exponendi singulos, qui sunt ejus partes, et membra, quando necessitas totius, seu boni communis id exigit. — *Hinc est* quod Miles teneatur cum vitæ periculo non deserere suam stationem, necnon et aggredi hostes ad præceptum sui ducis: quia desertio stationis, et non aggressio plus noceret bono publico, quam

noceat jactura vitæ illius militis. — *Hinc pariter* Parochi etiam cum vitæ discrimine tenentur residere personaliter in suis parochiis, si id præcipiat Episcopus, etiam tempore pestis aut alterius imminentis periculi mortis; nam jactura vitæ illius parochi non est tanti momenti, ac salus plebis, quæ per ejus residentiam personalem et actualem potest procurari, etc.

Patet etiam secunda pars assertionis; ubi enim non adest boni publici imminens periculum, quisque tenetur ex lege naturali ad servandam suam vitam; idque est in praxi in Ecclesia; nam quamvis prohibeatur sub pœna excommunicationis, proindeque sub mortali peccato, ne quis communicet cum hæreticis excommunicatis manifestis; nihilominus licet cum eis participationem habere, ut habetur *causa* 11. qu. 3. cap. 103. ubi statuitur, *Licere in pluribus casibus necessariis ad societatem, et vitæ sustentationem cum ipsis communicare.*

Dices: Regula ordinis Carthusianorum præcipit eisdem Religiosis non vesci carnibus etiam cum vitæ discrimine: sed ejusmodi abstinentia non plus censetur conferre ad bonum commune, quam vita plurium Monachorum qui sanctitate sunt aliis quamplurimis exemplo: ergo falsum est quod teneatur quis ad legis humanæ observationem cum vitæ periculo tantum, quando ex illa majus bonum sequitur, quam ex privata privati hominis. — **Respondent** ad *antecedens* Almainus, Major, et nonnulli alii Doctores Parisienses, illam Regulam non solum non obligare, sed etiam si adsit periculum teneri Carthusianum jure naturæ ad esum carnium, ut si ex Medicorum consilio esus ille judicatur necessarius ad vitam servandam, et sanitatem restituendam: et eos peccare contra jus naturale de conservanda propria vita, si ab illis abstineant. — *Censent aliqui* cum Victoria lect. *De Temper.* n. 8. Carthusianum in extrema necessitate ægritudinis constitutum posse quidem licite a carnibus abstinere; non tamen teneri, sed eis posse vesci licite, si id judicio Medicorum omnino censeatur necessarium ad vitam tuendam. Quam utique assertionem probabiliorem existimo: eam autem plurimis utrinque librare videtur Joann. Gerson Cancellarius Parisiensis in Tractat. *De non esu carnium a Carthusiensibus,* quem edidit adversus eos, qui illos religiosos indiscretos et inhumanos ex hoc statuto judicabant: dicit autem pro parte affirmante, *primo,* quod Carthusiani ad hoc nullo voto expresso tenentur: sed vi dumtaxat cujusdam ordinationis sive institutionis positivæ, ne hoc quisquam præsumat attentare, idque non sub pœna peccati mortalis, sed tantum disciplinæ Ordinis. *Secundo,* quod in hac constitutione debet excipi casus necessitatis extremæ, atque infirmitatis. *Tertio,* quod non habetur expresse Carthusianos ad ea teneri, etiam in casu extremæ necessitatis; quæ clausula si apponeretur, non posset secus faciens ab iniquitate excusari. Unde subdit, quod cum celeberrimos ex hoc ordine aliquando interrogasset, quid agerent ubi in deserto nihil haberent præter carnes ad vescendum: responderunt se absque scrupulo de illis, vitæ tuendæ causa, comesturos. Hinc etiam factum est, quod cum quidam ex Carthusianis iter equo conficeret, atque in summam famem, sitimque redactus, deficientibus ceteris, sanguine equi sitim levasset, re ad Fratres delata, et cognita extrema

in qua constitutus fuerat necessitate, liber ab omni disciplina Ordinis susceptus est. — *Addit* tamen pro opposita sententia, casum necessitatis extremæ non fuisse exceptum: tum quia sufficienter intelligitur, etiamsi expressus non sit: tum etiam quia metuendum est, ne si casus aliquis fuisset exceptus distincte, homines exinde arripuissent occasionem dilatandi exceptionem ad alia: sicque succedentibus temporibus desiisset robur esse in illo statuto. *Insuper,* licitum est agere multa sive temporalia, sive spiritualia, per quæ et in quibus homo abbreviat vitam suam, aut infirmitatis debilitatem incurrit; quod *probat primo de temporalibus,* tum quia alias homo teneretur vacare studio Medicinæ, aut Medicorum consiliis, atque regiminibus continuo uti deberet; quia ex illorum omissione in varias ægritudines incidimus, ex quibus sequitur vitæ abbreviatio: tum etiam quia alias quilibet teneretur desistere ab operibus et actibus, ex quibus sequuntur debilitationes corporis, mortisque ut plurimum acceleratio, qualia frequentia sunt in omni fere hominum statu. *Probat secundo de spiritualibus,* nam certum est ad multa spiritualia assequenda licere pati sanitatis debilitationem ac vitæ abbreviationem. *Primo,* ad obediendum Deo: unde et licet in hoc casu etiam pati mortem. *Secundo,* ad satisfaciendum pro peccato suo, quod constat ex operibus satisfactoriis. *Tertio,* ex charitate ad satisfaciendum pro peccatis alienis: quod declaratur ex fundationibus Monasteriorum plurimorum factis, ut qui in eis vivent, lugeant, atque pœnitentiam agant pro peccatis fundatorum, aliorumque. *Quarto,* ad evitandum grave scandalum: tunc enim ipsam mortem subire tenemur: unde Apostolus 1. Corinth. 8. *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum. Quinto,* ad acquirendas virtutes in se, vel in alio: unde nihili faciunt viri sancti labores, vigilias, et sudores, nisi ut in virtutis exercitio sint, aut ut alios ad virtutem accendant: unde licet homini servare castitatem etiam cum periculo vitæ, neque tenetur, qui vovit perpetuam petere dispensationem a summo Pontifice, si nullus sit alius modus tuendæ vitæ, quam matrimonialis conjunctio, juxta sapientiorum Medicorum consilium. Atqui si Carthusiani non servent illud statutum ut Deo obediant, illud tamen servant, ut Deo satisfaciant pro peccatis suis: servant ex charitate in proximum, pro peccatis illius satisfacientes per ejusmodi abstinentiam Deo, quemadmodum et pro suis propriis: servant, ne Fratribus scandalo sint, si carnibus uterentur: servant denique in virtutis exercitium, atque in extirpationem suorum vitiorum, nec in casibus illis, ubi agitur tantum de abbreviatione vitæ, aut infirmitate, dispensatos se putant. — *Addit* Gerson, quod consuetudo ita naturam mutat, ut venenum esse possint quibusdam stomachis carnes; etsi per esum carnium aliqua certo futura esset vitæ prolongatio; quia tamen incertum foret utrum postea deterior illa esset, non tamen foret iis vescendum: quemadmodum prudentiores Medici non consulunt potiones quasdam, quæ cum præsenti statui ægroti patientis videantur satis idoneæ, ex usu tamen pigram et segnem sunt effectura naturam. Unde subjicit, sibi notum esse aliquem Carthusianum virum doctissimum asserentem, quod plures e Fratribus morerentur aut ægrotarent in ista religione, si carnibus uterentur; quia vigilia, solitudo, et quies, etc. hujusmodi

devotionis exercitia digestionem impediunt, et ita eruditatem aliquam in stomacho relinquunt. Adjungi potest, quia vix aut raro temperanter et sobrie inter hæc gulæ incitamenta versarentur. *Concludit* Gerson totum illud opus, dicendo, prudentem Directorem non tam attendere debere ad labores, vexationes, et abbreviationem vitæ, quam ne sensus efficiantur hebetes, et stolidi per excessivam in jejunio vel fletu assiduitatem, quo fiat ex consequenti, ut judicium rationis evertatur.

QUÆSTIO TERTIA.

QUAS CONDITIONES LEX REQUIRAT UT REVERA OBLIGET.

Scopus præsentis Quæstionis est determinare, an ad efficacitatem, et obligationem legis necessario desideranda sit illius promulgatio per auctoritatem Legislatoris.

Notandum 1. Leges promulgari cum primum in vulgus eduntur, et quasi promulgantur, inquit Pompejus Sextius; hinc promulgatio est levis evulgatio, seu significatio facta communitati auctoritate Legislatoris. Certum est autem ad legis efficacitatem et obligationem in actu secundo necessario requiri, ut lex aliqualiter promulgetur: tum quia Lex se habet per modum regulæ et mensuræ actuum humanorum, cui homines suas actiones conformare debent, ne a recto fine exorbitent; sed id præstare nequeunt, nisi lex eis innotescat, nec potest innotescere, nisi per promulgationem: ergo ut obliget, necessario desideratur aliqualis ejus promulgatio: tum quia lex ex natura sua est directiva et illuminativa; quod autem in Legislatoris voluntate, aut pectore reconditum est, dirigere non potest nec illuminare subditos: unde merito cap. *De Legibus* dicitur, *Leges sanctissimæ, quæ constringunt hominum vitas intelligi ab omnibus debere:* tum denique quia cum voluntas non possit ferri in incognitum, sequeretur homines obligari ad impossibile si tenerentur legem servare ante sufficientem illius promulgationem. — Dixi notanter requiri aliqualem ejus promulgationem, quia promulgatio non desideratur æqualiter in omnibus legibus, sed diversimode, et juxta naturam cujuslibet: aliter enim lex naturæ hominibus innotescit, aliter leges divinæ positivæ tam Evangelica quam Mosayca promulgatæ fuerunt. An autem hæc promulgatio spectet ad ipsam legis essentiam, ita ut nullam habeat vim obligandi, nisi prius fuerit promulgata, anve tantum sit conditio ad ejus vim obligandi desideranda, determinandum est in præsenti.

Notandum 2. Legem posse considerari duobus modis, nempe quatenus est regula nondum applicata, prout nempe jam constituta est apud ipsum Legislatorem, et quantum est ex parte ipsius vim habet obligandi: vel prout est regula quædam applicata subditis, qui eam legem cognoscentes, debent ipsi suos actus conformare, ut recte, probeque fiant.

Notandum 3. Quantum ad acceptationem legis a subditis, primo certum esse illam non esse necessariam, ut lex naturalis et divina obligent; quia sive legibus istis assensum suum populus dare velit, sive negare, non minus eis tenetur. Certum pariter non hic esse ser-

monem de acceptatione legis a singulis interioribus: hac enim ratione nulla pene lex obligaret; siquidem nulla lex est humana, quæ alicui subditorum non videatur gravis; subindeque ab eo esset respuenda, si id ejus voluntati concederetur. Nec etiam hic sermo est de non acceptatione legis a populo juncta conniventiæ superioris; in hoc enim casu certum est, legem non obligare, nam ut lex obliget, necessaria est voluntas obligandi in eo qui legem condidit; tunc vero cessaret voluntas Legislatoris si populo respuente legis observantiam, conniveret. — *Denique,* difficultas non movetur de non acceptatione, quæ ex longa contravenientium consuetudine derivata fuerit; nam, ut infra constabit, lex humana contraria consuetudine longa abrogatur: tota igitur difficultas ✻ " esset de non acceptatione voluntaria quæ non sit fundata in longa contravenientium consuetudine. Qua de re jurisperitos consulas. " ✻

Conclusio prima. — Lex considerata ut regula subditis applicata, essentialiter promulgationem exigit; secus vero quatenus consideratur apud ipsum Principem constituta.

Patet Conclusio tum ex dictis in primo Notabili, tum quia lex est quoddam regiminis instrumentum, quo subditus regitur a superiore, humano more; scilicet ut intelligens et volens, ad quod necesse est voluntatem, et decretum superioris intimari subdito, ut ad illud inferior se scienter et libere accommodet: et quia lex fertur non uni privatæ personæ, sed perfectæ communitati, idcirco debet intimatio esse publica, idest, facta publico modo, et communitati accommodato, quæ intimatio dicitur *promulgatio.* — *Insuper,* lex est quoddam præceptum: non habet vero præceptum vim obligandi, nisi is qui præcipit voluntatem suam manifestet et intimet: neque enim Deus, aut quivis alius Legislator censetur aliquid præcipere ex eo quod apud se statuat aliquid faciendum vel non faciendum, nisi significet illud: ergo, etc.

Dices 1: Lex naturalis est vera et propria dicta lex, quæ obligat: adeoque vim habet obligandi; assignari vero non potest quando fuerit promulgata. *Item* lex æterna, ex multorum sententia computatur inter leges proprie dictas; at non potuit promulgari lex tota æternitate, ut evidens est, neque dici potest quando fuerit promulgata in tempore: ergo, etc. — **Respondeo**, legem naturæ promulgatam fuisse sufficienter ex hoc ipso, quod Deus illam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam: unde Psalmista: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* — *Ad secundum* dico quod lex æterna spectata ex parte Dei, fuit promulgata, et verbo, et scripto ab æterno: quia promulgata fuit in Verbo divino, quod æternum est; et præterea in libro vitæ, qui æternus quoque est, et hi sunt duo modi, quibus publicatur lex omnis, nimirum vel verbo, vel scripto, inquit S. Thom. 1. 2. q. 91. art. 1. Vel rectius censeo respondendum cum Doctore in 4. d. 3. q. 4. ubi agit de obligatione baptismi, promulgationem videri necessariam tantum ad legem positivam; *Nullus,* inquit, *tenetur ad aliquod præceptum divinum, nisi per aliquem idoneum et authenticum sibi promulgetur vel fama veridica, et testimonio bonorum, cui debet quilibet rationabiliter credere, et hoc intelligo de lege positiva, quæ non est nota interius in corde.* Quibus indicat promulgationem non videri neces-

sariam nisi ad leges positivas; quod maxime verum est de promulgatione, quæ fit per notitiam exterius acceptam: nam aliunde certum est, ut mox diximus in prima responsione, legem naturalem in nostris mentibus signato super nos divino lumine manifestari. Certum pariter legem æternam per aliquod signum nobis intimari: nempe vel per legem ipsam naturalem, vel per alias divinas leges, quæ ab illa æterna lege veluti rivuli a fonte dimanant.

Dices 2: Si quæ esset ratio, propter quam necessaria dicitur promulgatio ad hoc ut lex habeat vim obligandi, maxime quia per promulgationem lex fit nota subditis, qui lege tenentur: sed hæc nulla est, nam ad multa tenentur homines, quæ invincibiliter ignorant: v. g. tenentur ad observationem legis naturæ, etiamsi illam ignorent invincibiliter. *Item* tenentur ad baptismum recipiendum, juxta illud Christi Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit*, etc. *Item* possessor bonæ fidei obligatur ad restitutionem quamdiu detinet alienum, nec dum præscripsit. *Item*, contractus humani irritantur per legem humanam, sive sit nota ista lex, sive ignota, ut patet in matrimonio clandestino, et impedimentis matrimonii, ac irregularitatibus, quæ ligant etiam rudes, et invincibiliter legem ignorantes. — **Respondeo** *ad majorem*, requiri promulgationem, ut lex nota fiat subditis, qui ea tenentur notitia communi, sed non esse necessarium ut fiat nota notitia privata: est autem notitia communis, quando lex promulgatur. Quæ afferuntur in objectione, procedunt de notitia privata.

Probatur secunda pars, nempe quod lex sumpta pro regula apud ipsum solum legislatorem residente non includat essentialiter promulgationem, ut sic enim vim totam obligandi habet ab ipsa legislatoris voluntate: at legislatoris voluntas ut decernat legem vim obligativam habere, non opus habet aliquo externo signo sensibili, quo suum decretum statuat; subindeque sic considerata lex, promulgationem non exigit. *Insuper*, lex est actus prudentiæ, necnon et auctoritatis existentis in principe; sed actus prudentiæ, et auctoritatis dictantis aliquid esse faciendum, existere potest tum in judicio practico, tum in voluntate principis ante quodlibet signum externum: proindeque lex spectata, quatenus est regula a principe constituta, promulgationem non requirit. *Denique*, statim ac concepta est lex a Principe, censetur apta ad obligationem inducendam: ad hoc enim concipitur et instituitur ut obliget: sed hæc aptitudo sufficit ad legis essentiam: igitur hac ratione lex essentialiter promulgationem non exigit. — *Nihilominus* generaliter dicendum arbitror leges essentialiter promulgationem exigere; tum propter rationes in priori assertione expressas, tum quia ut ait Gratianus cap. *in istis* d. 4. *Leges instituuntur cum promulgantur, firmantur cum moribus utentium approbantur.*

✳ " **Conclusio secunda.** — Leges civiles tam Imperiales quam Regiæ non censentur " ✳ subditos obligare, nisi in provinciis et Regnis, pro quibus constituuntur, fuerint promulgatæ.

Quod utique patet ex authentica, *ut novæ constitutiones*, ubi Justinianus Imperator statuit suam legem non valere, nisi postquam fuerit proposita in Metropolibus Provinciarum. Nec obstat, quod ibi loquitur Im-

perator de solis constitutionibus imperialibus, quæ spectant ad testamenta; nam ratio legis istius non minus valet pro cæteris materiis, ut rubrica *de omnibus legibus* loquitur, quæ talis est, ut novæ factæ constitutiones post insinuationes earum post duos menses valeant. Est autem axioma receptum apud Jurisconsultos rubricam esse pro lege, quando perfectum sensum reddit, quatenus textui non repugnat, et habere vim extendendi, quod in textu strictius ponitur. Quapropter leges strictius loquentes censentur potius esse exemplum quoddam rubricæ jam obtinentis vim legis, quam leges ipsæ. Id autem adeo verum est, ut Pius IV. *in Bulla super declaratione temporis* ad observanda decreta Concilii Tridentini, rubricam hanc pro lege citaverit his verbis: *Quia in jure communi sancitum est, ut constitutiones novæ vim nonnisi post certum tempus obtineant, etc.* Unde dispar est ratio rubricarum juris civilis, et rubricarum juris Canonici, quæ privato Gratiani sensu scriptæ, neque aut Pontificia aut regia auctoritate absolute probatæ, neque ab Ecclesia universali pro legibus acceptatæ sunt. Accedit ratio; quia non potest præsumi sufficienter in notitiam subditorum venisse ea lex quæ non fuerit in illa Provincia publicata, in qua degunt. Hinc lex Regia non obligat, nisi fuerit promulgata juxta consuetudinem ejus regni, in quo fertur; unde mos invaluit in Galliis, ut Regiæ Constitutiones promulgentur in parlamentis; et exinde mittantur ad inferiora subsellia judicum Provincialium, ac regionum; nec ante censeantur obligare, quam fuerint in illis locis publicatæ. Quantum autem ad leges ecclesiasticas jam multorum invaluit sententia, eas non habere vim obligandi per universum orbem, quantumvis fuerint Romæ, vel alibi promulgatæ, nisi pariter promulgentur in singulis Provinciis. Quod utique

Probatur primo: Ratio cur imperialis et regia lex in singulis Provinciis debeat publicari, est quia non potest præsumi sufficienter promulgata, ut ad notitiam subditorum perveniat ea lex, quæ in Provinciis non est promulgata: atqui eadem ratio locum habet respectu legum Pontificalium.

Secundo: Quia si in aliqua Provincia non publicetur lex Romani Pontificis, habebit populus rationem aliquam existimandi, vel quod non sit ejusmodi lex lata, vel si lata sit, mentem summi Pontificis non esse, ut in ista Provincia obliget.

Tertio: Quia Concilia, in quibusdam legibus, quas tulerunt, declaraverunt eas non obligare, nisi postquam in singulis Diœcesibus per locorum Ordinarios fuerint publicatæ. Sic Concilium Lateranense sub Innocentio III. cap. 22. et habetur cap. *cum infirmitas, de pœnitentiis, et remissionibus* statuit, tum demum Medicos ea constitutione teneri, qua præcipitur illis, ut cum advocantur ad infirmos, ante omnia ipsos inducant et moneant, ut Medicos advocent animarum, hoc est, ut sacramentaliter confiteantur, quando fuerit publicata per locorum ordinarios: eadem vero est hujus, et cæterarum constitutionum Ecclesiasticarum ratio.

Quarto: Hæc eadem veritas suadetur ex veteri Ecclesiæ praxi: constat siquidem in more fuisse, ut decreta Romanorum Pontificum, et Conciliorum publicarentur in Provinciis; tuncque obligare incipiebant. Sic legimus apud Tertul. lib. *De Pudicitia*, cap. 1. Decretum

Zephyrini Romani Pontificis pro reconciliandis pœnitentibus contra Montanistas fuisse affixum ad valvas Ecclesiarum, et lectum in Ecclesiis. Sic Dionysius Olympiorum Episcopus *Ep. ad Soterem Papam*, testatur lectam sibi a Sotere, ad quem scribebat missam Epistolam, missam etiam a Clemente, idque die Dominica in cœtu fidelium. Sic constitutio Stephani *de non rebaptizandis hæreticis*, missa fuit per Provincias, ut testis est Cyprianus *Epist.* 74. *quæ est ad Pompejum*. Sic decreta Nicænæ Synodi, ut refert Marius Victorinus lib. 2. *adversus Arium*, per totum orbem fuerunt missa. Sic et Sardiensis decreta cum Nicænis transmissa scribit Theodoretus lib. 1. *Historiæ*, cap. 9. et lib. 2. cap. 8. Sic Chalcedonensis a Leone ad Episcopos per Provincias directa, ut ipse nos docet *Epist.* 71. et 91. Mitto alia. — Atque hinc factum est, ut plurima Concilia numero Patrum minus spectabilia, propterea quod in Provinciis recepta fuerint et probata, in quas missa sunt, alia habuerint vim Conciliorum totius Occidentis vel Orientis, alia Ecclesiæ universalis. Hinc etiam factum est, ut plurimæ summorum Pontificum constitutiones non obligent in multis partibus orbis v. g. Bulla Cœnæ Domini, quæ non obligat in Gallia, Germania, Polonia. Hinc etiam est, quod Innocentius I. Ep. ad Exuperium Tolosanum, ut refertur cap. *posuisti*, distinct. 82. statuit, ut lex, quam edidit Siricius Papa adversus Diaconos et Presbyteros incontinentes, quos decrevit omni honore privandos, non obliget eos, ad quos, ut loquitur, *hæc non probatur pervenisse*.

Objicies 1. Si vera sit nostra propositio, sequetur vix esse leges Pontificias, quæ obligent; nam primo decretum Gratiani privata ejus auctoritate congestum est, et nunquam fuit promulgatum. *Secundo*, libri quinque Decretalium, qui compilati sunt a Gregorio IX. videntur fuisse promulgati in sola Bononiensi Academia, ut colligitur ex eorumdem prætatione. *Tertio* eadem quoque est ratio libri sexti Decretalium, ut bene glossa observat in datam libri istius sexti. *Quarto*, Clementinæ, quæ a Joanne XXII. paulo post obitum Clementis V. a quo sunt editæ, datæ sunt publico, videntur in sola Romana curia promulgatæ. — **Respondeo** *primo* decretum Gratiani non obligare: neque etiam, quod forte nonnulli non putarent, quatenus prælegitur in Academiis, quia plurima docentur in scholis, ad investigationem antiquitatis, et disciplinæ, et non ad praxim. Unde nec obligat quidquid in jure civili continetur, licet prælegatur in Academiis. Obligat itaque decretum Gratiani ea parte, qua continet statuta Conciliorum vel Pontificum olim in Provinciis promulgata, aut etiam quatenus continet aliqua, quæ judiciorum consuetudine probata sunt. *Secundo*, libri *quinque Decretalium* non tantum directi sunt ad Bononiensem Academiam a Gregorio IX. sed etiam ad omnes Provincias, in quibus promulgatos fuisse, atque receptos scribit Matthæus *Paris* in Henrico tertio Anglorum Rege. *Tertio*, Liber sextus Decretalium non fuit promulgatus in Galliis. Editus est a Bonifacio VIII. inter quem et Philippum Pulchrum graves, quæ exarserunt inimicitiæ, prohibuerunt ne in hoc regno promulgaretur. Id tantum est in isto libro auctoritatis, quod alias suum robur, atque auctoritatem habuit: qualia sunt quæ ex Concilio Lugdunensi, aliisque in Gallia receptis petita sunt: qualia etiam sunt ea, quæ vel judiciorum consuetudine, vel moribus

utentium recepta sunt: v. g. quod triplex sit tantum Episcopus, a quo aliquis in Clericorum numerum adscribi potest, originis, beneficii, vel domicilii. *Quarto, Clementinæ* maxima ex parte receptæ sunt in Galliis: nam ex decretis Concilii Viennensis coalescunt, quod quidem in Gallia coactum est, et cujus pars magna fuerunt Galli Episcopi. *Deinde* Clemens iste ex Episcopo Burdigalensi Pontifex factus, Lugdunum Cardinales omnes convocavit, curiamque Romanam in Gallias traduxit, ubi per 70. et amplius annos perseveravit: quare quæcumque ab isto Pontifice in curia promulgata fuerunt, ea in Galliis fuisse promulgata certum est, neque rationabiliter negari potest, quod in singulis Galliæ Provinciis fuerint promulgata. *Quinto,* Extravagantes communes Joannis XXII. in Gallia quoque promulgatæ sunt: quandoquidem ille fuit *Clementis* V. successor, natione Gallus ex Avenionensi summus Pontifex renuntiatus Lugduni; nec videtur negari ideo posse, quod in singulis Provinciis Galliæ promulgatæ fuerint. Eæ vero, quæ sunt *Bonifacii VIII.* non sunt receptæ propter rationem, supra dictam. Aliæ quæ sunt summorum Pontificum, qui sederunt in Galliis, videntur in singulis Provinciis promulgatæ. Aliæ denique, vel non debuerunt promulgari, utpote solventes tantum ab aliqua obligatione, vel fuerunt moribus utentium, et judiciorum consuetudine receptæ.

Objicies 2. Ubique vitandi sunt hi qui sunt nominatim excommunicati in aliqua Diœcesi, propter Ecclesiasticæ communionis utilitatem, ut constat ex *causa* 11. *q.* 3. licet non ubique sententia excommunicationis fuerit promulgata. Item si quis noverit aliquem locum esse interdictum, non potest in eo celebrare, sed tenetur tale interdictum servare, ut constat ex Innocentio III. cap. 1. *De postulatione Prælatorum*, etiamsi tale interdictum non fuerit ubique promulgatum: ergo a pari obligat lex Pontificia, licet non promulgata in singulis Provinciis. — **Respondeo** *ad primam partem antecedentis,* distinguendo in hunc modum: sunt a singulis vitandi ob sententiam excommunicationis præcise, *nego:* vi legis Ecclesiasticæ ubique receptæ, quæ cavet, ut vitentur, *concedo.* Habes legem hanc *causa*, et *quæstione* citatis. *Ad alteram partem respondeo,* distinguendo eodem modo: subjungo vero auctoritatem Innocentii non facere ad rem; quia ibi agitur de postulatione Episcopi Altisiodorensis in Archiepiscopum Senonensem facta a Canonicis Ecclesiæ Senonensis, qui Episcopus non servaverat interdictum latum auctoritate Rom. Pontificis in terras regis Franciæ: excusabat autem se prædictus Episcopus de interdicto non servato, quia sententia interdicti non pervenerat ad suam notitiam; neque per litteras Papæ, neque per Litteras Legati, qui sententiam publicaverat, neque per mandatum alicujus executoris, et præterea quod dictus Rex in Altisiodorensi Diœcesi terram non haberet. Sed excusationum istarum rationem habendam non esse decernit Innocentius: posterioris quidem, quia tota Diœcesis Altisiodorensis subdita erat Regi Franciæ: jusserat autem summus Pontifex terram Regis Franciæ subjici interdicto, et Legatus interpretatus fuerat mandatum Pontificis de terra omni, quæ ditioni regis suberat: prioris vero, quia in Ecclesia Metropolitana ipsius Episcopi Altisiodorensis, nimirum Senonensi, hæc sententia interdicti promulgata, recepta, servataque fuerat: quare non facit ad rem præsentem hæc auctoritas.

Objicies 3. Qui Romæ sancti declarati sunt, ubique pro sanctis haberi debent, etiamsi promulgatio decreti de sanctitate eorum non fuerit facta per singulas Provincias: ergo lex Ecclesiastica obligat, etiamsi non fuerit per singulas Provincias promulgata. — **Respondeo** ad *antecedens* distinguendo: ita ut eorum officium per singulas Provincias fieri debeat, aut festum celebrari, nego; ad id enim necessarium est, ut lex promulgetur in Provinciis; ita ut in veneratione habeantur tamquam personæ veneratione dignæ, concedo; ad id enim non requiritur lex, sed sufficit, quod persona declaretur digna veneratione.

Objicies 4. Obligant Canones fidei, etiamsi non sint per Provincias promulgati: ergo a pari ad hoc ut obligent Canones, et leges Pontificiæ de moribus, ac disciplina, non est necesse ea in Provinciis promulgari. — **Respondeo** negando *consequentiam*, disparitas enim est, quod Canones fidei sint tantum declaratorii juris divini: at jus divinum promulgatum est; adeoque non est necessaria nova promulgatio, ut Canones fidei obligent: leges vero Pontificiæ non sunt promulgatæ sufficienter, nisi in Provinciis singulis promulgentur.

Denique quod spectat ad leges Episcoporum, dico quod ad hoc ut obligent, debent promulgari, ut fieri assolet, in missis Parochialibus regulariter loquendo: quod si alia sit consuetudo alicujus Ecclesiæ particularis, debet talis consuetudo servari.

ARTICULUS TERTIUS.

DE LEGIS HUMANÆ RELAXATIONE PER CONSUETUDINEM, ABROGATIONEM, DISPENSATIONEM, INTERPRETATIONEM, ET PRIVILEGIUM.

Declarata legis humanæ efficacia, et obligandi virtute, superest examinandum qualiter virtus illa interdum remittatur; quod utique fit vel per *consuetudinem*, quæ ex parte populi legem solvit: vel per *abrogationem*, et *dispensationem*, quibus Principis auctoritate legis obligatio revocatur: vel per *privilegium*, quo ex liberalitate Legislatoris aliqui e subditis a legis obligatione eximuntur: vel denique per *interpretationem*, qua Magistratus, ac Reipublicæ administratores, ac judices legis vim certis in quibusdam casibus non vigere censent. De quibus omnibus nonnulla determinanda sunt in sequentibus Quæstionibus.

QUÆSTIO PRIMA.

QUID, ET QUALIS SIT CONSUETUDO.

Notandum 1. Consuetudinem, et Præscriptionem invicem in pluribus convenire ac discrepare. Conveniunt, inquam, maxime in duplici capite. *Primo* quidem, quia in utraque intervenit aliquid facti, et aliquid juris, quod per factum inducitur, et firmatur; *Secundo*, quia et præscriptio exigit aliquam consuetudinem facti, et vicissim consuetudo requirit aliquam præscriptionem temporis. Differunt autem *primo* ratione ipsius juris comparati; nam consuetudo introducit jus legale, seu jus legis, quo omnes obligantur; præscriptio vero solum confert jus dominii in rem aliquam, aut jus ea utendi, et fruendi.

Secundo, invicem discrepant, quod consuetudo introducatur per praxim, et usum populi; cum enim vim legis habeat, et lex ad commune bonum referatur, debet consuetudo introduci per mores, et observationem communitatis, seu populi: præscriptio autem cum ad solam alicujus privatæ personæ utilitatem spectet, introducitur tantum per usum, et factum alicujus privatæ personæ; sic si domo quis vel hæreditate aliqua diuturno tempore pacifice fruitur, per præscriptionem acquiritur jus hæreditatis in ipso privato homine. *Tertio denique,* consuetudo, et præscriptio differunt invicem, quod consuetudo ad suæ introductionis efficacitatem, et valorem requirit consensum tacitum, vel expressum Principis, ut mox dicemus; præscriptio autem non requirit consensum ipsius, contra cujus utilitatem præscribitur; ut enim Petrus contra Paulum in prædio aliquo præscribat, non opus est Paulum ipsum tacite, aut expresse in hanc præscriptionem consentire, sed sufficit, quod eo ignorante Petrus eo prædio fruatur determinato tempore ad præscriptionem.

Notandum 2. Quod etsi *consuetudo* interdum usurpetur indiscriminatim pro *usu, more, foro,* et *stylo:* nihilominus in aliquibus ab eis discrepat; licet enim *consuetudo* spectata ut est quid facti, idem sit quod *usus,* et *mos*, nempe uniformis frequentatio actuum liberorum: si tamen spectetur ut est quid juris moraliter relictum, et perseverans ex ipsa uniformi frequentatione humanorum actuum, vim habet obligandi ad sic operandum, *consuetudo* differt ab ipso *usu* et *more*, qui dumtaxat important ipsam materialem uniformem frequentationem actuum liberorum. Differt autem *consuetudo* a *foro* et *stylo:* forum enim non est quodcumque jus usu, et consuetudine firmatum, sed de iis dumtaxat rebus, de quibus judicandum est in Tribunali. *Stylus* autem est ille modus, qui in scribendo, vel loquendo servatur a jurisperitis in causis, et negotiis tractandis. *Consuetudo* vero est jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, ubi lex deficit.

Notandum 3. Duobus modis intelligi posse, quod consuetudo vim habeat humanæ legis. *Primo* quidem in abroganda aliqua lege humana, ita ut per consuetudinem aliquam diuturnis populi moribus inductam contra præscriptam legem, lex illa obligare cesset, et abrogetur; non secus ac lex prior per posteriorem contrariam censetur revocari, et abrogari. *Secundo,* ut ipsa consuetudo sit aliqua species legis, et non minus obliget, quam obligat lex humana. Quærimus igitur, an hac utraque ratione consuetudo vim Legis habeat. Tria igitur impræsentiarum sunt breviter determinanda: *Primum,* quid sit consuetudo: *Secundum,* quotuplex: *Tertium,* quam vim habeat, quasve conditiones exigat, ut eam vim habere censeatur.

Conclusio prima. — Consuetudo est jus quoddam Hominum moribus institutum, quod pro lege suscipitur cum deficit lex. Ita Gratianus d. 1. c. 5. Primo dicitur *jus:* tum quia in ratione juris tamquam in genere cum lege scripta convenit; nam ut ibidem ait Gratian. c. 2. *Jus generale nomen est: lex autem juris est species, et omne jus legibus, ac moribus constat:* tum quia consuetudo debet esse justa, saltem ratione objecti, seu materiæ, circa quam versatur. Per quod distinguitur ab abusu, et corruptela. Additur, *Hominum*

moribus institutum, quibus verbis a lege distinguitur; lex enim fertur a superiore, consuetudo vero introducitur a subditis cum solo Principis consensu tacito, vel expresso. Sequitur *quod pro lege suscipitur*: nam, ut statim dicemus, consuetudo vim legis habet, et ejus loco suscipitur, ubi lex deficit. Cum autem lex deficere possit triplici modo: *primo* cum non est: *secundo* quando est inutilis: *tertio* cum dubia, vel obscura est; inde fit, quod etiam triplici modo consuetudo suscipitur; nam *primo* ubi lex non est, suscipitur consuetudo legis introductiva, seu vim habens legis; *secundo* venit in defectum legis inutilis consuetudo abrogativa legis illius; *tertio* cum lex obscura est, vel dubia est, venit in ejus defectum consuetudo, quæ, ut infra dicemus, vim habet legem dubiam, et obscuram interpretandi.

Conclusio secunda. — Consuetudo vim habet legem novam instituendi, et veterem abrogandi. Ita omnes Theologi, et juris utriusque Doctores.

Probatur prima pars, ex Patribus; nam Tertull. lib. *De Corona militis*, cap. 4. sic ait: *Consuetudo etiam in rebus civilibus pro lege suscipitur, cum deficit lex.* Et August. Epist. 86. ad Casulanum ut refertur cap. *In istis* distinct. 11. hæc scribit: *In istis rebus, in quibus nihil certi statuit divina Scriptura, mos populi Dei, et instituta Majorum, pro lege tenenda sunt: et sicut prævaricatores divinarum legum, ita et contemptores Ecclesiasticarum coërcendi sunt.*

Probatur secunda pars, ex cap. *Finali de consuetudine*, his verbis: *Licet etiam longæva consuetudo non sit vilis auctoritas, non est tamen usque adeo valitura, ut juri positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, et legitime sit præscripta.* Et Digestis de legibus lege de quibus, ubi legimus, *rectissime etiam illud receptum est, ut non solo suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem leges abrogentur.* Secundo, quia consuetudo habet vim legis: ergo cum lex, quæ sequitur, tollat legem præcedentem, ita et consuetudo. *Tertio* ex Isidoro, et Theologis post ipsum, lex debet esse secundum patriæ consuetudinem loco, temporique conveniens: ergo per contrariam consuetudinem lex abrogatur; quia per illam fit, ut non sit amplius secundum patriæ consuetudinem. *Quarto*, experientia testatur hanc veritatem: multæ siquidem leges Ecclesiasticæ amplius non vigent, quia per contrariam consuetudinem sunt abrogatæ.

Dices: Consuetudo rationi cedere debet, ut habetur distinct. 8. Ergo cum lex rationi nitatur, debet illi cedere consuetudo, et non per contrariam abrogari. — **Distinguo antecedens**: consuetudo debet cedere rationi, quæ contrariam omnem rationem excludit, *concedo*: debet cedere rationi, quæ non excludit rationem contrariam, *nego*: ea autem est conditio legum positivarum, ut rationi nitantur: quæ tamen habent rationem oppositam, quam non excludunt, et cum in consuetudine involvitur ratio opposita rationi legis, ei consuetudo est præferenda.

Instabis: Dicitur etiam sæpius in jure Canonico, et Civili eam non esse vim consuetudinis, ut legem vincat. — **Respondeo**, non esse eam vim consuetudinis cujuslibet, sed rationabilis et legitime præscriptæ.

Conclusio tertia. — Ut Consuetudo vim legis instituendæ, et abrogandæ habeat, plures conditiones exigit.

Primo namque ut legem abroget, debet esse *rationabilis :* quod non est sic intelligendum quasi actus, a quo incipit consuetudo, necessario debeat esse bonus, cum sit contra legem : sed quia postquam per actus malos subditi fecerunt aliquid contrarium legi, successu temporis executio istius legis humanæ, contra quam peccatum est, vix est possibilis, magnas habet difficultates, onerat, et angit conscientias, potius quam juvet illas : unde contingit, ut subditi credant se in bona conscientia facere posse, quod legi adversatur. — Debet etiam esse *legitime præscripta* ista consuetudo : legitime vero præscriptam non esse certum est, nisi his conditionibus : *primo* consuetudo non præscribitur nisi per actus contrarios legi, vel per negationem actuum legi repugnantem. Dico *legi repugnantem*, quia non per quamlibet negationem actus præscribitur. *Secundo* actus isti, per quos introducitur consuetudo præscripta, debent esse voluntarii : quia ut acceptatio voluntaria requiritur in subditis ad hoc, ut lex humana vim habeat legis, ita voluntaria non acceptatio, seu potius inobedientia legis debet esse in causa, cur consuetudo legem abroget. *Tertio* actus isti debent esse manifesti : tum quia quando actus obscuri sunt, vix conjici potest esse bona fides in subditis, quæ tamen ad præscribendum necessaria est : tum etiam quia unumquodque eo genere dissolvitur, quo est colligatum : ergo cum lex introducatur per actus manifestos, actus contrarii, per quos desinit, debent etiam esse manifesti. *Quarto* tempus præscriptionis istius respectu legum Ecclesiasticarum videtur esse quadraginta annorum, quia non præscribitur adversus Ecclesiam, nisi quadraginta annis, ut constat *ex titulo de præscriptionibus :* respectu vero legum Civilium debent intercedere decem anni ; quia præscriptio longi temporis est decem annorum inter præsentes, ut habetur in jure civili, licet inter absentes sit viginti annorum : subditi autem, in quorum bonum lex fuit instituta, semper sunt præsentes. *Denique* actus isti, per quos inducitur ejusmodi consuetudo legis abrogativa, vel frequentiores, vel rariores esse debent per hoc tempus ratione materiæ : si namque materia rarius occurrat, præscribitur lex a consuetudine per minores numero actus repetitos : si frequentius, plures requirentur ; uno verbo, debent tot esse actus, ut colligi possit, quod quotiescumque sese obtulit occasio legis implendæ, toties ei contradictum fuerit. — *Similiter :* ut consuetudo habeat vim inducendi legem, has opus est conditiones habeat : *primo* requiritur, ut id, de quo inducitur consuetudo, sit actus bonus, et possit esse materia legis justæ : nam consuetudo habet vim legis : ergo debet esse de ea re, de qua lex statui possit. *Secundo*, debet esse universalis, et non paucorum. *Tertio*, id, quod ducitur in consuetudinem, judicari debet ab omnibus observatu necessarium, et non tamquam faciendum ex populi devotione, et pio affectu. *Quarto*, requiritur expressa, vel saltem interpretativa superioris voluntas, ut talis consuetudo obliget : in hoc siquidem est distincta consuetudo, ubi de abroganda lege agitur, a consuetudine ubi de lege instituenda, quod nihil habeat vim legis, nisi a superiore juridice dimanet : atqui absque consensu superioris potest consuetudo legem abrogare, quia tunc lex præcedens utilis esse desinit. *Quinto*,

debet esse legitime præscripta: ut vero talis sit in Ecclesiasticis sicut in Civilibus, sufficit præscriptio decem annorum, nec requiritur ut sit quadraginta annorum: nam ideo, ubi de abroganda lege agitur, consuetudo debet esse præscripta præscriptione quadraginta annorum, quia esset contra Ecclesiasticam legem; contra Ecclesiam autem non præscribitur minori temporis spatio: at ubi de consuetudine agitur, quæ vim habet legis instituendæ, non præscribitur contra Ecclesiam: ergo tunc sufficit si præscriptione decem annorum sit præscripta. Ex iis

Collige 1. Consuetudinem habere quoque vim legem dubiam vel obscuram interpretandi; neque enim melius vera legis intelligentia haberi potest, quam ex communi hominum, maxime sapientum, usu per receptam consuetudinem comprobato et manifesto. Quod etiam patet ex c. *cum dilectus* de consuetudine, necnon l. 37. *ff. de legibus*, ubi dicitur, *consuetudo esse optima legum interpres*. Quod utique fit dupliciter: *primo* quidem quatenus est signum veri sensus legis, et intentionis legislatoris, quæ ex modo, et consuetudine legem servandi colligitur tamquam ex probabili, aut moraliter certo argumento, nisi constet aliunde contrarium. Hinc Doctores, ac jurisperiti non raro affirmant legem esse exponendam juxta consuetudinem loci. *Secundo*, consuetudo vim habet legem interpretandi, quia concurrit ad introducendum vel stabiliendum sensum legis, modumque observandi, implendi eam, quantumvis subinde minus convenientem cum prima legislatoris intentione: cujus quidem assertionis ratio est, quod ipsa consuetudo potest sortiri vim legis, aut legem abrogare: ergo etiam aliter potest interpretari. Unde licet ex verbis, aut materia legis foret dubium, an lex graviter obligaret, ideo per se loquendo esset benignius interpretanda, deberet tamen censeri obligare graviter, si ita sit consuetudine recepta.

Collige 2. Duplicem distingui consuetudinem vim legis habentem: *aliam* quidem præscriptam; *alteram* vero non præscriptam. Prior est illa, quæ diuturno tempore valorem legis acquirit per consensum legalem Principis, eo modo quo jus acquiritur in aliena bona longi temporis diuturnitate possessa per præscriptionem possessionis bonæ fidei vi legis generalis præscriptionem statuentis: cujus quidem consuetudinis fit mentio in c. *ultimo de consuetudinibus*, ubi vocatur *consuetudo legitime præscripta*. Posterior vero consuetudo ea est quæ jus inducit absque præscriptione, seu determinatione longi temporis per tacitum saltem consensum Principis scientis, et tolerantis id quod fit, cum posset facile impedire, deberetque; nisi tacite consentiret ad malum aliquod vitandum. Ad priorem consuetudinem firmandam requiritur ad minus tempus decem annorum, ut patet ex lege 1. et 2. Codice *De præscriptionibus longi temporis*. Quod utique tempus continuum esse debet, idest, non interruptum per contrarios actus superioris resistentis, vel populi eam interrumpentis. Quantum vero temporis sufficiat ad consuetudinem non præscriptam infra decennium, vix certo potest definiri. Censent enim aliqui ad id sufficere tres menses: alii vero minus exigunt; at existimo id esse prudenti sapientum consilio, et assensu judicandum ex frequentia et notorietate actuum, quibus inducitur, aliisque circumstantiis, ex quibus prudenter censendum est, Principem talem consuetudinem tolerare, et tacite approbare.

Collige 3. Consuetudinem vim legis habentem non posse induci nisi a communitate, aut saltem a majori parte communitatis publice, et voluntarie agente; ita quod actus, quibus inducitur consuetudo publice fiant, et absque ulla vi. *Ratio primæ partis* hujus assertionis est, quod consuetudo cum habeat vim legis, sitque lex quædam non scripta, non potest induci nisi ab iis, qui habent potestatem, et auctoritatem leges ferendi; cujusmodi est communitas perfecta, vel superior ipsi præsidens: quare licet privati possint præscribere, et jus in bonum possessum acquirere per præscriptionem; non tamen possunt consuetudinem vim legis habentem inducere. *Secunda pars* hujus assertionis etiam constat; cum enim jus per consuetudinem inductum cadat in totam communitatem, debet esse a tota communitate moraliter saltem; quandoquidem jus illud consuetudinarium vim habeat obligandi totam communitatem per modum legis. Dicitur autem esse a tota communitate moraliter id, quod est a majori parte illius, ut patet ex electionibus, et deliberationibus, aliisque actibus, qui a communitate fieri solent. — *Advertе* nihilominus quod si Princeps legem ferat circa paucorum consuetudinem, quæ melior ei videatur, illa consuetudo revera vim habebit totam communitatem obligandi, non tamen ratione consuetudinis inductæ per pauciora communitatis membra, sed ratione legis a Principe latæ et constitutæ.

QUÆSTIO SECUNDA.

QUID, QUOTUPLEX, ET QUALIS SIT LEX FAVORABILIS SEU PRIVILEGIUM.

Notandum 1. Privilegium a Lege, Dispensatione, et gratia differre: a *lege* quidem in duobus maxime: quia *primo* lex jus commune, *privilegium* vero jus speciale respicit; *secundo*, quia *lex*, quamdiu viget, semper obligat subditos; *privilegium* vero a legis observatione privilegio donatum eximit; *tertio*, quia *lex* totam communitatem obligat, ad eamque spectat; *privilegium* vero tantum concernit personas privatas; est enim lex privata a jure communi eximens. A *Dispensatione*, similiter differt *primo*, quia *dispensatio* semper est alicujus legis: *privilegium* non ita: potest enim aliquis privato jure donari absque eo quod cæteri ad contrarium obligentur; *secundo*, quia dispensatio ad unum actum conceditur, puta ad unicum matrimonii impedimentum tollendum, sicque non est quid permanens; *privilegium* vero dat jus aliquod stabile: unde quando dispensatio conceditur alicui per modum legis stabilis et permanentis, puta dum quis eximitur a jejunio quadragesimali pro toto tempore vitæ, hæc concessio potius habet vim privilegii quam dispensationis. *Denique*, privilegium a *gratia* discrepat, sicut inferius a superiori; quia privilegium quodlibet est gratia, sed non gratia quælibet est privilegium; dispensatio enim v. g. ab aliqua irregularitate, vel absolutio ab excommunicatione, gratia quidem est, non vero privilegium.

Notandum 2. Eum dumtaxat posse concedere privilegium, qui potest legem ferre; non enim cujusvis hominis beneficium, privilegium potest appellari, sed illud solum quod publica potestate alicui conceditur. *Adde* quod cum privilegium sit certa quædam publicæ legis

derogatio per auctoritatem facta, ille solus censetur privilegium posse concedere, qui pro sua auctoritate potest legem statuere, et solvere vel ex toto dum eam abrogat, vel ex parte dum illius vim imminuit, aut per privilegium aliquos ab ejus observatione excipit. Hinc sequitur quod privilegium concedi debeat ei, qui subditur legi: siquidem per privilegium privilegiatus eximitur a lege, quam tenebatur implere, nisi tali privilegio donatus fuisset.

Notandum 3. Quod etsi privilegium cedat in bonum privatum immediate; tamen etiam cedere debet in bonum commune saltem mediate: non potest enim legitime concedi, nisi quia expedit reipublicæ personis, aut rebus, quibus conceditur bene esse. Sic illis conceditur qui de republica sunt bene meriti, aut de quibus speratur, quod sint bene merendi: interest quippe, ut remunerentur bene meriti, et ut provocentur alii ad bene merendum. Sic conceditur iis, qui alias opprimerentur occasione legis vel quorum oppressionis periculum metuendum esset, quales sunt pupilli et viduæ; nam interest reipublicæ, ut nemini fiat injuria. Sic privilegium conceditur iis, qui sunt Dei ministri; interest quippe reipublicæ deterre aliquem cultum Deo in ministrorum suorum veneratione; neque vero privilegium alia ratione dicitur vim legis habere, quia licet immediatus ejus finis sit bonum privatorum, mediatus tamen est bonum communitatis. — Quam utique veritatem docent omnes SS. Patres quotquot de privilegiis mentionem fecerunt: significaverunt enim ideo esse retinenda et conservanda, quia non erant nociva communi bono, quin potius utilia, utpote quibus honor exhibetur bene merito, vel quies procuratur, vel impeditur oppressio. S. Greg. lib. 2. Epistolarum Epist. 39. quæ est Dominico Carthaginensi Episcopo de Ecclesiasticis privilegiis: *Quod vestra Fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat, quia sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis sua jura servamus, nec cuilibet favente gratia, ultra quam meretur, impertior; nec ulli hoc, quod sui juris est, ambitu stimulante, derogo, sed fratres meos per omnia honorare cupio, sicque cupio honore singulos subvehi, dummodo non sit, quod alteri jure ab altero possit opponi.* Et lib. 7. Epist. 33. *Grave nimis, et contra Sacerdotale constat esse propositum, velle cujusquam Monasterii privilegia olim indulta confundere, et ad irritum, quæ sunt pro quiete disposita, niti deducere.* — Quando vero aliqua abolenda esse dixerunt, vel minime concedenda, de iis locuti sunt quæ in bonum publicum non cedunt, sed privatorum commodis solum favent. Sic S. Bernardus lib. 3. *De Consideratione*, cap. 4. *Murmur loquor, et querimoniam Ecclesiarum, truncari se clamitant, ac demembrari, vel nullæ, vel paucæ admodum sunt, quæ plagam istam aut non doleant, aut non timeant. Quæris quam? Substrahuntur Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis sive Primatibus, bona ne species hæc? Mirum si excusare valeat vel opus.* Et postea; *Nolo autem prætendas mihi fructum emancipationis ipsius: nullus est enim, nisi quod inde Episcopi insolentiores, Monachi etiam dissolutiores fiant.* Et rursum: *Quid, inquis, prohibes dispensare? Non, sed dissipare. Non sum tam rudis, ut ignorem positos vos dispensatores, sed in ædificationem, non in destructionem. Deinde quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Ubi necessitas urget excu-*

sabilis dispensatio est: ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est. Utilitas, dico, communis, non propria; nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio; sed crudelis dissipatio est.

Conclusio prima. — PRIVILEGIUM RECTE DESCRIBITUR: LEX A JURE COMMUNI EXIMENS, ET JUS ALIQUOD PRIVATUM, SEU SPECIALE, ET FAVORABILE CONCEDENS: VEL ALITER: PRIVILEGIUM EST LEX PRIVATA SPECIALE ALIQUID INDULGENS; VERBO, VEL SCRIPTO, ET CONCESSUM AB EO, QUI AUCTORITATEM HABET LEGES CONDENDI.

Explicatur hæc definitio. Primo quidem dicitur *Lex:* tum quia conceditur stabiliter per modum legis; unde non expirat cum morte concedentis, sicut præceptum vim obligandi deperdit in morte præcipientis: tum quia per modum legis dirigit et ordinat eos, quibus conceditur; prohibetque, ne aliquid contra concessum intentetur. — Additur *privata,* quo a lege distinguitur: hæc enim ad omnes generaliter subditos, illud autem ad privatas dumtaxat personas spectat; nempe vel familiæ, vel personæ, et successoribus, sive communitati, puta religioni, provinciæ, regno, et cuivis alteri parti communitatis subditæ legislatori conceditur; non autem toti ipsi communitati; unde dicitur privilegium respectu eorum, quibus non est commune. — Subditur *speciale aliquid indulgens,* est enim privilegii vis et natura, ut per illud aliquid speciale ultra jus commune privilegiato concedatur. Denique dicitur *verbo, vel scripto;* sicut enim non est de essentia legis, quod sit scriptis exarata, ita nec ad essentiam et valorem privilegii scriptura necessaria est: sed sicut lex potest verbo, vel scripto constitui, ita et privilegium. Unde in Clementina *Dudum de sepulturis,* ait summus Pontifex: *Nos universa privilegia, gratias, indulgentias verbo, vel scripto, sub quacumque forma, vel expressione, seu conceptione verborum a nobis, vel Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, cuicumque ordinum prædictorum* (quatuor Mendicantium) *concessa etc.* Nihilominus ad fidem in judicio faciendam necessum est, ut privilegium scriptura exaretur, quando non est consuetudine acquisitum, prout instar aliorum jurium ac bonorum acquiri potest. Unde Leo X. concessit Fratribus Minoribus, ut possint uti in foro conscientiæ tantum omnibus concessis a sede Apostolica, sive per Bullas, aut Brevia, aut vivæ vocis oracula, prout in libris Ordinis reperiuntur. Est aliud privilegium Julii II. concessum Augustinianis Bulla *Nihil est* 22. in Bullario Rodriguez, qua proprio motu, et certa scientia concessit eisdem, et consequenter cæteris Mendicantibus, seu in eorum privilegiis communicantibus, *Quod quæcumque eis concessa, sive per se, sive per communicationem, sive sint facta in forma Brevis, sive per supplicationem expedita, in quibus placuit, ut signatura sola sufficeret, eamdem omnino vim et efficaciam habeant, tam in judicio, quam extra judicium, ac haberent si plumbeo sigillo essent obsignata.* — Denique sequitur *concessum ab eo, qui auctoritatem habet leges ferendi;* quicumque enim supremam auctoritatem obtinet in subditos, eisque legem statuere ac præscribere potest, etiam potest eorum aliquibus id concedere, quod jure communi non haberet. Ut autem licite concedat, justa quædam causa requiritur: non vero ut valide: siquidem pro sua auctoritate legislator potest, quem voluerit, ab obligatione communi eximere.

Conclusio secunda. — PRIVILEGIUM SUPRA DESCRIPTUM VARIAS IN SPECIES DIVIDITUR.

Primo namque distribuitur in *reale, et personale*. *Reale* est, quod conceditur directe et immediate alicui rei, muneri, vel conditioni distinctæ a persona, ut causæ piæ, prædio, Monasterio, Ecclesiæ etc. vel statui Clericali, muneri Episcopali, officio præsidis, conditioni pupillorum, Scholasticorum etc.; hæc enim privilegia conceduntur personis, non tam ratione sui, quam ratione qualitatis in genere personarum repertæ. *Personale* est quod immediate datur personæ ratione sui, et ex intentione, ut ei provideatur; ut dum alicui conceditur, quod non solvat decimas, quod sit immunis a tributo, quod absolvere possit a reservatis etc. *Insuper* utrumque distinguitur in hoc, quod *reale* sit perpetuum, et duret cum re, officio, statu, dignitate, aut conditione, cui annectitur: *personale* vero tantum est ad tempus, extinguiturque, cum persona, cui conceditur, juxta regulam 7. *Juris in sexto*, privilegium personale personam sequitur, et extinguitur cum persona. — Ut autem utrumque hoc privilegium distincte cognoscatur, attendi debet ad tenorem formulæ, qua conceditur, ejus præmium, item ad quem dirigatur, et similia; ut videlicet inde colligatur, an privilegium personale sit cum persona extinguendum, an reale, et tamdiu duraturum, quamdiu ipsa res, cui cohæret, permanet. Hinc privilegium datum certæ communitati tamdiu durat, quamdiu censetur illa eadem communitas permanere, quamvis ex uno loco in alterum migret: manet enim idem corpus politicum, cui potius, quam loco censetur superior privilegium affixisse. Similiter quando privilegium conceditur loco, v. g. templo, non perditur per templi destructionem, nisi fiat auctoritate legitima: secus est si casu, vel ab hostibus destruatur; tunc enim restaurato templo privilegium perseverat.

Dividitur secundo in privilegium *gratiosum*, *remunerativum*, et *conventionale*. Gratiosum est, quod datur gratis sine ullis meritis privilegiati, vel parentum, aut aliorum ipsi communicatis, quibus privilegium ut merces respondeat, et non solum ut motivum, vel occasio dandi. *Remunerativum* est, quod datur in præmium meritorum privilegiati, aut aliorum ipsi communicatorum. *Conventionale*, quo datur pacto seu conditione interveniente, ratione cujus privilegiatus censetur emere, vel recompensare privilegium.

Dividitur tertio in *locale*, et *generale:* isto uti licet ubique; illo nonnisi in loco, pro quo concessum est: ut esus carnium in Francia diebus aliquot Sabbati, et lacticiniorum in Quadragesima. Quando autem sit locale, cognoscitur, vel quia id exprimitur in privilegio; vel quia ex causa particulari concessionis satis colligitur, ut esus lacticiniorum in Quadragesima, ubi deest copia olei, et piscium: vel quia concedens habet jurisdictionem limitatam ad aliquod territorium, extra quod non potest dispensare contra leges alterius territorii. Si tamen habet facultatem dispensandi in jure communi regni, vel Ecclesiæ, et privilegium sit tantum contra illud jus commune, valet ubique dispensatio: atque ita v. g. dispensatio habendi simul plura beneficia facta a Legato, valet etiam extra Legati territorium.

Dividitur quarto in *favorabile*, et *odiosum:* favorabile est illud, quod nemini affert incommodum, cujusmodi est privilegium audiendi

Missam tempore interdicti; vescendi butyro et lacte in Quadragesima; faciendi testamentum sine solemnitate juris, etc. *Odiosum* illud est, quod licet favcat privilegiato, alteri tamen simul nocivum est, quale est privilegium, quo quis capax redditur ad habenda plura beneficia.

Dividitur quinto in *affirmativum*, et *negativum*: affirmativum illud est, quo facultas aliquid faciendi conceditur; negativum, quod dat facultatem ad aliquid omittendum.

Dividitur sexto, ratione modi, quo conceditur, in privilegium *concessum ad petitionem*, seu *instantiam* privilegiati, et in id quod tribuitur *motu proprio*, et ex sola liberalitate et beneplacito concedentis; quod utique discerni potest tum ex præmio concessionis, in quo solet supplicatio narrari, si præcesserit: tum præcipue ex ipsa forma concessionis, in qua solet exprimi, quando proprio motu est facta per clausulas: *Motu proprio, non ad instantiam alicujus, ex mera nostra liberalitate*, aut his æquivalentes. Quod dum non satis exprimitur, censetur privilegium datum ad petitionem juxta c. *Si motu proprio, de præbendis in 6.* — Inter has privilegii concessiones variæ sunt differentiæ. *Primo*, quod concessum ad instantiam partis non sit adeo voluntarium et liberale, sicut concessum ex motu proprio: et proinde hoc, quantum patitur verborum proprietas, est ampliandum; quod non habet ita privilegium concessum ad petitionem. *Secundo*, quod aliquando, qui petiit privilegium, cogatur uti privilegio petito: si vero illi concessum fuerit motu proprio, non potest cogi, ut illo utatur, quando sibi minus utile videretur. *Tertio*, quod privilegium ad petitionem interdum sit subreptitie impetratum, adeoque nullum: at clausula motus proprii tollit subreptionem; licet ex alio capite possit subinde esse nullum. — *Est etiam alius modus* concedendi privilegium, nempe *ad instar* alterius privilegii, quo fit, ut per eam concessionem tribuatur omnis favor et gratia cum iisdem extensionibus et limitationibus, quæ continentur in alio privilegio, ad cujus instar conceditur. Sciendum tamen est, quod ubi augetur privilegium exemplare, non propterea augetur privilegium *ad instar*, nec uno revocato, aliud censetur revocari; quia privilegium *ad instar* conceditur ad imitationem alterius privilegii considerati in statu, in quo est privilegium exemplare, ad cujus instar aliud conceditur; qua semel facta concessione, privilegium *ad instar* fit distinctum et absolutum privilegium proprium illi cui concessum est.

Conclusio tertia. — Privilegia vigere et cessare possunt variis modis.

Prima pars fit evidens; vigent enim privilegia *primo* quantum ad tempus determinatum; dum videlicet tantum pro certo tempore conceduntur, ut dum conceditur alicui facultas edendi carnes tempore unius, aut alterius dumtaxat Quadragesimæ. *Secundo* tamdiu vigent, quamdiu vivit persona, cui conceditur ad vitam, si sit privilegium personale, nec revocetur a concedente; vel quamdiu communitas, cui tribuitur, aut res cui annectitur, perseverat, si sit privilegium reale aut commune; dummodo non revocetur, nec a communitate illi privilegio renuntietur. *Tertio* denique tamdiu vigent privilegia, quamdiu aliquæ non occurrunt causæ eorum cessationis; quarum præcipuæ sunt sequentes.

Primo censeri potest desinere privilegium per cessationem causæ ob quam conceditur; nam cessante causa, cessat effectus; cum enim privilegium concedatur a Principe propter usum, non minus honestam causam requirit privilegii usus, quam ipsius concessio; quod utique constat lege *Urianus ff. De fide-jussoribus*, in qua dicitur: *quod pervenit ad statum, in quo incipere non posset, in eo remanere non potest*, seu ut ibidem habet glossa, *quod impedit ad faciendum, destruit quoque jam factum:* ergo eadem causa requiritur in usu, quæ in concessione; subindeque si absente causa non potuisset licite concedi privilegium, eadem pariter absente non potest licitus ac legitimus illius usus perseverare. Hinc ex cap. *Tua, de Clericis non residentibus*, statuitur, quod privilegium indultum Canonicis, ut absentes ratione studiorum percipiant fructus præbendarum suarum, cessat dum studiis amplius non incumbunt. — *Adverte* nihilominus hanc sententiam sic esse intelligendam: *primo* nisi privilegium vel dispensatio concedatur ob vitandum aliquod morale periculum: hinc fœmina, cum qua dispensatum fuit in voto castitatis propter morale periculum incontinentiæ, non cessat hoc dispensationis privilegium cessante ipso periculo, vel ob senilem ætatem, vel ob diuturnam et gravem infirmitatem, vel alias ob causas. *Secundo* cessat privilegium, cessante causa, nisi illud sit de re, quam Princeps etiam sine gravi causa honeste concedere potest, cujusmodi est privilegium de anticipando Missæ sacrificio ante auroram ob legitimas causas; hanc enim concessionem quæcumque etiam levis causa honestam potest efficere; subindeque licet non adsit gravis causa, qui tali privilegio donantur, eo licite possunt uti.

Secundo, privilegium amittitur per renuntiationem expressam et externam privilegiati; quia beneficium privilegii non est coactum respectu illius, cui conceditur, nec tribui debet ipsi invito; quippe cum in ejus gratiam, non in gravamen conferatur; ideoque potest illi renuntiare. Hinc persona privilegiata potest renunciare privilegio personali, et communitas aliqua resignare privilegium commune sibi concessum; nullus autem privatus privilegiatus renunciare potest privilegio communitati, vel statui suo concesso. Atque ita Clericus non potest renunciare privilegio Canonis et Fori: nec Religiosus privilegiis Religionis; nec Episcopus privilegiis Ecclesiæ communibus, aut ordinis Episcopalis. *Præterea* ad renunciandum, non sufficit actus internus, sed debet exterius manifestari, et acceptari a concedente privilegium, vel a tertio, cujus interest; alioqui renunciatio privilegiarii potest ab ipsomet revocari; neque ipsum obligat ad non utendum privilegio.

Tertio, privilegia cessant per non usum seu desuetudinem, aut per usum contrarium; quando scilicet sunt odiosa, et redundant in gravamen, et quasi servitutem aliorum. Sic expresse *lege de nundinis* statuitur, ut privilegium nundinarum per non usum decennio amittatur. Ratio est, quia præscriptio æque locum habet contra ejusmodi onera et servitutes, ac contra quasvis alias. Si vero privilegia sint mere favorabilia, et non cedant in præjudicium aliorum, non amittuntur per præscriptionem; quia neque ipse privilegiarius contra seipsum præscribere potest; nec alii contra ipsum, quia ipsorum nihil

interest. *Adverte* autem, quod ad præscriptionem privilegii contra laicos requiritur spatium decem annorum inter præsentes, ac viginti inter absentes. Contra Ecclesiam non præscribitur nisi spatio quadraginta annorum, et contra Ecclesiam Romanam spatio centum annorum. Contra Monasteria autem, personas, aut alia bona Religiosorum jure communi quidem necessaria est præscriptio quadraginta annorum: ex Privilegio autem Eugenii IV. requiruntur sexaginta anni. Imo ex quadam alia concessione facta monasterio Benedictinorum S. Pauli extra muros Romæ (cum quo Monasteria, et consequenter alii Ordines communicant) requiruntur centum anni, ut videre est apud Rodriguez Tom 3. qq. Reg. qu. 35. art. 2.

Quarto, amittuntur privilegia per delictum ipsius privilegiati: quod duplex esse potest; unum non pertinens ad usum Privilegii, et tale delictum non tollit privilegium, nisi in casibus in jure expressis; quo pacto clericus mercaturam exercens, perdit privilegium clericale fori, cap. ultimo *De vita, et honestate Clericorum:* alterum pertinens ad usum privilegii, idest, abusus privilegii, vel per excessum facultatis concessæ, vel sumendo inde occasionem licentius vivendi, liberiusque peccandi, præcipue cum scandalo et detrimento boni communis: *Nam privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate*, ut dicitur dist. 74. cap. ubi.

Quinto, si privilegium sit mere gratuitum, et consistens in mera potestate aliquid agendi, vel non agendi contra commune jus, semper est ad Principis nutum, etiam sine causa, valide revocabile; quia Princeps, qui abstulit præceptum commune per concessionem privilegii, potest iterum illud imponere; et talis privilegii concessio non est acquisitio alicujus dominii, sed dispensatio quædam in jure communi, quæ semper pendet a Principis voluntate. Dixi *valide revocabile*, quia ut talis revocatio honeste, et decenter fiat a Principe, aliquam causam requirit. *Decet enim concessum a Principe beneficium esse mansurum*, ut habetur regula 16. *De regulis juris in sexto.* Si vero privilegium non sit pure gratuitum, sed onerosum, ut privilegium remunerativum, et conventionale est per se irrevocabile, quia jure naturali tenetur Princeps servare pacta, etiam cum subditis. Per accidens tamen, sicut potest privare subditos aliis bonis, quando necessitas boni communis id postulat, ita etiam potest eos privare concessis antea privilegiis. Potest enim per jus altum de illis juribus æque, ac de aliis bonis inferiorum disponere, quantum exigit necessitas boni communis. Debet tamen aliter compensare hanc privationem, si potest. — Hic autem adverte privilegia Regularibus Mendicantibus a sede Apostolica concessa, esse remuneratoria; eo quod videlicet, ut loquitur Pius V. Bulla: *Etsi mendicantium ordines* in principio, *pro suis sanctis studiis, honestisque laboribus, proque salute animarum ab Apostolica sede (cujus continue pacem, et dignitatem Ordines ipsi fortiter tutati sunt, tam spiritualia, quam corporalia subsidia, ornamentaque acceperint, et accipiant.* Similiter alii Pontifices *amplissima merita, uberrimosque fructus, quos in Dei Ecclesia continue adferunt.* (Prout de Ordinibus Prædicatorum, et Minorum loquitur Sixtus IV. in bulla aurea quæ est 20. in Bullario Rodriguez, ubi hæc ipsa merita et fructus miris laudibus prædicat) pro motivo concedendi privilegia prote-

runt. Unde etsi absolute a Pontificibus revocari possint, ad licite tamen et rationabiliter revocandum gravis et urgens causa requiritur, quod tamquam ex communi sententia tradit Bassæus in supplem. V. privilegiorum num. 15. — *Notandum insuper*, privilegia non censeri esse revocata, nisi sufficienter et expresse eis derogetur; idque non solum si non contineantur in corpore juris, quæ præsumitur Princeps ignorare; adeoque non revocare, quando non facit de illis mentionem, juxta cap. 1. *De constit*, n. 6; sed etiam si contineantur in jure communi, quod Princeps præsumitur scire: nam nihilominus generi per speciem derogatur, etsi species præcedat. Imo privilegiis generaliter revocatis, non censentur revocari illa, quæ sunt in corpore juris, ut recte inter cæteros docet Suarez lib. 8. cap. 38. num. 1. quia privilegia juri communi inserta tamquam Canones et leges communes, earumdem conditiones participant. Quod si privilegium sit concessum in Concilio Generali, debet etiam specialiter ei derogari, ut censeatur revocatum, ut tradit Covarruvias, Menochius, Sanchez, et alii passim, ut notat Herinx.

Quæres 1: *Quid sentiendum sit de Communicatione, et Confirmatione Privilegiorum præsertim Regularibus concessorum?*

Respondeo 1. Religiosos Mendicantes habere plenissimam inter se communicationem privilegiorum; imo etiam communicare privilegiis concessis aliis Ordinibus non mendicantibus, ut constat ex plurimis summorum Pontificum declarationibus; maxime vero in favorem Seraphici nostri Ordinis factis; quod præcipue apparet ex Bulla secunda Clementis VII. in qua motu proprio, et ex certa scientia tribus Ordinibus sancti Francisci communicat omnia indulta, gratias, indulgentias, et alia quæcumque privilegia concessa, aut concedenda quibuscumque Ordinibus tam mendicantibus, quam non mendicantibus, perinde ac si eis specialiter concessa fuissent. Quæ utique Bulla confirmata est a Paulo IV. Pio IV. Pio V. Gregorio XIII. Sixto IV. et aliis summis Pontificibus.

Respondeo 2. Privilegia Regularibus concessa, maxime vero nostro Seraphico Ordini, a plurimis Pontificibus ante et post Conc. Trident. fuisse confirmata ex certa scientia, ac per Apostolicam potestatem: videlicet a Paulo II. Sixto IV. Clemente VII. Julio III. Paulo IV. Gregorio XIII. Sixto V. Clemente VIII. et Paulo V. et generaliter omnia Privilegia omnium Mendicantium Ordinum confirmavit Pius V. Bulla, *Etsi Mendicantium Ordines*. Cui in hac parte non derogant aliæ Pontificum Concilio Tridentino posteriorum bullæ privilegiorum confirmativæ, in quibus additur clausula, *In his, quæ non adversantur Decretis Concilii Tridentini:* nam, ut plurimi Auctores observant, clausula ista non intelligitur de omnibus privilegiis, quovis modo contrariis Concilio Tridentino, sed tantum de iis, quæ formaliter ipsi contrariantur, quæque Concilium ipsum expresse et signanter revocat. — Nec obstat quod Concilium Trident. Sess. 25. cap. 22. *De Regularibus* decernat, *Quod omnia et singula in superioribus Decretis contenta observari sancta Synodus præcipit, non obstantibus privilegiis quibuscumque verborum formulis conceptis:* nam loquitur Concilium de Decretis istius Sessionis dumtaxat, ut satis colligitur ex textu, et aliis

circumstantiis: imponit enim coronidem Sessioni, dicens: *Hæc omnia et singula in superioribus decretis* (non ait sessionibus) *contenta, etc.* Quod insuper constat, nam si alia fuisset Concilii mens, haud dubie statuisset derogationem ad calcem totius Concilii, seu sessionum omnium. Quod utique cum non fecerit Concilium, inferendum est illam derogationem factam privilegiis tantum spectare ad ea privilegia, quæ decretis præfatæ sessionis 26. formaliter adversabantur.

QUÆSTIO TERTIA.

QUOT MODIS VARIARI, AC MUTARI POSSIT LEX HUMANA.

Notandum 1. Legem humanam mutari posse tripliciter: primo *per Dispensationem*, seu relaxationem juris circa aliquas personas, aut aliquos actus, vel effectus legis in iis casibus, in quibus alioquin obligaret, aut haberet talem effectum, ut quando quis eximitur a jejunio tempore Quadragesimæ, non propter infirmitatem, sed propter concessionem et relaxationem summi Pontificis; dispensatio enim definitur a Glossa in cap. *requiritis* 1. q. 6. *Juris communis relaxatio facta cum cognitione causæ ab eo, qui jus habet dispensandi.* Secundo, *per abrogationem*, quæ tripliciter fieri potest: nimirum *vel* per contrariam consuetudinem, seu legem non scriptam: *vel* per simplicem revocationem Principis: *vel* per legem contrariam expresse derogantem priori, aut statuentem illius oppositum. Tertio denique mutantur humanæ Leges *per Cessationem*, seu simplicem desitionem, ut quando lex ad tempus lata, eo lapso expirat; sicut cessavit lex Mosayca, quæ instituta erat dumtaxat, ut viam sterneret ad legem Evangelicam.

Notandum 2. *Dispensationem* in hoc a *Privilegio* discrepare, sicut et Absolutione, quod *Privilegium* proprie est privata lex, quæ potest aliquando esse, non solum contra jus, quo in casu foret simplex dispensatio, sed etiam præter jus, qua ratione non dispensatio, sed privilegium est. Similiter Absolutio non est contra legem communem, sed potius secundum illam, si persona absolvenda illam mereatur. *Dispensatio* vero est contra legem communem, cum sit juris relaxatio. Hinc dispensatio non incongrue *vulnus*, seu *vulneratio* legis appellatur. Lex enim ex duplici causa vim et vigorem obtinet: *primo* quidem ex auctoritate Legislatoris, cujus prudentia humanis actibus regulam imponit: *secundo*, ex consuetudine, quæ est vis constrictiva legis: quando enim cum aliquo juris rigor relaxatur, detrahitur aliquid de auctoritate Legislatoris, et de consuetudine, et sic veluti legi vulnus infligitur. Id autem fit per dispensationem: per eam namque aliquid consuetudini legis firmativæ detrahitur, sicut et auctoritati et prudentiæ Legislatoris, qui per dispensationem tacite taxatur minoris prudentiæ, eo quod casum illum non prævidisse videatur.

Notandum 3. In hoc legis *abrogationem* ab ejusdem *dispensatione, irritatione, derogatione, et correctione* differre quod *abrogare* legem est omnimodam ejus vim et obligationem tollere; *dispensare* vero est solum eam legem restringere et limitare circa aliquam personam, aut aliquos effectus, perseverante illius obligatione circa cæteros. *Irritare* legem, est impedire ne illa obligandi vim obtineat: eam autem *abrogare* est solvere illius vim obligandi, quam jam habuerat. *Dero-*

gare legi est illam non in totum sed in partem tollere. *Emendare* legem est illius obligandi vim moderari, aliquid ipsi addendo, vel ab ea demendo. Demum lex *cessare* dicitur quando vel finitur tempus, ad quod fuerat præscripta, vel cessat causa, ob quam lata fuerat: nam cessante causa, cessat effectus. His prænotatis, resolvendum est a quibus, et circa quæ fieri possit legis humanæ dispensatio, abrogatio, et cessatio.

Conclusio prima. — Omnis, et solus Princeps tam Ecclesiasticus, quam Politicus, qui auctoritatem habet Leges condendi, in eis dispensare potest plenario jure: potest tamen quisquis Prælatus, aut Præfectus inferior in illis dispensare ex delegata sibi auctoritate. Hæc est communis quantum ad utramque partem: quarum

Prima per se patet, qui enim facultatem habet leges condendi, habet et auctoritatem eas revocandi et abrogandi, ne videlicet ullam amplius obligandi vim habeant erga totam communitatem, cui præscriptæ sunt. Ergo multo magis auctoritatem habet solvendi vim et obligationem legis erga aliquos ex illa communitate, perseverante semper ejusdem obligandi virtute erga cæteros, quibuscum talis facta non fuit relaxatio: hoc autem est proprie dispensare in lege: igitur Princeps omnis tam Ecclesiasticus, quam Politicus, qui condere potest legem, etiam in ea dispensare potest.

Patet etiam secunda pars, quisquis enim delegatam habet potestatem a Principe Ecclesiastico, vel Politico, penes quem est potestas condendi leges, in eis etiam dispensare potest juxta facultatem sibi concessam: ita quod si plenariam habeat sibi commissam potestatem dispensandi et relaxandi circa obligationem subditorum prout expedire ipsi visum fuerit a qualibet lege Principi deleganti subdita, poterit iste delegatus, justa interveniente causa, eos subditos a legibus solvere.

Hinc sequitur 1. Summum Pontificem facultatem habere dispensandi in omnibus legibus Pontificiis, quas vel ipse, vel ejus prædecessores statuerunt: pari enim cum suis prædecessoribus auctoritate pollet: subindeque ejus auctoritas per sanctas a prædecessoribus leges non coarctatur, quia par in parem potestatem non habet. Potest etiam dispensare in legibus a Conciliis etiam generalibus præscriptis, ut constat ipsa experientia: siquidem summus Pontifex non raro dispensat, tum in ætate præscripta a Concilio Tridentino ad sacros Ordines suscipiendos, tum in gradibus prohibitis ad contrahendum matrimonium. Hinc idem Concilium Sess. 25. cap. 22. *De Refor.* ait: *Sancta Synodus omnia, quæ... in hoc sacro Concilio statuta sunt, declarat ita decreta fuisse, ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicæ et sit, et esse intelligatur.* Suffragatur etiam ratio; occurrit enim interdum necessitas habendæ dispensationis in ejusmodi legibus; molestissimum autem, difficillimumque foret convocare totam Ecclesiam ad Concilium Generale, quoties in iis legibus dispensatione opus esset; proindeque illa dispensandi facultas apud aliquem residere debet: non apud alium certe, quam summum Pontificem, qui est Ecclesiæ caput: ergo fatendum est ipsum habere auctoritatem dispensandi in omnibus

legibus Ecclesiasticis, tum a suis prædecessoribus, tum ab omnibus Conciliis præscriptis * " in iis quæ spectant ad ecclesiasticam disciplinam, ut colligitur ex prætata sanctione concilii Tridentini. — Illa tamen Summi Pontificis in largienda dispensatione auctoritas temperanda est juxta Ecclesiæ necessitatem ac utilitatem, nam, inquit S. Bernardus, lib. 2. *De Consideratione* ad Eugenium Pontificem, *ubi necessitas urget excusabilis; ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est: utilitas dico communis, non propria; nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.* — Hinc qui asserunt Summum Pontificem pro arbitrio et nutu auctoritatem habere dispensandi de præscriptis a conciliis et canonibus, etiamsi nulla interveniat necessitas publica aut privata, non solum graviter errant, sed inquit Melchior Canus episcopus Canariensis, lib. 5. *De locis communibus*, cap. 5. Sedis Apostolicæ auctoritatem non fovent sed labefactant, non firmant sed evertunt. Quod argumentum egregie confirmat cardinalis Contarenus in epistola quam ea de re scripsit ad Paulum III Romanum Pontificem, ubi expendens aliquorum jurisperitorum sententiam qui nimia adulatione abrepti pontificiam auctoritatem adeo promovent et amplificant ut eorum quidam non vereantur dicere, *voluntatem Pontificis regulam quamdam esse, qua ejus actiones dirigantur, neque in jure positivo constituendo, aut abrogando, aut etiam dispensando, regulam quampiam Pontifici constitutam esse*; quid de hac doctrina senserit dictus vere Eminentissimus, ex sequentibus intelligimus: « Hæc « positio, adeo falsa, adeo repugnans sensui, adeo est contraria « doctrinæ Christianæ, inquit idem cardinalis, adeo depravat universi « christiani populi gubernationem, ut nihil perniciosius inveniri po- « tuerit. Nam per Deum immortalem, exclamat idem, nonne hæc positio « idololatriam sapit? Cui namque creaturæ hoc attribui potest, quod « actionum suarum voluntas ejus sit regula? An non hoc proprium « est solius Dei? Isti vero (jurisperiti) ob imperitiam hujus potestatis « pontificiæ) qualis nam sit, et ad quam animi virium pertinet, ut « adulentur Pontifici, adeo absurdam positionem non sunt veriti in « publicum prodere. — Amplius, pergit Contarenus, quid magis contra « legem Christi quæ est lex libertatis, excogitari potest, quam chri- « stianos subjectos esse, pareregue debere Pontifici, cui tributum sit « a Christo, ut pro arbitrio leges constituat, leges abroget, dispenset « in legibus, habeat in his omnibus voluntatem suam pro regula? « Convenit ne hujusmodi imperium, non dico christianis hominibus « qui adsciti sunt in legem libertatis, ac propterea (ut inquit Aug. « scribens Januario, de ritibus Ecclesiæ) quam paucissimis exterio- « ribus legibus adstringendi sunt; non dicam etiam liberis hominibus « et cuipiam gubernationi hominum liberorum, quales sunt recta po- « pulorum atque approbata imperia. Sed cuinam domino in servos, « quibus domini imperant ad sui ipsorum utilitatem, quibusque utuntur « ut organis animatis, convenit hoc imperium atque dominium, ut « pro voluntate eis imperet? facessat, Deum immortalem precor, a chri- « stianis hominibus hæc impia doctrina. » — His aliisque in destructionem illius positionis productis, ad Pontificem sermonem convertit: « Pater Beatissime, tu qui doctrina excellis, et rerum experientia na- « turalique prudentia multum vales, perpende an ex hac doctrina

« temere lutherani ansam sumpserint componendi libros illos suos de « Captivitate Babylonica? Nam per Deum immortalem, quæ major « captivitas et servitus induci potuisset christiano populo, quam hæc « quam profitetur horum jurisperitorum doctrina de qua agimus? Nulla « equidem. » Ita cardinalis Contarenus: quem non tantum cardinalitia dignitas, si vel maxime tractatus, quem in defensionem primatus Romani Pontificis adversus hæreticos conscripsit, ab omni sinistro in Pontificiam auctoritatem affectu eximit. — His accedit deliberatio ac sententia octo doctissimorum Præsulum qui ab eodem Paulo tertio convocati ante Tridentinam Synodum ut libere dicerent quibus mediis et remediis coërceri possent abusus et morbi quibus Ecclesia tunc temporis divexabatur, ingenue responderunt: « Probe noverat San- « ctitas tua, inquiunt, principium horum malorum inde fuisse quod « nonnulli Pontifices tui prædecessores, prurientes auribus, ut inquit « Apostolus Paulus, coacervaverint sibi magistros ad desideria sua, non « ut ab eis discerent quid facere deberent, sed ut eorum studio et cal- « liditate inveniretur ratio, qua liceret id quod liberet. Inde effectum est, « (præter quam quod principatum omnem sequitur adulatio, ut umbra « corpus, difficillimusque semper fuit aditus veritatis ad aures prin- « cipum,) quod confestim prodirent doctores qui docerent Pontificem « esse dominum beneficiorum omnium: ac ideo cum dominus jure « vendat id quod suum est, necessario sequi in Pontificem non posse « cadere simoniam, ita quod voluntas Pontificis, qualiscumque ea fuerit, « sit regula qua ejus operationes et actiones dirigantur; ex quo procul « dubio efficitur, ut quidquid libeat, id etiam liceat. Ex hoc, Sancte « Pater, tamquam ex equo Trojano, irrupere in Ecclesiam Dei tot « abusus et tam graves morbi, quibus nunc conspicimus eam ad de- « sperationem fere salutis laborasse, et manasse harum rerum famam « ad infideles usque (credat Sanctitas vestra scientibus) qui ob hanc « præcipue causam christianam Religionem deridenl, adeo ut, per nos, « inquimus, nomen Christi blasphemetur inter gentes. » — Viri autem illi celebres, præter Contarenum, erant Joannes Petrus Carapha, qui deinde fuit summus Pontifex nomine Pauli IV. Aderant pariter Reginaldus Polus cardinalis anglicus et nomine Pontificis in concilio Tridentino unus ex præsidibus, ac cardinalis Sadoletus, cum aliis pariter pietate simul ac eximia sapientia viris illustribus. ¨ ✳

Sequitur 2. Inferiorem Prælatum vi suæ potestatis ordinariæ non posse dispensare in lege superioris Prælati; nam dispensare est tollere vim legis ex parte, et respectu personæ, quæ dispensatione donatur; sed tollere vim legis spectat dumtaxat ad eum, qui legem condidit, vel æquali cum eo gaudet potestate, non vero illius, qui potestatem inferiorem habet; subindeque Prælatus inferior, vi suæ ordinariæ potestatis non potest dispensare in lege superioris. Hinc dispensatio facta a summo Pontifice in votis, vel aliis, quæ sunt de jure Divino, aut naturali, nulla prorsus et irrita foret, nisi adesset legitima causa, quæ personam dispensatam ab ejusmodi legum vi et obligatione solveret: sicque illa summi Pontificis dispensatio potiori ratione dicenda est dispensationis declaratio, quam dispensatio; nullus enim præter Deum auctoritatem habet dispensandi plenario jure in iis, quæ Divinum jus concernunt. — Hinc pariter Episcopi dispensare

non possunt in votis suorum subditorum, quæ summo Pontifici reservantur, qualia sunt maxime quinque sequentia: castitatis perpetuæ, Religionis approbatæ, peregrinationis ad limina Apostolorum, ad S. Jacobum Compostellensem, et ultra marinum, seu in Terram Sanctam, quod utique probari potest *extravag. Etsi dominici*, ubi Sixtus IV. inter cætera Sedi Apostolicæ horum quinque votorum absolutionem reservat, et excommunicat eos, qui ab his præsumpserint absolvere. Sed responderi potest, ea solum subtrahi confessariis, qui prætextu facultatum a Sede Apostolica concessarum absolvebant, quos etiam ibidem excommunicat. Verum quamvis in jure non inveniatur expresse aliquod votum absolute reservari, nisi ultra marinum causa subsidii (de quo cap. *Quod super his* 8. et cap. *Ex multa de voto*) tamen stylus Curiæ Romanæ etiam alia reservat, cui parendum est, nisi alicubi alia sit consuetudo legitime præscripta, inquit Cardinalis de Lugo lib. 2. cap. 40. dub. 18. — Possunt igitur Episcopi dispensare in iis omnibus, quæ summo Pontifici non reservantur; quia, seposita reservatione summi Pontificis, habent auctoritatem ordinariam, possuntque in sua Diœcesi, in iis quæ ad jurisdictionem spectant, quidquid potest summus Pontifex in tota Ecclesia: sunt enim Principes sacrorum in sua Ecclesia; ac proinde habent potestatem necessariam ad ejus rectam administrationem. Idcirco recte dispensare possunt *primo*, in voto religionis non approbatæ, et in voto paupertatis et obedientiæ perpetuæ, quæ in tali religione non approbata fierent, ubi videlicet occurreret necessitas dispensationem exigens: quia tale votum emissum non est vere votum religionis; religio enim non approbata a summo Pontifice non est religio. *Item* dispensare possunt in voto castitatis non perpetuæ, puta 10. 15. 20. annorum, non autem 100. quia votum emissum castitatis servandæ per centum annos censetur esse perpetuum. *Similiter* in voto suscipiendi sacros Ordines; quia non est votum castitatis, etsi hoc votum susceptioni Ordinum sit annexum. *Item* in voto de non petendo debitum; quia non sunt vota castitatis integræ, sed tantum partialis, etc. — Sunt tamen aliqui casus, in quibus Prælati inferiores facultatem habent dispensandi in lege præscripta a Prælato superiore. *Primus* casus est, quando materia est levis, ita ut transgressio legis tantum veniale peccatum reputetur, sicut enim veniale peccatum nulli est reservatum, sed quilibet Sacerdos ab eo potest absolvere, sic etiam ab obligatione legis potest inferior Prælatus ratione levitatis materiæ dispensare. *Secundus* est, quando frequens occurrit dispensationis motivum; puta in Festis celebrandis, jejunio et similibus; non videtur enim congruum toties ad Principem Prælatum, aut Superiorem recurrere, quoties occurrit hæc frequens dispensandi ratio; esset enim valde molestum Principi frequentior hic ad eum recursus in iis rebus, quæ ad ordinarium regimen spectant: ideoque juste præsumitur superior concedere Prælatis inferioribus in illis casibus dispensandi auctoritatem. *Tertius* est, quando gravis occurrit dispensandi necessitas, nec facilis est ad eum recursus, vel periculum esset in mora, aut grave detrimentum: sic Episcopus cum eo, qui habens votum simplex castitatis, contraxit matrimonium et consummavit, dispensare potest ut petat et reddat debitum, propter periculum incontinentiæ. *Similiter* dispensare potest cum conjugibus,

qui communi consensu voverunt continentiam, ne postea idem periculum utrique, vel saltem alteri eorum ingruat. *Quarto,* potest dispensare inferior Prælatus in his, quæ ita propria sunt unius communitatis, ut nullo modo conveniant aliis; ea enim, quæ sunt propria unius communitatis, sunt magis nota et perspecta immediato Gubernatori, quam supremo Principi, aut Prælato; ac proinde melius ipse quam superior de iis judicare poterit. *Demum* potest Prælatus inferior dispensare, cum dubium est utrum casus dispensatione egeat, vel non; tunc enim præsumptio est pro libertate, quæ possidet; unde fit ut casus, nisi certus sit, reservatus communiter non censeatur.

PETES: *An superior possit dispensare erga seipsum?*

RESPONDEO 1. Non esse dubium quin Prælatus possit erga seipsum in votis, et legibus dispensare indirecte; dando videlicet alicui e subditis potestatem, qua in ipsius voto dispenset; sic etenim Sacerdoti subdito potest dare potestatem, qua ipsum absolvat a peccatis, etiam a casibus reservatis: ita etiam qua liberet ipsum ab obligatione voti; alioquin superior esset deterioris conditionis, quam subditus.

Respondeo 2. Probabile esse Prælatum quemlibet in iisdem votis secum posse dispensare directe, in quibus dispensare potest cum sibi subditis, quod utique probat De Lugo *loco laudato dub.* 17. *Primo,* quia sicut potest dispensare cum suis subditis in Legibus etiam superiorum, quando id ei permittitur, ut in lege jejunii, esus carnium, audiendi Sacri, recitandi Officii: ita et in iisdem potest dispensare secum, quando causa justa subest: ergo sicut potest dispensare in votis subditorum, potest etiam in votis suis; non enim hic plus jurisdictionis requiritur in seipsum, quam ibi. *Secundo,* potest se eximere, quando causa subest, ab obligatione, quam jure naturæ contrahit occasione legis propriæ; cur non etiam ab obligatione, quam adfert votum proprium? *Tertio,* Papa potest sibi ipsi conferre indulgentias, absolvendo se a debito pœnæ etiam injunctæ, ut docet Henriquez, *De Indulgentiis,* cap. 32. Ergo etiam potest se absolvere a debito voti. *Quarto,* quia si quid obstaret, quominus posset Prælatus in voto suo dispensare, id esset defectu jurisdictionis in seipsum: nemo enim potest in seipsum jurisdictionem exercere; unde nemo potest seipsum a peccatis absolvere: atqui hic defectus non obstat. *Primo,* quia non magis requiritur hæc jurisdictio in dispensatione votorum, quam in dispensatione legum, collatione indulgentiarum, et obligatione per suas leges: atqui defectus jurisdictionis in seipsum non impedit, quominus quis hæc possit in seipsum, ut patet ex dictis, *Secundo,* quia quod jurisdictio postulet distinctionem personarum, est, vel quia est coactiva quæ exercenda est in invitum, ut est potestas inferendi censuram: vel quia est contentiosa, inter partes jus distribuens, non enim videtur æquum, ut quis in sua causa sibi jus dicat contra jus adversarii se opponentis; sic enim esset sibi et judex, et reus: vel quia pertinet ad absolutionem sacramentalem, quæ jure divino postulat distinctionem judicis, et rei: atqui jurisdictio illa, quæ requiritur ad dispensationem voti, nihil horum est, ut per se patet: ergo non est cur requirat distinctionem personæ.

Conclusio secunda. — HUMANÆ LEGES ABROGARI POSSUNT PER PRINCIPES, ET LEGISLATORES, QUI EAS STATUERUNT, VEL EAS PRÆSCRIBENDI AUCTORITATEM HABENT: ABROGARI TAMEN NON DEBENT, NISI EXINDE MAJOR ALIQUA SPERANDA SIT UTILITAS. Hæc Conclusio tres continet partes: quarum

Probatur prima: Leges humanæ spectari possunt, vel ex parte sui principii, vel ex parte finis: hoc est, vel ex parte rationis humanæ, a qua dictitantur, vel per respectum ad actus humanos, quos dirigunt: sed ex utraque parte revera mutabiles sunt; subindeque humanæ leges abrogari possunt, et mutari. *Prima minoris pars* est evidens: cum enim humana ratio finita sit et limitata, et ab imperfecto ad perfectum procedere soleat, quo fit, ut Legislator prævidere non possit ea omnia, quæ ad Reipublicæ utilitatem magis conducere possunt quovis tempore: contingit interdum, quod posteri animadvertant aliqua Reipublicæ rectæ administrationi adversari, quæ ad bonum ipsius regimen Majores excitaverant: proindeque ex parte rationis humanæ, quæ est constitutiva legum, certum est eas esse mutabiles.

Constat etiam secunda ejusdem minoris pars: sæpe enim aliqua lex uno tempore expedit, quæ alio, variatis hominum moribus, non expedire judicatur: sic Deus aliis legibus et præceptis homines ante ac post Christi incarnationem rexit: sic pariter tum Ecclesiasticæ, tum Politicæ constitutiones et sanctiones immutantur datis occasionibus, et prout diversa rerum ac temporum necessitas exigit pro stabilienda fidelium, ac subditorum quiete, et recta agendi ratione.

Probatur secunda pars: quisquis enim legem condidit, vel condendi potestatem habet, habet etiam auctoritatem eam revocandi; cum enim lex essentialiter a Legislatoris et Principis voluntate ac imperio pendeat, consequens est quod ad mutationem ejusdem voluntatis etiam lex mutari debeat. — Hinc quivis Princeps, et Superior non solum a se, vel suis prædecessoribus, sed etiam ab inferioribus sibi subditis Prælatis conditas leges abrogare potest; quia Superior plenam habet potestatem supra inferiorem; et consequenter supra omnes leges ab eo sancitas. — Nec potest tamen Prælatus inferior leges Superiorum revocare, aut abrogare absque eorum speciali concessione: quia voluntas, et jus inferioris non potest prævalere contra jus, et voluntatem Superioris. Hinc in Clementina *De electione* cap. *ne Romani,* decernit Clemens V. quod cum lex Superioris per inferiorem tolli non possit, leges a summis Pontificibus statutas circa summi Pontificis electionem per cœtum Cardinalium Romanæ Ecclesiæ ipsa sede vacante modificari, corrigi, vel immutari, aut quidquam detrahi, sive addi, vel dispensari quomodocumque non posse.

Patet etiam tertia pars, nempe quod leges non debeant abrogari aut revocari, nisi major inde sequatur communitatis utilitas: nam, ut inquit Ulpianus in Digesto veteri lib. 1. titulo 4. *De Constitutionibus Principum lege* 2. *In rebus a nobis constituendis evidens debet esse utilitas, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum visum est.* Cum enim leges statuantur in bonum communitatis, tamdiu perseverare debet earum vigor, quamdiu major ipsius communitatis utilitas non apparet. Hinc peccare videretur in bonum publicum, qui leges ad illud stabiliendum, et firmandum conducentes revocaret, nisi majus

inde emolumentum sequendum præjudicaret. Nihilominus abrogatio facta sine justa causa valida est, nec subditi tenentur parere legi revocatæ, etiam si nulla interveniat communitatis utilitas, quia subditi eatenus dumtaxat obligantur ad legem servandam, quatenus, et quamdiu Legislatoris voluntas et imperium moraliter continuatur, quia ab ejusmodi voluntate et imperio tota lex vim et virtutem suam obtinet: non continuatur autem ejusmodi legis vigor, quando suam voluntatem, suumque imperium expresse revocat. — Tribus autem modis lex abrogari potest: *Primo,* per simplicem revocationem Principis: *Secundo,* per constitutionem novæ legis priori repugnantis; nam si lex posterior non potest stare cum priori, illam destruit; quia posterior voluntas Principis tollit priorem, juxta leg. *sed et posteriores, ff. de legibus.* Tunc tamen abrogatio restringenda est quantum fieri potest: quippe communiter odiosa est, et de se nociva Reipublicæ, nisi postulet necessitas. Quare leges, quoad fieri potest, sunt inter se conciliandæ, et concordia abrogationi præferenda. *Tertio* denique, lex abrogari potest per contrariam consuetudinem; cum enim consuetudo vim legis habeat, ut dictum est, consequens est, quod sicut lex abrogatur per legem contrariam, ita censeatur abrogari per consuetudinem ipsi oppositam.

Quæres: *An, et qualiter Humanæ Leges sint interpretandæ?*

Respondeo 1. Triplicem distingui posse humanæ legis interpretationem; nimirum *authenticam, usualem,* et *doctrinalem;* Legum enim humanarum interpretatio fit, vel auctoritate ipsius, qui legem condidit; quique suam mentem et voluntatem circa legis observantiam in dubiis aperit: hæc autem dicitur *authentica;* quia ab eodem fonte, nempe Principis voluntate, ex qua lex ipsa, dimanat; sicque hæc interpretatio vim legis obtinet, ut colligitur ex lege ultima *Codice de Legibus*; vel fit usu quodam, et consuetudine, qua leges hoc aut illo modo observantur ab hac aut illa communitate, quo fit, ut ipsa consuetudo dicatur optima legum interpres, hæcque interpretatio *usualis* appellatur; vel denique legis interpretatio fit per doctrinam, et instructionem virorum peritorum, et hæc explicatio *doctrinalis* dicitur: quæ utique differt a prioribus in eo quod vim legis non obtineat, cum non procedat a potestate jurisdictionis, sed a judicio peritorum. Hinc per se non inducit obligationem, sed solum eam detegit et aperit; maxime quando omnes Doctores unanimi calculo in eumdem legis sensum conspirant et consentiunt. Hæc autem legis interpretatio doctrinalis, ut recte fiat, sequentes regulæ maxime servandæ sunt: *Primo* quidem diligenter attendenda est proprietas verborum, quibus lex ipsa concepta est: cum enim leges debeant esse claræ, ac verbis proprie significantibus expressæ, qui eas doctrinaliter interpretantur, maxime debent verborum sensum attendere. *Secundo,* consideranda est etiam ipsa causa legis, seu motivum, propter quod Legislator legem hanc sanxit; motivum enim illud est ratio, qua veluti fulcro lex nititur; unde cum potestas Legislatoris in præscribendis legibus debeat esse rationi accommodata, recte colligitur Legislatoris intentio in præscribenda lege ex illius motivo et causa. *Tertio* denique, Legislatoris mens, et intentio detegi potest ex verbis antecedentibus, et conse-

quentibus, necnon ex fine et circumstantiis, aut a finibus ipsius legis; si nempe aliæ leges iisdem verbis conceptæ hoc aut illo sensu accipiantur. — *Interpretatio* authentica, et *usualis* oritur ex defectu Legislatoris, qui cum non potuerit prævidere omnes casus in quibus lex utilis, vel nociva futura est, cumque constet in eo casu eum non habere intentionem obligandi; ideo necessum est subditis, habita ratione boni communis, in eo casu legem explicari, vel ab ipso Legislatore, vel a consuetudine: posterior vero interpretatio, scilicet *doctrinalis*, oritur ex defectu subditorum, quibus est interpretanda hoc modo mens, et voluntas Legislatoris iis, qui illam non capiunt. — *Rursus* interpretatio *doctrinalis* dividitur in *generalem*, et *specialem*. Generalis est, qua explicatur in genere, quid lex vetet, aut imperet: quod fit trifariam: *Primo*, si sensus legis eruatur stando in terminis ejus. *Secundo*, si vis legis extendatur ad similes, vel connexos casus. *Tertio*, si restringatur ad certas quasdam materias, cum alias ad plures extenderetur. *Specialis* est, qua explicatur quid hic et nunc lex vetet aut imperet; quod persæpe est difficillimum. *Primo* cum videntur simul duæ leges contrariæ obligare: *Secundo*, cum majus oriri bonum videtur ex legis inobservantia, quam ex ejus observatione: *Tertio*, cum videtur in aliquo particulari negotio causa legis deficere, vel cum dubitatur aut de potestate, aut de voluntate Legislatoris, aut denique de validitate dispensationis datæ.

Hæc autem doctrinalis legis interpretatio solito vocatur Epikeja, quæ ab Aristotele 5. *Ethic.*, cap. 10. definitur: *emendatio legis ex ea parte, qua deficit, propter universale*, idest, a qua et rationabilis interpretatio, qua declaratur legem non obligare in aliquo particulari casu, licet verba legis particularia sint, et ad omnes casus protendi videantur. Sic v. g. lex generalis est, *depositum reddendum est domino suo illud repetenti:* æqua tamen et rationabilis interpretatio est depositum illud non esse reddendum in eo casu, quo noceret repetenti, aut alteri innoxio: sic non esset reddendus ensis furioso, qui eum repeteret ad seipsum vel alterum occidendum.

Licet autem uti Epikeja variis in casibus: *Primo*, quando est evidens nimis durum esse legem observare; lex enim humana possibilis debet esse secundum naturam, et patriæ consuetudinem, idest, facilis observationis, ut alias diximus: ergo si in aliquo casu legis observatio nimis dura videatur, tunc opus est Epikeja, quæ est legis emendatio propter defectum. Sic Machabæi lib. 1. cap. 2. cum viderent, quod plurimi Judæi a suis hostibus trucidati fuissent die Sabbati, eo quod illo die sacro non judicassent adversus hostes esse repugnandum, legem de servando Sabbato interpretati sunt, dicentes: *Omnis homo quicumque venerit ad nos in bello die Sabbatorum, pugnemus adversus eum: et non moriemur omnes, sicut mortui sunt fratres nostri in occultis.* — *Secundo*, quando probabiliter judicatur legem non comprehendere aliquem casum, licet uti Epikeja; secus vero dum probabilius existimatur legem comprehendere casum illum: Nam, inquit, Doctor Subtilis in 3. dist. 25. quæst. 1. n. 8. « in moralibus, quando sunt « altercationes de aliquo peccato, quando primo est mortale, ut si « unus peritus in scientia dicat, quod non licet sic mercari, et alius « dicat quod sic licet, tutius est non procedere sic nec sic, sed expe-

« ctare quousque veritas patcat aliunde: si enim ita esset, quod unus « Doctor diceret aliquem peccare mortaliter, nisi sic faceret, tunc « simplex foret perplexus: ideo bene videndum est in moralibus « antequam aliquid asseratur, quia videlicet cum habens duas opi- « niones contrarias perplexus sit, periculose se determinaret ad unam, « nisi re diligenter inspecta probabiliorem eligeret. » Quibus Doctor significat, quod in moralibus sufficit quidem interdum ad prudenter operandum judicium probabile, quando videlicet non occurrit aliud probabilius: dum autem fit concursus duarum opinionum probabilium, nos teneri sequi eam, quam judicamus probabiliorem; alioqui peccamus contra regulas prudentiæ, quæ dictat huic potius adhærendum esse, quæ nulli prorsus errandi, aut peccandi periculo nos exponit, quam illi, quæ nos probabili saltem peccandi, et errandi periculo reddit obnoxios: unde S. Chrysostomus Hom. 4. in Matth. *Si vestimentum empturus, unum giras negotiatorem, et alterum: et ubi meliores vestes inveneris, et pretio viliori, ab illo comparas; an non oportet populum circuire omnes Doctores, et inquirere, ubi sincere veritas Christi venundatur, et ubi corrupta, veriorem eligere plusquam vestimentum?* — *Tertio* denique Epikeja utendum est, quando incerti sumus, voluerit ne Legislator hunc casum comprehendere, eo quod verba legis non satis id significant, et licitum est uti Epikeja sine recursu ad Superiorem, quamvis per tempus recurrere liceat. Ratio est, quia quando agitur tantum de verborum significatione non tenemur ea interpretari secundum mentem Legislatoris, quando ipse eam non declaravit, neque ad illum recurrere, sed possumus jure nostro utendo, ea interpretari juxta communem sensum, et secundum principia illius doctrinæ, quæ veram et germanam verborum significationem, modumque illa legitime interpretandi tradit.

IMPRIMATUR:

Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. *Magister.*

IMPRIMATUR:

Joseph Ceppetelli, Archiepiscopus Myrensis, *Vicesgerens.*

INDEX

DISPUTATIONUM, ARTICULORUM, SECTIONUM, ET QUÆSTIONUM

Quæ in hoc Sexto Tomo continentur.

pag.

TRACTATUS QUARTUS.

De Legibus Divinis, et Humanis 5

DISPUTATIO PROEMIALIS.

De Legibus in Communi. . 9
Quæstio I. De natura, et definitione legis 10
Quæstio II. Utrum lex necessario debeat esse ad bonum commune ordinata, et communitati præscripta. . 16
Quæstio III. Sitne de ratione Legis ut justa sit, justeque feratur, et quod obliget in perpetuum, idque sub præcepto 27
Quæres I. Quotuplex, et qualis sit Legis divisio . . . 34
Quæres II. Quinam sint præcipui Legis Actus. . . . 41
Quæres III. Quænam sint causæ Legis. 42
Quæres IV. Quinam sint legis effectus, et officia . . 43
Quæres V. Quænam sint legis proprietates 44

DISPUTATIO SECUNDA.

De Lege naturali 44
ARTICULUS I. De nativæ Legis essentia, principiis, et partibus 46
Quæstio I. In quo maxime consistat et reponenda sit nativæ Legis essentia . . ib.
Quæstio II. Quotuplex sit Lex naturalis 56
ARTICULUS II. De materia, et obligatione Legis Naturalis 60
Quæstio I. Quænam sit materia circa quam Lex Naturalis versatur. 61

pag.

Quæstio II. Qualiter, et ad quid Lex naturalis obliget. 68
Quæstio III. Quid, et quotuplex sit jus 72
Quæres: Quomodo jus Gentium differat a jure pure Naturali 78
ARTICULUS III. De Legis Naturalis immutabilitate . 79
Quæstio I. An et quomodo Lex Naturalis mutari possit. 80
Quæstio II. Utrum Lex Naturalis admittere possit dispensationem, et interpretationem, seu Epikejam . . 83
Quæres: An Lex naturalis admittere possit explicationem, et declarationem . . 98

DISPUTATIO TERTIA.

De Lege Divina 99
ARTICULUS I. De Lege Divina Æterna. . . . . ib.
Quæstio I. An et quid sit lex Æterna . . . . . ib.
Quæstio II. Qualis, et quotuplex sit Lex æterna . . 104
Quæres: An ipsa Lex æterna divinæ Essentiæ, vel alicui Personæ approprietur . . 111
Quæstio III. Quænam æternæ Dei Legi subjiciantur . 112
ARTICULUS II. De Lege Positiva, et Scripta, quam Veterem, et Mosaycam appellamus 116
Quæstio I. Quasnam Vetus Lex habuerit causas. . . 118
Quæstio II. Qualis, et quem ob finem Lex Moysis lata fuerit 128
Quæstio III. Quot, et quæ fuerint præcepta Veteris Legis 131
Quæstio IV. An et quando

pag.

Lex Vetus abrogata fuerit, et obligare desierit . . . 163
QUÆRES: Qualis, et quanta fuerit Sancti Augustini cum S. Hieronymo de legali observantia post Evangelicæ legis promulgationem controversia et disceptatio . . 171
QUÆRES II. An Petrus vere fuerit reprehensibilis, et vere non autem simulate a Paulo reprehensus 180
ARTICULUS III. De Lege Evangelica 182
QUÆSTIO I. An, et qualem novam Legem Christus instituerit 183
QUÆSTIO II. Qualiter nova lex præscripta fuerit, et quæ præcepta contineat . . . 187
QUÆSTIO III. In quibus præcipue Nova Lex differat a Veteri, eamque excedat. . 195

DISPUTATIO QUARTA.

De Legibus Humanis . . . 201
ARTICULUS I. De existentia, et causis Legum Humanarum 202
QUÆSTIO I. An, quid, et quotuplex sit Lex Humana . 203
QUÆSTIO II. Penes quos resideat legislativa potestas . 210
QUÆSTIO III. Quinam legibus humanis teneantur . . . 215

pag.

ARTICULUS II. De efficacia, et obligatione Legum Humanarum. 221
QUÆSTIO I. Circa quid Humanæ Leges versentur . . . ib.
QUÆSTIO II. Qualiter Humanæ Leges obligent . . . 225
QUÆSTIO III. Quas conditiones Lex requirat, ut revera obliget. 233
ARTICULUS III. De Legis Humanæ relaxatione per Consuetudinem, Abrogationem, Dispensationem, Interpretationem, et Privilegium 239
QUÆSTIO I. Quid, et qualis sit Consuetudo . . . . ib.
QUÆSTIO II. Quid, quotuplex, et qualis sit Lex favorabilis, seu Privilegium . . . 244
QUÆRES I. Quid sentiendum sit de Communicatione, et Confirmatione Privilegiorum præsertim Regularibus concessorum 251
QUÆSTIO III. Quot modis variari, ac mutari possit Lex humana 252
PETES, An superior possit dispensare erga seipsum . . 257
QUÆRES, An, et qualiter Humanæ Leges sint interpretandæ 259

INDEX

RERUM ET SENTENTIARUM, QUÆ IN HOC SEXTO VOLUMINE CONTINENTUR.

pag.

A

Actus.

Actus humanus triplex est . 221
Actus interni prohibentur, non quatenus pure interni sunt, sed quatenus connexionem habent cum eis. 225

Æternum.

Æternum quomodo sit intelligendum, et duplex ejus acceptio 167

B

Bellum.

Bellum potest utrinque esse justum 89

Bonitas.

Bonitas duplex spectari potest in actibus intrinsece bonis, totuplex malitia 53

Bonum.

Aliud est bonum summum diligere, et diligere aliquid ut bonum per se amabile . 71
Bona publica non impediunt quominus quisque propria sibi faciat 81
Bona Ægyptiorum juste abstulerunt Israëlitæ . . . 85

C

Capitulum.

Capitula Cathedralium Ecclesiarum non possunt ferre leges, quæ obligent in tota Diœcesi, sede vacante . . 215

Christus.

Christus Dominus sol justitiæ omnes homines sub quavis lege sua luce illustravit. 497

Circumcisio.

Circumcisio cur facta fuerit per ablationem extremitatis membri virilis 151
Circumcisio cur fieret cultro lapideo 152
Circumcisio cur fieri deberet ante octavum diem . . . ib.
Circumcisionis præceptum quare datum fuerit Abrahæ, et non ante 152

Clericus.

Clericus non tenetur Legibus Civilibus, quæ ejus statum dedecent, sed iis, quæ non dedecent 219

Communitas.

Communitas duplex distingui potest 16
Communitas ex instituto duplex est, Ecclesiastica, et Politica 17
Communitas politica iterum duplex, perfecta scilicet, et imperfecta . . . . . ib.

Conscientia.

Conscientia est actus intellectus practice judicantis aliquid in singulari faciendum, vel fugiendum, laude, vel pœna dignum 68

Consuetudo.

Consuetudo vim legis habens duplex est 243
Consuetudo vim legis habens non potest induci nisi a Communitate, vel majore ipsius parte 244
Consuetudo, et Præscriptio invicem conveniunt . . . 239
Consuetudo differt ab usu, more, foro, et stylo . . . 240
Consuetudo duobus modis potest intelligi vim legis habere . . . . . ib.
Consuetudinis definitio. . . ib.

pag.

Cultus.

Ad Cultum Dei tria sunt necessaria 150

D

Decretum.

Decretum Gratiani non obligat nisi ex parte qua continet Statuta Conciliorum, et Pontificum olim promulgata 237

Decretum in tres partes dividitur 35

Decretales ex quo, et a quo collectæ et ordinatæ sint . 36

Deus.

Deus qualiter sit colendus . . 193

Deum diligere non est de strictissimo jure naturæ, in quantum est præceptum affirmativum, sed in quantum est negativum 92

Deus potest dispensare in aliquibus, quæ sunt juris naturalis. 84

Deus potest dispensare in præceptis Decalogi. 86

Differentia.

Differentia inter Regem, et Tyrannum 13

Differentia inter legem naturalem, et conscientiam . . 54

Dilectio.

Dilectio duplex est, naturalis una, et altera supernaturalis 69

Dilectio proximi non sequitur necessario ex dilectione Dei, licet ex Dei dilectione sequatur proximi dilectio. . 92

Dispensatio.

Dispensatio duplex est. . . 83

Dispensare.

Nulla potestas dispensare potest in iis, quæ sunt de jure naturæ 95

E

Ecclesia.

Ecclesia quomodo absolvat, aut retineat peccata pure interna 224

Eleemosyna.

Qui restituit, aut dat eleemosynam in ebrietate, aut præpedito usu rationis, non implet præceptum; non tamen tenetur restitutioni . . . 64

Episcopus.

Episcopi possunt in sua Diœcesi leges obligantes ferre. 214

Evangelium.

Totum Evangelium aliquando comprehenditur nomine legis Evangelicæ. 33

Quomodo intelligendum sit quod quæ sunt in Evangelio sunt de lege 58

J

Jus.

Jus generice acceptum est potestas legitima ad rem aliquam obtinendam. . . . 73

Jus interdum ab æquo, et bono in multis distinguitur. 74

Jus sumptum generice est duplex . . . . . ib.

Jus naturale quid sit . . . ib.

Jus gentium quid sit . . . 76

Jus positivum divinum quid sit . . . . . ib.

Jus pro justo speciali acceptum est objectum formale justitiæ particularis . . . 72

Jus duplex, vetus, et novum. 76

Jus positivum humanum quid sit . . . . . ib.

Jus dividitur in jus simpliciter, et in jus secundum quid 77

Jus secundum quid dividitur in paternum, œconomicum, et herile . . . . . ib.

Jus ex parte termini dividitur in jus ad rem, et in jus in re . . . . . ib.

Jus in re quid sit . . . . ib.

Juris nomen secundum rem ipsam dupliciter sumitur . 72

Juris varia descriptio . . . 77

Juris Canonici divisio . . . 35

Juris etymologia quænam sit 72

Aliquid potest esse de jure naturæ duobus modis . . 80

Justitia.

In Justitia distingui potest objectum quod, et objectum cui 73

pag.

Justi.

Pauci fuerunt justi in lege Mosayca 130
Quotquot erant, ad Legem Evangelicam spectabant . . ib.

L

Lex.

Lex naturæ, artis, et morum quid sit 9
Lex diversimode dicitur secundum nominis etymon . 10
Lex duobus modis usurpatur, vel pro actu, vel pro habitu. 11
Lex formaliter est actus voluntatis 13
Lex præsupponit actum intellectus 15
Lex ad aliquem, vel ad aliquos debet necessario ferri, ac dirigi 16
Lex dicitur communis, quod præscribatur omnibus, et singulis membris communitatis; non autem eidem abstractive consideratæ. . . 19
Lex fertur ad communitatem non collative, sed distributive. . . . . ib.
Lex, et præceptum inter se distinguuntur si non physice saltem moraliter. . . 20
Lex ut obliget necessum est ut interveniat aliquid publicum quod insinuet motivum legis 22
Lex quas conditiones debeat habere, ut perfecte obliget, et legitime feratur. . . . 23
Lex quæ in solius Legislatoris bonum privatum ederetur, non foret justa . . . 24
Lex potest esse justa, et juste ferri tripliciter 27
Lex potest intelligi recte ferri tribus modis, quoad formam. ib.
Lex ut obliget, et recte feratur tres Justitiæ virtutis species desiderantur . . . 28
Lex nulla potest ferri de impossibili simpliciter, vel moraliter 30
Lex potest dici perpetua triplici respectu 31

pag.

Lex omnis debet esse præceptiva, et obligativa . . . 31
Lex dicitur Consilium improprie. 33
Lex duplex est; æterna, et temporalis 34
Lex positiva duplex est; divina, et humana 35
Lex divina duplex est. . . . ib.
Lex humana duplex . . . . ib.
Lex temporalis alia naturalis, et alia positiva. . . . . ib.

De Lege Naturali.

Lex naturalis inest cuilibet homini 41
Lex naturalis, synderesis, et conscientia quamvis pro uno, et eodem interdum usurpentur, inter se tamen differunt 46
Lex naturalis est aliquod donum divinum a Deo effective procedens 47
Lex naturalis non est ipsa rationalis natura. 51
Lex naturalis in pueris, et amentibus est in actu primo, non vero in actu secundo 55
Lex naturalis non est formaliter judicium, et dictamen ostensivum, et judicativum. ib.
Lex naturalis aliquo sensu dici debet lex Divina . . . 56
Lex naturalis una est quadruplici unitate, 1. unitate luminis: 2. unitate principii: 3. unitate finis: 4. unitate præcepti . . . . . ib.
Lex naturalis est una, et eadem omnibus hominibus . 57
Lex naturalis unum habet principium ex quo cætera derivantur 59
Lex naturalis quomodo circa omnes actus virtutum in communi consideratos versatur 62
Lex naturalis quas requirat conditiones ut fiat actus virtutis 64
Lex naturalis in conscientia obligat ad servanda sua præcepta 69
Lex naturalis interdum obligat sub mortali 70

pag.
Lex naturalis potest mutari per substractionem sex modis 80
Lex naturalis quomodo possit mutari. 82
Lex potest mutari per substractionem materiæ, quæ subest ejus definitioni : nequit autem mutari per irritationem . . . . . ib.
Lex naturalis mutari potest per additionem, vel substractionem 80
Lex naturalis non potest abrogari quoad ea, quæ sunt jure strictissimo, potest tamen quantum ad alia . . 90
Lex naturalis, quæ fundatur in divina ratione, potest considerari tribus modis . 99

De Lege Æterna.

Lex æterna in eo distinguitur a cæteris legibus, quod non sit alicujus legis participatio, sed ipsamet aliarum origo 100
Lex æterna datur, quæ scilicet Deus ab æterno, quæ sunt aut facienda, aut cavenda ordinat 101
Lex potest considerari quatenus derivatur a legendo, aut ligando 102
Lex quatenus obligat est duplex, activa, et passiva. . 103
Lex æterna non potest cognosci comprehensive, nisi a solo Deo 104
Lex æterna respective ad Legislatorem est immutabilis. 105
Lex æterna numquam præcipit secundum rationes contrarias, sed secundum unicam solummodo, et immutabilem 106
Lex Dei æterna est omnino immutabilis, et absoluta . ib.
Lex temporalis ea solum punire potest, quæ contrariantur suo fini 108
Lex æterna spectata secundum se unica est : si vero consideretur penes connotata est multiplex . . . 110
Lex æterna cuinam competat immediate 111

pag.
Lex æterna potest esse dupliciter mensura, seu regula actuum liberorum Dei . . 112

De Lege Mosayca, et Evangelica.

Lex divina positiva duplex est Mosaysa scilicet et Evangelica 116
Lex Mosayca quare vetus appelletur . . . . . ib.
Lex nulla pluribus præceptis distincta, fuit hominibus a Deo posita ante Moysem.
Lex Divina distribuitur in historiam, præcepta, et prophetias . . . . . 118 ib.
Lex Vetus fuit a Deo condita. 120
Lex Mosayca in Novo Testamento laudatur, et probatur 121
Lex Vetus dicitur non bona. 122
Lex Vetus dicitur culpam habere, quia non purgabat commissa, nec gratiam conferebat ad vitanda peccata. 123
Lex subintravit ut abundaret delictum, non per causam, sed per occasionem . . . ib.
Lex talionis non reprobata est a Christo tamquam mala, sed melior, et perfectior fuit in ejus locum subrogata . ib.
Lex vetus non fuit perfecta simpliciter, sed tantum secundum quid 124
Lex Moysi data est per Angelos 125
Lex Vetus, Lex Domini, Lex Moysis appellatur, Lex Moysis promulgatoris, Lex Domini institutoris, et auctoris 127
Lex Mosayca respective tantum erat imperfecta . . . 129
Lex Vetus quomodo ab Abrahamo, et Moyse dicatur originem duxisse 163
Lex Vetus solis Judæis data est . . . . . ib.
Lex Vetus spectabat ad Christianos. 164
Lex Mosayca obligare desiit . ib.
Lex potest cessare per temporum mutationem, et successionem 166
Lex Vetus a Christo Domino fuit abrogata . . . . . ib.

pag.

Lex Vetus erat imperfecta ad alteram ordinata, et perfectiore adveniente debuit mutari, et desiit quoad omnia præcepta 168
Lex Mosayca languescere cœpit post natum Christum, extingui vero post Christum mortuum 172
Lex non fuit penitus extincta ante diem Pentecostes . . 179
Lex Evangelica licet ab initio condita sit, tamen nonnisi in medio temporum fuit per Christum instituta, et promulgata 184
Lex Evangelica cur non incœperit ante Christum, triplex est ratio . . . . . ib.
Lex Evangelica non solum directiva, sed et præceptiva fuit. 135
Lex Mosayca tantum præcipiebat, non autem juvabat per auxilia, et gratiam. . 186
Lex nova quomodo, et qua ratione dicatur vitam æternam promittere 187
Lex nova continet gratiam, et charitatem, item præcepta, et regulas recte operandi. 189
Lex Evangelica quomodo dicatur scripta . . . . . ib.
Lex Mosayca, et Evangelica non contrarie opponuntur, sed tantum disparate . . 195
Lex Evangelica continet revelationem veritatum fidei. 198
Lex Vetus non habuit vim sanctificandi. 196
Lex Evangelica non fuit severa sicut Mosayca . . . 198

De Lege Humana.

Lex humana solos actus bonos, et indifferentes præcipere potest 222
Lex humana quomodo præcipere possit actus internos. 223
Lex abrogari potest tripliciter. 252
Lex vigorem habet dupliciter. ib.
Lex dubia, et obscura interpretari potest dupliciter. . 213
Lex humana mutari potest tripliciter. 252
Lex ut obliget requiritur ejus aliqualis promulgatio . . 233

pag.

Lex considerari potest dupliciter ad propositum . . . ib.
Lex naturalis ideo sufficienter est promulgata, quia mentibus nostris est insita. ib.
Lex sumpta pro regula apud solum Legislatorem non requirit promulgationem . . 235
Lex ut fiat nota notitia communi non privata, promulgationem requirit. . . . ib.
Lex triplici modo potest deficere 241
Legis humanæ triplex est interpretatio 259
Legis interpretatio doctrinalis vocatur *Epikeja* . . . . ib.
Legis nominis varia, et multiplex appellatio 9
Legis necessitas, et existentia probatur. 10
Legis ratio potissima non est in sermone scripto, vel audito reponenda, sed in rebus ipsis imperatis, aut prohibitis. 11
Legis ratio formalis, in quo reponenda sit 12
Legis descriptio in genere sumptæ explicatur per particulas. . . . . ib.
Legis injustitia spectari potest vel ex parte formæ, vel ex parte materiæ . . 28
Legis ratio primaria consequenter tantum præcepti, et ligandi vim importat. . 32
Legis causa efficiens Legislator, et formalis ipsa justitiæ norma, materialis intellectus directive et voluntas subjective, et finalis bonum commune 42
Legis officium est duplex, scilicet dirigere, et obligare. 43
Legis temporalis definitio. . 34
Legis præcipuus effectus est subditorum bonitas, et ordinatio 43
Legis inscriptio duplex est. 190
Legis proprietates tres sunt, scilicet, auctoritas, veritas, et bonitas. 44
Legis æternæ definitio. . . 34
Legis naturalis immutabilitas eleganter expressa . . . 79

pag.

Legis æternæ notitia . . . 99
Legis æternæ duplex causalitas 105
Legis cujuslibet triplex est status . . . . . ib.
Legis æternæ actus qualiter legi Dei congruant . . . 111
Legis naturæ duplex est subjectio. 115
Legis declaratio, et promulgatio quare differri debuerit usque ad tempora Moysis. 119
Legis Evangelicæ cum Mosayca varia collatio . . . 196
Legis Evangelicæ supra Mosaycam variæ præcellentiæ. 130
Legis utilitas triplex fuit. . 134
Legis Mosaycæ promulgatio fuit figura legis Evangelicæ. 173
Legis Evangelicæ tituli, et elogia 182
Legis obligatio quantum ad Princeps duplex est . . . 216
Legis naturalis et divinæ acceptatio non est necessaria ut obliget 233
Legis vis remittitur vel per consuetudinem, vel abrogationem et dispensationem, vel privilegium . vel interpretationem 239
Legis abrogatio per quid a dispensatione, irritatione, derogatione, et correctione differat 252
Leges præscribuntur omnibus creaturis a Deo 5
Leges a Theologis tractantur diverso fine ab eo, quem Philosophi, et juris positivi, et Cæsarei Doctores intendunt 6
Leges de tributis, et vectigalibus statuere possunt Principes 17
Leges de tributis pendendis ordinantur ad publicam fœlicitatem, et securitatem . 22
Leges, et præcepta naturæ non modo spectari possunt respective ad ipsam naturam, verum etiam respectu ejusdem ut elevatur ad statum supernaturalem. . . 47
Leges omnes justæ a lege æterna derivantur. . . . 107

pag.

Leges humanæ ab æterna lege derivantur mediante naturali a qua procedunt. 109
Leges præceptivæ, aut prohibitivæ non obligant nisi rationis compotes 215
Leges humanæ non omnes obligant sub mortali. . . 225
Leges humanæ an obligent cum vitæ dispendio . . . 226
Leges humanæ obligare possunt in foro conscientiæ. ib.
Leges humanæ interdum obligant sub mortali 228
Leges humanæ non semper obligant cum vitæ dispendio, et periculo gravis damni. 230
Leges humanas obligare sub mortali quatuor regulis cognosci potest 229
Leges humanæ quandonam obligent cum vitæ dispendio. 230
Leges Civiles debent promulgari iis in provinciis pro quibus fuerunt constitutæ. 235
Leges Ecclesiasticæ non habent vim per totum orbem nisi in singulis provinciis fuerint promulgatæ . . . 236
Legi essentiale est ut sit justa ex parte objecti, Legislatoris, et formæ. . . . 29
Legi essentiale est ut pro tota communitate præscribatur. 18
Legi essentiale est ut sit stabilis, et permanens, et aliquo modo perpetua . . . 30
Legi naturali non tenemur omnia facere ex dilectione Dei. 70
Legi æternæ non subjicitur divina voluntas 112
Legi æternæ omnia entia rationalia subjiciuntur. . . 113
Legem dedit Christus præcipientem, et conferentem auxilia, quibus impleri possit; et ideo dicitur gratia per Christum data . . . 186
Per legem personalem, et privatam quid intelligendum sit 18
Ad legis essentiam spectat, ut propter bonum commune præscribatur 20

pag.

Homo dirigitur per legem totidem modis quot modis lex potest sanciri 41
Aliud est esse de lege naturali, et aliud est esse de præcepto legis naturalis . 63
Cultus qui Deo impenditur die Sabbati, non est de lege naturali 66
A lege æterna non pendent actus divini intellectus, et voluntatis, ad intra spectati. 112
Esse sub aliqua lege potest sumi duobus modis . . . 116
Totum tempus ante Moysem vocatur tempus legis Naturæ 118
Ante legem Mosaycam triplicis generis præcepta fuerunt Deo præscripta. . . . . ib.
Tria erant in lege veteri, 1. Moralia, 2. Judicialia, 3. Figuralia et cæremonialia. 134
Circa legis novæ institutionem Hæresiarcharum errores. . 183
Per legem libertatis intelligenda est exceptio a lege Mosayca 187
Duo sunt in nova lege distinguenda . . . . . ib.
Discrimen inter legem Veterem, et Novam 188
Qui legem condidit potest in ea dispensare 253
Ad solas leges positivas necessaria est promulgatio. . 234
Qui legem ferre potest, is et Privilegium condere potest. 244

Legalia.

Legalia post Christi mortem nec bona, nec mala fuerunt 179

Legislator.

Legislator potest subditum privare gratia potestate secundaria ratione decreti, ac legis conditæ per auctoritatem a Deo derivatam. . 228
Legislator non debet seipsum nec subditum a legibus dispensare sine gravi, et justa causa. 218
Legislatores duplicem habent respectum, superioritatis scilicet, et inferioritatis. . ib.
Legislatores non tenentur iis

pag.

legibus, quæ ad omnes non pertinent 216
Legislatores tenentur suis legibus quoad vim directivam. 217

Libertas.

Libertas Evangelica in quo consistat 187

Lumen.

Lumen naturale quidquid indicat ex se necessarium est, aut naturæ rationali contrarium 61

M

Maledictum.

Maledictum duplex est, culpæ, et pœnæ 123

Malum.

Malum quamvis sit turpe, et illicitum, potest tamen aliquando justis de causis tolerari a superioribus. . . 29
Mala possunt tolerari ob graves fines, non vero præcipi. 223

Miles.

Miles tenetur cum vitæ dispendio, et periculo suam stationem non deserere, et hostes aggredi ad præceptum Ducis sui 230

Minister.

In Ministrorum institutione triplex est genus cæremoniarum 154

N

Natura.

Natura rationalis spectari potest duobus modis . . . 47
Ex hypothesi quod natura rationalis existat, necessario dirigi debet ad suum finem naturalem per legem . . 52

O

Obligatio.

Obligatio ad aliquid faciendum est triplex 68

Occisio.

Principes non possunt facere sua auctoritate ut omissio illicita fiat licita 88

pag.

Ordinatio.

Ordinationi divinæ subsunt omnia, etiam reprobi . . 115

P

Peregrini.

Peregrini iis tenentur legibus, quæ ad bonum commune, conferunt, non autem iis, quæ non conferunt . . . 219

Peregrini, et advenæ tenentur ad observantiam legum iis in locis quibus degunt. 220

Perfectum.

Aliquid dici potest perfectum duobus modis 128

Perpetuitas.

Perpetuitas duplex distingui solet a Philosophis. . . . 28

Perpetuitas negativa sufficit ad rationem legis. . . . 31

Perpetuitatis modus duplex distingui solet, positivus scilicet, et negativus. . . . 28

Pontifex.

Pontifex quatuor habebat sibi præcipua vestium genera . 155

Summus Pontifex non potest dispensare proprie in ullo voto, aut juramento . . . 96

Summus Pontifex potest leges toti Ecclesiæ præscribere independenter a Cardinalium Concilio 214

Summus Pontifex non potest quamlibet hominis dispensationem solvere 98

Summus Pontifex potest dispensare in legibus tum a se, tum a suis prædecessoribus sancitis 253

Summi Pontificis dignitas, et auctoritas explicatur . . . 213

Potestas.

Potestas Principum convertendi subditorum bona in propria, non est legitima, sed tyrannica 26

Potestas Principum sæcularium dicitur temporalis ratione obligationis 228

Præceptum.

Præceptum quodlibet duo involvit præcepta, unum quidem affirmativum, alterum vero negativum. 84

Præceptum quam dispensationem possit habere. . . 87

Præcepta legis naturalis sunt duplicis generis 57

Præcepta legis naturalis spectari possunt, vel quoad certitudinem, vel quoad evidentiam . . . . . ib.

Præcepta particularia legis naturalis, quæ ex generalibus inferuntur, quænam sint. 58

Præcepta nativæ legis sunt triplicis generis 59

Præcepta particularia mediante aliquo Legislatoris judicio non censentur esse de lege naturæ. 63

Præcepta legis naturæ affirmativa non præcipiunt independenter ab ullo legis præcepto 90

Præcepta legis naturæ habent connexionem cum natura ex ordinatione Dei, non vero profluunt ab ipsa . . . . ib.

Præcepta duo primæ tabulæ negative sumpta, sunt de jure naturæ 91

Præcepta secundæ tabulæ non sunt de jure naturæ observanda 93

Præcepta secundæ tabulæ sunt de jure naturali, non quidem strictissimo . . . 67

Præcepta quælibet Decalogi, tertio excepto, pertinent ad legem naturæ 66

Præcepta Decalogi omnia non sunt æqualiter de jure naturæ 67

Præcepta Decalogi sunt duplicis generis 83

Præcepta Evangelicæ legis sunt quoque triplicis generis 188

Præcepta moralia, judicialia, et cæremonialia quid sint. 136

Præcepta cæremonialia quid sint, et eorum divisiones. ib.

Præcepta judicialia quid sint. 161

Præcepta judicialia cur Deus non instituerit. 194

pag.

Tria involvuntur in tertio præcepto 66
Utrum Deus possit dispensare in præceptis Decalogi . . 84

Prælatus.

Prælatus inferior non potest dispensare in lege superioris. 255

Præmiatio.

Præmiatio nequit habere rationem actus legis sicut punitio, tres ob causas. . . 41

Privilegium.

Privilegium si non obligat primario, obligat saltem consequenter. 33
Privilegium quomodo a lege, dispositione, et gratia differat 244
Privilegia Regularibus mendicantibus concessa sunt remuneratoria 250
Privilegia quandonam censeantur revocata 251
Privilegia quot modis vigeant. 248
Privilegii descriptiones. . . 246
Privilegii variæ divisiones . 247
Privilegiorum concedendorum varii sunt modi. . . 248
Privilegiorum cessationis causæ 249
Privilegiorum communicationem habent inter se Mendicantes cum aliis Ordinibus. 251
Privilegiis nostro Ordini concessis non derogavit Concilium Tridentinum, nisi iis quæ formaliter, et expresse adversantur illius decretis . . . . . ib.

Purificatio.

Purificatio cur instituta fuerit. 153
Purificationum ratio litteralis, et figuralis . . . . . ib.

R

Reges.

Reges sunt Domini subditorum Dominatione Civili, et Politica, non dispotica, et herili. 26

Regimen.

Regiminis Judaici descriptio. 161

Reprehensibilis.

Reprehensibilis vere fuit S. Petrus a S. Paulo 180

Reprehendere.

Inferior Superiorem reprehendere potest libertate caritatis, non autem auctoritatis . 182

Residentia.

Residentia Pastorum non est de jure naturali, sed divino, ut significare videtur Concilium Tridentinum . . . 95

S

Sacramentum.

Sacramenta cur sint instituta. 190
Sacramenta cur instituta sint in verbis, et elementis . . ib.
Sacramentorum variæ sunt figuræ. 191
Sacramentorum varii fines . ib.
Sacramentorum in septem divisio, et ejusdem ratio . . ib.
Sacramentorum alia particularia, et alia communia. . 150

Sacerdos.

Sacerdotes antiqui utebantur vestibus quadruplicis generis 155

Sacrificium.

Sacrificium Turturis, et Columbæ cur Deus præ cæteris avibus elegerit . . . 141
Sacrificium expiationis cur institutum fuerit 151
Sacrificii expiationis, et ejus rituum profertur ratio . . ib.
Sacrificiorum veteris Legis triplex est genus 137
Sacrificiorum offerendorum variæ proferuntur rationes, et explicantur 141

Salus.

Aliquid conducere potest ad salutem duobus modis . . 128

Sancti.

Sancti omnes veteris Legis, et Testamenti ad novum pertinebant 197

Sanctificatio.

Sanctificatio duplex est: carnalis scilicet, et spiritualis. 196

Superior.

Superiores omnes habentes jurisdictionem Episcopalem, v. g. Abbates possunt sibi subditis Leges condere. . 215

Symbolum.

Symboli articuli sunt duodecim. 191

WITHDRAWN

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
B765.D7F861900 C001
SCOTUS ACADEMICUS ROMAE
V.5-6
3 0311 00001 1986

42961
Duns, Joannes, Scotus, 1265?-1308?
AUTHOR
1900 SCOTUS ACADEMICUS, SEU UNI-
TITLE VERSA DOCTORIS SUBTILIS
v.5-6 THEOLOGICA DOGMATICA ...
DATE DUE | BORROWER'S NAME
FRS' LIBR,
BX
890
.D71
1900
V. 5-6
42961